

L. IOANNIS TRVLLI ARAGONII PRIORIS S. CHRISTINAE, AC CVIVSCVNQVE REGVLARIS VITAE IANITORIS.

Habent in hoc volumine quicunque ad Regularem vitam aspirant.

Ordinis Canonicorum Regularium libros IIII. *elucidati.*

Titulos totius operis decima pagina indicat.


AD PHILIPPVM *Hispaniarum Regem Catholicum, & potentissimum.*





BONONIÆ, Apud Ioannem Rossium MDXC.
Curiæ Archiepisc. & S. Inquisit. concessu.

DIGNISSIMO, AC REVERENDISS. ANTISTITI PATRI D. CAMILLO BECIO, TOTIVS CONGREGATIONIS LATERAN. MODERATORI SAPIENTISSIMO.



D. Gaspar Pasterinvs, eiusdem instituti Abbas Felicitatem.



N, *Præsul Amplißime, L. Io. Trulli opus vndiq; plenum integritatis, & religionis, quod cum iamdudum graui consilio præponderaueris, non solùm nobis sub illa primæua Clericorum Regulari disciplina perutile, verùm etiam cunctis arctiorem vitam in claustro degentibus valdè accommodatum, demandasti, vt in Italiæ Amphiteatro, & potißimum in hac nostra studiorum Matre Bononia recentioribus typis excuderetur; cui sanè voluntati tanquàm legi, atque normæ obtemperans ego, quo potui emendatiori prælo exculpi curaui, vt perillustris Religionis nostræ Canonici, ceteriq; Deo addicti Regulares vberiores fructus inde colligere valerent. In eo enim veluti in speculo quodam vultus sui speciem, inculpatæq; vitæ imaginem poterunt contemplari. Oculis itaque nostris iuxta Sanctißimi Gregorij proloquium, quasi quoddam speculum opponitur, vt interior nostra facies in ipso videatur opere.*

†† 2 *Hic*

Hic etenim fœda, hic pulchra nostra facilè cognoscemus, hic vtique experiemur quantum in dies proficimus, hic à profectu quàm longè distamus. Proinde, Reuerendiss. Pater, cùm omnia tua consilia ad Deum relata nil aliud spectent, quàm cœlestes diuitias, virtutumq; thesauros; faxit Diuina Clementia, vt opus regie instructum præ manibus die, noctuq; tua assiduitate habentes, excellentiori typographia consulgeat in morum honestate, & perfectione, quàm in hac ipsa impressorum cælatura, & editione. Verùm si quid in eo excudendo prætermissum est, memineas rogo; humanam imbecillitatem nihil absoluti condere solitam; sed id omnium rerum auctoris, & creatoris Dei esse proprium: illud modò superuacaneum esse arbitror tuarum laudum iliadas texere, quod nec tua pateretur modestia, cùm vir prudens, vt Ioannis Chrysostomi verbis vtar, laudatus in facie flagelletur, ac torqueatur in corde. Deum autem enixius rogabo, vt tuam erga ipsum pietatem, & religionem, & in re nostra non solùm familiari recuperanda, sed, quod præstantius est, potiori spirituali ad formam Sanctorum Patrum renouanda sollicitudinem adiuuet, muneraq; tua, quibus tam iustè, ac piè perfungeris felicissimè dirigat. Intereà magnopere cupio, ac precibus iterum, atque iterum abste contendo, vt meæ in te obseruantiæ, beneuolentiæq; antiquam propensionem, nulla apud te prorsus deleat obliuio. Vale. Ex nostra Canonica Sancti Ioannis in Monte Bonon. Die 25. Ianuarij MDXC.

PHI-

PHILIPPO HISPANIARVM REGI CATHOLICO, MAXIMO, ET PIENTISSIMO.

L. Ioannes Trullus Prior S. Christinæ salutem, & contra hostes Ecclesiæ victoriam D.





VM PRIMVM tua Regia munificentia, PHILIPPE Rex potentissime, Priorem S. Christinæ me designauit, atque delegit, diligenti studio ex multijuga Pontificiarũ sanctionum, sacrorum Conciliorum, & præstantium Theologorum lectione, ea exquirere cœpi, quæ ad munus mihi iniunctũ, riteq; obeundum, & vtilitatem præstarent, & viam sternerent. Nã qui ratione, & methodo Canonicorum Regularium illustrem Ordinem elucidauerit, inueni neminem. Cuius rei peruestigationi, correctioni, editioniq; dum totus incumbo, etiam plusquã quadrienniũ insumo. Dum verò opus nec expolitum, nec eruditione satis ornatum, meo tamen iudicio frugiferũ euulgare cogito, ea me formido rapiebat, quod imperfectissimus homo, præclaræ perfectionis opus alijs edere contẽderem. Vehemens tamen quidam zeli ardor in hunc sacrum ordinẽ, me vrit, & pellit, vt has meas qualescunque lucubratiunculas, & mihi, & alijs Religionis cultoris candidatis in vulgus emittam. Tametsi enim magnum diuinarum messium pondus in aream domini asportare non possum, cur vel certè manipulos paucos, dum nimis trepido, inferre sum recusaturus? Præsertim verò hisce turbulentis, exulceratisq; temporibus, quando tam aperto marte, impij hæretici aduersus sacras Religiones non absque Catholicorum incommodo dimicant. Quid faciam? Ruth Moabitidem generose imitabor, quæ metentium in agro gressus insequens, spicas, quæ fortè metentiũ subterfugissent manus, aut etiam de industria ex patris familias voluntate fuissent relictæ, ipsa colligebat. Sic ego post sacros, veteresq; patres, nulla vnquam veneratione satis honorandos, quæ mihi clementis DEI in suo fœcũdissimo agro elaboranti donauit benignitas, in manipulos collegi, singula cõptans, non tam curam habens adferẽdi plurima, quàm

pauca clarè, lucideq; sic explanandi, vt nemò nō vel tenuis ingenij, facilè omnium intelligentiam comprehenderet. Tandem verò huius laboris finem DEI ope assequutus, dùm ipse mecū reputo, huius operis nuncupatio post immortalem Deum, inter mortales, cui potissimum debeatur, tuæ Maiestatis celsitudo dignissima mihi visa est, cuius patrocinio hoc Canonicum opus cōmittatur, cuiusq; augustissimo nomini dedicetur, & consecretur. Accepit iam vita hominū, consuetudoq; cōmunis, vt qui cogitationes suas scriptis mādare, atq; in vulgus edere instituunt, patronos prius ex ipsa nobilitate, virisq; primarijs diligenter consectentur. Alij verò illud obseruantiæ genus maximū, atq; præcipuū iudicant, quo sui animi cogitatus, atque intimo sensus illis præstantibus viris dedicare, omnesq; animi meditationes, & studiorū labores nuncupare volūt, à quibus beneficia benignè collata receperunt, quibusq; multis de causis obstringuntur. Nam si cuiusquam nomen nostris est illustrandum, ac celebrandū scriptis, cui potius quàm benigno benefactori, id officij præstandum esse censebimus? Perfecit itaq; Rex pientissime, vtraq; ratio, vt opus istud in tuo tandem nomine appareret. In te.n. & splendidissimā generis nobilitatem cū insigni erga me munificentia coniunctā intueor. Generosissimam autē tuā nobilitatem quis nesciat ipso Sole esse clariorē. Siquidem te prognatū probè nouimus, ex illa omnium Illustriss. antiquissimaq; Archiducum AVSTRIAE domo, ex incomparabili generis splendore, paterno, atq; auito, regijs, imperatorijsq; imaginibus sic insigni, vt ipsum quasi hereditaria quadam successione tot genuerit, dederitq; Archiduces, Reges, Cæsares, & Imperatores, quot vix ex equo quondā Troiano proceres exilierūt, & virtute quidē, huiusq; laude multo istis præcellentiores, vt quos sic pacis, sic belli heroica gesta nobilitarunt, vt cuiuis veterū heroum possint non solùm conferri, verumetiā longè anteferri. Iā verò qui posses ab isto tuo plusquā inclyto genere degenerare, cùm vel naturā fortes creētur è fortibus, & bonis; nec imbellē columbam feroces progenerent aquilæ. Tu verò tot, tamq; excellentibus virtutibus tuo generi inclyto, stemmatiq; tuo incomparabili ita respondes, vt illos tuos Illustrissimos Progenitores ad omnia, & in omnibus planè referas. Fuit quidem ex AVSTRIAE domo vetustissimus Rex Rodulphus & clementissimus, & fortunatissimus appellatus. Albertus primus Archidux Austriæ dictus est victoriosus, à multis victorijs, quas ab hoste tulit, Albertus appellatus est sapiens; erat.n. princeps prudentia insigni. Leopoldus, probus est dictus. Ernestus verò pacificus. Fridericus Cæsar, vocatus est & magnificus, & pacificus Imperator. Maximilianus Imperator nuncupatus est inui-

ctus,& glorioſus; cuius virtutes,& præclara facinora, nulla vnquã lin gua eloqui poterit. Philippus eius filius, Hiſpaniarũ Rex: ex nuptijs Ioannæ Regis Ferdinandi Aragonij filiæ, Hiſpaniarũ regna cõſecutus eſt. CAROLVS Imperator huius nominis QVINTVS, pater tuus, pius, felix, ſemper Auguſtus celebratur; ſub quo Franciſcus Gallorũ Rex, bello apud Papiam victus, captus, & in Hiſpanias abductus eſt; Sed Cæſaris clementia dimiſſus. Magna quidem, & egregia virtutis ſpecimina ipſe præbuit. Huius egregij Cæſaris, aliorumq́;, AVSTRIAE domus, maiorũ tuorum viuida exempla, præclaraq́; veſtigia tu Rex clementiſsime & ſequeris, & imitaris. Si.n.quod res habet, mecum paulò diligentius repeto, video, illum te eſſe regem, qui illuſtriũ heroũ dotes, nobiliſsimaq́; geſta non ſolùm ex æquo referas, verùm etiã longo poſt te interuallo tuis relinquas virtutibus. Ipſe quidem Ptolemæi Philadelphi ſtudium erga bonas litteras, Alexandri cognomentó magni fœlicitatẽ, Philippi ciuilitatẽ, Iulij Cæſaris animi vim, Auguſti Imperatoris ſanitatẽ, Traiani non minus bonitatẽ, quàm manſuetudinẽ, Alexandri Seueri integritatem, Marci Antonij Pij doctrinã, Theodoſij pietatẽ, Titi Veſpaſiani humanitatẽ,& facilitatẽ; & ſi quid aliud in ſingulis priſcorum inſigne fuiſſe legimus, maximè ſuperas. Tua verò pietas,& fidei ardor paſsim vbiq; laudatur, dũ vniuerſi apertè cernunt tuã reuerentiam, zelum, amorem,atq; ſtudium in ſanctã Catholicam, atq; Romanam Eccleſiã. Imitandum tibi Conſtantinũ Magnũ Imperatorẽ propoſuiſſe videris; illum inquam, qui olim ſuperba illa Romani Imperij celſitudine demiſſa, dum ſe quoq; Chriſto ſubmitteret, eandem Eccleſiã cunctis mortalibus admirandã, & vti verã Chriſti ſponſam confitendã euexit. Effectus quoq; es aduerſus hæreticos clypeus fortiſsimus, & inexpugnabile propugnaculũ. Imò potius inter ſeculi principes,tu ſingulari,& ſummo Dei beneficio videris caput conſtitutũ, cui Deus ſuę Eccleſiæ defenſionẽ, tutelã, & patrociniũ videtur manifeſtiſsimè cõmendaſſe. Nam quod ad tuę fęlicitatis magnitudinem illuſtrandã multum habet momenti, nullius profectò principis in vniuerſa Europa regna,nec ditiones illæſa,& intemerata ab hac peſtifera contagione reperiuntur; præter ea, quæ tuo parent imperio. In tuis.n.tuoruimq; maiorum antiquiſsimis regnis, & ampliſsimis ditionibus in Hiſpania, Italia, Auſtria,& Belgia Catholica fides fortiſsimè præualuit, atq; viguit. Videris mihi planè optimè Regũ Philippe, hac noſtra turbulenta tẽpeſtate alter nouus rex Dauid exortus. Neq; enim hoc nomen tibi præter veritatẽ aſcribo, qui Dauidis illius veteris & pectus,& mores,& vitã referre conſpiceris. Si.n.illius erga cultũ Dei piã deuotionem, erga perſequutores manſuetudinem, contra ho-

 ſte

hostes Dei, & veritatis inimicos ardentẽ zelum, in aduersis imperturbatá patientiam; in prosperis tranquillã modestiam, prudentiam, & diligentiam in rebus agendis, mali odium, perfectũ virtutis amorem, deniq; quicquid in illo Dauide nobis describit sacra historia, tu nobis in temetipso exprimis, & imitatione affectaris. Quoniã verò Dauidis ita in temetipso virtutes nobis, quasi in exẽplari viuo demonstras, cõfido futurum in Domino, qui tibi hanc dedit, & conseruat voluntatẽ, victorias quoq; illas gloriosissimas, quibus Dauidis nomen diuulgatũ fuit, suo tempore in te manifestandas aduersum gẽtes incredulas, atq; barbaras, aduersumq; istos Luthericos Philistæos, vt tandẽ in Deo propugnatore tuo, sancte posis cũ Dauide gloriari, ac dicere; Dominus illuminatio mea, & salus mea, quẽ timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Qui tribulãt me inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt. Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meũ, Si exurgat aduersum me prœliũ, in hoc ego sperabo. An putamus Deũ, quasi rebus omnibus peractis, quasi in tuto cõpositis negotijs, manũ subducturũ, iamq; aduersum tam internos, quàm externos fidei hostes tibi defuturũ? Nonne Dei perfecta sunt opera? Nonne sapientia diuina attingit à fine vsq; ad finẽ fortiter, & disponit omnia suauiter? Iosue quidẽ Israelitici populi assumpto duci dixit Deus; non dimittã, neq; derelinquã te, confortare, & esto robustus. Noli metuere, & noli timere, quoniã tecũ est dominus Deus tuus, in omnibus ad quæcunq; perrexeris. Quod illi dicitur veteris synagogæ ducatũ suscipienti; Id tibi multò magis tot Christianorũ regnorum Regi dictũ, ac suo tempore exhibendũ non dubito. Loqui me ista citra omnẽ adulationem, nemo ambiget, qui Dei nostri erga te miram prouidentiam pio animo expenderit; non inquã, hæc per adulationem diximus, sed quod ipse tu prior manifestum fecisti, ad gloriã Dei recitamus, cuius est ornatus omnis, quem in te prædicamus, bonũ omne, quod in te veneramur; Omnis.n. adulationis suspitionem veritas enarrata depellit. Altera quoq; causa extitit, quæ me adduxit, vt Ordinem Canonicorũ Regularium à me elaboratũ nuncupare tibi non dubitarem; nẽpè tua erga me singularis munificẽtia. Nã postea quàm incliti Salmãticensis Collegij S. Bartholomæi collega existens, & in præclarissima Salmanticẽsi Academia vltra septenniũ publico docendi munere nõ inutiliter functus, in sacra, & miraculis insigni Aede sacrosanctæ Virginis MARIAE, quæ à Pilari vetustissimum nomen retinet, Canonicus cooptatus, aliquot annos concionandi, consulendiq; munus expleuissem, tua sacra Maiestas me Priorem S. Christinæ elegit. Tametsi verò mea per quàm tenuis litteratura eã dignitatem nõ promeruerat, fauor tamẽ iste tuus

erga

erga litteras, ſapientiã, & religionis cultum mirificè affectus, in cauſa fuit, vt tanto me afficeres beneficio. Neque. n. nuda eſt iſthæc beneuolentia, & ſterilis, quemadmodũ apud pleroſq; Principũ, qui ſatis, abũdeq; ſeſe feciſſe arbitrantur, ſi laudent, aut ſe benè cupere fateantur. Adiungis benignitatẽ, atque adeo pro Regia facultate magnificentiã. Intelligis planè, quãta ſit inter principes, & eruditos homines munerum conſenſio, vt non ſint duo hominũ genera, quæ amica inter ſe magis, & coniuncta eſſe conueniat; vt alterũ ab altero fulciatur, & quaſi mutuũ inter ſe auxilium præbeant. Sunt vtriq; ciuitatibus, & populis à Deo tributi, vt benè illis conſulant eruditi præceptis, principes edictis, & iuſſu, ambo exemplo ſui. Talis tui, & litteratorũ eſt conſociatio officiorũ, vt tu illorum peritiã, illi tuam potentiam adiuuent, quòd erit liberalitatis tuæ pretium ampliſsimũ. Ad hæc, cùm etiã militariũ Ordinũ magnus Magiſter exiſtas, illuſtremq; eorundẽ Ordinum regiũ Senatũ habeas, non ab re fuerit, Canonicorũ Regularium, quos non paucos ſub tuo militari Magiſterio moderaris, gubernaculũ tuæ Catholicæ Maieſtati offerre, atq; dicare. Neſcio equidem, Rex præclariſsime, quo illud malo noſtro eueniat, quòd nihil ita magnificũ apud homines geritur, quod non expoſitum ſit inuidentiæ, & calumniæ multorum; & quo magis magna fuerint, quæ geſſeris, quo magis videbũtur glorioſa, eo magis tua omnia inuidiæ patebunt, ac deinde obtrectationibus, atq; calumnijs. Vide ipſum magnificentiſsimi Domini noſtri exemplũ in Scribis, & Pharifæis. Omne igitur opus quãtumuis ſit induſtriũ, atq; magnificum, parit ipſi auctori inuidiã. Id quod rex ille, & Eccleſiaſtes libenter profitetur, cùm ait; Rurſum contẽplatus ſum, omnes labores hominũ, & induſtrias animaduerti patere inuidiæ proximi. Cùm ergo animo, cogitationeq; cõprehendo, nihil vnquam tàm exactum, magnoq; perfectũ ingenio, aut induſtria elaboratũ extitiſſe, quin multorũ incurreret reprehenſiones, & imperitorũ conuitijs vellicaretur, reuera mihi neceſſe fuit, meas vigilias, & cõmentationes in tua Regia tutela, atq; præſidio firmiſsimo reponere. Id quod omnibus in rebus nunquam non factitamus, qui ſub tuo ſceptro viuimus, qui ſub alis tuis protegimur. Aſsiſtat tibi, & in omnibus cooperetur Optimus Maximus Deus, qui eſt adiutor fortis; in eoq; fœliciter vale, Rex præſtantiſsime, & Regum maxime, humiliſq; tui clientuli munus, quod ex corde tibi deditiſsimo, deuinctiſsimoq; offertur, ſub tuo patrocinio benignus aſſume, & ſuſcipe. Cæſarauguſtæ anno 1571. Idibus Octobris.

TITVLI LIB. I.

DE pfecto statu Ordinis, siue Religionis. Cap. 1. pag. 1.
De antiquitate Ordinis Canonicorum Reg. Cap. 2. 8.
De eadem Canonicorum Regularium antiquitate. Cap. 3. 14.
De viris illustribus, & cœnobijs Canonici Ordinis. Cap. 4. 20.
Rursus de viris illustribus eiusdem Ordinis. Cap. 5. 24.
De recentioribus viris illustribus eiusdem Ordinis. Cap. 6. 29.
De congeminata nomenclatura Canonicorũ Regularium. Cap. 7. 34.
Quòd Canonici Regulares ex suo instituto, & iure Canonico Clerici sint, & nominentur. Cap. 8. 38.
De approbatione, & propagatione Regulæ Canoni. Reg. Cap. 9. 41.
De arctioribus quibusdã cõgregationibus Canonicorũ Reg. Cap. 10. 44.
De Canonicis Reg. Hispanis. C. 11. 48
De habitu cãdido Can. Reg. Cap. 12. 21
De habitu cãdido Episcop. Cap. 13. 57.
De Canonicorum Regularium creatione, & electione. Cap. 14. 59.
Rursus de Canonicorum Regularium creatione. Cap. 15. 64.
De professione trium votorum in genere. Cap. 16. 65.
De professione regulari. Cap. 17. 71.
De maximo obediẽtiæ voto. Ca. 18. 77
De voto castitatis. Cap. 19. 82.
De voto paupertatis. Cap. 20. 86.
De prohibita proprietate ex Regula Augustini. Cap. 21. 89.
Quòd iure Canonico Religiosis proprietas interdicatur. Cap. 22. 93.
De prohibitione eiusdẽ proprietatis ex recentioribus Cõcilijs prouincialibus. Cap. 23. 98.
De rerũ vsu Religiosis permisso ex varijs doctoribus. Cap. 24. 102.
De grauitate, et pœnis peccati proprietatis. Cap. 25. 106.
De diuisione mensarum, & iniunctæ administratione. Cap. 26. 108.
Quòd Canonicis Reg. nõ liceat sæcularia negotia pertractare. Ca. 27. 113.
De voto solenni stabilitatis, siue perseuerantiæ. Cap. 28. 116.
De cõueniẽtia, et differẽtia Cano. Reg. à Monachis omnibus. Ca. 29. 119.
Quòd Regulares Canonici cathedraliũ ecclesiarũ eiusdem sint Ordinis, & rationis cũ reliquis Canonicis Regularibus. Cap. 30. 124.
De reprob. opin. Canon. cathedrales se miregulares statuẽte. Cap. 31. 129.
Quòd Aug. ipse suam tertiã regulam Canonicis Reg. adhuc viuens obseruandam tradiderit. Cap. 32. 132.
De conciliatione opinionum in vtroq; Ordine Augustiniano. Ca. 33. 139
De beneficijs Regularibus Canonicorum. Cap. 34. 142.
De ratione conferendi beneficia regularia. Cap. 35. 146.
De inconstanti, mutabiliq; natura beneficiorũ regulariũ. Cap. 36. 150.
De Canonicis mittẽdis ad beneficia regularia. Cap. 37. 156.
De Cõmendatarijs perpetuis monasteriorum. Cap. 38. 159.
De hospitalibus Canonicorũ, quæ in titulũ conferuntur. Cap. 39. 164.
De testamentis Canonicorũ Regulariũ quid sentiendum. Cap. 40. 168.

TIT. LIB. II.

DE custodia ianuæ, et claustri monasterij. Cap. 1. 177.

De

De septem custodijs claustri animæ. Cap.2.180.
De Refectorio Canon.Cap.3.185.
Deuitāda ī mēsa edacitate.Ca.4.190.
De Infirmatorio, siue infirmorum domicilio.Cap.5.195.
Infirmi qua sit rōne tractādi.C. 6.197
De communi Canonicorum Dormitorio.Cap.7.201.
Canonico cubitum ituro quid sit agendum.Cap.8. 203.
De somni vsu,& munditia somniorū. Cap.9.204.
Quæ ratio tenēda sit in accipiendis hospitibus.Cap.10.216.
De capitulo disciplinæ. Cap.11.220.
De choro Canonicorum Regularium. Cap.12.224.
Ad eos q diuinis intersūt laudib.deoq; psallūt,pia exhortatio.Ca.13.228.
De Oeconomo, siue Cellario monasterij.Cap.14.235.
De Magistro Nouitiorū Canonicorū. Cap.15.238.
De Doctore Canonicorum studentium in monasterio.Cap.16.244.
De Priore Claustrali, vel Subpriore. Cap.17.248.
De munere Prælatorum Canonici Ordinis. Cap.18.251.
De eadem Abbatum,aliorumq; Prælatorum functione. Cap. 19.254.
De annuali Capitulo celebrando. Cap. 20.259.
De rixis, & litib. Canonicorum.Cap. 21.262.
Ad Canonicos collitigātes, & dissidijs implicitos vtilis admonitio. Cap. 22.266.
De Canonico incorrigibili.Ca.23.273
De Canonicis absque licentia è monasterio exeuntibus.Cap.24.280.
De apostatis,eiectis,& fugitiuis.Cap. 25.287.
De Canonicis Religionis habitū dimittentib.aut occultātib.Cap.26.295
De conspiratoribus,calumniatorib. armatis,& venatorib.Cap.27.299.
De contemptoribus Prælatorum, et legum monasticarum.Cap.28.305.
De abusionibus claustri.Cap.29.311.
De Canonicorum vestium honestate. Cap.30.316.
De exercitatione monastica. Cap. 31. 319.
De refellendis canonici ordinis deformatoribus.Cap.32.329.
Rursus de alijs quibusdā aduersariorū argumētis dissoluēdis.Ca.33.336.
Quibus sit armis muniēdus ipse Prælatus contra calumnias,& res aduersas.Cap.34.343.
De veritate à Prælatis facilè audienda.Cap.35.348.

TIT. LIB. III.

DE Capitulo prouinciali celebrādo. Cap.1.357.
De eodem Capitulo prouinciali ex Bened.12.Cap.2.367.
De Visitatorum Prouincialium facultate,& munere.Cap.3.371.
Rursus de eisdē Visitatorib.Ca.4.378
De registris,et inuentarijs in Archiuio recondendis.Cap.5.385.
De communi contributione ad congregationem cōseruandā.Cap.6.386.
De Canonico monasterium relaxatum ingresso,reformationem recusante. Cap.7.388.
Non oportere candidum religionis cultorem retrocedere. Cap.8.398.

De quibusdam præparatorijs ad futuram reformationem.Cap.9.398.
De causis collapsæ relig.Cap.10.404.
De recta reformationis exequutione. Cap.11.406.
Rursus de ratione reformandi monasterium.Cap.12.409.
Prælatis non detrahendum,sed statim auscultandum.Cap.13.412.
Prælatus susurronibus,et delatoribus non facilè credat,si animi perturbationem effugere uelit.Cap.14.417.
De reprobanda Prælati seueritate, siue nimia iustitia. Cap.15.421.
De temerarijs trāsgressoribus votorū monasticorum.Cap.16.427.
De boni nominis odore,bonis operibus comparando.Cap.17.432.
De comparatione monasticæ religionis,et regiæ dignitatis.Ca.18.436.
Quod cognitio suiipsius plurimum conducat ad humilitatem,& bonā frugem obtinendam.Cap.19.443.
De ambitione à Regulari Canonico fugienda.Cap.20.450.
De terrifico Ananiæ exemplo aduersus auaritiam à Canonico vitandā. Cap.21.456.
De exercitatione animæ in Deum.Ca. 22.464.
De vera contemplatione,eiusq; difficultate superanda. Cap. 23.472.
De lectione contemplationi necessaria. Cap.24.477.
De meditatione, siue consideratione. Cap.25.480.
De meditatione mortis.Cap.26.483.
De meditatione extremi iudicij,& pœnarum inferni.Cap.27.486.
De altera extremi iudicij cōsideratione.Cap.28.484.
De meditatione paradisi cœlestis.Cap. 29.491.
De oratione mentali.Cap.30.493.
De postremo contēplationis actu.Cap. 31.494.
De contemplatione passionis Christi. Cap.32.501.
De admiratione contemplatiua. Cap. 33.507.

TIT. LIB. IIII.

Totus hic liber in explicanda Regula S. Augustini versatur.

DE commendatione authoris, & regulæ.Præludium.1.513.
De vi obligatoria regulæ Augustinianæ.Prælud.2.521.
De potestate regulæ, & canonicarum constitutionum. Prælud.3.526.
De charitate Dei, & proximi. Cap. 1.531.
De diligēdo Deum. Consid.1.534.
De diligendo p̄ximū.Cōsid.2.542.
De concordia domus. Cap.2.549.
De concordia bona. Consid.1.553.
De concordia mala, & discordia. Consid.2.556.
De abdicatione proprij,& rerum communitate.Cap.3.560.
De origine euāgelicæ paupertatis. Consid.1.566.
De laudibus vitæ communis monasticæ.Consid.2.569.
De ratione distribuendi bona communia.Cap.4.572.
De forma vtendi rebus communibus.Consid.1.576.
De parsimonia tenēda.Cōsid.2.578.
Aduersus eos, qui delitijs vacant. Consid.3.581.
De humilitate sectanda. Cap.5.585.

De

De corde sursum efferẽdo, & terrenis vanis nõ quærendis. Cõsid.1.592.
De nobilitate generis in monasterio non iactanda. Consid.2.598.
De humilitate colẽda. Consi.3.605.
De oratione. Cap.6.609.
De vi, & præstantia orationis. Consid.1.612.
De circunstantijs ad orationẽ rite peragendam necessarijs. Cõsi.2.618.
De abstinẽtia, & ieiunio. Cap.7.623.
Abstinentia sit ne viro religioso necessaria? Consid.1.629.
De refectorio. Cap.8.632.
De infirmis procurandis. Cap.9.637.
De vestimentorum, & corporei motus honestate. Cap.10.640.
De animæ vestitu, et nuditate. Consi.1.644.
De fugiẽdo immodico fœminarũ aspectu, colloquio, et ttactatu. Cap.11.652.
De custodia castitatis. Consi.1.658.
De correctione fraterna prius secreto facienda. Cap.12.664.
De procurãda proximorum salute spirituali. Consid.1.671.
De correctionis fraternæ executione. Cap.13.675.
De pœna infligẽda post finitã correptionem fraternam. Cap.14.677.
De occultis epistolis, & munusculis. Cap.15.680.
De multiiuga utilitate fraternæ correctionis in Religione. Consi.1.681.
De custodia rerũ cõium. Cap.16.685.
De murmure, et contẽtione. Consid.1.692.
De cura infirmorũ gerẽda. Ca.17.695
De lectione, et custodia librorum. Cap.18.697.
De lectione, & meditatione. Consid.1.698.
De litibus cauendis. Cap.19.702.
De ira, & odio. Consid.1.703.
De satisfactione & remissione iniuriarum. Cap.20.707.
De reconciliando fratre. Consid.1.711.
De remittendis iniurijs. Consid.2.713.
De rectoris auctoritate conseruanda. Cap.21.718.
De modo diligendi fratres. Cap.22.720.
De obedientia. Cap.23.722.
De monasticæ obedientiæ natura, & laude. Consid.1.723.
De vigilanti cura Prælatorum in obseruationem Regulæ. Ca.24.727.
De regimine Prælatorũ. Ca.25.729.
De gubernaculo Prælatorum. Consi.1.747.
De vtilibus documẽtis à Rectore obseruandis. Consid.2.754.
De mutua patientia à Prælato, & subditis custodienda. Consi.3.759.
Orat Deum Augustinus pro perfecta obseruatione Regulæ. Ca.26.764.
De hypocrisi, quæ spirituali pulchritudini aduersatur. Consid.1.769.
De frequenti prælectione, & meditatione Regulæ. Cap.27.773.
De ratione agendi gratias Deo, omnium bonorum largitori. Consid.1.781.
De pœnitudine, & fuga peccatorum. Consid.2.785.

LAVS DEO.

MICHAELIS CERCITO SACRAE THEOLOGIAE licentiati, & in sanctissima B. Mariae Maioris Caesaraugustae, vulgo del Pilar, nuncupata Ecclesia Canonici Regularis ad ceteros Ordinis S. Augustini professores.

PRAEFATIO.



NTER alia, quibus hominũ genus, rerum cognitionis natura sua auidum delectari solet, Viri Religiosi, illorũ mihi iuuari studijs maximè videntur, qui exactorũ temporum rationem, quã longa deleuerat obliuio, suis monumentis instaurãt, & maiorũ nostrorum gesta, quæ humana incuria iã sepelierat, ponunt ob oculos. Aetas siquidẽ prior, quã patres nostri benè, beateq; viuendo, fœliciter transegerunt, vbi litteris est repræsentata, non potest, & in sui admirationẽ filios non conuertere, & admiratione ipsa eorum animos non oblectare. Quòd si illi studia sua (quibus ipsa antiquitas ad posteros litteris transmittitur) in ijs, quæ ad Religionẽ nostram pertinent collocauerint, præter eam animi dulcedinem, qua suos cultores delectant, vtilitate etiã non mediocri eosdem perpetuò afficient. Ex omnibus autẽ quæ, & Religionem nostram decent, & ecclesiasticã disciplinam honestant plurimum, eorum mihi magis oblitterata esse videtur memoria, quorũ & frequens, & recens magis esse debuerat: vitæ inquam, ac instituti, antiquissimi iuxta, ac sanctissimi Ordinis Canonicorũ Regularium, quẽ siue eius professorum negligentiã damnes, siue temporum iniuriam causeris, à suo candore plurimũ cecidisse comperies haud dubiè. Qui (vt alia ad ecclesiasticã disciplinam facientia instituta interim omittã) si splendorẽ suum retinuisset, & Apostolica vita (quæ eius ab ipsius nascentis Ecclesiæ incunabulis institutum est) hactenus in eo perdurasset, ita Religio Christiana toto orbe resplenduisset, vt magna hæreticis oblatrandi esset occasio sublata. Reliqui.n. ordines, si eum, qui omnium est initiũ, & cardo, stare conspicerent, eiusq; professores ad eum vitã, ac mores componere viderẽt, facilè velut terribilis castrorum acies ordinata in suo officio continerentur. At quoniã is qui ceteris exemplo suo prælucere debuerat, à pristina sua dignitate (quæ rerũ omnium ob temporũ malitiam conditio est) recessit non parũ, alijs quidem ab eo, quẽ maiores sui in eisdem ecclesijs professi sunt ordine, è regularibus secularibus factis, deficientibus, alijs eiusdẽ Ordinis professoribus, non

tamen

tamen Ordinis instituta seruantibus, non mirū si, & ipse sui dissimilis nunc plurimū conspiciatur, & ceteri eum sequuti, nonnullā sui exemplo passi fuerint iacturā. Cui malo occurrere sacrosancta Tridentina Synodus cum instituisset, multa ad eam rem vtilia (vt cetera omnia) sanctissime, & prudentissime sanciuit, cuncta quidem Canonicos ipsos Regulares sperans vlnis obuijs esse amplexuros, & quæ ipsa sacris decretis statuit, eos opere completuros. Vnum aūt est, quòd eius ordinis professores ne citò manus operi admolirentur, morari forsan poterat, instituti nempè sui non ad vnguē perspecta cōditio, statutaq; non adeo obuia, eo quod pleraq;, in Hispania saltē, in desuetudinē magnis temporum calamitatibus abierint. Qua (si aliquorū est) tam leui excusatione ne Religionis huius cultores suaue onus ferre recusarent; per idq; staret, quo minus iuxta sacri Conc. Trid. decreta vniusquisq; suā vitā institueret; Ioannes Trullo S. Christinæ Prior meritissimus, & sacræ Theologiæ professor, opus hoc, quod Dilucidariū Ordinis Canonicorum Regularium inscripsit, in vestram omnium gratiā edere decreuit. Opus quidem nouum, & à nemine quòd sciam hactenus in Hispania tentatum, quo ēt nomine plurimū authori suo debemus. Quod si olim eundem laborē quispiam suscepisset, & Canonicorum Ordo superioribus temporibus ita esset dilucidatus, maiorem forsan ei honorem Ecclesię hostes haberent. Quàm vtile porrò sit, nemo pro dignitate potest verbis satis exprimere, nisi qui Canonicorum Regul. Ordinem, de quo hic suscipitur institutio, eum esse prius intelligat, quo veluti firmissima petra ad iacienda Ecclesiæ fundamenta, eamq; toto terrarum orbe propagandam Spiritus Sanctus est vsus. Si.n. priora tempora memoria repetimus, & nostrorum maiorum viuendi statuta recolimus, nihil Canonicorum Ordine, aut antiquius, aut vsitatius, inter ecclesiasticas disciplinas reperiemus. Eam.n. viuendi rationem, quam B. Lucas Act. 4. expressit, dicens; Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna; Non paucis seculis Catholica Ecclesia vndiquaque amplexata est. Eandemq; postea B. pater noster August. in suam Regulam transtulit, suosq; discipulos, ac imitatores iuxta eam viuere præcepit. Quam Regulam non solùm Hierusalem ipsa, verùm etiā reliquus terrarum orbis ad ecclesiasticā disciplinam ita complexus est, vt nullus fuerit inter Cristicolas mundi angulus, quem Canonicorum Regularium Ordo non repleuerit, adeo, vt de Canonicis Regularibus illud non ineptè intelligi queat; In omnem terram exiuit sonus eorū, & in fines orbis terr. verba eorum. De Authore verò ipso multa dici, & merito possent, nisi se opere isto, vt ignis lumine suo proderet, cùm in eo magnum sui ingenij specimen multis nominibus prębuerit. Si.n.

 rerum

rerum antiquarum cognitione caperis, habes hic primam, & antiquissimam in Ecclesia Catholica viuendi rationem dilucidè expositam, in cuius enarratione, & ingenium acrè, & maturum iudiciū authoris experiere. Sin verò varia, ac multijuga te copia delectat, est hic etiam quo tuo ingenio factum sit satis; Nam præter ea, quæ ad Canonic. Regulares attinent, plurima quoq; tum ad Philosophiam moralem, tum ad naturalem, necnon ad intelligendam sacram scripturam conducētia, passim hoc opere eruditissime explanantur. Nec mirum sanè cùm author ipse in omni disciplinarum genere à teneris, quod aiunt, vnguiculis, sit longè versatus. Et vt interim illa mittam studia, quibus à pueritia indefesso labore insudauit, ea non sunt silentio prætereunda, quibus nomen suum in florentissima Salmanticensi Academia plurimum honestauit. Ibi enim non paucos annos ex insigni illo Collegio D. Bartholomæi, maximo totius Hispaniæ ornamento, & omniū sciētiarum refertissimo emporio, ex quo, veluti ex equo Troiano quotidie viri eruditissimi (si me eius quoq; alumnū excipias) prodeunt, assumptus, non sine magno multorum auditorum profectu vtranq; Philosophiam, & Theologiam publicè docuit. Inde verò in hanc sacrosanctā Deiparæ Virginis Ecclesiam, vulgo Del Pilar nuncupatam, omnium, quæ in B. MARIAE laudem constructæ sunt, citra controuersiam, primam, est accersitus. Vbi in Canonicorum Regulariū numerum (quod nostrum institutum est, quodq; ab initio nascentis Ecclesiæ nullis vnquam ipsius quantumuis difficillimis temporibus à celebrando cessantes, profitemur, est relatus. Quem Ordinem vbi professus est, cùm quadamtenus collapsum cerneret, facturum se operæpretium arbitratus est, si opus hoc, quo huic morbo mederi forsan posset, conscriberet. In quo scribendo, quanto labore, quantaq; diligentia opus fuerit, ex eo maximè cognosces, quòd res præ vetustate ignota, & præ negligentia sepulta, in lucem prodierit, & Canonicorum Regularium viuendi ratio, iam penè senio confecta, veluti ab Orco reuocata, denuo adoleuerit. Reliquum est, Viri Religiosi, vt eo animo opus istud, quo ab authore editum esse, ex ipso opere dignoscetis, suscipiatis. Ita enim fiet, vt qui vestra gratia susceptum laborem se non perdidisse intelligat, reliquos quoq; beneuole à vobis imposterū amplectendos confidat.

ORDI-

ORDINIS CANONICORVM REGVLARIVM ELVCIDATI,

LIBER PRIMVS.

L. Ioanne Trullo Aragonio Authore.



De perfecto statu Ordinis, siue Religionis. Cap. j.

1 VONIAM principium totius negotij dimidium esse, beneq; cœpisse ab omnibus vbique laudari, à Sapientibus traditum est, Deum optimum maximum, omnium scientiarũ fontem immensum, in ipso nostri operis vestibulo, vehementi mentis ardore oramus, præcamurq; ingenij nostri tenuitatem, infirmitatemq; adiuuare velit, vt opus hoc à nobis aggrediendum, ipso omnia suggerente, vtile fiat ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in Religionis iustitia; vt perfectus sit homo Dei, Religionis cultor, & ad omne opus bonũ instructus. Et si. n. nos, aut quid, aut quomodo orare debeamus, nescimus; ipse tamen Dei Spiritus mentem nostram illuminãs, & affectum voluntatis bonis desiderijs succendens, postulare nos faciat à Deo, quæ salutaria sunt, gemitibus, & suspirijs inenarrabilibus. Potens est autẽ omnia facere superabundantius, quàm petimus, aut intelligimus. Quodcunque verò petierimus secundum voluntatem eius, audit nos. Ad eruditionem autem à Deo obtinendam, Iacobus Apostolus planum iter nobis aperuit cap. 1. Si quis (inquit) vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Diuina igitur ope suffulti, totumq; hoc nostrum opus subijcientes sanctæ matris Ecclesiæ Romanæ iudicio, quæ omnium Ecclesiarum mater est, atque magistra; fœlici cursu, faustoq; calamo rem propositam exordiamur. Commodissimum autem exordiũ illud iudicamus, quod à tituli explicatione sumitur. Est autem titulus cõspicuus operis index, qui authoris nomen tuetur, ac rẽ pertractandã indicat. (Omnis enim, quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à definitione proficisci, vt intelligatur quid sit id, de

quo disputatur.) Definitio aũt, aut certè quæ definitionis vicem sæpè occupat, rei explanatio, is profectò est limitum terminus, qui non sinat, vt res ipsa, vel ad alienos egrediatur, vel alienum aliquid intra illos se insinuet, nisi quod sit eiusdem ingenij, & naturæ. Alioqui enim magna accideret. & in loquendo, & in sentiendo perturbatio.

2 Ordinis igitur nomen plures habet significatus. Ordo .n. authore Augustino 19. de Ciuit. cap. 13. est parium, dispariumq; rerum sua, cuiq; loca tribuens dispositio. Nam in republica ciuili sunt ordines, & quidam senatum, ordinem amplissimum appellãt. Erãt.n. tres ordines: videlicet senatorius, equestris, & plebeius: in republica etiam est ordo opificum, & nobilium, vt comitum, ducum: & in militia ordo peditum, & equitum. Quin verò vulgatum est, tunc rempublicam bene habere, cum vnusquisq; suum seruat ordinem, vt homil. 2. super lib. Num. ait Origenes, vbi hos diuersi generis ordines cõnumerãt. Simili quoq; ratione dicuntur coniugatorum, virginum, atq; religiosorum ordines. Atq; Ordo secundum proprium significatum habitudinem inter superiores, & inferiores denotat, & significat, qualẽ cernimus in Religionibus, vbi Prælati inferiores moderãtur; inferiores verò Prælatis obtẽperãt; talis est Canonic. Regulariũ Ordo, de quo disputationẽ suscipimus.

3 Status etiam Canonicorum Regularium Religio nuncupatur. Circa deriuationem verò vocabuli Religionis malè consentiunt viri illustres. Nam Cicero à relegendo libros diuini cultus: Lactantius à Religando nos Deo; Augustinus à religendo Deum, quem dimisimus, Religionis nomen deduxerũt. Nec desunt, qui à relinquendo, deduci illud opinentur. Quasi Deo dicata, separata ab humanis esse debeant. Sed Lactantiana deductio mihi magis consona, & linguæ Latinæ, & significato videtur. Nã Religiosa, Deo addicta vocamus: & Religiosos, Deo deditos, & religatos vsu frequenti dicimus. Vnde & Augustinus in libro de vera religione ait; religet nos Religio vni omnipotenti Deo. Hæc Religionis etymologia Card. Caietano probetur. 2. 2. q. 81. art. 1. De eadem re Dom. Sotus lib. 7. de Iustitia, & Iure. q. 2. art. 1. ad primum argumentum sic differit dicens; Religionis nomine communi, vulgariq; significatu vniuersos comprehendi mortales, ac præcipuè Christianos, quatenus Deum virtutum officijs secundum legis pręcepta colunt. At verò per antonomasiam illis tribuitur, qui vltra præceptorum culturam, cõsiliorum statum capessunt: siue Religio à religando dicatur, vt Augustinus ait lib. de vera religione Nempè quod pręter præceptorum nexum arctiori se vinculo religãt: siue vt Cic. lib. 2. de Nat. Deorum visum est, Religiosi à relegendo dicti sint, quippe qui omnia, quæ ad cultum Dei pertinent, tractent, & tanquam relegant.

Cum

4 Cum his conuenit Ioannes Climacus à Dionysio Carthusiano citatus de reformatione Claustralium articulo tertio dicens: Monachus est, qui solùm quæ Dei sunt, agit, cogitat, loquitur, Christo vnitus omni tempore, loco, & negotio.

5 Religio ergo, quæ perfectionis status est, ad Charitatis perfectionē, tanquam ad finem ordinatur. Quare, vt S. Thom. 2.2.q.187.art.2.ait: Religio est status pœnitentiæ, exercitium, & schola perfectionis, Hac.n. methodo facilius ad perfectionem Charitatis Dei, & proximi perueniatur. Igitur ieiuniorum inediam, vigilias, labores, corporis nuditatem, lectionem, cæterasq; huiusmodi virtutes suscipiamus, vt ad perfectionē Charitatis, his quasi gradibus ascendamus. Idcirco Concilium prou. Colon. tit. de vita, ac conuers. monastica, cap. 9. conqueritur dicens; Monasteria olim virtutū scholæ, ac pauperū hospitalia erant; nūc proh dolor, videmus ea, quæ virorum sunt è scholis virtutum in diuersoria militum, ac raptorum: quæ verò mulierum sunt, in plerisq; locis in suspectas de incontinentia domos esse commutata.

6 Quamuis verò Religionē statum esse perfectionis asseueremus, Religiosi tamen hunc statum assumentes, aut profitentes, nō tenentur esse perfecti. Non.n. profitentur se esse perfectos; sed habere studiū ad perfectionem consequendam. Quemadmodum qui scholas ingreditur, nō profitetur se esse scientem, sed studentem ad scientiam comparandam. Ideoq; suam professionem non transgrediuntur, si non sint perfecti, sed, solùm, si contemnant ad perfectionem tendere. Nec mentiuntur quidē, aut fingunt hunc statum perfectionis, dum profitentur, eo quòd nō sint perfecti, sed eo quòd ab intentione perfectionis animū reuocent. Alioqui.n. Religio laqueus esset animarū, ex S. Th. loco citato. Religio ergo status dicitur perfectionis, videlicet acquirendæ, vel ex intentione finis.

7 Monasticæ vero vitæ scopum graphice depinxit Basilius magnus in sermone de institutione Monachorum dicens; Monachorum vitæ ratio vnum sibi tantummodo propositum habet, animæ salutem, & quicquid prodesse ad eum finem potest, id vt tanquam Dei mādatum cum timore obseruet. Neq; enim ipsa Dei mandata quicquam aliud spectant, nisi vt salutem adipiscatur is, qui ipsis auscultauerit. Idem etiam Basilius in prooemio Regularū fusius disputatarum asserit, vitam Monasticam adiutricem esse ad Euāgelica dogmata obseruanda, dicens: Nos qui verā tueri pietatem habemus in animo, quiq; quietam, & vacuam negotijs vitam, tanquam ad conseruanda Euangelij dogmata adiutricem nobis tanti æstimauimus, communiter suscepta cura, rationem quisque ineamus, ne quid omnino eorum, quæ à Deo iussa sunt, nos effugiat.

8 Mirū sanè in modū idē Basilius enumerat quàmplurimas vitę Regu-

laris commoditates,ad Canonicos,hoc est,Regularem vitam degentes in cœnobio, in constitutionibus monasticis cap.19. Nam qui colendæ pietati dediti, in societate cum alijs degunt, in qua inter se vicissim alter alterius sui propositum animi ad virtutem exacuũt, seq; inter se factorum emulatione, ad maiores quotidie in studijs rerum honestarum faciendos progressus impellunt: docendi sunt prius bonum illud, ad quod student peruenire,quantum, & cuius modi sit:vt ad id adipiscendum animi alacritate, studioq; contendant.

9 Principio igitur ad bonum illud, quod ex natura est, reuertuntur. Cum vnà cum cæteris communionem,consociationemq; amplectũtur: si quidem perfectissimam ego vitę communionem illam appello,à qua priuata omnis rei cuiusq; exclusa possessio est, & eliminata:itemq; vnde dissensio omnis,ac perturbatio omnis,contentio omnis abest,& rixæ:contraq; vniuersa communia,animi,mentes,corpora, eaq; quibuscunq; necessario ad victum,cultumq; vtimur:communis Deus,communis pietatis mercatura,communis salus,communia certamina,communes labores,communia præmia, & certaminum exantlatorum, exhaustorumq; coronæ,vbi multi vnus,& vnus non solus, sed in pluribus.

10 Huic vitę instituto,quid est tandẽ, quod iure æquiparari possit?quid eo beatius dici? quid hac coniunctione aptius excogitari? quid mutua inter se morum,animorumq; cõtemperatione gratiosius fingi? Homines ex diuersis nationibus, ac regionibus profectos, per exactam morum,ac disciplinæ similitudinem adeò in vnũ veluti coaluisse,vt in pluribus corporibus vnus modò esse animus videatur,vicissimq; plura corpora mentis vnius instrumenta cernantur.

11 Qui infirma corporis valetudine est,is cõplurium animos imbecillitatis suæ participes habet: qui verò aĩo æger est, & affligitur, ei cõplures præsto sunt,à quibus curetur,à quibusq; assiduè erigatur.Hi æquabili iure inter se alij aliorum, & famuli sunt,& domini, & inuicta libertate accuratissimam sibi inter se seruiunt seruitutem; quam non necessitas cum mærore violenter inuexit,sed cum gaudio libera animi voluntas induxit. Qui eius modi sunt, sine controuersia primi parentis noxã contegentes,antiquum bonum,& pristinum reuocant.Quandoquidem nisi naturæ nostræ vnionem dissecuisset peccatũ,lites,& dissidia,& bella in hominibus non essent.Docuit etiã præclarus ille doctor,insignisq; Canonicus Regularis Hugo de Sãcto Victore lib.1.de Claustro animæ cap.9.ad finem libri tom.2.suorum operum, erudita pertractatione, Religionem Monasticam pauperi esse abundantem, mediocri sufficientem,tolerabilem diuiti, infirmis largam, delicatis compatientem, moderatam fortioribus,pœnitentibus misericordem,peruersis seuerã,

bonis

bonis optimam; Item suauem esse, & mitem, quietam, & securam. Sed & Laur. Iustinianus lib. de Discip. Monast. c. 1. ait. Propterea ò excelsa, & deifica sapientia, te inspirante erecta sunt monasteria, & cœnobia constructa, vt in illis spreto letali luxu carnalium voluptatũ, atq; abdicato vsu temporalium cupiditatum, mentes tibi placere cupientium, aptius contra se, feruentiusq; contra vitia dimicarent.

12 Hi liberatoris nostri, eiusq; vitæ, dum inter nos versaretur, institutorum veri, perfectiq; imitatores existunt. Quemadmodum enim ille, coacto discipulorum choro, communia cuncta, seq; ipsum communem Apostolis præbuit. Hi quoq; Antistiti suo obtemperãtes (qui modo vitæ suæ præscripta rectè conseruant) genus viuendi Apostolorum, ac domini imitantur.

13 Hi vitæ diligenter communitate retenta, Angelorum viuendi ritum æmulantur; nulla est inter Angelos lis, nulla contentio, nulla controuersia; sed cum habeat quisque quæ omnium sunt, omnes tamen integras apud se diuitias conseruant: summi enim boni contemplatio, & virtutũ luculẽtissima cognitio, Angelorum thesaurus est. Hi dum laudabili ratione viuendi sua, communitateq; cœlestis vitæ, ac status egregiè formam effingunt, futura promissi regni bona præripiunt.

14 Charitate quæ in cœlo sunt, inter se coniunguntur; Charitas hos mutua compagine connexuit. Nihil omnino insidiarum ordiri ausit aduersum huiuscemodi phalangem diabolus, vt qui vnus aduersum tot agonistas parem intelligat se esse non posse. Adeò expedite, adeoq; confertim contra ipsam militantes, & Charitate, veluti acta testudine, inter se alij alios tantopere protegentes, spirituq; consepientes, vt ne vel tantillum loci detur irrependi illius assultibus. Considera mihi, quanta septẽ Machabeorum in decertando consensio fuerit, & præ istis flagrantiorẽ apud hos animorum consensionem reperies.

15 De his in carminibus suis psal. 132. exclamauit Dauid, cũ dixit: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnũ. Quibus verbis per bonum ille vitæ probitatem expressit: per iucundum autem, lætitiam eam, quæ ex concordia, & animorum coniunctione progignitur. Hoc vitæ genus qui diligenter colunt, ij cœlestem, ac supremam mihi virtutem imitari videntur. Describitur itaq; à Dauide eo psalmo laus, atque vtilitas fraternæ charitatis, quæ à pietatis cultoribus in cœnobio colitur: oleoq; odorifero sanctæ vnctionis comparatur, quo capita vngebantur summorum sacerdotum: similiter & rori impinguanti, quo montes Hermon, & Siõ desuper impinguãtur; per quam insuper Deus benedictionem, & vitam donat illis, quos per eam inuenerit bene vnitos. Quàm igitur pretiosa, atque amœnissima res est Charitas eandem do-

mum colentium? Per eam enim, quasi per glutinum adinuicem compaginati, & quasi perfectionis vinculo simul in vna spe vocationis, in vno domino, in eadem fide, in eadem sententia, in eademq; ordinis cultura coniuncti, ac dulciter colligati tenentur. Ex aduerso verò, quàm praua res est, & quàm iniucunda, atque detestabilis, eos, qui vnanimes in pace viuere deberent in domo Dei, ab inuicem dissidere animis, & odiosis vacare dissensionibus.

16 Ex Genesis. 12. & Act. 7. in Abraham obserua, ac diligenter perpendito, quibus nam medijs, videlicet nonnũquam Religionis ingressu, ad salutem nos adducat Deus, ait. n. Petrus; Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ, cum esset in Mesopotamia; en exordium salutis nostræ. Nemo. n. venit ad me, nisi pater traxerit eum, inquit Christus. Ipse igitur nos in Religionem cõuocat, aggregátq;. Quod autem solùm Abraham vocat, nõ patrem eius, non fratrem, inscrutabilia sunt iudicia Dei, de quibus Moses, Exod. 33. Cui vult miseretur, & quẽ vult indurat; idq; apud Paulum ad Rom. 9. legimus. Sed & Christus Matth. 24. ait: Duo erunt in vno lecto, vnus assumetur, alius autem relinquetur. Quamuis etiam alij non caruerint diuinis vocationibus, Abraham tamen, tanquã cuiusdam peculiaris religionis candidatus, specialem accepit; quia tanquam lumen ponendus erat super candelabrum, vt omnibus luceret Matth. 5. cap. Sequentia legamus; & dixit ad illum; exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam mõstrauero tibi; en quomodo ad salutem in Religione acquirẽdam nos ducat Deus; omnia plane relinquere iubetur Abraham, Atqui hæc sunt per quam chara, quę omnes homines tenent, parentes, patria, liberi, amici; verè magnum præceptũ, quod magnum, & fortem requirebat animum. Summa, ijs conditionibus vocatur à Deo Abrahã, vt in terra nihil ex animo possideat. Quæcunque chara habeat in mundo, iubetur relinquere, soli Deo impensè inhærere, omnibus renunciare, paratum se offerre, vt dignus fieret Dei promissionibus. Eisdem conditionibus Religionem ingressurus vocatur. Exi, dicit, de terra tua, idest, agnosce imbecillitatem, & miseriam tuã, te ipsum abnegans; qui enim plus amat patrem, aut matrem, quàm me, nõ est me dignus, Matth. 19. & rursus, Qui nõ renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus Matth. 10. cap. & Lucæ. 14. & Dauid Psal. 44. Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Hęc est prima vox Dei ad hominem Religioni cõsecrandum, vt ne dum ex mundo, sed ex se ipso quoq; egrediatur; nõn corpore, sed affectu, voluntate, & Religionis ingressione. Graue quidem erat ipsi Abrahæ omnia relinquere, sed multo grauius, se ipsum relinquere.

17 Subditur etiam, Veni in terram. &c. En secundum; territos rei difficultate

cultate, consolatur, & erigit promissionibus. Ego, inquit, mõstrabo terram, ego ducam te, ego benedicam te. Nam Deus suorum est ductor, & director. Magna exiguntur à nobis, sed maiora promittuntur. Quem igitur primum terret, is conuertat se ad secundum, & ni fallor, leuius feret operis grauitatem: quis autem nõ libenter obsequium præstet Deo, talia tantaq; promittenti? Non nominat terram, vt totus à Deo pendeat, totamq; in eo spem collocet: vtq; eius obedientia declaretur in eo quod egressus est ad verbum Dei, cum tamẽ nesciret, quo iter caperet. Sponte igitur, & alacritate summa cedamus, nulla interiecta mora. Vbique enim Deus est, qui suos nusquam non alit, regit, atq; defensat. Vix habemus tam memorabile aliud exemplũ, quàm hoc ipsius Abrahæ, cuius filij omnes esse cupimus. Vidisti primum opus Abrahę, quod statim sequutus est Dei verbum. Hic cernis insigne obedientiæ exemplum. Non cunctatus, non respondet, nihil causatur, non nectit moras; cum potuisset plura causari; nempe præcepti grauitatem, patris senectutem, longitudinem, & incertitudinem viæ, propriam ætatẽ septuaginta annorum, deniq; dicere poterat; cur non hic benefacis mihi, quid opus est longius ire? verum nil horum facit, sed præcepto domini promptissime paret. Ad hæc dubium non est, quin multa probra, conuitia, aduersitates in hac sua peregrinatione ab impijs perpessus sit, nil tamen ob hoc impeditus fuit. Tu quoq; Abraham virum sanctissimum imitatus, omnibus impedimentis neglectis, attritisq;, in sanctum, perfectumq; Religionis statum te alacri animo confer.

18 Hic monastices hortus ille est, ad cuius areolas aromatum sponsus Christus solitus est descendere sua gratia, ope, & visitatione Cant. 6. Nã areolæ aromatum, cœnobiticæ domus sunt, quæ aromatibus virtutum sunt cõsitę, & exornatę in horto vniuersalis status Religionis; eius enim aquis salutaribus sanctæ instructionis rigantur, & fœcundantur. Descendit autem, vt lilia, & rosas colligat. Quemadmodum .n. solent homines libẽter in hortos suos, qui plerumq; in locis sunt humilioribus, propter aquæ humorem ipsis necessarium, animi causa descẽdere, illicq; obambulare, vt animum pascant, ac releuent, herbarum virentium aspectu, odoribusq; aromatum, & florũ, quos ibi carpunt, & naribus applicant: ita per similitudinem de sponso loquimur, ad hoc eum in hortũ dicentes, descendisse ad areolas aromatum, vt ibi pascatur, & flores colligat. Quo loquẽdi modo pulchrè significatur specialis gratia, & oblectatio; qua sponsus Christus afficitur in bonorum Religiosorum virtutibus, & cœnobiorum profectibus. Quibus adeò gaudet, & oblectatur, vt pasci etiam cum illis dicatur. Colligitq; tunc ipse lilia, siue rosas in horto suo, quando opera bona, piasq; cogitationes, & affectiones in conscientijs

Religiosorum considerat, & acceptat; eorumq; merita, quibus nunc ei placere student, velut flosculos carpit, & quasi in sinu abscondit, in mente ea reponens, vt non pereat bonorum operum, & piarum affectionū fructus, sed opportuno tempore pro eis merces gloriosa reddatur ijs, qui fructum talem protulerint. Non enim in semetipsis marcescunt, nō depereunt in nihilum rosæ istæ, siue lilia, sed à sponso in areolis Monasticis deambulante, veluti res quædam magni prætij colliguntur, & reconduntur in sinum. Quoniam videlicet iustorum Religiosorum opera suo præmio non frustrabuntur. Hactenus de perfecto statu Ordinis, siue Religionis diximus.

De antiquitate Ordinis Canonicorum Regularium. Cap. ij.

1 COmprobaturus rex Artaxerxes Ester. 16. cap. prauorum hominum callida fraude, aures principū simplices decipi, & subuerti, sic ait: quæ res, & ex veteribus probatur historijs, & ex his quę geruntur quotidie, quomodo malis quorundam suggestionibus regum studia deprauentur. Idq; addit; pro qualitate, & necessitate temporum, vt reip. poscit vtilitas, diuersam esse ferendam sententiam. Ad eundem ergo modum nos quoq; ex priscis discamus historijs, an Canonici ordinis rectorum studia malis artibus deprauata fuerint, vt si nostrorū temporum calamitosa ægritudo, Canoniciq; ordinis vtilitas postulauerint, antiquissimorum patrum regulas, atq; sanctiones, mutata sententia, complectamur. Est. n. historia temporum veritatis, ac vetustatis doctrix præclara. Suauissimum quidem est, ex ipsis limpidissimis fontibus puram haurire veritatis aquam, ab omni inuidię suspitione defecatam.

2 Vt autem lectorem attentiorem reddam in enarrādis priscorū actis, Mosi verba hic proponenda duxi ex Deut. 32. cap. Memēto, inquit, dierum antiquorum, cogita generationes singulas, interroga patrem tuū, & annunciabit tibi maiores tuos, & dicent tibi. In his siquidem verbis salubre admodum consilium, singulareq; pharmacum habebis contra defectus omnes, si quos hic Canonicorum ordo nunc patitur, quorum præcipuè quattuor considerari poterunt. Primus est, si in eo ordine passim corruptæ formæ excogitētur, quibus vera illa Augustini pietas obscuratur, decrescit, & extinguitur, vt huius vestigia apud quosdam vix videri queant. Cum contra à veteribus institutis nec transuersum, quòd aiunt, digitum discedendum esset. Memento igitur dierum antiquorū, in quibus vera Canonicorum Religio in Deum viguit. Secundus defectus est, si permultæ, & quidē intollerabiles abusiones in dies irrepant,

partim ex negligentia pastorum, partim ex nimia habendi cupidine. Cogita igitur generationes singulas, & videbis, cum tẽpore hæc irrepsisse mala. Tertius defectus hæret in ministrorum ambitione, cõtentione, atq; conuitijs. Ambitio nanq; & id mali conciliat, vt vel nostri ministerij immemores; de dñatu, ac potestate gloriemur. Interim verò obliuiscamur nos esse Christi operarios, speculatores, atq; ministros. Quid hic agendum censes? interroga patrem tuum, Augustinum, aliosq; nostros legislatores; & annunciabunt tibi, quid qualiq; modo tibi agẽdum sit iuxta ordinis præscriptum; sed vbi annunciabunt hæc? In actis suis, atq; scriptis. Quartus defectus deprehẽdi posset in communi iniustitia, fraude, alijsq; animi vitijs. Obserua, an abundauerit iniquitas, refrigueritq; nonnullorum Charitas, quorum corda malis occupata conspiciuntur. Sed qua ratione huic malo medebimur? interroga maiores tuos, & dicent tibi, an & ipsi similem vitam egerint? teq; docebunt, qualis vita in ordine Augustiniano instituenda, atq; peragenda sit. Quo circa perutile futurum est, vt in ipso nostri operis ingressu, huius præclari Canonicorum Reg. ordinis antiquitatẽ patefaciamus. Duo tamen prius sunt perstringenda, nam ad commostrandam, omni amphibologia semota, huius ordinis antiquitatem, illud cautè præmonendum est, nos verba facere de Canonicis Reg. qui verè, perfecteq; religiosi sunt: quales illi iure cẽsentur, qui iuxta Regulam ab Ecclesia approbatam, tria essentialia vota emittere consueuerunt. Quemadmodum. n. diuus Thomas docuit. 2.2.q.186.art.6.7.& 8. ad Religionis perfectionem triplex votum requiritur, videlicet paupertatis, castitatis, & obediẽtiæ; igitur in solenni professione perfectę Religionis hæc tria vouentur; aut certè iuxta aliquam Regulã approbatam vouetur obedientia, sub qua alia duo continentur, vt author est D. Thomas. Eandem rem docet cap. Cum ad monasterium. De stat. monach. &c. Quo in loco interpretes, eum esse Regularem asseruerunt: qui hæc tria vota emiserit. Quare confingere iure nõ licebit, alios Canonicos Regulares triplici voto non astrictos. Eos. n. nõ veros Canonicos Regulares, sed fictitios existimarẽ: neq; eorũ Religionem cõpletam, perfectamq;, sed truncatam esse censerem, iuxta Theologorum sententiam, & iuris Canonici sacra decreta: aut igitur omnino religiosi erunt nostri Canonici Regulares, monastices encyclopediã complectentes, aut planè in sæculares abierunt.

3 Alterum quoq; nos præfari conuenit; nempè tria Religionis vota ab ipsis Apostolis constituta fuisse. Cui rei suffragatur S. Tho. 2.2.q.88.art. 7. dicens; voti solennitatem considerari secundum aliquam spiritualem benedictionem, vel consecrationem: quæ ex institutione Apostolorum adhibetur in professione certæ Regulæ: Quãdo per abrenunciationem

sæculi,

sæculi,& propriæ voluntatis aliquis ſtatum perfectionis aſſumit. Quem locum exponens Dom. Sotus lib.7.de Iuſt.& iur.q.2.art.5.ait, Religionem quidem à tempore Apoſtolorum ortum habuiſſe: vt apud Dionyſium conſtat. Nam & Monachos commemorat cap.6. Eccleſiaſticæ hierarchię. Et.n.prope Apoſtolorum ætatem vigebant Monachorum ordines, votorum ſolennitate, vt creditur, firmati: Ea autẽ vota auctoritate Eccleſiæ,& forſan in manibus Epiſcoporũ edebant. Et idem S.Thomas ibidem art.4.ad 3. argumentum cum argumentatus fuiſſet, nuſquam legi Chriſtum, aut Apoſtolos aliquid vouiſſe: reſpondet dicens: Apoſtoli autem intelliguntur, vouiſſe pertinentia ad perfectionis ſtatum, quan do Chriſtum relictis oĩbus ſunt ſequuti. Ex quo loco Aug. Ticinenſis in ꝓpugnaculo Canonici Ordinis par.4.c.4.infert, iuxta S.Thomæ ſentẽtiã, Apoſtolos,& reliquos primitiuę Eccleſię Clericos tria vota emiſiſſe.

4 His conſentit Alphonſus Caſtrus lib. 14. de Hæreſib.in verbo Votũ. Hoc etiam, inquit, votum creduntur emiſiſſe Apoſtoli de paupertate ſer uanda, quãdo relictis omnibus ſequuti ſunt Chriſtum: vt ſenſit Auguſt. lib.17.de Ciuit.Dei cap.4. Cum ait, hoc votum potentiſsimè vouerant, ſed vnde hoc illis, niſi ab illo, de quo dictum eſt, dans votum vouenti. Et inferius idem Caſtrus ex Dionyſio Areopagita, Pauli diſcipulo, loco citato contendit probare profeſsionem Monaſticam ab Apoſtolis inſtitu tam fuiſſe, in Eccleſiaq; ſeruatam. Ex eo ergo loco Dionyſij duo infert; Primum quidem, Monachos tunc profeſsionem per voti promiſsionem facere, quod manifeſtè Dionyſius oſtendit, cum dixit: Vbi verò ille hæc omnia intente promiſerit. Ergo in ipſis Eccleſiæ primordijs Monachi ſe voto domino obligabant. Alterum eſt, Monaſticam vitam eſſe omnibus alijs excelſiorem,& ſublimiorem. Huc quoq; ſpectat concilij prou. Colon.ſub Archiepiſcopo Hermanno.5.aſſertio tit.de vita Monaſtica cap. 1. Vita, inquit, Monaſtica non multò poſt Apoſtolorum tempora cœpit: quanquàm multis perſuaſum ſit, alia tum fuiſſe, quam nunc eſt Monachiſmi rationem.

5 Eandem rem ex priſcis authoribus elegãter expreſsit Robertus Epiſcopus Arboricenſis, tit.de tuendo cœlibatu. Apoſtolorum.n.collegiũ vſu votorum non caruit. Vbi, inquit, hunc viuendi ritum apud ſuos non adinuenit, ſed hauſit potius Auguſtinus. Vt nõ tam dicendus ſit auctor, quàm regulæ Apoſtolicæ imitator; Vt eſt in cap.non dicatis.12.q.1. Nõ eſt igitur humana hæc conſtitutio: ſed diuina potius & Apoſtolica. Quin & totam cœnobiticæ diſciplinæ panopliã ab Apoſtolicis fontibus ſumpſiſſe exordium, abũdè docet Abbatis Piamonis cap.5.collationis.18. apud Caſsianum. Quo perlecto nihil ſupereſt, quod fidem ad huius rei faciendam vltra deſiderare poſsis. Hoc ipſum idem Robertus compo-

bat ex Dionysio Areopagita, suos terapeutas referente, & ex Philone Iudæo,antiquisq; patribus.

6 His præmonitis, hunc illustrem Canonicorum Regularium ordinem ab ipsis ecclesię incunabulis originē trahere viri clarissimi suis scriptis tradiderunt. Rosetus.n. doctor Parisiensis lib. de Religione Ecclesiastica tit. 34. cap. 3. testatur: Eum ordinem sub sanctis Apostolis fuisse institutum, deinde à beato Marco apud Alexandriam adauctum, à Iacobo Hierosolymitano Patriarcha, & Clemente Rom. Pontifice, cæterisq; Apostolicis viris obseruatum, ab Vrbano Pontifice maximo, insigniq; martyre generali decreto condecoratum, à magno Augustino instaura tum, diuinisq; regulis illustratum, custoditum, & mirum in modū propagatū. Huius.n. ordinis, atq; habitus Augustinus fuisse verè asseuerat.

7 Contestatur idipsū Ioānes à Nigra valle sedis Apostolicę Bibliothecarius in epilogo Chronicarum lib. 13. cap. 18. Ex Canonico, inquit, Ordine omniū primo, cęteræ omnes Religiones veluti ex limpidissimo fonte profluxere. Ex eo nāque Monasticus Ordo traxit originem; Cum enim in Ecclesiæ primordijs ab eis quibus erat cor vnum, & anima vna in domino, multi ad perfectionem illam, qua pro Christo omnia relinquuntur, assidua prædicatione, & à sæcularium Clericorū statu conuerterētur; hi qui Apostolorum decreto Angelicam vitam, veluti Dei ministri, in cōmuni viuentes, atq; in sortem domini sunt per paupertatis, castitatis, ac obedientiæ professionem assumpti, Clerici, siue Canonici nuncupati fuerunt.

8 Hanc ipsam rē ex iure Canonico manifestam facimus. Quod.n. Clerici nascentis Ecclesiæ regulariter viuerent, satis apertè dēmōstratur ex cap. duo sunt. 12. q. 1. vbi Hieronymus ait: Illi.n. victu, & vestitu contenti, nullam inter se proprietatem habentes, debent habere omnia communia. Et ibidem cap. Scimus. Vrbanus Pontifex de clericis, inquit; Quicunque vestrum communem vitam susceptam habet, & vouit se nihil proprium habere, videat, ne pollicitationem suam irritam faciat: ne damnationem, sed pręmium sibi acquirat. Quoniam melius est non vouere, quàm votum, prout melius potest, non perficere. Et cap. Quia tua fraternitas Monasterij Regulis erudita, hanc debet instituere conuersationem, quæ in initio fuit patribus nostris, in quibus nullus eorū ex his, quæ possidebat, propriū habebat, sed erāt illis omnia communia. Item Clemēs in cap. dilectissimis ibidem, de Clericis ait; Cōmunis vita omnibus necessaria est, & maximè his, qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt, & vitam Apostolorum imitari volunt. Vnde consilium dantes, vestram prudentiam hortamur, vt ab Apostolicis Regulis nō recedatis, sed communem vitam ducentes, & scripturas sacras rectè intelligentes,

gentes,quæ bene nouistis,adimplere satagatis.Eandem Regulam Aug. retinuit,vt constat ex sermonibus de communi vita cler.Quorum alter incipit,Charitati vestræ: alter. Propter quod. Ex quibus definitas sententias Gratianus mutuatur ibidem cap.Nolo.& cap.Non dicatis. Vbi obiter annotabis, illud cap. Non dicatis, colligi ex textu ipsius regulæ Aug.vt viri docti asseruerunt. De his copiosè admodum scripsit Augustinus Ticinensis in propugnaculo, par.1.Vbi Rosetum, & Ioãnem Nigræ vallis retulit.

9 Origo Canonicorum Regularium ex grauibus historicis manifestatur.Aurelius nanq; Augustinus, Ecclesiæ Catholicæ doctor præstãtissimus, Regulã quidem verè Apostolicam instaurauit, & propagauit,authore Raphaele Volaterrano lib.21.Anthropologiæ. Valerius, inquit, præsul Hipponẽsis,Augustini audita fama, ad se accersitum in loco abstinentiæ commodo extra vrbem constituit: Vbi annos tres cum socijs agitans,coactus est,ciuium quotidie accedẽtium importunitate,locum mutare,ac quendam montem aditu difficiliorem petere; vbi tugurium inter saxa vilissimum separatumq; à cęteris fecerat.Hic librum scripsit de vita Monachorum,& quædam alia. Reliqui verò socij eum,iactu fundæ remoti, circunsistebant. Post hæc visum Valerio, illum ad se accersere,presbyterumq; creare,simulq; vnã Præsulem,& coadiutorem officij constituere,quod esset eloquio præstans,& vitæ meritis clarus.Augustinus igitur,ægrè huiusmodi sumpta prouincia, ante omnia vitã in eadem Canonicorum instituit Regularium, qui vita degerent communi ab Apostolis prius ordinata.Et paulò inferius subdit,Eremitani ordinẽ suum Ab eo fluxisse dicunt,in monte Pisano,dum in Aphricam rediret, à Simpliciano prius institutum.Ediditq; Choriolanus,eorum paulò antè Generalis, super hoc apologiam; totum tamen apochryphum, nullusq; author idoneus. Ordo autem Canonicus nõ tam ab eo institutus, quàm renouatus, ab Apostolis enim in monte Sion exordium sumpsit, qui post ascensionem, vt ait Thomas. 2.2. q.88.de vitæ genere deliberantes,communia inter se omnia, ac tria vota coram Deo statuere: qui ritus à successoribus,Clericisq; omnibus diu diligentissime seruatus,fideq; postea deferuescente desitus,nunc quoq; in ecclesijs amplius quadraginta perseuerat. Amictus est linea tunica, tantum vesti cuiuscunq; super addita. Quam Iacobus Apost. præsul Hierosolymitanus primus ex more Leuitico,veterumq; sacerdotum sibi assumpsit.Post eum Marcus Alexandriæ, posteri verò diuersis inter se factis conciliabulis, alij alia simul cum lineis indumenta corripuere, statutaq; condidere. Hæc Volaterranus.

10 Eandem rem confirmat Sigebertus in epistola ad Macedoniũ de or-

tu,conuersione,& vita Sancti Augustini,dicens;Cum autem appropinquaret festum Pentecostes, Sanctus Episcopus Valerius misit pro Augustino,& inuitum presbyterum ordinauit. Factus presbyter monasterium Clericorum instituit in domo Episcopi,& infra annum ibidem viuere cœpit secundum Regulam Apostolicam.

11 Eandem rem luculenter edisserit sanctus Antoninus. 2. par. hist. tit. 9. cap. 8. §. 2. & 3. dicens; Factus ergo Augustinus presbyter, monasterium Clericorum mox instituit, & cœpit viuere secúdum Regulam sub sanctis Apostolis constitutam: & paulò inferius. Clerici. n. Ecclesiæ suæ viuebant in communi, vt Canonici Regulares. Vt patet 12. q. 1. c. Nolo, & cap. certe. Et ab eo dicitur Ordo Canonic. Regularium habuisse initium: quibus & Regulam scripsit, quam hodie plurimi Religiosi profitentur: vt Prædicatores, Eremitæ, Seruitę, Canonici Regulares omnes, licet diuersarum Religionum, & alij. De qua Regula transumptum est illud capitulum, Non dicatis aliquid proprium &c. 12. q. 1. & illud capitulum 32. q. 2. Nec solo tactu, sed affectu quoq;, & aspectu appetitur, & appetit concupiscentia fœminarum &c. Et illud secunda quæst. 5. Nō vos iudicetis esse maleuolos, quando crimen alterius iudicatis, scilicet ex Charitate. Et illud ad Prælatos, dist. 86. Quādo necessitas disciplinæ in moribus coercendis dicere vos dura verba compellit, non à vobis exigitur, vt à vobis subditis veniam postuletis. Huc vsque Antoninus. Expende manifestum testimonium ad indicandum Regulam Canonicorum Regularium non esse aliam, quàm illam longam, vulgarem, & ab Ecclesia approbatam, quæ & speculum Clericorum dicitur.

12 Eandem sententiam confirmat Posidonius Calammensis Episc. in vita D. Augustini cap. 5. dicēs; Factus ergo presbyter, monasterium intra ecclesiam mox instituit, & cum Dei seruis viuere cœpit secundùm modum, & Regulam sub sanctis Apostolis constitutam. Maximè vt nemo quicquàm proprium in illa societate haberet, sed eis essent omnia communia, & distribueretur vnicuiq; prout cuiq; opus erat. Quo in loco scholium Aloysij Lippomani Episc. Veronensis sic habet: quod cum obseruent etiam veri Monachi nostro tempore, quid habent hęretici, quod tantopere contra eos insurgunt, & tollere volunt de mundo, nisi quod secundum Apostolicam regulam viuentes, hi maximo odio prosequuntur? Rursus idem Posidonius cap. 11. ait; Proficiente verò doctrina diuina sub Sancto, & cum Sancto Augustino in monasterio Deo seruientes, ecclesiæ Hipponensi Clerici ordinari cœperūt. Ac deinde innotescente, & clarescente de die in diem Ecclesiæ catholicæ prædicationis veritate, Sanctorumq; seruorum Dei proposito, continentia, & paupertate profunda, ex monasterio, quod per illum venerabilem virum & esse, &

se,& crescere cęperat,magno desiderio poscere, & accipere Episcopos, & Clericos pax Ecclesiæ,atq; vnitas,& cœpit primo,& postea consecuta est. Vbi scholium Lippomani inquit; Sancti serui Dei,Clerici Sancti Augustini crescebant in monasterio continentia,& paupertate profunda.Hæc Lippomanus;quod sane de solenni trium votorum professione à Canonicis Regul.emissa intelligẽdum est. Vlterius idem Possidonius Aug.discipulus cap.31.inquit: Clerum sufficientissimum, & monasteria virorum,ac fœminarum continentium cum suis Præpositis plena Ecclesiæ dimisit.Vbi Lippomanus ait:Monasteria virorum,& fœminarũ continentium cum suis Pręposìtis plura Ecclesię dimisit,moriens D.Augustinus. Hæc Aloysius. in tanto autem Monasteriorũ numero pleraque Canonicorum Regularium fuisse, quis ambigat?

13 Item Vincentius Historialis in Speculo suo lib.26.cap.51.Ordo, inquit,Canonicus,qui primò ab Apostolis,postea ab Augustino regulariter fuit institutus, cœpit florere in ecclesia Sancti Quintini Beluacensis sub venerabili,& S.Iuone eiusdem Eccl.Præposito, & postea Carnotẽsi Episcopo.Et idem Vinc.lib.19.cap.44.ait;Augustinum scripsisse Regulam,& institutionem pro Clericis Regularibus,qui etiam dicuntur Canonici Regulares.Hãc veritatem tot rationibus, testimonijsq; suffultã, nec ipse Ambrosius Choriolanus in vita Augustini,& comm.2.in Regulam Augustini,& in defensorio ordinis Eremitarum S.Augustini, diffiteri potuit; quamuis nõ absque aliquantula animi grauedine, nonnulla immiscens,quæ à viris doctissimis respuuntur.

De eadem Canonicorum Regularium antiquitate. Cap. iij.



1 AD manifestandum autem amplius nostrum propositum audiendus est Aug.Ticinẽsis loco citato cap.16. Sciendum ait,iuxta Sanctorum patrum certissima documenta, in Ecclesię primordijs, successu tẽporis factam esse diuisionem inter Clericos nascentis Ecclesiæ Regulares, & inter seculares Clericos ab ea districtione relaxatos.Id quod Dom.Sotus lib.10.de Iustitia,& Iure. q.4.art.3.apertè testatur: Nascens.n.Clericorũ Ecclesia cœpit in communi viuere, in quo vitæ instituto non nihil temporis adoleuit.Ille enim erat decentissimus, eorum status,si perdurare potuisset,vt patet ex cap. dilectissimis, & ex altero cap.Vrbani,videntes.Et cap.Scimus. & multis alijs. 12.q.1. Nã cum paucitas tũc existeret Clericorum,& Ecclesiarũ,poterant sic commodè viuere.Imo & in multis Ecclesijs Cathedralibus etiam nũc specimen aliquod eiusdem vitæ communis retinetur. At verò exaucto paulò plus

tò plus Clericorũ numero, vix illa communis vita tolerari poterat. Vnde tempore iam Augustini in lite erat, & sub iudice, vtrum deberent sacerdotes initiari, nisi qui vellent in communi viuere. Quoniam eorum institutum id necessariò non exigit. Cum paupertatis votum nõ habeat annexum, neq; verò obedientiæ, quam non quisq; in domo sua præstare Episcopo possit. Ideò Augustinus in cap. certè; iam citato ait; sed ecce in conspectu Dei, & vestro muto consilium. Hæc Sotus. Ecce apertã disiunctionem Clericorum Regularium à Clericis sæcularibus.

2 Ad originem itaq; Canonic. Regularium stabiliendam, plura adhuc, eaq; non contemnenda testimonia producam, quandoquidem author argumenti, seu præfationis in constitutiones Canonicorum Regulariũ à summo Pont. Benedicto. 12. editas & Romę Typis excussas, sic inquit: Canonici autem Regulares ab Apostolis in primitiua Ecclesia instituti, à beato Marco, deinde in Ecclesia Alexandrina sub Apostolico titulo ampliati, vt summorum Pontificum attestationibus, & declarationibus comprobatur, ab magno Ecclesiæ doct. Augustino Hipponensi Pontifice, sacris sunt demum institutionibus illustrati. Ipse.n. factus Episcopus Hipponensis, infra suę Ecclesię Canonicam, cœnobium Clericorum mox instituit: in quo viuere cœpit sub Regula à Sanctis Apostolis instituta. (Vt tradit Posidonius Episcopus de vita Augustini;) quam sancta Romana Ecclesia in ipsius diui doctoris die festo legẽdã instituit. Propterea cum dicitur Ordinis Sãcti Augustini simpliciter, intelligitur tantum de Canonicis Regularibus: sicut patet in literis Apostolicis super prouisione Ecclesiarum, & monasteriorum, ac beneficiorum Canonicorum Regularium; & clarius in lib. taxarum Cameræ, & sacræ Cancellariæ Apostolicæ. Ipsos.n. præfatus doctor veros, & originarios filios habuit; per quos suam Cathedralem Ecclesiam regulariter sub Apostolicis institutis regendam sanciuit. Prelatos habet in ecclesijs Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos: in monasterijs verò seu Canonicis Abbates, Priores, & Præpositos. Ipsis magnus Aug. Apostolicam regulam tradidit, quã Speculum Clericorũ m intitulauit: sub qua postmodum processu temporum, tanquam sub pręcipua, & communiori de approbatis varij Regularium Ordines mandato Sedis Apostolicæ profitentur: Sicut Ordo præmonstratensis Sãctæ Brigidæ, Hospitalariorum Cruciferorum, Militum Rhodiensium, & Theutonicorum, & inter mendicantes fratrum Prædicatorum, Eremitarum, Seruorum beatæ Marię, ac plurimi alij ordines, qui sua propria habent vocabula ordinum præter ipsos Canonicos Regulares, qui simpliciter dicuntur Ordinis S. Augustini, vt præmissum est. Quoniam eis ab eodem doct. Augustino tanquam Clericis suis præcisè Regula data est; hactenus ille. Hic obiter annota-

annotato, quòd vbicũq; in iure Canonico aliqua frusta, seu portiunculæ ex Regula approbata D. Augustini desumuntur, semper titulus præmittitur, de communi vita Clericorum ad ostendendum verum titulum illius Regulæ, esse de cõmuni vita Clericorum, id quod perdoctè considerauit Aug. Ticinensis. 2. par. propugnaculi arg. 9. Vt constare ait in cap. Nõ dicatis. Et cap. Nolo. 12. q. 1. Et cap. Si quis irascitur. 13. q. 2. Et cap. Quicunq; vult. 17. q. vlt. Ex quo ille infert Regulam Augustinianam in primaria sua institutione fuisse Clericis regulariter viuẽtibus inscriptã.

3 Hinc fit, vt apud Breuiarium Cæsaraugustanum in Hymno festi Sancti Augustini sic legamus: Amatorem paupertatis te collaudant pauperes; assertorem veritatis amãt veri iudices, &c. Et paulò inferius; Tu de vita Clericorum Sanctam scribis Regulam, quam qui amant, & sequuntur, viam tenent regiam. Atque tuo sancto ductu redeunt ad patriam. Eadem legimus in Breuiario Valentino.

4 Sed iam summorum Pontificum Rom. testimonijs nostrum propositum conficiamus, citatus nanq; Benedictus 12. in præfatione suarũ Constitutionum ad Canonicos Regulares tàm Ecclesiarum Cathedralium, quàm monasteriorum cõscriptarum sic ait: Ideoq; inter Religiones alias in agro eiusdem plãtatas Ecclesiæ, ad Religionem Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini, ab Christi gloriosis discipulis in primitiua Ecclesia sacris institutionibus stabilitam gerentes præcipuæ Charitatis affectum: omnia quæ in Religione prædicta, tam à prima ipsius institutione, quàm à sacris Canonibus sunt salubriter instituta, omnino immota in sua firmitate manere censentes, &c. Perspice antiquissimam huius Ordinis originẽ. Rursus idem Pontifex in præfatione bullæ ad collectores quosdã prouinciarum Canonicorum Regularium sic exorditur. Egregius Ecclesiæ doctor, gloriosissimus Augustinus, specialis, & pręcipuus extitit institutor, videlicet huius Ordinis Canonicorum Regularium; de expeditione enim statutorum, & ordinationum huius Ordinis agebat.

5 Pręterea Augustinus Ticinensis in propugnaculo Canonici Ordinis. 4. par. cap. 20. Ex quodam priuilegio Congregationi Lateranensi concesso Sixtum 4. sic loquentẽ inducit; Dum ad vniuersos Regulares Ordines, ac loca sanctimoniæ dedita, personasq; voto Religionis astrictas, ipso iniuncto nobis Apostolicæ seruitutis officio, ad illum præcipuè Canonicorum Regularium Congregationis Lateranensis Ordinem S. Augustini, eo libentius oculos nostræ mentis conuertimus, quo Ordo ipse in nascentis Ecclesiæ sancta institutione, ac primorum Christianæ Religionis Clericorum norma, traditionibusq; fundatus, & sacris institutis, ac diuinis Regulis, eloquijsq; diui patris Augustini præmunitus extitit:

ab eiusq; primæua fundatione varijs virtutũ meritis semp resplẽduit. Quamobrem nonnulli Romani Pontifices prædecessores nostri innumeris Religionem ipsam priuilegijs, dignisq; honorum titulis non immerito decorarunt. Hæc Sixtus quartus.

6 Robertus Episcopus Arboricẽsis, Parisiẽsis Doctor, in opusculo de Tuendo Cœlibatu tom. 1. tit. de Monasticorum Ordinũ primordijs, in hac cõtrouersia author est oculatissimus, dicens: Canonicos dicimus, qui ex cõmuni placito, ac voto orationi, ac mutuæ bonorũ distributioni obnoxij erant. Erat autem hoc veluti elementum quoddam, atq; exemplar futuræ cõmunionis in Ordine Canonicorum, qui triplici voto adstricti, se Regulares appellant. Quem D. Aug. longo post tẽpore instituens, ab Apostolico fonte se hausisse profitetur. Hic ergo Ordo statim ab orbe redempto, primũ illuxisse visus est tempore Apostolorum. Quoniam erat credentiũ cor vnũ, & anima vna: nec quisquam propriũ aliquid se hr̃e dicebat. Circa ea tẽpora floruit huiusmodi therapeutarũ institutũ, quo postea desijt esse omnibus Christianis commune, sed redactũ est tandem in eorum sortem, qui temporibus Philonis sobriè, ac continenter vixerunt, vt authores sunt idem Philon, & Eusebius lib. 2. quam sententiam confirmat Dionysius Ariop. qui ad Caiũ Demophilumq; therapeutas scripsit, eos proprij admonẽs instituti; sed & Georgius Pachimeres Philonẽ de hac re loquentẽ introducit: Et idẽ Robertus paulò inferius inquit. Ordo Augustinianus à D. August. regula, ac legibus descriptus, florere cœpit circiter annũ dñi quadrigentesimum trigesimũ, summis Ecclesiæ Pontificibus Siritio, & Innocẽtio, imperãtibus Theodosio, ac deinde Archadio, Hieronymo, Ambrosio, Chrisostomo, D. Martino, Gregorio Nazianzeno sui claritate nominis orbẽ illustrantibus, hunc Ordinem non tam à se institutum, quàm ab Apostolis deriuatum, idem Augustinus censeri voluit.

7 Plura ea de re, & fusius ex Volaterrano lib. Cõmentariorũ. 21. haurire poteris. Hic Ordo cũ multis annis à sua sinceritate defecisset, primũ restitutus est suæ integritati à D. Nortberto Præmonstratẽsis familiæ institutore: deinde sub annũ Dñi millesimũ quadrigẽtesimũ per Frigdonariam Congregationẽ, alias appellatã Lateranensem in Italia, in legitimũ Ordinẽ redactus. Nouissimè verò in Gallia à Cõgregatione, quã appellant Castrinatonis, suæ puritati restitutus circiter annũ millesimum quingentesimum diffusa est in multa hominũ millia hæc Augustiniana familia. Nam præter summos Pontifices nõ paucos, & Cardinales amplius trecentos viros, sanctitatis opinione præstantes, & celebratos, plus minus septies mille quingentos habuit. Hæc Robertus.

8 Superioribus etiã subnectẽda est Iacobi Bergomẽsis, qui author est

supplemēti retractatio, post veritatē exactius cōpertā lib. n. 14. sic ait. Ordo Canonicorū Regularium ab Apostolis primū institutus, indeq; ad Augustino apud Hipponē Aphricæ Vrbem, diuinis institutionibus decoratus, refloruit: varijs postmodū successibus in Hispanijs, Gallijs, reliquisq; per orbem regionibus, & per Italiā mirū in modū est profusius dilatatus. Sed apud Burgūdiā in Beluacēsi ecclesia sub magistro, sanctoq; viro Iuone eiusdem ecclesiæ Prępositio, ad pristinā eiusdē Ordinis obseruantiā efflorere cœpit. 22. anno Imperij Henrici 3. testis Sigibertus in Chronicis, & Vincentius lib. 36. ca. 51. Hanc veritatē sequitur author fasciculi temporū, & Antoninus Flor. 2. par. suæ Chronicæ tit. 15. cap. 16. quod incipit; Circa annos Dñi. 1080. Sicut etiā colligi pōt ex ipsius Augustini sermonibus de Moribus, & cōi vita Clericorum: Quod Romanorum Pontificū Canones, & doctorū dicta certissima veritate testatur. Cætera verò licèt rei propositæ conducibilia sint, propter nimiā tñ prolixitatem prudens refeco. Si plura nosse cupieris, plege Augustinū Ticinensem in Propugnaculo. 4. par. cap. 22. Aduertesq; nōnullos recētiores historicos in hac re fuisse hallucinatos, eo quòd ignorauerint authoris supplemēti postremā retractationem. Qui tñ lib. 14. anno. 1407. retractationē faciens, sic ait. Verū quia de Canonicorū Ordine supra lib. 9. aliqua cursim diximus, non ab re pauca hæc, quæ sequuntur, post dicti libri impreßionē ad nostram notitiā nuper allata, clariori cōperta veritate subnectimus. Canonicorū igitur Ordo Regulariū D. Augustini: à quibus directè, vt diximus, pręfata Cōgregatio cōtinuatur, & ab ipso patre Augustino Regularē sumpsit institutionem. Nam, vt in dictis sermonibus de cōi vita Clericorū ad verbum habetur, Clericos intra Episcopi domum hrē curauit, & cū eis pariter secūdū Apostolicā formā quoad vixit, in cōi degere voluit. Quibus omnibus placuit vnū in Deo sentire, & omnia in cōmuni possidere. Et ibi inquit; Clericus duo professus est. s. sanctitatē. i. obedientiam, castitatem, & viuere in communi. Et vt tunicam lineam, & birrū, idest, vestem desuper habitum in communi gestarent. Quia & ipse in communi acceperat. Vnde inquit. Nemo det birrū, aut tunicam lineā nisi in communi; quia & in cōmuni accepi. Non decet hanc professionem, nō decet hos canos. Ideò in sacris Canonibus Regulares latine, qui & Canonici à canone græce appellātur, vt habetur de cōsecratione, dist. 5. cap. In omnibus, vt Clerici Canonici canonice viuāt. Glossa inquit, Clerici Canonici. i. Canonici Regulares: & licet in habitu superiori varijs in locis diuersi reperiātur Canonici, tñ vt colligitur per doctores in cap. Deus qui; de vita & honest. cleric. Diuersitas ista non diuersificat ipsum Ordinē in specie penes habitum superiorē, siue in for-

ma, siue in colore. Cum habitus superior nō sit de substantia professionis, sed habitus interior. s. tunica linea; qui est proprius, & legitimus Canonicorū Regularium habitus; & in eo propriè profitentur. Ita. n. pulchrè notatur ex glo. Ioānis And. in verbo habitus, in Clem. 1. de elect. & addit: Varietas coloris in habitu superiori non efficit diuersitatē Ordinis, seu Religionis Canonicorū. Sunt ergo oēs isti Canonici, de quibus paulò superius diximus, vnius eiusdem Ordinis cū illis, qui habitu lineo Regulam Augustini profitentes, primùm ab Apostolis in primitiua Ecclesia sunt instituti, & per Augustinum Regularibus Cōstitutionibus ad cōem Regularem vitam restituti, vt etiam colligitur ex præfatis sermonibus de communi vita Clericorum, & constitutionibus, & decretis Romanorum Pontificum, Benedicti. 12. Eugenij 4. Nicolai. 5. & Sixti. 4. & alijs authenticis scriptis, & approbatis testimonijs. Hæc ille Iacobus Bergomensis, supplementi author.

9 De præclaro autem, ac venerando Eremitarum S. Augustini Ordine vnicum Raphaelem Volaterranum loco citato differentem, in medium adducam. Deinceps inquit, Eremitarum viri, qui tertium inter Mendicantes obtinent locum. Hi ab initio, vt ait Io. And. ex pluribus Ordinibus, ac Eremitis simul in vnum coacti, sub Augustini Ordine cum baculo, & zona pellicea, Alexandro. 4. ac S. Bonauentura eius legato, probati fuere. Inter eos autem, qui huic vitę generi initia dederit Guillelmus, quem alij alium tradunt: apud plures verò Aquitaniæ dux fuit, anno fere. 1158. sub Eugenio. 3. Romam venit, &c. Postremò in patriam reuertens, multis ordinatis, simul & constructis Eremitarum cœnobijs, extinctus est in magna populorum veneratione, adeò vt successores Guillelmitæ cœperint vocari.

10 Eidem assertioni suffragatur Bartholomęus Cassanęus in Cathalogo gloriæ mundi. 4. par. consid. 71. dicens: Sunt & alij Mendicātes, qui dicuntur Eremitę S. Aug. qui vt dicit Antoninus Florentinus in sua summa 3. par. tit. 16. cap. 1. §. 8. alias fuerūt sub Regula beati Basilij: nunc autem, vt dicit, militant sub Regula beati Augustini.

11 Hunc Eremitarū Augustini Ordinē describit Robertus Episcopus Arboriensis de tuendo cęlibatu tom. 2. tit. de monast. Ordinū primordijs, in omnibus Raphaelem Volaterranū secutus. De eisdem Eremitis agit Ioannes Nauclerus volum. 2. Chronographię generatione. 41. & de tēpore, quo relicta eremo, ciuitates primū incolere cœperunt, ac primū Parisijs monasteriū sub mēdicationis titulo extruxerunt. Nauclerus igitur sic ait: Ordo quoque Eremitarū à quodā Guillelmo Eremita, viro sancto, & Aquitanię duce, ac comite Pictauiēsi nuper anno Dñi millesimò cētesimo septimo, licet institutus, sub Innocentio tñ, &

Honorio sub titulo fratrum Eremitarũ S. Augustini & appellari, & nominari iussus est, & cõfirmatus. Nam prædictus Guillelmus prius à B. Bernardo sufficiẽter edoctus, Ordinis sui calamitatẽ, Religionisq; feruorem pene extinctum considerans, animum ad instaurandum cum adiecit, in breuiq; conualescens ex multitudine Religiosorũ, & monasteriorum meliorẽ faciẽ Ordini D. Aug. per Gallias dedit. Quare hunc Ordinis cõditorem appellant, ac Guillelmitæ vulgò per Gallias nominantur. Itaq; concessione Anastasij Põtificis, & Adriani eius successoris, relicta eremo, tũ ciuitates primùm incolere cœpit, ac primùm Parisijs monasterium sub Mendicationis titulo extruxit. Deinde Albertus Gallus doctrina, & vitæ sanctitate mirabiliter Ordinem adaugẽs, plurimum Ordini laudis, & Religionis contulit. Verum cum Guillelmitarũ titulus in Gallijs vsq; ad Innocentij tempora perdurasset, mandante eo, post habita eius denominatione, & omnibus S. Augustini Eremitis ad ciuitates vbique accersitis, Innocentius, & eius successores, omnes sub vno titulo Eremitarum, vt dictum est, appellari voluit, & præcepit. Hæc Nauclerus. Vbi verò Innocentium, & Honorium commemorat, Innocentium. 3. & Honorium. 3. intelliges.

De viris illustribus, & Coenobijs Canonici Ordinis. Cap. iiij.

1 
D nobilitandum, illustrandumq; Canonic. Regularium Ordinem, adq; inflammandos audiẽtium animos in huius Ordinis affectum, & pietatem, nõ mediocrè profectò adiumentum, igniculosq; non paucos præstabunt illustriũ Canonicorũ gesta, & exempla. Inuenio nanque apud sapientes, honestissimum esse eorũ maiorum vestigia sequi, qui rectò, probatoq; itinere processerunt. Habendaq; est diligens ratio, quos imitemur, quorum similes esse velimus. Longũ profectò iter est per præcepta: breue, & efficax per exempla: quoniã plura ex moribus, quàm ex verbis trahimus. Sermo viuus, & efficax exẽplum operis est. In Morali philosophia plus exempla proficiunt, quam præcepta: libentius, ac promptius imitatur quisq; quod admiratur. Hinc fit, vt ad omnia pro Christi gloria patiendum magis accendamur martyrum exemplis, quam Theologorũ monitis; magisq; à sceleribus deterremur tristi scelerosorum exitu, quàm detestatione vitiorũ à Philosophis conscripta. Hoc illud est precipuè in cognitione rerũ salubre, ac frugiferũ aliorũ exempla intueri, vnde tibi quod imitare capias, vnde fœdum quod vites. Pulcherrimus Ordo est, & saluberrimus, ex aliorum erratis vitã nostram in melius instituere, & ex egregijs, laudatisq; gestis nostros componere mores. Id etiam ad excitãdas animi vires nobis

bis opitulabitur. Si aduigilanti mente considerauimus, præclara opera fuisse præstita à sanctis, probisq; viris, qui vt nos, hac mortali carne, milleq; periculorum anfractibus circundati, excultissimam tamen, studiosissimamq; vitam summa cum laude egerunt. Itaq; quoniam magis mouent, ac penetrant in animos, quæ cernuntur, quàm quæ audiũtur, non mediocrem inde frugem tibi comparabis. Quoniam verò ipsa sibi obstat magnitudo, rerumq; diuersitas aciem mentis abrumpit, faciam quod solent, qui terrarum situs depingunt; claudam totum in exiguo, & quod magni artificis est, in breui quasi tabella totã rei imaginem amplectar: Quare summa breuitate præclaros huius Ordinis viros percurram, ab eis sumens initium, qui ex hoc Ordine ad summũ Pontificatum fuerunt assumpti. Sanè Raphael Volaterranus lib. 21. in Antropologia, triginta sex fuisse ex hoc Ordine summos Pontifices Rom. constanter affirmat: quamuis alij, quos paulò inferius citabimus, quinquaginta, & quattuor fuisse tradunt. Inter quos, teste Volaterrano, est Gelasius papa huius nominis primus, q fuit natione Apher patre Valerio, sedit post Fœlicem in Pontificatu annis quattuor, vir sanctus, & in diuinis scripturis eruditissimus: mox inito Põtificio munere Manichæos, quos in vrbe reperit, in exilium misit, & libros eorũ apud basilicam S. Mariæ publicè combussit. Clerum quoq; amauit, & auxit. Pauperes semper mira beneuolentia, & charitate cõplexus est. Ciuitatem Romanam à multis periculis liberauit, maximè verò ab inopia rerum, & fame. Hymnos etiam cõposuit ad imitationem beati Ambrosii. Edidit & libros quinque contra Eutychen, & Nestorium. Duos cõtra Arrium; Orationes habuit elegantes, & graues. Epistolas præterea ad amicos, & fidei domesticos non minus graues, quàm doctas scripsit. Gradualia, Alleluya, & Tractus, cum Præfationibus ad Missam congruenter ordinauit. Et libros Sanctorum Patrum authẽticos ab Apochrifis sequestrauit, vt habetur distin. 15. cap. Sancta Romana. Moritur imperante Anastasio Augusto anno Domini 496. Ex Antonino Flor. part. 2. Historiali tit. 11. cap. 1. §. 7. & Platina in Gelasio 1. & Ioanne Trithemio.

2 Leo Papa. 8. Protoschriniarius Apostolicæ Sedis, vir venerabilis natione Romanus, à Clero, populoq; Rom. pulso Ioãne 12. Põtifex creatur. Nã cũ Ioannes flagitiosè viueret, & intemperanter, Leo subrogatur, & Othonis Imperatoris vi, & armis defenditur. Et miserabiliter, Ioanne mortuo, in sede Petri Leo perseuerauit. In ea tamen nõ diu vixit: anno. n. 1. mense. 4. moritur, domini autẽ anno. 964. Ex Antonino Flor. 2. par. Hist. tit. 16. cap. 1. §. 16. Et Platina in Leone. 8. & Raphaele.

3 Alexander. 2, Anselmus antea vocatus, patria Mediolanensis, Epi-

scopus Lucensis, mortuo Nicolao ob humilitatem, benignitatē, & doctrinam, absens etiam Pontifex creatur: aduersus symoniæ labem acriter inuehitur, 1.q.3.cap. ex multis; qui Pontificatus sui anno. 11. mense. 6. moritur, in basilicaq; Lateranensi sepelitur, nullo genere honoris, quod impēdi summo Pontifici potest, non adhibito, & à Clero, & à populo. Ferunt tum magno in prætio fuisse Ioannem Gualbertum Monachum Vallis Vmbrosæ, & illius Ordinis auctorē, virum sanctissimum, ac miraculis insignem. Ex Antonino Flor. 2. par. tit. 16. cap. 1. §. 20. Et platina in Alexandro. 2. & Raphaele.

4 Paschalis. 2. Rainerius ante Pontificatum vocatus, natione Italus è Flaminea, patre Crescentio, matre Alphacia, eo ferè tēpore Pontifex creatur, quo Christiani in Asia dimicantes, Antiochiam cepere: quem quidem Paschalem Gregorius. 7. ob virtutem, & doctrinā, Sancti Clemētis presbyterum creauit, in quo quidem loco Clerus ipse post Vrbani mortem, eundem Paschalem vita priuata contentum: quippe qui antea Monachus fuerat, etiam nolentem, & latitantem Pontificem creat, ꝙ diceret humeros suos nequaquam tāto oneri suffecturos: Sed expetente populo, eligente Clero, collaudante Cardinālium Senatu, Pontificis munus suscepit: maximè verò cum ter acclamatum esset, Sanctus Petrus Rainerium, virum optimum Pontificem elegit. Hic autem Pontifex cōscripsit cap. peruenit. 16. q. 1. Et cap. sicut domini. 16. q. 7. Et ibidem cap. si quis, & 16. q. 1. cap. decimas, tandem in morbū incidens, se paulò post moriturum cognouit: Quare acceptis Ecclesiæ Sacramentis, cohortatusq; Clerum ad pacem, & concordiam, Pontificatus sui anno 18. mense 6. die 7. moritur. 15. Kalendas Februarij. Sepeliturq; honorificētissima pōpa in basilica Cōstantiniana: Ex Ant. Flor. par. 2. Hist. tit. 16. cap. 1. §. 2. & Platina in Paschale. 2. & Raphaele.

5 Lucius. 2. patria Bononiensis, patre Alberto, qui prius Gerardus dicebatur, & Cancellarius erat, Pontificatum inijt post Cælestinū. ij. Hic Senatum Rom. collapsum, & penè obliuioni traditum, ne denuò restauraretur impediuit; sed à populo Rom. lapidibus attritus, postmodum Pastorale officium, vt fertur, exercere nō potuit, breuiq; tempore diem clausit extremum. Eo tempore Guillielmus quindecim annorū puer, in Anglia crucifigitur à Iudæis in die Parasceue in vrbe Noruuichō. Hic Pontifex nihil prætermittebat, quod ad Turcharum expeditionem pertinebat, miro excitatus amore retinendę Hierusalem, quod tit. S. Crucis in Hierusalem presbyter Cardinalis, Pontifex creatus fuerat; quam quidem Basilicam totam fermè restituit. Eius præterea consensu in Gallia Synodus Episcoporum quorundam, & Abbatum facta est contra Baliardum philosophum, qui tandem victus Mo-

nasticam

nasticam vitam suscepit. Et in loco deserto cum quibusdam discipulis sanctissimè vixit. Lucius autem Pontificatus sui mense. 11. die. 4. moritur, ac in Basilica Lateranensi sepelitur. Ex Antonino Flor. par. 2. Hist. tit. 17. cap. 1. §. 6. Et Platina in Lucio. 2.

6 Alexander. 3. qui antea Rolandus dictus est, & Cancellarius fuit, patria Senẽsis, patre Ranutio, post Adrianũ. 3. Pontifex creatur, & schismate quattuor Antipaparũ extincto, solus perstitit, verus Pontifex ab omnibus declaratus. Hic Concilium generale celebrauit Turonis in Gallijs. Et sanctorum Cathalogo beatum Bernardum Abbatem Claræ Vallis adscripsit, à Thoma etiam Anglo Archiepiscopo Cantuariẽsi inuisitur, quẽ etiam in Sanctorum Cathalogum retulit. Edidit autẽ Pontifex hic, verè magnanimus, plurimas Cõstitutiones in Conc. Turonis Gallię ab eo celebrato, & in Lateran. Romę celebrato. Multasq; Decretales euulgauit; quæ sub diuersis Decretaliũ titulis continentur. Alexandriã in Longobardia superiori inter alpium radices, vrbemq; Ticinũ supra Taurum amnem ędificauit, quæ ab hoc Pontifice Alexãdro Alexandria nuncupatur. Multas iniurias à Federico Imperatore sustinuit; Sed ipsum Imperatorẽ tandẽ superans, in signũ subiectionis, eius collũ pede cõculcauit, dicens: Scriptũ est, super aspidẽ, & basiliscũ ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem: Scripsit autem elegantes Epistolas ad diuersos, & de potestate Ecclesiastica, & quædam alia. Huius tempore claruit Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, Magister Sententiarum. Interim verò Alexander post longos, & assiduos labores, Pontificatus sui anno 21. die 19. Romæ moritur anno Domini 1181. Ex Anto. Flor. 2. par. Hist. tit. 17. cap. 1. §. 10. Et Platinà in Alexandro. 3. Et Ioanne Trithemio.

7 Innocentius 3. Lotharius ante vocatus, natione Campanus, patria Anagninus, patre Trasimundo, è familia Comitum, vir etiã ante Pontificatum doctrina, & moribus insignis, à Cœlestino in numerum Cardinalium refertur: Quo mortuo, in eius locum omnium consensu Põtifex sufficitur. Præfuit autem Ecclesię annis 18. mẽsibus tribus, diebus 23. Quàm verò fuerit gloriosus Pontifex, opera eius testimonium perhibent, quæ si omnia stilo essent comprehendẽda, iustum volumen superarent. Scripsit autem de Vtilitate humanę conditionis: In septem Psalmos pœnitentiales; De officio Missæ, De Sacramento baptismi, De Claustro animæ; Decretales antiquas; Sermones plures, & Epistolas ad diuersos. Hic quoq; anno Domini 1215. celebrauit Concilium generale Romæ in Eccl. Lateran. in quo interfuerunt quàmplurimi Episcopi, in eoq; editæ fuerunt numerosæ Constitutiones. Et vt vnico verbo omnia complectamur; pro maiori parte Decretalium liber ex

Innocentij huius Constitutionibus,& Decretalibus Epistolis componitur. Oborta tunc apud Tholosam hæresis est,quã, Innocentio procurante,B. Dominicus qui postea in Sãctos relatus est,mira celeritate compescuit,adiuuante etiam Simone Monforti. Eiusdem opera,& impensa insigne illud Hospitale S. Spiritus Romæ conditum fuit,auctũq; ab eo magnis prouentibus: quibus,& peregrini, & ægroti,& vulgo concepti, ac orphani alerentur. Aliaq; pietatis opera permagnã exercuit,vtcumq; est,constat eum in quouis genere vitæ probatissimũ fuisse, dignumq;,qui inter Sanctos Pontifices censeatur. Claruit tempore discordiæ, quæ fuit inter Philippum fratrem Henrici, & Othonẽ ducem Saxoniæ, anno Domini. 1200. Ex Anto. Flor.3. par. tit. 19. cap.1. Et Platina in Innocentio 3. & Ioanne Trithemio.

8 Honorius.3.patria Romanus de Sabellis,Centius ante vocatus,patre Americo,omnium suffragijs Pontifex creatur, Ordinem S.Dominici sub regula S.Augustini,ipso instante,confirmat,& Federicum.11. anathemate notatũ Imperij dignitate priuat. Eius tempore Ioannes Hierosolymitanus rex, cùm Romam venisset perbenignè magnis donatus muneribus ab Honorio suscipitur. Et filiam Federico in matrimonium locat, eiq; ius illud condonat dotis nomine, quod sibi hęreditario iure in regno Hierosolymitano competebat.Hinc est quod oẽs Siciliæ, Neapolitaniq; reges titulum Hierosolymitani regni sibi vendicant. Deinde Decretales Epistolas compilauit, Ordinem beati Francisci comprobauit,quem biennio post Gregorius.9.in Cathalogum Sanctorum retulit. Hoc autem modo Honorius benè, ac beatè vitam ducens,vt bonum Pastorem decebat,anno Pontificatus sui 10. mense.7. die 13. moritur, sepeliturq; in basilica S. Mariæ Maioris ad præsepe. Post cuius mortem tanti terremotus repente exorti sunt, vt in montibus Saluijs ad quinque millia hominũ perijsse constet,cadentibus domibus,saxisq; ex cõibus montiũ inhabitatas conualles passim ruentibus.Ex Antonino.3.par.Hist.tit.19.cap.3.Et ex Platina in Honorio.3.

9 Horum prædictorũ Pontificum tantùm nomina expressit Raphael Volaterranus. Cardinales autem amplius trecẽtum. Sanctos viros ad septem millia,& quingentos huius Ordinis fuisse asseuerat.

Rursus de viris illustribus eiusdem Ordinis. Cap. V.

1 QVoniam exempla ex vetere memoria & monimẽtis, ac literis, plena sunt dignitatis,plena antiquitatis; idcirco hæc plurimũ solẽt,& auctoritatis hr̃e ad probãdũ, & iucũditatis ad audiendum,vt in Verrẽ Cic.dixit;longiorem historiam texere non grauaber. Nonne ex rebus præclarè gestis ęã egregijs viris in pectore flammam

accendi solere à summis, eruditissimisq; viris, accepimus? Quæ haudquaquã prius sedari consuescat, quàm illorũ virtus, superiorũ famã, & gloriã adæquarit? Ab illis.n.quędã quasi faces, ac stimuli subiecti, subministratiq; sunt ad virtutẽ, quibus præsertim animi ad gloriæ, immortalitatisq; studiũ vehemẽter accendũtur. Sũmos ergo Pontifices alij viri clarissimi consequuntur. Sanctus Fridianus, cuius tertio Dialogorũ Gregorius meminit. Is.n.Vltoniæ regis in Hibernia filius, adolescens admodũ, Romã venit, postremo Luccam. Vbi Præsul factus Cęnobiũ excitauit, quod post obitum, eius nomini dicatũ fuit. Ex Volaterrano.

2 Item S. Patricius Hiberniæ Præsul sub Cœlestino.1.à quo fuit destinatus ad Scotos ad fidem conuersos, atque Archiepiscopus Scotorum ordinatus, per 40.annos sanctitate insignis, & doctrina excellens, totã insulã Hiberniæ ad Christum conuertit, maximisq; miraculis claruit. Hic à domino Iesu ei apparente, Euangelij textũ, & baculum in signũ dignitatis Archiepiscopalis accepit. Præterea in quodã deserto Ecclesiam construxit, & beati patris Augustini Canonicos in ea constituit. Ex Volaterrano, & Anto. Flor. par.2.tit.11.c.18.§.11. Platina autem Palladium ad Scotos, Christi fidem optantes, fuisse missum à Cœlestino.1.ait, quem ipse Episcopum creauerat.

3 Sanctus Prosper Episcopus Reginensis, post Fauentium natione Aquitanicus, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & in sæcularibus litteris nobiliter doctus, ingenio subtilis, assertione neruosus, vita & cõuersatione sanctissimus apparuit. Hic B. Leonis Papæ magni quondã Notarius fuit, & multas in eius persona epistolas dictauit. Scripsit etiã de sua vena præclara opuscula ex sententijs B. Aug. Epigrammata, De vita contemplatiua, De libero arbitrio, Ad capitula Gallorum, Respõsiones ad obiecta Vincentianorum, Ad excepta Genuensium summã grandem. 330. Positionum contra Cassianum, De libero arbitrio, Epistolas ad diuersos, De captiuitate Romæ, Chronicon historiarum, De illustribus viris. In decretis etiam opuscula Prosperi viri religiosissimi approbata sunt.15. dist.cap. Romana. Claruit temporibus Leonis Imperatoris magni, anno Dñi.460. Cuius festum celebratur. 7. Kalendas Iulij, ex Gennadio in lib. virorum illustrium, & Anto. Flor. 2.par. Hist. tit.11.cap.11.& Raphaele Volaterrano, & Ioanne Trithemio.

4 Fuere ex hoc Ordine S. Dominicus Canonicus Regularis Oxomẽsis, qui postea nouum Prædicatorum Ordinem constituit, sub Regula Canonicorũ Regulariũ, quã ipse ꝓfessus fuerat. Et S. Antonius Vlyxiponẽsis, qui postea ad Minores fratres migrauit. Ex Raphaele, & alijs.

5 Hugo de S. Victore Presbyter, & Monachus S. Victoris Parisiensis, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, & Abbas, vt ferunt

ibidem

ibidē, natione Saxo, summus Theologus, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & in sæculari philosophia nullo priscorum inferior, qui velut alter Augustinus Doctor celeberrimus est habitus, ingenio subtilis, & ornatus eloquio, nec minus conuersatione, quàm eruditione venerandus. Scripsit multa, & penè infinita opuscula, ex quibus pauca commemorabimus. Librum de Sacramentis pernecessarium, duobus voluminibus comprehensum. In Hierarchias S. Dionysij, Ludouico Francorum Rege id postulante, De institutione nouitiorum, in Regulam S. Augustini. In quinque libros Moysi, de Perpetua Virginitate S. Mariæ, de Cõtemplatione, & de Natu. animalium. In Ecclesiasten, Cantica Canticorum, Threnos Hieremiæ, Ezechielem Prophetam. Claruit sub Honorio. 2. Summo Pont. & sub Henrico Imperatore. 5. anno domini. 1130. Ex Anto. Flor. par. 3. tit. 18. cap. 1. Et Raphaele, & Platina in Honorio. 2. Et Ioanne Trithemio.

6 Hugo de Follieto Canonicus Regularis S. Petri Cordubensis, moribus, itemq; litteris clarus, fuit. n. singulari vita, & scientia, eloquētiaq; nobilitatus. Dulcis eloquio, & conuersatione venerandus. Scripsit insigne volumen, omnibus religiosis, & Deum timentibus iocundum in quatuor distinctis libellis, videlicet, de Claustro materiali, de Claustro spirituali, de Claustro animæ, de Claustro paradisi, & quædam alia; claruit temporibus Henrici. 4. anno domini. 1120. Ex Anto. Flor. 3. par. tit. 18. cap. 1. Et Raphaele Volaterrano. At verò Ioannes Trithemius eum Monachum Corbeiensem Ordinis S. Benedicti esse asserit, cuius opinione neglecta, maior fides citatis authoribus, alijsq; viris habēda est. Consueuit. n. Io. Trithemius nonnullos prēclaros Canonicos Regulares Ordini Benedictino adscribere. Vt de S. Petro Damiano inferius dicturi sumus, ea forte occasione, quòd nomen Monachi ob vitam cõmunem, & trium vototum solēnem professionem à Canonicis emissam, ipsis Canonicis quādoque tribuitur. Hunc Hugonem de Follieto asserit fuisse Canonicum Regularem, Antoninus Flor. 2. par. Hist. cap. 16. §. 7. propè finem.

7 Richardus de S. Victore, Paduanus patria, sub Anastasio. 4. anno. 1150. vt inquit Raphael, Monachus S. Victoris Parisiensis Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & in sæculari philosophia nobiliter doctus, ingenio præstās; eloquio scholasticus, moribus, & conuersatione prēcipuus; scripsit multa, & penè infinita opuscula, quibus vtilitati credentium multum profuit, & nomen suum immortalitati consecrauit. Pauca ex eis recensebo; de sancta Trinitate, de duodecim Patriarchis, in Cantica Canticorum, in Danielem Prophetam, de Quadraginta duabus mansionibus, de Pro-

fectu

fectu Monachorum, de Oratione mentali, de Instructione Nouitiorũ, Epitoma totius Bibliæ, de Quattuor Ventis, de Verbis Esaiæ, de Verbis Apostoli, de Actibus Apostolorum. Claruit sub Conrado Imperatore. 3. anno dñi. 1140. Ex Ioanne Trithemio. Item Platina in Anastasio. 4. inquit, fecit cum spes ex eo concepta, tum Richardi de S. Victore doctrina, ne Anastasij tempora ignobilia viderentur, Richardus. n. doctor insignis, multa, & grauiter, & copiose tùm scripsit: Præcipuè verò librum de Trinitate. Habuit & sermones ad populum nõ minus docte, quàm elegãter. Hunc Richardũ de S. Victore miris laudibus effert Antoninus Flor. 3. par. tit. 18. cap. 3. Ex Vincẽtio in Speculo Histo. lib. 28. Eo præsertim quòd septem libros de Trinitate conscripserit, quibus iudicio suo cunctos, qui ante ipsum de hac materia tractatus multiplices ediderunt, probabili rationum inductione, simul, & dulcedine quadam, ac venustate sermonis excessit.

8 Inter Cardinales verò huius Ordinis connumeratur S. Guarinus, patria Bononiensis, Præsul Prænestinus à Lucio. 2. creatus, ætatem annorum centum, & decem moriens, apud Præneste sepultus est. Ex Raphaele Volaterrano, cuius festum celebratur mense Februario.

9 Petrus Damianus, Præsul Ostiensis sub Gregorio. 7. cum aduersum suæ quieti statum prospiceret, bonis ac Cardinalatu se abdicans, in cœnobium S. Mariæ Rauennatis, vnde exierat, redijt; vbi & persanctè decessit anno. 1119. operibus in Theologia plurimis relictis. Hæc Raphael Volaterranus, dum Canonicos Regulares insignes enumerat.

10 Eundem Petrum Damianum vita, & scientia insignem in Italia habitum anno. 1068. cõnumerant alij compositis quibusdam opusculis, vt de Perfectione Monachorum, & eadem ferè de eo narrant, quæ Raphael Volaterranus. Præterea Augustinus Ticinensis in Propugnaculo Canonici Ordinis. par. 2. cap. 1. sic inquit, Textus decimas. 16. q. 1. non potest aliter intelligi, quàm de Canonicis Regularibus, qui & Clerici sunt; & est Textus Paschalis. 2. qui sub nomine Clericorum approbauit Constitutiones, quas edidit Petrus Damianus pro Canonicis Regularibus in Canonica Portuensi apud Rauennam existẽtibus, & vsq; in præsentiarum continuatis successibus sub Regulari eiusdem Ordinis obseruantia vigent, & diutissimè viguerunt. Fuit autem venerabilis vir ille eiusdem Canonicæ fundator, & primus Prior; vbi antiquissima sunt priuilegia tam Imperatorum, quàm Rom. Põtificum eisdem 11
Canonicis Regularibus concessa. Item idem Aug. Ticinensis. 4. par. cap. 23. sic ait, Itemq; in Italia vsque ad tẽpora B. Petri Damiani apud Rauennam primum in Canonica S. Mariæ in Portu. Deinde per Italiã ab eo capite hic Ordo est propagatus. Ipse nanque vir sanctus clara

ex fami-

ex familia de Honeſtis Rauennæ natus, apud Auelane eremiticam duxit vitam. Deinde Epiſcopus Oſtienſis, & Cardinalis ordinatus, tempore ſchiſmatis inter Cadolum Epiſcopũ Parmẽſem, & Alexandrũ 2. pileo à ſe ſponte abdicato ad Canonicam præfatam ſe tranſtulit, ibiq; poſt multa præclara librorum edita opuſcula, & pietatis magnificè geſta, eiuſdem loci Prior ſancte, pieq; in domino quieuit. Extãt vſque in præſentiarum, Conſtitutiones ab eo editæ de communi vita Canonicorum Regularium, & Paſchalis. 2. auctoritate confirmatæ. Rurſus idẽ Ticinenſis. 5. par. in confirmatione octaua ſic inquit: Ordo idem Canonicus ad Regularem obſeruantiam effloruit per ſanctum virum Petrum Damianum in Portuenſi Canonica Diœceſis Rauennatis. Deinde in tota Tuſcia, præſertim in agro Lucenſi apud Frigionariam, ipſo auctore Petro Damiano, coadiuuantibus Alexandro. 2. & illuſtri Comitiſſa Mathilde. Hæc omnia eo retuli, vt manifeſtum fieret, Petrum Damianum fuiſſe Canonicum Regularem Epiſcopum Oſtienſem, & Cardinalem: ne quempiam moueat Io. Trithemius, aſtruẽs Monachũ fuiſſe diui patris Benedicti, quẽ claruiſſe, inquit, ſub Henrico Rege. 4. anno dñi. 1050. Hic igitur Petrus Damianus Epiſ. Oſtiẽſis & eruditus, & ſecularium litterarum non ignarus, ingenio mitis, & acutus, eloquio placidus, & compoſitus, & ad perſuadendum ſatis idoneus, non minus ſanctitate, quàm eruditione clarus, & inſignis effulſit; qui exemplo magni Gregorij Antiſtitis, amore ſolitudinis, & quietis, Epiſcopatum ſuũ deſerens, poſteaquàm illum annis aliquot ſtrenuè gubernauerat, ad cœnobium ſuum reuerſus eſt, & vitam deinceps cum fratribus ſuis in trãquillitate animi exegit. Cum autem à ſummo Pont. charitatiua increpatione argueretur, cur Epiſcopatum, vt potè vir vtilis, & idoneus, dimiſiſſet amore ſalutis priuatæ, ad tres ſibi inuicem ſuccedentes, Nicholaum 2. Alexandrum 2. & Gregorium 7. Romanos Pontifices, apologeticos edidit, in quibus auctoritate, ratione, & exemplo factum ſuũ humiliter excuſans, animos eorum placauit. Ex cuius multis opuſculis pauca referam. De Incontinẽtia ſacerdotum; De Regula ſolitariorum, De Miraculis ſui temporis, Exhortatoriũ ad Monachos, De Profectu Monachorum, De Terrore mortis, De Meditatione Mortis, Contra Epiſcopos ſymoniacos ſermones, & homilias; De Naturis quorundam animalium. Ex Ioanne Trithemio.

11 Iacobus de Vitriaco Epiſcopus Achonenſis, & poſtea S. E. R. Cardinalis, Epiſcopus Tuſculanus, ſub Innocentio. 3. Vir in diuinis ſcripturis eruditus; & ſecularium litterarum non ignarus, moribus, & vita ſpectabilis, in declamandis ſermonibus ad populum excellentis ingenij fuit, & crucem contra Albienſes, vel Albigenſes hæreticos glorioſè

pradi

prædicans, multos fideles in eos Apostolica auctoritate signauit, profectus, & legatus contra eos. Scripsit non spernendæ lectionis opuscula, videlicet Historiam Orientalem cōtra Sarracenos Epistolas ad diuersos. Claruit sub Federico Imperatore. 2. anno domini. 1220. Ex Raphaele Volaterrano, & Ioanne Trithemio.

12 Hugo alius de Sancto Victore Parisiensis, Tusculanus Præsul, celebris Theologus, anno. 1431. Ex Raphaele Volaterrano.

13 Iuo Episcopus Carnotensis, & Cardinalis, ex Præposito S. Quintini Veluacensis Ordinis Canonicorum Regularium diui patris Augustini, vir in diuinis scripturis exercitatus, & Canonum sanctorum Patrū, ac generalium Conciliorum cautissimus interpres, nec minus sanctitate, quàm scientia reuerendus, Ordinem suum diu collapsum magnificè reformauit. Scripsit post Burcardum Vormatiensem Episcopum ex Canonibus Sanctorum compendiosum decretum, quo ante Gratiani tempora vtebantur iuristæ, quod prænotauit Panormitanus; Epistolas ad diuersos, & quædam alia. Claruit sub Henrico. 4. anno dñi. 1090. Ex Anto. Flor. 2. par. tit. 15. cap. 16. §. 7. propè finem. Ex Raphaele Volaterrano, & Io. Trithemio.

De recentioribus viris illustribus eiusdem Ordinis. Cap. vj.



1 Vam venerationem præceptoribus litterarijs debemus, eandem antiquis nostri Ordinis præceptoribus, à quibus tanti boni initia fluxerunt, præstare obstringimur. Proinde posteriores illustres viros mira breuitate referemus. Iacobus de Beluisio Iur. Can. fuit & doctor, & interpres: cuius meminit Io. Andreas in Proœmio suæ Nouellæ, dum eos Iuris Canonici scriptores commemorat: ex quorum operibus se in illo opere condendo adiutū fuisse fatetur, allegans his verbis. Opus fratris Iacobi Canonici S. Ioannis in Monte, qui ad hoc solùm laborauit, vt solueret glossarū contraria nō soluta. Eundē authorē honoris causa refert Aug. Ticinēsis in Propugnaculo Canonici Ordinis par. 3. c. 5. asseritq; fuisse Canonicū Regularē Monasterij S. Ioānis in Monte.

2 Thomas de Kempis, natione Theutonicus, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, montis diuæ Martyris, & Virginis Agnetis propè Zuollam in diœcesi Traiectensi, vir in scripturis diuinis studiosus, & eruditus, vita, & conuersatione deuotus, & beatæ Mariæ semper Virginis amator præcipuus. Scripsit pro instructione simplicium fratrum non spernenda opuscula, è quibus pauca subijciam. De contemptu mundi, Sermones ad Nouitios, Sermones ad Fratres, Dialogum Nouitiorum, De Tribus Tabernaculis, De Vera compunctione, Hortulum

tulum Rosarũ, Vallẽ Liliorũ, Alphabetũ Monachi, Epitaphiũ Monachi. qualis debeat esse Monachus. Claruit tẽporibus Ruperti Bauari regis Romanorũ, & Gregorij Papæ. 12. anno dñi. 1410. Ex Io. Trithemio.

3 Ioannes Rusbrochius Canonicus Regularis, Viridis Vallis propè Bruxellas Prior, sanctitate, & eruditione clarissimus, quẽ nonnulli alterum Dionysium Areopagitam appellãt. Cum adhuc in sæculò viueret sacerdos sæcularis, adeò suiipsius, & eorum quæ mundi sunt, fuit incuriosus, vt miser, & despicabilis videretur. Erat. n. totus quietus, taciturnus, habitu corporis despectus, sed cultus moribus, & quia cõtemplationi deditissimus erat, turbas, & aspectus hominum libenter declinabat. Verum posteà quam 60. ætatis annum attigit, admiranda vitæ sanctimonia præditus, ad Viridem Vallem sese contulit. Est autem Viridis Vallis cœnobium Canonicorum Regulariũ in silua Zoniensi iuxta Bruxellas, oppidum Brauantiæ: vbi more aquilæ renouata mentis iuuentute, tam dilucidè cœpit intelligentiæ aciem in æterni solis claritatem defigere, vt vix paucissimi extremam perfectionis eius partem nunc attingere videantur. Ipse etiam Mariã simul, & Martham perinde retulisse fertur. Vnde etiam vsque ad vltimum penè vitæ tempus, licet iam multo senio confectus, nunquam fertur Missæ celebrationem intermisisse, nisi vel aduersa valetudine, vel alicuius negotij grauitate impeditus. Tandem cum suum præsciuisset obitum, sanus mente, & facie rutilus, cum ingenti gaudio spiritum cœlo dignum exhalauit, anno à Christo nato. 1381. secundo die Decembris, cum iam 88. ageret annum, & fermè 64. annis sacerdos fuisset. Extant pulcherrima illius non pauca opera, Germanico quidẽ idiomate conscripta, sed iam non ineleganter latine reddita à Laurẽtio Surio Carthusiano. Ea verò sunt quæ subijciuntur. Summa totius vitæ spiritualis, Speculum Salutis æternæ. In Tabernaculum Moysis, & ad id pertinentia cõmentaria, vbi multa etiam Exodi, Leuitici Numerorum mysteria diuino spiritu explicãtur. Tractatus de Præcipuis quibusdam Virtutibus. De Fide, & Iudicio Libellus. De Quatuor tentationibus. De septem Custodijs, Opusculum longe pijssimum. De Septem Gradibus Amoris. De Nuptijs spiritualibus libri tres. De Perfectione Filiorum Dei. Regnum amantium Deum. De Vera Contemplatione opus præclarum. Epistolæ septem vtilissimæ. Cantiones duæ admodum spirituales. Samuel, qui aliàs de alta contemplatione dicitur, verius autem Apologia quorundam sancti huius viri dictorum sublimiũ inscribi possit. Oratio perbreuis, sed pia valde. Ex vita ipsius, suis opusculis præfixa, à quodam Canonico Regulari eiusdem ferè tẽporis conscripta, & ex Dionysio Carthusiano tract. 2. de Donis Spiritus Sancti, art. 13. & 27. & alijs locis.

Sanctus

4 Sanctus Ilephonsus,siue Alphōsus,Doctor egregius,genere ex prima nobilitate Toleti ortus est,& sancto Eugenio Archiepiscopo Toletano cōsanguinitate iunctus,diui Isidori Hispalēsis Episcopi discipulus. Apud quē in grandē eruditionis,& sanctitatis opinionē breui euasit. Est,& post annos aliquot Agaliense cœnobium Ordinis Canonicorum Regulariū in Toleti suburbio Deo militaturus,ingressus. Et paulò post Abbas constitutus;vita functo Eugenio,à clero, & populo Toletano inuitus Præsul creatur. Scripsit multa Ecclesiasticæ doctrinæ refertissima. Inter quæ illud insigne est, De perpetua virginitate purissimæ Mariæ Dei matris aduersus hæreticos Heluidianos;floruit autem circa annum domini 630. Ex Fratre Alphonso Orozco in Chronica Beati Augustini,& suorum Eremitarum.

5 Sanctus Albinus in Prouincia Venetorū ortus,iuuenis adhuc ingressus est Monasterium Ordinis Canonicorum Regularium; postea verò suis id poscentibus meritis Abbas eiusdem Monasterij creatur, ac tandem Episcopus vrbis de Anges in Gallia effectus,& miraculis, in domino obdormiuit. Ex eodem Orozco.

6 Sanctus Vbaldus Eugubij natus, ingressus est Monasterium Ordinis Canonicourm Regularium in Portu situm, neglectis duobus Episcopatibus,Summi Pontificis iussu Episcopus Eugubiensis creatur;insigni erat humilitate, & patientia præditus. Cumq; in gubernando Episcopatu molestissimos labores pertulisset, miraculis clarissimus moritur,sepeliturq; in Monasterio Canonicorum Regularium Eugubij,quod ipse construxerat ex eodem Orozco.

7 Sanctus Bernardus Canonicus Regularis,qui tātæ fuit humilitatis, vt vilissima Monasterij officia,quæ alij fugiebāt, ipse quasi ambitiosè procuraret,in arreptitijs hominibus,alijsq; ægrotis curādis plurimū valuit,huius festū celebratur mēse Maio. Ex eodem Orozco.

8 Sanctus Posidonius Canonicus Regularis,Episc. Calamēsis B. Augustini quondam auditor, atq; discipulus, etiā refertur in Cathalogo Sanctorū;Vir in diuinis scripturis studiosus, & sæculariū literarum nō ignarus,multis annis cum S. Augustino familiariter conuersatus,vita,& doctrina inter Ecclesiasticos Præsules clarus effulsit. Scripsit autem inter cætera ad ædificationem fidelium vitam sancti Augustini,& indiculum librorum eius. Claruit sub Theodosio Principe, anno Domini 430. Ex Ioanne Trithemio,& eodem Orozco.

9 Præter sanctos iam enumeratos, extitere etiam in hoc Ordine posteriori sæculo viri præstantissimi, Matthæus Bosus, patria Veronensis, Ordinis Canonicorum Regularium B. Augusti, vir in omnigena eruditione egregiè doctus,sed indicēdi elegātia, & grauitate doctior,

magno apud omnes in prætio habitus est, tum ex concionandi, docendiq;, in quo diu versatus est munere, tum ex varijs operibus à se compositis, quibus Ecclesiasticum dogma oratorijs pigmētis sic venustauit, & expoliuit, vt tersius mundiusuè inuenias nihil. Scripsit autē subscripta opuscula. Dialogū de tolerādis aduersitatibus, De gerendo magistratu, colēdaq; iustitia, Orationes, & Epistolas ad diuersos. Edidit, & alia quædā, in quibus omnibus cū varia scateat doctrina, & vbiq; sit luculētus, nullibi vllū arrogantiæ euomuit fumū, sed quòd decet religiosum, vbiq; sanctitatis, & diuinæ sapiētiæ studiosissimus fuit. Obijt Patauij anno domini 1502. ex additione 1. Ad Ioannē Trithemium. Taceo & alios quamplurimos huius Ordinis celeberrimos Concionatores, ex quibus nonnullos recenset Iacobus Bergomensis Eremita Augustinianus in Chronicis lib. 14. anno. 1407.

10 Rutgerus Venray natione Teutonicus Ordinis Canonicorum Regulariū S. Augustini, cænobij diui Apostoli Petri, quod nō lōge à Vormatia situ Heyne dicitur, vir in diuinis scripturis studiosus, & sæcularis litterature nō ignarus, metro exercitatus, & prosa: scripsit vtroque genere quædā nō spernēda opuscula, de quibus extant subiecta. Tetralogus, quem prænotauit De Institutione puerili, item De Inquisitione beatæ vitæ libri duo, Hymnorum de S. Maria lib. duo, De Vario vsu Litterarum lib. duo, De Re Mirabili lib. duo, De rebus nouis lib. duo De Metrorum generibus liber vnus, De Accentibus Latinorū lib. duo, Panegyricus ad Abbatem Trithemium liber vnus, Epigrammata varia, & quædā alia. Fertur etiā scripsisse opus De Calamitatibus horū tēporū. Et Epistolas ad varios, carmine, ac oratione soluta plurimas per scripsit nō inelegantes. Vixit sub Maximiliano Rege Romanorum, & Alexandro Papa. 6. anno domini 1494. Ex Abbate Trithemio.

11 Itē in præclara, ac illustri Metropolitana Ecclesia Cæsaraugustana Magister Martinus Garsias, prius Canonicus, postea verò Episcopus Barchinonensis, qui iustum volumen sacrarum Concionum edidit.

12 Præterea magister Petrus Arbuesius Epilensis, Theologus, & hæreticæ prauitatis Inquisitor in eadē Metropolitana S. Saluatoris, à Neophitis ex Iudaismo occisus, miraculis etiam clarere conspicitur. Ad hæc magister Didacus Diest Boleensi Canonicus Regularis in eadem Metropoli Cæsaraugustana, qui fuit eruditus Theologus, & philosophus. Edidit Physicos libros lucilentos, & faciles, ac alia quædam Theologiæ minuta opuscula.

13 Martinus de Arles, & Andosilla, sacræ paginæ professor eximius, Canonicus Regularis, & Archidiaconus in Eccle. Cathedrali Pampilonēsi, qui eruditum opus aduersus superstitiones, & lamiarum sectā edidit.

dit. Præterea Martinus Perezius ab Ayala Canonicus Regularis Vcle siensis, Ordinis militaris S. Iacobi, prius Episcopus Guidixiensis, deinde Segobiensis, ac tandē Archiepiscopus Valentinus moritur. Fuit vir acerrimi iudicij, & ingenij; qui toti Concilio Trid. interfuit, & egregiū opus de Traditionibus Eccl. aduersus hæreticos euulgauit. Præter elegantē, & eruditā Synodum Prouincialem, & alterā diœcesanā. Mortuus est autē Valentiæ anno 1566. die 5. mensis Augusti, omnibus ecclesiæ sacramentis susceptis. Suo verò ipsius, & multorum testimonio verissimū esse cōprobatum est oēs honores, illi citra vllā sui ambitionem, aut amicorū solicitationem; Deo duntaxat instigante, cōtigisse.

14 Martinus Azpilcueta Nauarrus, Canonicus Regularis Roncesuallensis, in Iure Can. Doctor illustris, nam in præclara Salmaticensi Vniuersali Academia, Iuris Canonici Primariam Cathedram, cū obtinuisset, à Ioanne Portugalliæ Rege in Coimbricam Vniuersitatem ad Primariā itidem Cathedram Iuris Canonici translatus est, in eaq; iam rude donatus. Scripsit autē, & in vulgus emisit eruditissima opera, videlicet opus de Pœnitentia, opus de Rescriptis, Tractatū de Reddit. Bonorū Eccles. Romæ iā Latine conscriptum ad Pium 5. Pont. Max. Et ingens opus eruditione refertum, quod Manuale Confessorum inscribitur; sed Hispano idiomate traditum.

15 Postremo Aug. Ticinensis Italus, Canon. Reg. fuit vir insignis literaturæ, & de hoc Ordine benemeritus; euulgauit. n. anno 1512. die 10. Septembris præclarum opus, ac eruditum Propugnaculum Canonici Ordinis inscriptū, Florentiæq; à Io. Stephano Papiensi impressum. Edidit etiā Elucidariū Canonici Ordinis. Refert quoq; Iacobus Bergomensis loco citato quosdā Canonicos Regulares cōplures edidisse libellos, doctrina insignes aduersus Canonici Ordinis impugnatores.

16 Huc accedit quod Raphael Volaterranus locò sępe citato asserit Basilicam, inquit, Lateranensem annos propè octingētos antea Canonici Regulares tenuere, ex eaq; plures Pontifices, & viri maximi prodierunt; sed & sanctæ Crucis, & sanctæ Mariæ Nouæ templa diu possederunt, mosq; fuerat, vt qui titulis his Cardinales pręessent, ex eorū cœnobijs ꝓfitentes existerēt. Deniq; nulla magis Religio propagauit; cuius cœnobia olim in Europa ad quatuor millia quingenta, & quinquagintaquinque; in Italia septingenta, hodie autem vix sexaginta.

17 Ex superioribus itaq; omnibus Augustinus Ticinensis par. 1. cap. 1. 2. & 3. & 14. & part. 5. 14. confirmatione Propugnaculi. Et ex Doctore Roseto Parisiensi lib. de Regione Ecclesiastica. Et ex Ioanne de Deo, eximio Doctore Hispano lib. de Dispensatione. Et ex Ioanne de Nigra Valle Sedis Apostolicę Bibliothecario in sua Chronica, quæ dicitur

citur Epilogus Cronicarum, infert hanc conclusionem. Ordo Canonicus inter omnes Ecclesiasticos Ordines primatum obtinet Antiquitate Doctrina, Regimine, Nobilitate, atq; Sanctorum Numero. Antiquitate quidem, quia primus post Apostolos in Dei Ecclesia mirũ in modum effulsit. Ex cuius Regula, veluti ex limpidissimo fonte, quasi riuuli, quàm plurimæ Cógregationes profluxere. Doctrina verò, quia ex eo innumerabiles fermè doctores per vniuersas mundi partes euasere. Regimine insuper, quia hic Ordo Romanam Sedem per annos quingẽtos & sex, optimo iure obtinuit; quinquaginta & quattuor summos Pontifices produxit: quos Ioannes de Nigra Valle cum Romanæ Ecclesiæ bibliothecarius existeret, magna ex parte, vt ipse affirmat ab Anastasio Cardinale, qui & ipse eodem fungebatur officio, ex archiuijs vsque ad sua tempora extractos reperiens; eos, qui post ipsum Anastasium fuere, ex archiuijs eisdem vna cum Cardinalibus, Archiepiscopis, Abbatibus, & Sanctis ex eodem Ordine, multis perlustratis chronicis collegit. Nobilitate insuper, & Sanctorum numero, quasi rosa inter flores hic Ordo præfulget, ob Sanctorum nobilitatẽ, & ingentem numerum. Nam, vt citati auctores astruxerũt, & Cardinalis Anastasius in cathalogo, quem ad Carolum huius nominis secundum Gallorum Imperatorem edidit, reperiuntur ducentum, & decem sex milia centum, & vltra. Nam, eodem Anastasio teste, in Anglia, in Metropoli Cantuariensi, irruentibus barbaris, decem milia eiusdem professionis viri, qui ad generale Capitulum conuenerant, in Ecclesia Archiepiscopali sancti Saluatoris pro Christi fide martyrio coronati sunt; eorumq; festũ Kalendis Maij agitur. Ex Confessoribus verò Sanctorum cathalogo mille, & quingenti conscripti. Item Cardinalium numerus est duorũ mille, & quingentorũ, & sexaginta septẽ, vt Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Baculo pastorali, & Mitra vtẽtes pertranseamus.

De congeminata nomenclatura Canonicorum Regularium. *Cap.* *vij.*

1 SOlent matres, authore Cypriano ad Cornelium Papã de Cardinalibus operibus Christi, infantulis nuper editis in ipso vitæ introitu aptare vocabula, & ex aliquibus præcedentibus, vel circunstantibus causis, vel ex genere, vel ex euentibus imponere nomina, tanquàm commonitoria præfixa; ne nomen eis esset ad ignominiam, nec à virtute patrum, filiorum successus degeneraret, nec primarias offenderet dignitates. Ex quo. n. ad Adã Genes. 2. adducta sunt singula, vt vocaret ea, & propria imponeret nomina, institutum est, vt aliqua esset in titulis, atque nominibus ratio, qua interpretarentur nomina vitam, exprimerẽtq;

aliquam

aliquam personæ proprietatem, iuxta quam vel differret à cæteris, vel etiam communicaret, fieretq; vt nomina rebus essent consona. Sic in nominibus Patriarcharum Abraham, Isaac, & Iacob magnarum rerũ extitere indicia, & ventura præloquebantur. Apud Gentiles etiam nõ in nominibus, sed in agnominibus postea à viris illustribus id obseruatum est, vt nobilitas generis, vel virtutis gloria posteros illustraret. Hæc ipsa documenta D. Cypriani in nomenclatura Canon. Regulariũ excogitanda, atque imponẽda, sapienter obseruata fuisse arbitramur. Nouimus tamen quosdam Græcolatinos, qui Canonicos Reg. quasi linguæ Græcæ ignaros derideant, quòd duplicato nomine, idem prorsus significante, non solùm Canonici, sed etiam Regulares appellari velint: quasi sit inutilis repetitio, & absurda battologia. Quid sit battologia vide infra num. 5.

a Eis verò perdoctè respondet citatus Io. de Nigra Valle, relatusq; ab Aug. Ticinensi. 3. par. Propugnaculi cap. 4. Cum deficiente, inquit, feruore charitatis inter Christi ministros, quidam Clerici defecerint à primis in vitæ perfectione; & relicta professione solemni, cœperint cũ dispensatione priuatim viuere, & proprium habere; quorum postmodùm numerus per incrementa temporum fuit amplissimus, præsertim in Ecclesijs Cathedralibus, quæ à Regulari obseruantia deuiarũt. Idcirco summi Pont. in sacris Concilijs ordinarunt, vt ad differentiam eorum, Clerici illi, qui sub Apostolica professione Regularem vitam seruarent: non Canonici simpliciter, siue Clerici, sed Clerici Canonici, vel Regulares Canonici dicerentur. Et ita in sacris Canonibus is nominandi modus paulatim inoleuit, ob ipsam Regularem Apost. Regulæ professionem, & obseruantiam tractus. Hinc Præpositus in apparatu cap. 1. dist. 43. annotauit distinctionem ab ipsa primitiua Ecclesia deriuari, iuxta triplex Clericorum genus, quod paulatim, & successiuè excreuit in Ecclesia. Primùm videlicet genus eorum, qui Clerici seculares dicuntur, proprium habentes, & separatim viuentes. Aliud verò genus est Clericorum, qui proprium habent, nec profitentur, sed collegiatim viuunt: & hij dicuntur Clerici collegiati. Tertium verò genus est eorum, qui primitiuum, & Apostolicum viuendi modum retinent, in communi viuentes, & tria profitentes Religionis vota essentialia. Et hij propriè dicuntur Clerici Regulares in communi viuẽtes. Hæc omnia confirmantur ex Abbate Panor. in cap. Deum qui. de vita & honest. Cler. dicẽte; Cum in multis Clericorum status sit relaxatus, & sub illa districtione, qua erant Apostoli, & Apostolici Clerici, nollẽt viuere: facta est distinctio Secularium à Regularibus Clericis; quorũ obseruantia viget successiuè in Regularibus Canonicis, qui & Clerici

Regulares sunt. Nam alij Seculares dicti sunt, quia voluerunt habere proprium, & se exhibere ad ritum Secularium hominum.

3 Hunc etiam nodū eleganter explicuit Didacus Couarrubias Episc. Segobiensis in Clem. Si Furiosus. de homic. par. 1. Canō, inquit, Græce, Latine Regula nuncupatur. Vnde Canonici olim primùm hi nuncupati sunt, qui in communi vitam agentes intra domum publicam, aut Ecclesiam, collegium ecclesiasticū, diuini cultus gratia, constituebant, communem habentes mensam, regulamq; D. Aug. exactissimè seruantes. Hic etenim vsus adhuc in aliquot Ecclesijs sedem habentibus Episcopalem obtinetur. In alijs verò Ecclesijs, communem vitā omittentes, nomen simplex Canonicorum retinent, atque ideo iure Pontificio, vt ab his priores distinguantur, dicūtur illi Canonici Regulares cap. Quod Dei timorem. cap. in singulis. §. hoc ipsum de statu Monac. & Canon. Regul. Quo rationis discrimine minimè perpenso Ludouicus Viues in adnotationibus ad D. Augustinū lib. 3. de Ciui. Dei cap. 15. Canonicos Regulares nominis ambitiosi accusare videtur: quasi bis hoc vocari gaudeant nomine, ne non semel putentur Regulares; cum idem Canonici, & Regulares significent: sed tñ hac nota omnino liberi existimandi sunt. Nam ius ipsum Pontificum nomina hæc distinctè induxit. Hæc Conarrubias. Cū igitur audieris Canonicos Regulares, Canonicos Religiosos intelliges. i. non Seculares. Quare audiendus non est Ambrosius Choriolanus, vir alioqui eruditus, & probus, qui in Defensorio Ordinis Eremitani S. Augustini, veritate prima in responsione ad 3. arg. Græcolatinorū opinioni se immiscens, sophisticenq; imitatus, venerandos Canonicos Lateranenses, seu Frigionarios ob istud celebre conduplicatum nomen, nugationis, superstitionisq; acriter accusauit, criminatusq; est; certoq; asseruit nomē hoc Canonici Regularis verè posse competere quibuscunq; Canonicis Secularibus, maximè ijs, qui in Ecclesijs Cathedralibus iuxta formam constitutionum suæ Ecclesiæ Cathedralis, suiq; Episcopi viuunt. At verò ab huiusmodi criminatione se temperare poterat, seq; contineret, si Iuris Canonici titulos de Statu Monac. & Canon. Reg. legere non grauaretur. Libenter tamen fatebimur, Augustinum viuētem suos Canonicos Religiosos vocare cōsueuisse, vel Presbyteros, vel Clericos, vel Sacerdotes Dei altissimi, vt in sermone de obediētia ad Presbyteros suos Hypponenses, cuius initium est; In omnibus operibus vestris Sacerdotes Dei altissimi, semper memores estote mandatorum Dei, & in sermone 2. de com. vita Cler. qui incipit; Charitati vestræ, dum ait; Dixi, aliquid suum non habere Presbyteros cohabitatores meos, & in sermone 1. de com. vita Cler. qui incipit; Propter quòd volui. ait; Certe

ego sum, qui statuerā nullū ordinare Clericum, nisi qui mecum vellet manere. Hos sermones citatos continet tomus. 10. operum Augustini. Obliuiosus sanè nomenclator prodijt Choriolanus, quē tamen in hoc negotio oportebat imprimis valere memoria. Similem obliuiosum nomenclatorē habuisse fertur Cęsaraugustus. Cuius tamen proprium munus erat omnium nomina, cognomina, titulosq; dignitatum tenere, quo hero cùm opus esset, suggereret.

4 Habet igitur hic Canonicorū Ordo nobile nomen. Nostra interest, vt qui illustri, celebri, honorificoq;, & eo gemino nomine condecoramur, tanti nominis dignitati, ac excellentiæ, insignium morum claritate respondeamus. Optimus igitur quisq; Canonicus, daturus est operam, vt sua causa nomen Ordinis in contemptum ne abeat, aut impuris moribus inquinetur. Id autem omnino efficiet, si non qualencunque, sed peruigilantem sui Canonis, seu Regulæ obseruatorem se præstiterit. Nominis. n. conduplicatio augmentum, & opulentiam significare solet. Subest nanque, & in nominibus nō nihil mysterij. Et vnicuique apud vulgus, secundum nomen, laus, & honor competit. Ei. n. qui Dux est, aut Rex, aut Imperator, aut aliud huiusmodi, manifestum est, secundum hæc omnia laudem, & honorem conuenire. Turpe erat Platonicis, aut Stoicis, aut Epicureis quoque, nescire magistri sui dogmata; laus verò illis superstitiosè etiam inhęrere, contrarias auersari opiniones, sui magistri dogmata propugnare, & ad astra vsque extollere. Solis ergò nobis non licebit magistrum ignorare Augustinum, dogmata eius proscribere, aut aduersa amplecti; diuites hoc in seculo multa habent nomina propria, nimirum gētilitia cognomina, agnomina. Sunt tamen diuites mera fabula, & nomen inane, vnde posthac nomine carent, vt ille diues epulo, pereunte memoria eorum cum sonitu. Sic quoque vituperabile tibi fieret nomen egregium, si re tamen, & opere destitutum esset, & vacuum.

5 Sed iam tandem in calce huius capitis ostendamus, nullā committi battologiam à nomenclatore Canonicorum Reg. Est autem battologia eorundem frequens, & inutilis replicatio. Sumptum est vocabulū à Batto quodam, quem Poetam dicunt fuisse, superuacanea eorūdem replicatione plurimum molestum. Alij insigniter Balbum putant fuisse, quorum est eadem frequenter iterare. Imprimis hæc nominum pluralitas apud Iudæos frequentissima erat; quemadmodum ex Philone manifestè cognoscimus de genealogia Saluatoris. Quin potius, nec sacra eloquia ab huiusmodi repetita eorundem verborum loquutione abhorrent; legimus. n. hæc duo verba, Abba, Pater; admodum coniuncta ad Rom. 8. Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clama-

mus Abba, Pater, & ad Galat. 4. misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem Abba, Pater, & Mar. 14. Abba, Pater, omnia tibi possibilia sunt, quæ duo geminata vocabula sanctam vehementiam significare enarratores aiunt. Deinde Cant. 1. Sponsus spōsam bis pulchrā appellat, dicens; Ecce tu pulchra es amica mea; ecce tu pulchra. Quo in loco docemur, repetita vocabula plus habere ponderis; quemadmodum solent ea, quæ ita per repetitionem secundo proferuntur, maiori serio accipi, quā ea, quæ semel tantū leuiter efferūtur. Sed, & Christus Matth. 23. ait; Hierusalē, Hierusalē, quæ occidis Prophetas, &c. Ad exprimēdum maiorē dolorem. Quid. n. sibi vult hæc duplicatio? Respondet Chrisostomus, miserantis, valdeq; diligentis affectus significationē his verbis exprimi. Neque ab eadē phrasi alienus est Dauidis ille versiculus psal. 144. Generatio, & generatio laudabit opera tua. Et Ezechiel. 14. Homo homo ex filijs Israel. Quibus in locis ex quorundam interpretatione, illa eiusdem dictionis repetitio significat vniuersalitatem, vel vniuersalitatis collectionem; quasi dixisset, omnis generatio, & omnis homo. Aut si mauis, eiusmodi dictionum repetitio magnam quandam exagerationem, & singularem emphasim ostendit. Ad eundem ergo modū, & noster Canonicorū Reg. titulus congruentissimis, optimisq; rationibus huic Ordini accomodatur, & inditus est.

Quod Canonici Regulares ex suo instituto, & iure Canonico Clerici sint, & nominentur. Cap. viij.

1 AVget quidem huius candidi Ordinis nobilitatem, & decorē, quòd Canonici Regulares ex sua origine, ac primaria institutione Clerici sunt, in eorumq; numero computantur, Clericorumq; nomenclatura insigniuntur. Primum. n. id probatur sentētia Gratiani. 15. q. 2. cap. obseruandum. Vbi ex Concilio Tarraconensi sic habetur. Obseruandum quoq; decernimus, ne quis Sacerdotū, vel Clericorum, more secularium iudicū, pro impēsis patrocinijs munera audeat accipere. Quod Gratianus de illis intelligēdum esse exponit, qui Canonicam vitam professi, regulariter se victuros proposuerunt. Tarraconensis autem Ecclesia, in qua fuit celebratum Concilium illud, & erat, & nunc est Canonicorum Regulariū. Textus tamen ille, eos duntaxat Sacerdotes, vel Clericos nominat, qui ob Regularem professionem sint stricté Religiosi, propriè tamen sunt Clerici.

2 Constat ex cap. decimas 16. q. 1. vbi Paschalis quartus, siue vt alijs placet, Paschalis secūdus ait; Decimas à populo sacerdotibus, ac leuitis esse reddendas, diuinæ legis sanxit auctoritas; Cæterū à Monachis, siue Clericis, communiter viuentibus, nulla ratio sinit. Vbi rubrica ait; de pro-

de proprijs laboribus Monachi, & Canonici decimas minimè soluere cogantur. Ergo Clerici communiter viuentes, simpliciter esse intelliguntur Canonici Regulares. Et glossa dicit; Ecce quòd aliud habent priuilegium Clerici communiter viuentes, quàm separatim: quod intelligi non potest, nisi de Canonicis Regularibus, qui & Clerici sunt.

3 Ex cap. in omnibus de cõsecratione, distin. 5. sic legimus; Decernimus, vt Canonici Clerici canonicè viuãt, obseruantes diuinæ scripturæ doctrinã, vbi glossa ait, vt Canonici Regulares; qui quidẽ textus est Cõcilij Romę celebrati sub Leone 3. vnde editus est liber, qui dr̃ Canonicus quinq; capitulorũ ad seruandam vitam cõmunem secundum Canones Apostolorũ, & iuxta normã Aug. de commu. vita cler. vt cõstat in Concilio Aquisgranẽsi. Suntq; tres sermones Augustini, primus incipit; Charitati vestræ. Secundus; Propter quod. Tertius est ipsa Regula, quæ incipit; Ante omnia fratres, & liber ille in eo Concilio approbatus, dicitur Canonicus liber, qui propriè cõtinet Clericorum vitã Canonicam. Ex quo Gratianus trãstulit textũ dicti capituli in omnibus.

4 Ad eundem modum in cap. præter 32. dist. dicitur iuxta Ecclesiã, sicut oportet Religiosos Clericos, simul manducent, & dormiant, & quidquid ab Ecclesijs eis competit, hoc communiter habeant. Vbi perpende verba illa, Religiosos Clericos, ad differentiam secularium Clericorum, qui hoc non seruant.

5 Idẽ manifestatur in cap. præsens Clericus 12. quæst. 3. Vbi Nicolaus Papa primus in fine ait; Canonicos Religiosos nõ putamus à cõsortio Monachorum seiunctos, vbi glossa per Canonicos Religiosos, Canonicos Regulares intelligit. Ex eo etiam propositum nostrum conficitur, quòd Augustinus in sermonibus de comm. vita Clericorũ Canonicos Regulares, Clericos appellat, atq; presbyteros. Ex quibus omnibus colligitur, quòd Canonicus Ordo ex se, atque ex natura sua duo complectitur, Clericatum videlicet, & statum Regularem.

6 Postremò hæc corroboratur sententia testimonio D. Thomæ lib. contra impugnantes Religionẽ cap. 2. dicens; Voluit Hieronymus. s. in cap. Monachus, & cap. Alia. 16. quæst. 1. distinguere inter personam Monachi, & personam Clerici, ostendens, quid cuique ex proprio officio conueniat; aliud. n. cõuenit cuique ex eo, quod Monachus est, aliud ex eo, quod Clericus est. Ex eo, quod Monachus est, sua, & aliorum peccata defendi habet officium; ex eo quod Clericus est, docendi, & pascendi populum. Quamuis autem Monacho docere non liceat; nõ sequitur quòd Canonicis Reg. non liceat docere: cum Canonici Regulares inter Clericos computentur, de quibus Aug. in sermone de com. vita cler. & habetur 12. quæst. 1. cap. nemo. Qui habuerit proprium,

vel habere voluerit,& de proprio viuere,parum est, vt dicam, nō mecum manebit,sed nec Clericus erit. Ex quo patet,quòd illi,qui sub D. Augustino sine proprio viuebant,inter Clericos computabātur. Quāuis autem Augustinus postea reuocauerit hoc generale interdictum, quod fecerat,vt nullus Clericus esset, nisi sine proprio viueret:non tamen reuocauit,quin illi,qui sine proprio sub eo viuebāt,Clerici essent, vt patet per cap. Certè ego sum,quæst. eadem. Quod autem obijciūt, quòd Canonici Regulares,& Monachi ad paria censentur: intelligendum est in illis,quæ sunt communia omni Religioni, sicut viuere sine proprio,abstinere à negotiationibus,& ab officio aduocandi in caussis, & huiusmodi. Alias possent similiter concludere, quòd Canonici Regulares tenerentur abstinere à lineis indumentis, quia Monachi ad hoc tenentur. Hactenus Sanctus Thomas.

7 His similia sunt,quę idē author docet. 2.2. q. 189. art. 8. ad 2. arg. Vtraq; (inquit) Religio.s. Monachorū, & Canonicorū Regulariū ordinatur ad opera vitæ contemplatiuæ: inter quæ præcipua sunt ea, quæ aguntur in diuinis mysterijs;ad quæ ordinatur directè Ordo Canonicorū Regularium; quibus per se competit,quod sint Clerici Religiosi. Sed ad Religionem Monachorū non per se competit,vt sint Clerici,vt habetur 16.quæst.1. & cum idem author superius quæst.188. art.2.in 2. arg. argumentatus fuisset, idem esse iudicium de Monachis, & Canonicis Regularibus. Ad secundum respondet,eandem esse rationem de Monachis,& omnibus alijs Religiosis,quātùm ad ea, quæ sunt cōmunia omni Religioni: puta quòd totaliter se dedicent diuinis obsequijs,& quòd essentialia vota Religionis obseruent, & quòd à secularibus negotijs se obstineant. Sed non oportet similitudinem esse quātùm ad alia, quæ sunt propria Monasticæ professioni, quæ specialiter ad vitam contemplatiuam ordinantur. Vnde in prædicta decretali.s. ex parte,De postulando;non dicitur simpliciter,quòd sit idem iudiciū de Canonicis Regularibus,quòd de Monachis;sed quātùm ad supradicta,scilicet quòd in forensibus causis officio aduocationis non vtantur. Et in decretali inducta.s.de statu Monachorum,&c. Postquā præmiserat, quòd non putantur à consortio Monachorū seiuncti Canonici Regulares,subditur. Regulæ tamē inseruiunt laxiori. Hæc S.Thomas. Igitur cum Clericatus per se Ordini Canonicorum Regularinm competat,iure optimo Clerici Canonici,& Clerici Regulares,& Canonici Regulares cēsentur,& nuncupantur, quòd eleganter explicat Io. de Nigra Valle Bibliothecarius Apost. sæpè citatus lib.13.cap.18.in sua Chronica. Canonicis (inquit) Regularibus in primitiua Ecclesia Clericorum nomen ab Apostolis inditum fuit primùm, eo quòd per

terrenorum

terrenorũ renunciationem,& Ecclesiasticorum officiorum assumptionem, in sorte dñi fuerant assumpti. Ideoq; ipsi Regulares Canonici dicũtur Clerici primitiuæ Ecclesiæ. Clerici verò, vel Canonici seculares dicuntur quidem Clerici, sed derinatiuè. Qui ab ipsis primis Clericis regulariter viuentibus originem traxerunt. Regulares verò Canonici primitiuam illam,& Clericalem communitatem retinent. Monachi autem,& alij Religiosi, qui post Conciliũ generale fuerunt instituti,& approbati, facti sunt Clerici ex dispẽsatione. Quare & presbyteri nominantur. Qui de hac re plura nosse cupiat, consulat Aug. Ticinensem part. 2. & 3. Propugnaculi Canonici Ordinis.

De approbatione,& propagatione Regulæ Canonicorum Regul. Cap. ix.

1 Ræcolatini sunt, qui Regulæ, quàm Canonici Regulares profitentur, cuius exordium est; Ante omnia fratres, quæ numero tertia est, & ab Ecclesia approbata, S. Augustinũ esse authorem inficiātur; Illud causantes, quòd eam Regulā non Clericis, sed fœminis Augustinus tradiderit, è quorum numero Erasmus est in sua Censura ad eandem Regulam apposita, quæ ea de causa à generali Inquisitione Hispana iure optimo vetita est, & abolita. Nec admiretur quispiam, si ipse author eandem Regulam, quā viris Canonicis tradidit,& fœminis sanctimonialibus iniunxerit. Nam & in hoc sacro Ordine vt Canonicorum, sic & sacrarum virginum pia,& insignia monasteria extant. Itaq; Augustinus sanctimoniales aduersus Præpositam tumultuantes ad concordiā reuocat, præscribens illis vitæ Regulā, paucis tamen mutatis, vt fœminis conueniret. Quæ quidem Augustini Epistola habetur 2. tomo, estq; epistola. 109. sed eadem Regula viris tradita habetur in fine tomi pri. Cui adiuncta est elegans, ac perdocta responsio Ricardi Cænomani Parisiensis Theologi, Anthidotus contra Erasmi Censuram, quā subsequitur cẽsura Theologicę facultatis Parisiẽsis aduersus Erasmũ. Quæ talis est: anno dñi 1539. die sabbati vltima Ianuarij, fuit cõgregata sacra Theologiæ facultas apud S. Maturinũ,& iuramentum post missam de Spiritu Sancto acceptũ est super difficultate orta circa Cẽsuram Erasmi super tertiam Regulam Religiosorum S. Augustini. Dubitabatur autem à plerisq;, an Religiosi vouebant tempore Augustini; & ad supplicationem fratrum S. Victoris, qui petebant solutionem illius difficultatis, facultas disputauit de materia illa, nõ solùm per deputatos, sed per totam facultatem disputatum est diligenter, & tandẽ matura præcedente deliberatione conclusum fuit, quod Religiosi S. Augustini,& Monachi illius temporis vouebant, & quod illa Censura

Erasmi non est probanda, sed est scandalosa, & Apologia magistri nostri Cœnomani contraria illi cēsuræ est recipienda, & digna, quæ imprimatur. Extractum è registro facultatis Theologiæ in Vniuersitate Parisiensi. Iure autem optimo Erasmica censura damnata est: quoniam Ecclesiæ Catholicæ aduersabatur, quę tot sanctissimas Religiones sub titulo, & nomine Regulæ S. Augustini approbauit.

2 Eosdem etiā criminatores iuris Canonci testimoniū refellit, quòd illius Regulæ auctorem, & conditorem Augustinum esse sæpè proclamat. Ipsius enim Regulæ sententiæ in iure multis in locis, & à Gratiano, & à doctoribus, quasi Canones allegātur, Augustinoq; adscribunt, vt 86. dist. cap. Quādo necessitas 12. q. 1. cap. Nolo. cap. Nō dicatis 5. q. 5. cap. Nō vos iudicetis. 32. q. cap. nec solo, & alijs pluribus locis vbi Gratianus in superscriptione allegat August. de com. vita Clericorū.

3 Præterea ne quispiam huius Regulæ authorem cōtemnat, illud sciēdum est, dupliciter ipsam ab Ecclesia fuisse approbatam, priori quidē, approbatione tacita, longissimo annorum circulo confirmata, vt constat ex cap. Sanè, de Reg. vbi Alex. 3. tacitam approbationem Regulæ Augustinianæ subindicat, dum præcipit Canonico Reg. à Monasticho ad Canonicū Ordinem reuerti, si absq; petita licētia Prælati transierit. Idem comprobatur 19. q. 3. cap. Mandamus. Vbi Vrbanus 2. præcipit, quod si Canonicus Regularis ad Monasterium transeat. s. leuitatis causa, vel vanitatis, non petita licentia, ad Canonicam reducatur, & in vituperium memoriale cucullam deferat, & vltimus in choro maneat. Simile quidpiam habetur in cap. Nullus Abbas, ex Concilio Eduensi sub Gregorio 7. congregato.

4 Lucidiori tamen decreto eadē Regula confirmatur ab Innocētio 2. in cap. Perniciosam 18. q. 2. vbi Pontifex inducit pro approbatis tres antiquas Regulas, Basilij, Augustini & Benedicti. Perniciosam (inquit) & detestabilē consuetudinem quarundā mulierū, quæ licet neq; secundum Regulam B. Benedicti, neq; Basilij, aut Augustini viuant, Sanctimoniales tamen vulgò censeri desiderant, aboleri decernimus.

5 Huc etiam pertinet tex. cap. in omnibus, de cons. dist. 5. ex Cōcilio Romæ celebrato sub Leone 3. anno Dñi 804. Carolo Magno assistente, vbi in eo Concilio fuit editus, ad vitām clericalem reformandā liber quinq; Capitulorum: & appellatus est liber Canonicus. Vbi ad literam est conscripta Regula Sancti Augustini, & reliqui duo sermones de communi vita Clericorum. Hoc ipsum confirmatum est in Concilio Aquensi, & Maguntino. In omnibus (inquit) quantum humana fragilitas permittit, decernimus, vt Canonici Clerici canonicè viuant, obseruantes diuinæ scripturæ doctrinam, & documenta Sanctorum

Patrum.

Patrum. Et nihil ſine licentia Epiſcopi, vel Magiſtri eorum incompoſitè gerere præſumant, ſimul manducent, & dormiant, &c.

6 Quoniam autem hæc D. Auguſtini Regula lucidum eſt totius Euangelicæ, & Apoſtolicæ perfectionis ſpeculum; non ſolùm inter Canonicos Regulares mirum in modum propagata eſt, ſed in alios etiā Ordines ampliſsimè porrigitur. Nam inter militares ordines, milites S. Ioannis Hieroſolymitani Ordinis cenſentur Auguſtini; ſicut & milites S. Iacobi de Spata Ord. ſunt S. Auguſtini. Eremitæ quoque, qui tertium inter mendicantes obtinent locum. Hi ab initio, vt ait Ioannes Andreas, ex pluribus Ordinibus, ac Eremitis, ſimul in vnum coacti, ſub Auguſtini Regula cū baculo, & zona pellicea ab Alexandro quarto probati fuere.

7 Præmonſtratenſes anno 1120. in Lugdunenſi Diœceſi in loco, quē Præmonſtratum vocant, apparuerūt auctore Nortberto quodam presbytero, natione Lotharingo, qui hoc arctiſsimum vitæ genus ex Auguſtini Ordine quæritans, à Caliſto 2. impetrauit. Hic Præmonſtratenſiū Ordo à Nortberto Epiſcopo iā citato in hoc inſtitutus eſt, vt lapſus Ordo Canonicus Auguſtini ſuas detergeret ſordes, & huius Nortberti, ſuorumq; aſſeclarum exemplo meliorem formam indueret. Ordo quoq; Prædicatorum, inſtitutore D. Dominico, Regulam profitetur Auguſtini: eandem amplectitur Regulam Ordo fratrum S. Hieronymi, apud Hiſpanos præclarus. Eremitę autem S. Hieronymi ſub Auguſtini ritu, non quidem auctorem Hieronymum, ſed Redonem quendā montis Granelli Comitē, optimū virū apud Feſulas habuere Grego. 13. probante. Verùm à Lupo Hiſpalenſi eiuſdem Ordinis Generali, poſtea Eugenij quarti auctoritate interpollati, denuoq; inſtituti amictu, quem hodie geſtant. Huius Lupi ſepulchrum viſitur in Auentino in æde S. Alexij. Vbi cœnobium eorum. Lege Volaterranum lib. 21. de Viris Eremitici Ordinis. Alij etiam Ordines non pauci ſub eadem Auguſtiniana Regula perſanctę militant. Sylueſter. n. in verbo Religio. 1. num. 7. dum Regulas Religionum ab Eccleſia comprobatas refert, ſub Auguſtiniana Regula Seruitas, Sanctæ Brigidę, Hoſpitalarios S. Antonij cōnumerat, licet cōſtitutionibus, & habitibus eos differre affirmet. Eidē Auguſtinianæ Regulæ inſeruiūt ordines S. Trinitatis, & Redemptionis captiuorum, Sepulchri Ieſu Chriſti Militiæ Ieſu Chriſti, S. Mariæ de Mercede, S. Spiritus in Saxia, Sororum pęnitentiæ ſanctæ Mariæ Magdalenæ. His etiam plures refert Ambroſius Choriolanus in oratione de laudibus Sancti Auguſtini coram Paulo 2. Pont. Max. habita.

De arctioribus quibusdã Congregationibus Canonicorũ Regul. Cap. x.

1 Rigescente Canonicorum religiosa vita, cœpit hic sacer Ordo primam pulchritudinem amittere,deformatusq; effici.Cæterum anno 1080.curante domino, tempore Gregorij 7. Papæ,& Henrici Imperatoris,iterum reflorere cœpit apud Burgundiã in Ecclesia Beluacensi, auctore,& reformatore præstanti viro Iuone,eiusdem Ecclesiæ Præposito,postea Carnotensi Episcopo,qui post Isidorum fecit compilationẽ antiquam decretorum.Eodem etiam tempore idem Ordo reformatus est in tota Gallia per sanctum virum, & venerabilem Arnulphum Abbatem,& Archiepiscopum Lugdunensem, sub eodẽ Gregorio huius nominis 7.anno 1074.Vt refert Aug. Ticinensis in Propugnaculo Canonici Ordinis 5. par.confirmatione 8.Qui & plures Historicos citat,has reformationes narrãtes. Auctorem huius Gallicæ reformationis Arnulphum refert Io. Nauclerus, volum.2.Chronographiæ generatione 37. His verbis. Arnulphus in hac generatione, siue Rufus Lugdunensis Episcopus in Gallijs prædicatione, & sanctitate clarus, Canonicorum Reg.post Augustinum Ordinem instituit, vbi & multis fundatis monasterijs,in Italiam venit;Christi paupertatem,integerrimamq; vitam ad ipsius imitationem omnibus cũ ingenti ardore proposuit, & propterea multos ex nobilitate Romana ad se traxit,qui cũ tanquã verum Christi Discipulum,& Prophetam sequebãtur; vnde & in Hetruria multa Regularium monasteria erexit. Veruntamẽ Romæ dum acerbè nimium in Clericorum lasciuias inuehitur, & eorũ pompam improbat,secretò occisus est,nec vnquàm tanti sceleris auctores sunt inuenti. Hæc ille,qui cum Augustinum commemoret, hanc nouam Ordinis,non institutionem,sed reformationem intellige.



2 Eundem Ordinẽ auxerũt,& reformarunt Phridianus Lucensis Episcopus per Tusciam,& per vniuersam penè Italiam,in Anglia quoque per Aug. Anglorum Episc.iussu beatissimi Gregorij,vt constat in Decretis cap. Quia tua fraternitas 12.q.1.Eodẽ quoq; munere mirificè functus est insignis vir,Petrus Damianus apud Rauenam, aliasq; Italiæ prouincias,varijs tẽporũ emergentibus casibus, cuius vsq; in hæc tẽpora cõstitutiones ab eo editæ de cõmuni vita Reg. Cler. & Paschalis 2.auctoritate confirmatę extant,vt author est Cronicorum supplementum. Porrò tempore Benedicti 12. mirum in modum idem Ordo auctus est. Ille enim summus Pontifex ipsum Ordinẽ priuilegijs, & constitutionibus ab ipso approbatis decorauit.

3 Præterea hic Canonicorum Ordo si nudè consideretur, præter tria profes-

professionis vota,& Aug.Regulā,& ius Canonicū nullas habet cōstitutiones; nullaq; particularia statuta,exceptis Benedicti 12.cōstitutionibus. At verò successu tēporū viri quidā Sanctissimi,Dei & Religionis zelo,& amore ardentes,peculiares Canonicorū Reg.Congregationes erexerunt,tribus Religionis votis,ac B. Aug. Regulæ nouas constitutiones adijcientes; adhibita etiam summorum Pontificum confirmatione.Quo effectum est,vt primarius ille,vetusq; Canonicorū Reg. Ordo in plures strictiores,ac veluti nouos ordines dissectus fuerit,atq; diuisus. Hinc quidam aliarum Religionum viri perperam occasionē arripuerunt, vt opinarentur, veterem illum Canonicorum Regul. Ordinem in his rigidioribus congregationibus nō esse conseruatum, aut continuatū, sed in alios nouos ordines immutatum. Habet autem vnaquæq; Congregatio vnum caput, & supremum Prælatum, sub cuius regimine multa concluduntur monasteria.

4 Prima igitur,eaq; percelebris Congregatio orta est ann. 1401. auctore Leone de Carate ciue Mediolanensi,eiusdem Ordinis viro, apud cœnobium S. Mariæ de Frigionaria Lucanæ Diœceseos. Quam reformantes Frigionariam cognominauere Cōgregationem. Postea verò Lateranensem Eugenius 4. postquàm eā probasset, appellari mandauit.Denique hæc Lateranēsis Congregatio ab illo eximio viro,quasi altero Elia Dei spiritu, & zelo feruente sub Regulari eiusdem Ordinis obseruantia, ac sub arctissima paupertate fundata est, & illustrata. Hanc Congregationem Lateranensem, siue Frigionariam mille artibus dilaniat, ac excarnificat Ambrosius Choriolanus, sancti Augustini Eremita in suo defensorio, quod ad Sixtum quartum cōscripsit, ad labefactandā hanc Congregationē,cui rei causam dederunt, vt ipse ait,quidam Dominicus Taruisinus, & Eusebius Mediolanēsis,eiusdem Congregationis Canonici.Cæcutire autem Choriolanus deprehenditur,quòd non intelligat,Arnulphū Lugdunensem Archiepiscopum,non institutorem primum, sed reformatorem, restauratoremq; fuisse Ordinis Canonicorum Reg. nimis etiā innititur testimonio cuiusdam Abbatis Ioachimi in expositione Apoc. qui id sentire videtur. Ea quoq; ratione ducitur, ꝙ Canonici Lateranēses,siue Frigionarij sub pallio,& habitu fratrum Ordinis Prædicatorum lineam togam deferunt;ob idq; à Canonicorum S. Augustini numero repellendos, nec vnquàm ab Augustino cognitos fuisse opinatur. Cęterū has omnes,aliasq; argutas ratiunculas in calce huius primi lib.cap.31.&.32. extricabimus,& dissoluemus,perquam venerādam Congregationem Frigionariam pro viribus nostris defendentes.

5 Est & in hoc Ordine alia quoq; secunda Congregatio, quæ repente ma-

te magnopere coaluit S. Saluatoris, auctor Stephanus homo Bononiẽsis, fuit Ordinis Eremitarum, anno 1410. Is.n. cùm rem inclinatam videret, cum paucis eum sequẽtibus Canonicum sumpsit gestamen; supraq; album cucullum, Gregorio 12. probante, ac ad ædem S. Donati de Scopeto propè Florentiã migrauit. Ex quo Antoninus Præsul Florentinus Scopetinos eos vocat. Vnde tota ipsa Congregatio Scopetinorum dicitur, vel potius Sancti Saluatoris. Quæ postea plura cœnobia acquisiuit: inter quæ, & illud præclarum est Bononiæ, quo Sancti Saluatoris iconici nuncupatur; vbi est miraculum vulnerati ab Hebræis crucifixi, ac sanguinem fundentis.

6 Alia item & tertia Congregatio nuper inchoata est, quæ S. Petri de Monte Corbulo Florẽtinæ diœcesеos appellatur. Et à Iulio 2. confirmata est. Hi hospitalitatẽ colunt, quanquam pauperes adhuc pullũ, humilemq; cucullum linteis, crassisq; tuniculis super induunt. Hæc ferè omnia à Raphaele Volaterrano loco citato. Et à Iacobo Bergomẽsi in suis Cronicis lib. 14. anno 1407. mutuati sumus. Nouissimè verò in Gallia circa annum 1500. alia Congregatio erecta est, quæ nuncupatur Castrinantonis, vulgò Chasteoulandon, quæ suæ puritati Canonicum Ordinem restituisse fertur, referente Roberto Episcopo Arboricensi, de tuendo cœlibatu, tomo 2. tit. de Monastichorum ordinum primordijs. Prædictæ igitur Congregationes tantam Monachorum, ac fratrum imaginem, & similitudinẽ sibi assumpserunt, vt iam quibusdã non tã Canonici, quàm Monachi videantur. Re tamen exactè diiudicata, Canonici Regulares censendi sunt. Canonicus.n. Ordo ex Clericatu, & Regulari statu constat. Qui licet varijs in locis sit reformatus: vnus tamen, atque idem est Ordo in specie in omnibus Canonicis Regularibus, in quibus vnà, & eadem reperitur professionis, & habitus ratio, idest Regulæ Augustinianæ professio, & linea toga; quamuis inter ipsos aliquanta, eaq; accidentaria differentia reperiatur. Quam rem eleganter explicat Iacobus Bergomẽsis in suis Chronicis lib. 14. anno 1407. quem superius ad verbum retulimus.

7 In calce huius capitis narranda etiam est præter superiores alia quædam Canonicorum Regularium Congregatio; de qua Raphael Volateranus in cap. de Eremitis sic disserit: Canonicorum Regulariũ S. Georgij in Alga Venetijs ritũ aliquot viri probi, sub Gregorio 12. sunt aggressi; quorũ princeps Laur. Iustinianus, vir Patricius, fuit inter beatos adnumeratus. Qui se, suumq; omne patrimonium ei loco dicauit: moxq; Patriarcha primus Venetiarum factus. Cuius exemplum sequuti Antonius Corarius, ipsius Gregorij nepos, postea Cardinalis Ostiensis, & eius socius Gabriel Condulmera, qui deinde Eugenius 4.

nius 4. extitit, Ordinem ipsum, & locum cum diuitijs, tum optimis institutis ornauerunt. Martinus etiam 5. Maseus Contarenus Patriarcha Venetiarum, Veneti omnes Patricij, inter hos ob vitæ sanctitatem proceres nominantur. Hi tamen auctorati non sunt, neque profitentur. Hactenus Raphael. Quo in loco perpende hunc Canonicorum ritum, neque confirmatum esse, neque exigere solemnem professionem trium votorum; quam ob causam in hunc vltimum locum reijcimus.

8 Hæc omnia eo dixerim, vt optimus quisq; Regularis Canonicus semel intelligat, necessariam esse trium votorum substantialium professionem Regularem ad perfectam, completamq; Religionem constituendam; reliquasq; religionũ formas trũcatas esse, atq; imminutas, easq; longo tẽpore nec conseruari, nec fœlices successus habere. Quapropter sanctissimus, summusq; Rom. Pont. Pius 5. hos Religionũ ritus sub solenni professione trium votorum, atque aliqua approbata Regula cõstringit, & subijcit, referens; multa mala cõtigisse huiusmodi Religionibus, eaq; de re constitutionem edidit anno 1568. 15. Kalẽdas Decembris, Pontificatus sui anno 3. quæ sic exorditur. Lubricum vitæ genus eorum veriti, qui Regularium formam præ se ferentes, nec proprijs renunciãt, nec vllam profitẽtur ex Regulis approbatis, quãdo horum pleriq; proprio instinctui obsequentes, alij odio incensi, alij dum quod ambiunt, minus consequuntur, alij vel dilapidatis, vel interuersis rebus, & ad sese, vel propinquos translatis vt ratiocinia effugiant, quidam etiam in suos ipsorum mores inquisitum iri præsentientes, quasi impunitatem adepturi, è sodalitio suo, vt lubet, exiliunt, eiectisq; illius insignibus, vestem recipiunt secularem. Hinc graues, & periculosæ quotidie offensiones in populos concitãtur; dum quos disciplinæ Regulari perpetuò mancipatos credunt; rursus eos, etiam vbi consenuerint, contempto post tot annos, & relicto indignis sæpè modis eius, cui sese dediderant, vitæ instituto, liberos vident, & solutos in seculum euagari. Cùm igitur conueniat, vt cuius arma induit, eam miles militiam persequatur, hanc de prædictis rationem capere instituimus, vt vel permanẽdi, vel abscedendi facultate semel singulis proposita, certus deinceps, & immobilis disciplinæ Regularis cultus debeat in ipsis sodalitatibus perpetuò obseruari. Itaq; de nobis attributæ potestatis plenitudine statuimus, vt omnes, & singuli Priores, Præpositi, & alij Præsidẽtes, Generales, Prouinciales, & Cõuentuales, necnon Canonici, & fratres S. Georgij in Alga Venetiarum; ac Eremitarum S. Hieronymi, aliàs S. Petri Pisarum, & omnium, ac quaruncũque aliarum Congregationum, necnon Ecclesiarum, domorum, & cõuentuum in communi, & sub obedientia voluntaria, & extra votum solen-

solẽnem Religionis viuentes, quorũ habitus à secularibus presbyteris est distinctus; qui Religionem amplecti, & professionem Regularem solennem emittere voluerint, id in suis quisq; Conuentibus, & domibus intra viginti quatuor horarum spacium, postquàm Delegatus noster præsentes litteras eis significauerit, palàm, & spontè deliberent, & declarent: inde conuocato quàmprimum per singulas huiusmodi Cõgregationes Generali, vel alio supremo, iuxta morem cuiusque Congregationis Capitulo; ibiq; electa vna, sub qua degant ex Regulis approbatis, in quam maior pars vocũ ipsius Capituli consenserit, trium votorum substantialium professionem Regularẽ intra mensem solenniter emittant, & in ea tàm ipsi, quàm illam deinceps ingressuri, atque professuri, perpetuum ferant altissimo famulatum. Sicq; professi, vel in suis quisq; Prioratibus, Præposituris, Præsidẽtijs, administrationib. & officijs confirmentur, vel ad alia transferantur, prout cuique Congregationi, & Superioribus suis videbitur vtilius expedire. Qui verò excurso iam anni spacio in ipsa Congregatione morati, refugerint intra tempus prædictũ profiteri, detracto Religionis habitu, ac redditis, etiam in vinculis, si opus sit, receptorum, & administratorum omnium rationibus, eijciantur; nec deinceps patiantur in vllis eiusdem Cõgregationis domibus, seu Conuentibus amplius conuersari. Quo circa mandamus vniuersis, & singulis Prioribus, Præpositis, Generalibus, Prouincialibus, & Cõuentualibus, ac alijs cuiuscunq; dignitatis, & nominis ministris, necnon Conuentibus, Canonicis, fratribus, & personis Congregationum huiusmodi, vt statutum nostrum prædictum, nõ expectata alia iussione, aut mẽtis nostrę declaratione, humiliter recipiãt, & studiosè obseruare procurent. Quòd si fortè aliqui in eo, quo nunc sunt (quem omnino tollimus, & abolemus) contra nostrum hoc statutum persistere contenderint, singulos omni dignitate, officio, administratione, & beneficio priuamus, & ad futura perpetuò indignos decernimus; excommunicationis quoque sententia innodamus eo ipso. Non obstantibus fundationibus, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1568. 15. Kalendas Decembris Pontificatus nostri anno 3. Cæs. Glorierius. H. Cumyn.

De Canonicis Regularibus Hispanis. Cap. xi.



1 T in Gallia, alijsq; Regnis, atq; Prouincijs, sic quoq; in nostra Hispania cõperies hodie complures Canonicorũ Regulariũ Ecclesias Collegiatas insignes, Cathedrales, atq; etiam Metropolitanas. In quibus viri litteris, & moribus clarissimi, Prælatorum, Capitulorumq; electione admit-

admittuntur, ſacrumq; Auguſt. Ordinem alacri vultu ingrediuntur. Qui iudicio meo ſolùm illud primarium Auguſtini inſtitutum colunt, & retinent, ab enarratarum Congregationum inſtitutione, & lege, longè alienum, atq; diuerſum. Nam præter ſolẽne Religionis votum iuxta Regulam S. Auguſtini emiſſum, nullas habẽt huius Ordinis generales Conſtitutiones. Nam Conſtitutiones Benedicti 12. in deſuetudinẽ hic abierunt. Habent quidem ipſæ domus paucula quædam ſtatuta ab eiſdem Canonicis condita; non tamen à Sede Apoſt. confirmata. Habent item Monaſteria Eccleſijs coniuncta, ſeptiſq; concluſa. Habent tãdem religioſorum more, & dormitoria, & refectoria. Deguntq; ſub ſingulis cuiuſque domus Prælatis, aut Abbate, aut Priore.

2 Ab Epiſcopis ferè omnes exẽpti, immediatæ gubernationi ſummi Pontificis ſubijciuntur: in hunc vſq; diem nullam erectã Cõgregationem, nulloſq; Viſitatores Regulares agnoſcunt. Quod verò ad habitũ attinet, honeſtiſsimis quidem, ſecularium tñ Clericorũ veſtibus nigris pileis etiã nigris vtuntur, raſura capitis Clericali contenti. Inſigne autem Regularis Ordinis eſt; aut tunica, ſiue camiſia linea alba interiori nigræ, talariq; veſti ſuperaddita; patens tamen, aut certè, & vt plurimũ eſt minor veſtis linea alba, quam vulgus Roquetũ appellat. Profeſſorum verò ſignum præſtant duæ tenues alæ lineæ, ab humeris ad brachia pendentes; his lineis alis nouitij Canonici ante profeſsionẽ carẽt.

3 Poſtremò pro Eccleſiarũ ſuarũ illuſtri ſplendore, & dignitate ornatu, & veſtium, & famulorum mediocri, præſertim in publico prodeuntes vtuntur, maximoq; honore, ac prætio in populo habentur. Horum Canonicatus pleriq; viri litterati, ac nobiles auidè affectãt, & ambiũt.

4 Canonici ergò Regulares Hiſpani, vt arbitror, perſimiles ſunt Canonicis Eccleſiarum Cathedralium Gallicarum huius Ordinis, qui tunica nigra cum haſta deſuper linea alba vtuntur. Huc quoque accedit decretum. 22. 2. par. Concilij Prou. Senonenſis ſub Antonio Archiepiſcopo, anno. 1528. celebrati. Videlicet ne notorium illum abuſum, quo nonnulli Regularem apoſtaſiam incurrendo, ſine habitu Regulari etiã in publicum incedere non erubeſcunt, ſub diſsimulatione pertranſire videamur: ſtatuimus ꝙ Canonici Reg. de cætero ſuper veſte exteriori togã lineã, tam intra, quàm extra monaſteriũ, ferre omnino teneãtur.

5 Longum quoq; diſcrimẽ cernitur in hoc ordine à ſuperioribus erectis Congregationibus, quod hic illuſtris Ordo cũ Collegiatas, Cathedraleſq; Eccleſias obtineat, & moderetur, habet dignitates, Archidiaconatus, officia, perſonatus, aliaq; quàm plurima, tam ſimplicia, quàm curata beneficia Regularia, quæ iuxta iuris Canonici, & ſacri Concilij Tridentini decreta, Canonicis Regularibus ſunt conferenda, ab eiſq;

D guber-

gubernanda: quibus profectò Canonica hierarchia plurimum & decoratur,& illustratur. Canoniciq; Regulares litteris, moribus, aut etiã generis nobilitate splendentes, hac via suarum virtutum præmia nanciscuntur, alijsq; calcar additur, vt Religionis, & probitatis amore accendãtur. Quę omnia cũ Collegiatis, Cathedralibusq; Ecclesijs, earum Congregationum Canonici à se prorsus exploserũt, in Monachorumq; formã transierunt. Libenter tñ fatebor, Hispana hæc huius Ordinis Monasteria, atq; Ecclesias Regulares magna indigere reformatione, quas in Religione plus satis collapsas videmus, illasq, italicas Congregationes laudandas esse, & maximo honore colendas ob insignem, religiosamq; sanctitatem. Quòd verò illarum Congregationũ Canonici Regulares ad Monachorũ, fratrumq; formas se contulerint, quidam historici affirmarũt, dicentes; Canonici; qui Lateranenses nuncupantur in Frigionaria, Prædicatorum fratrum morem in omnibus imitantur, camisia linea Episcoporum more, excepta, & birreto nigro, qui & vulgari sermone Fratres della Camisia appellantur.

6 Et Aug. Ticinensis. 4. par. Propugnaculi cap. 13. Scopetinos & alios quosdam Venetos asserit, ex Archiepiscopo Florẽtino, à quodã fratre Stephano Ordinis Eremitarum institutos fuisse. Qui vt à primario suo iugo eximeretur, habitum lineum Canonici ordinis assumpsit. Sed ne ab Eremitico Ordine in totum se abdicasse videretur, voluit desuper indui scapulari albo, in quo prius Eremiticum ordinem fuerat professus; siue cuculla: quæ Canonicis Regularibus non competit, nisi in casum apostasiæ ex insigni textu in cap. mandamus. 19. q. 3. volueruntq; inuicem vocari fratres secundum priores consuetudines Ordinis Eremitarum, quod etiam Canonicis Regularibus non conuenit. Qui ex primæua eorum institutione semper sunt vocati, & inuicem nuncupantur domini: quia eis propriè, atq; per se competit, vt sint Clerici. Propter quæ duo, videlicet propter cucullam, & fratris nomenclaturam, cùm in dubium verteretur, an essent veri Canonici propter nomen, & habitum super indutum, denuò impetrarunt ex priuilegio se fieri Canonicos Regulares. Iulio. 2. Pon. max. concedente; Canonicorum etiã Lateran. priuilegijs gaudere posse obtinuerunt. Eadẽ etiam ratione tempore Aug. Ticinensis controuertebatur, an Lateranẽses Canonici, essẽt Canonici Regulares. Ob idq; Canonici Regulares Italicarũ Congregationum apud Hispanos Monachi iudicantur. Iubente autẽ Benedicto 12. Prælati Regulares Ecclesiarum Cathedralium, & Monasteriorũ Prouinciarũ Tarraconẽsis, & Cęsaraugustanę anno Dñi 1340. mẽse Augusto, in Castro regio Ciuitatis Illerdę capitulum prouinciale coegerunt, & aliquot diebus celebrarũt, in quo promulgatæ fuerũt

saluber-

ſalubertimæ illæ Conſtitutiones Generales omnium totius orbis Canonicorum Regularium, eodem Benedicto 12. authore & euulgatore; quæ quidem hac noſtra tempeſtate non ſolùm ab vſu receſſerunt, ſed etiam obliuione profunda conſepultæ iacēt; quas vtinam noſtri ſuperiores continuo exercitio retinuiſſent. Sic. n. effectum fuiſſet, vt nec hic ſacer Ordo tantam calamitatē, & cladem accepiſſet, nec ad occurrendū, medēdūq; tot incōmoditatibus omnis ferè via nūc occluderetur.

De habitu candido Canonicorum Regularium. *Cap. xij.*

1 DVO in habitu Rugulari definito conſideranda ſunt; alterum quidem, quod inſigne eſt quoddam vniuſcuiuſque Religionis, quo facilè dignoſcitur Regularis ipſe, cuius ouilis, cuiuſq; paſtoris ſit ouis, à quo paſcatur, & gubernetur. Demum ſignaculum eſt, quo à reliquis Religionibus diſcernitur. Alterum verò, quod ex S. Thom. 2. 2. q. 186. art. 7. ad. 2. arg. ſignum eſt manifeſtum obligationis, qua vnuſquiſq; Religioſus ad omnia tria vota eſt aſtrictus, & obligatus. Hac. n. ratione habitus Regularis ſimul datur, vel benedicitur cum profeſsione. Omnes enim aliæ Religionum obſeruantiæ ordinantur ad tria ſingula principalia vota, ſeorſum tamen, atq; diſtinctè. Nam quæ inſtituta ſunt ad procurandum victum, referuntur ad paupertatem, vt labor, & mendicitas. Ea verò, quibus corpus maceratur, ordinantur ad continentiam obſeruandàm: vt vigiliæ, & ieiunia. Quæ tandem ad dilectionem Dei, & proximi, comprehenduntur ſub voto obedientiæ, vt lectio, oratio. Determinatio aūt, atq; diſtinctio habitus ad oīa tria vota ſimul pertinent, vt Religioſus intelligat, & moneatur ſe tribus votis eſſe religatū, & vt pudore offundatur, ſi ea q̄ Religioſum dedecēt, aliqñ cōmiſerit.

2 Manifeſtum eſt autem, atq; ex non cōtemnendis authoribus exploratum, determinatum, propriumq; habitum Canonicorum Reg. eſſe camiſiam lineam, ſiue togā lineam. Primum. n. id atteſtatur Raphael. Volat. in Auguſtino lib. 21. de Ordine Canonico verba faciens: Amictus eſt (inquit) linea tunica, tantùm veſti cuiuſcunque ſuperadddita, quam Iacobus Apoſtolus Præſul Hieroſolymitanus, primus ex more Leuitico, veterumq; ſacerdotum ſibi adſumpſit: poſt eum Marcus Alexandriæ: poſteri verò diuerſis inter ſe factis conciliabulis, alij alia ſimul cum lineis indumenta corripuere, ſtatutaq; condidere.

3 Io. etiam de Nigra Valle ſæpe citatus, referente Auguſt. Ticinenſi par. pri. Propugnaculi. cap. 15. ad finem eiuſdem partis, in hunc modū proloquitur; Camiſia, ſiue Collobium niueum, & albū propriè, & eſſentialiter competit Canonico, & Clericali ſtatui; habuitq; originē in ve-

teri teſtamento à Leuitis,& Sacerdotibus;qui vtebantur Ephod lineo; ſed in nouo poſtmodum teſtamento à Chriſto Domino, & Sacerdote Max. indeq; ab Apoſtolis talis habitus albus,& lineus inſtitutus,& delatus fuit: vt patet de ipſius Chriſti veſte inconſutili, & deſuper contexta per totum,quemadmodum etiam de veſtimentis Apoſt. Petri,& Pauli,Iacobi,Bartholomęi,&c. patet,& legitur. Qua ex re Apoſtoli appellabantur à Gentilibus viri dealbati. Vnde iuxta eorum inſtitutiones,omnes Clerici Regulares, qui Apoſtolorum more ſe, & ſua relinquentes,vt crucifixi mundo,& Chriſti crucem baiulantes,diſcipuli cenſeantur,talem induere habitum iuſsi ſunt.

4 Nec mirum,quia cùm Dei miniſter ſemper candidus,& purus,atq; mundus in conſcientia eſſe debeat, & ſimplex vt columba in moribus, veſtimenta alba, & candida ei iubentur deferri, iuxta illud quod ſcribitur, omni tempore veſtimenta tua ſint candida, Eccleſiaſtes 9. Et vt legitur in ſcripturis Angeli ſemper quaſi in candidis veſtimentis viſi ſunt. Ad deſignandũ eo,qui ex Clericali profeſsione,albo induuntur amictu;ex ſancta cõuerſatione angelos potius,quàm homines eſſe debere. Sicut Ezech. 9. cap. dicitur is,qui in medio ſex virorum,atramentarium ſcriptoris habens ad renes, apparuerat ei, fuiſſe vir indutus lineis. Et Danieli 10. apparuit vir veſtitus lineis,&c. Et eiuſdem. 7. veſtimentum eius candidum,ſicut nix. In nouo quoq; teſtamẽto, Chriſtiq; reſurrectione Angelus fuiſſe conſpectus Matth. 28. cap. legitur; Erat autem aſpectus vultus eius, quem aſſumpſerat admodum terribilis,in modum fulguris corruſcantis,& veſtimentũ,quo amictus erat, candidiſsimum,atque ſplẽdidiſsimum,inſtar niuis,vt ipſo quoque externo habitu monſtraretur reſurrectionis Domini feſtiuum gaudium, & magnifica gloria,cuius ipſe aduenerat nũcius. Et Marci vltimo erat iuuenis ſedens indutus ſtola candida. Et Ioan. 20. Maria Magdalena vidit duos Angelos in albis ſedentes. Et Act. 1. Ecce duo viri aſtiterũt iuxta illos in veſtibus albis. Et Act. 10. Ecce vir ſtetit coram me in veſte candida. Habitus quidem albus pertinet ad perfectos, & ad illos, qui ita per terrenorum contemptum,ad ea,quæ ſurſum ſunt, efferuntur,vt ſint quaſi in cœlis per beatitudinem glorificati. Quare dñs noſter Ieſus Chriſtus glorificatus in monte, veſtimenta candida legitur habuiſſe,ſicut niuem Marci 9. & Apoc. 3. ambulabũt mecum in albis. Et cap. 4. & 7. Amicti ſtolis albis. Et Trenorum 4. cap. Candidiores niue,nitidiores lacte facti ſunt Nazarei eius,&c. hic ſanè eſt habitus conueniẽtior his,qui in ſortem,ac ſeruitium Dñi aſſumuntur. Habitus in quã,qui à Deo ex ſuo ipſius ore ſanctiſsimo ſuis miniſtris adinuentus, & ordinatus perhibetur. Exod. n. 29. ait Dominus ad Moyſen; Indues

tunicis

tunicis lineis Aaron,& liberos eius. Hæc ille Ioannes. Eadem ferè omnia traduntur ab Hugone de S. Victore in argumento Cõmentarij in Regulam Augustini. Nos verò ꝗ ad habitus cãdorem attinet, vberiori, lucidioriq; sermone dicamus. Imprimis ille præfulgẽs color ad immaculatæ vitæ nos exhortatur custodiam: si quidem innocentię,& vitæ puritas per vestimentorum candorem solet in scripturis significari. Propterea q; de ijs, qui innocentiam custodierunt Apoc. 3. dicitur; Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua,& ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt,& in visione Io. Apoc. 9. Viginti quattuor seniores vidit circumamictos stolis albis; ac deinde in turba illa magna ex omnibus gentibus, tribubus, & linguis, quam ante thronum vidit, omnes cõspexit amictos stolis albis, in quibus gloria puritatis,& innocentię Sanctorum monstratur. Hanc ipsam admonitionem nobis significat Salomon Eccles. 9. cap. Omni tempore, ait, sint vestimenta tua candida. Pulcherrimus nanq; ille, & indumentorũ, & corporis candor præ se fert quandam lætitiam,& plerumq; pollicetur quendam animi nitorem,& munditiam, id quod visus est nobis indicasse rex ille, qui fecit nuptias filio suo, cui vehemẽter displicuit, qđ quidam discubuerit in conuiuio regio non ornatus veste nuptiali, cui dixit Mat. 22. Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestẽ nuptialem? His adiungito Act. 1. in gloriosa Christi Ascensione duos viros astitisse iuxta Dñi discipulos in vestibus albis. In vestibus quidẽ albis sese discipulorum visui angeli offerunt; huiusmodi siquidem vestes, ijs competunt, qui infirmitatis culpæ,& mortis expertes sunt. Nostra vestimenta quandiu hic sumus, hisce tribus plerumq; contaminata sunt; Sed erit, quando & nos Christum in vestibus albis sequemur, immo in stolis albis,& candidis ante thronum Dei astabimus; interim autẽ cõtinuò lauanda sunt vestimenta nostra. Candor etiam conuenit veritati, competit benignitati, quadratq; fœlicitati. Quid Deus nisi ipsa puritas, ipsa veritas, ipsa misericordia,& beatitudo? Idcirco Mar. 16. Angelus apparuit coopertus stola candida: ritè ergo Dei nuntij designantur cãdoris specie. Nã,& teste Hier. hoc candore triũphãtis Christi gloriã intelligere debemus. Vides tãdẽ, qualis sit Canonicorũ habitus, nẽ pè angelicus. Huc quoq; accedit, quod iuxta quorundã enarrationem cubile Salomonis pellibus albissimis decorabatur, quæ nimirùm prætiosissimæ erant. Hanc igitur insignẽ albedinẽ, candorẽ,& pulchritudinem spiritualẽ exprimit locus ille Cãt. 1. sicut pelles Salomonis. His profectò adductis omnibus interior animę pulchritudo designata, nobis vigilantissimè ob oculos imitanda proponitur. Idcirco Aug. in Regula inquit; Pro interiore sancto habitu cordis nobis esse elaborandũ.

5 Porrò quantum ex alijs historicis colligere licet, diuersis in locis di uersi Canonicorum habitus reperiũtur. Alij. n. albo vestiuntur habitu cum hasta superiori linea. Alij tunica nigra cum hasta desuper linea, & alba: vt pleriq; Cathedralium Canonicorum in Gallijs constituti. Alij verò habitu tantummodo albo, & clamide alba. Alij cum tunica nigra, & camisia linea sine scapulari, sed cum caputio, more seculariũ sacerdotum. Alij quoq; cum linea camisia, clamideq; desuper nigra, sed birretto albo. Alij tandem Canonici, qui Lateranenses nuncupantur in Frigionaria, Prædicatorum fratrum morem in omnibus imitantur, camisia linea Episcoporum more excepta, & birreto nigro, qui & vulgari sermone Fratres della Camisia appellantur, vt diximus.

6 Ex qua multiiuga vestium varietate colligere licet, peculiarem habitum esse lineam togam albam, vt docet glossa quædam in Clem. cũ rationi. de elect. dicens; Omnes Regulares Canonici, qui profitentur Regulã S. Augustini, licet varient in colore, quia aliqui habent colorẽ nigrum, alij album, alij griseum, alij mixtum, habent tñ cõmunem habitum lineã togam, quã sub capa deportent. Huius etiam tunicæ lineæ meminit August. tomo. 10. suorum operũ ser. 53. ad fratres in eremo, qui incipit; Charitati vestræ. Sic ait. Nemo det birrum, vel lineam tunicam, seu aliquid, nisi in commune. Hunc tñ Aug. locum mille modis torquet discinditq;, Choriolanus in defensorio, verit. 1. in solutione ad. 3. arg. vbi admiratione rapitur, temeritatis argẽus Canonicos Regulares, eo ꝙ habitum sacrificiorum omnibus Sacerdotibus Christianæ fidei cõem, tanquam propriũ sibi adscribant, sub eo prætextu quòd Aug. eo vteretur: cùm non nisi dum diuina ministraret sacrificia, illo vnquam fuerit vsus. Nos verò ex antiquitate, perlongaq; temporum deductione, & historicorum perspicua lectione, & in hoc capite, & superius rem hanc abundè explicuimus, ijs præsertim, qui genealogicas quæstiunculas oderũt. Fieri etiã potest, vt habitus lineus, albusq;, omnibus Clericis cõis proprius sit, fueritq; primorum Clericorum Apostolicorũ, & Regularium, à quibus Clerici seculares post superius explicatam disiunctionem, originem trahunt. Id quod sequenti capite de candido Episcoporum habitu agentes sumus interpretaturi.

7 Sed iam tandem proprium Canonicorum Regu. habitum abundè descripsit Benedictus 12. in Constitutionibus Canonic. Regulariũ ab eo editis, in tit. de Forma, & honest. habi. & vestimen. sic dicens. Dignũ fore censentes, vt Canonici Religionis præfatæ non solùm morum, & vitæ, sed etiam habitus, & vestimentorum refulgeant honestate, districtius inhibemus: ne dicti Canonici extra septa ecclesiarũ, monasteriorũ, seu locorum suorũ proficiscentes: portent alias vestes super habitũ

quàm

quam capas, seu mantellos honestos: vel redondellos, seu clochias talares, vel circa, iuxta vsum, vel consuetudinem laudabilem ecclesiarũ monasteriorum, & locorum suorum; vsum, seu verius abusum manticarum, seu thabardorum: necnon redondellorum, vel clochiarum notabilem habentium breuitatem eisdem Canonicis penitus prohibentes. Præcipimus quoq;, ꝙ in ecclesijs, monasterijs, & alijs locis Religionis præfatæ, in quibus Canonici capas à parte anteriori apertas de pãno laneo consueuere deferre: quæ in quibusdã locis capæ de choro, seu capella vulgariter nũcupantur; ipsas honestas nõ nimia lõgitudine, vel breuitate notandas portare debeant, locis, & temporibus consuetis: etiam capas huiusmodi à festo omnium Sanctorum, vsque ad festum Paschę infra septa quarumcunque Cathedraliũ ecclesiarũ Religionis eiusdem, ac monasteriorum, & aliorum locorũ immediatos Superiores ipsius Religionis non habentium: in quibus monasterijs, siue locis fuerit duodenarius Canonicorum numerus (licet hactenus ipsas ibidem nõ cõsueuerint deportare) sanè infra Ecclesias, Claustrũ, Capitulum, Refectorium, ac Dormitorium non caputijs, sed almutijs honestis vtantur. Caputia verò si ea per ipsos extra loca prædicta deferri contigerit, sint honesta; & illa, quæ cum capis, mantellis, clochijs, seu redondellis portauerint, vnius cum eis, & eiusdem coloris existant (nisi ex priuilegio, aut institutione laudabili caputia certi coloris, aut formæ essent cousueti portare.) Almutiæ autem si de panno fuerint illius, cuius capæ esse debent, coloris existant. Per hoc autẽ non liceat portare caputia, vel redondellos, seu clochias eis: quibus alias portare licitum non existit. Prohibemus etiam, ne dicti Canonici de cætero ferant forcaturas de ventribus variorum, aut squirolorum cum dorsis permixtis: sed sint de pellibus simplicibus, vel albis, vel nigris, aut griseis. Præcipimus etiam, ꝙ Canonici dictæ Religionis infra ecclesias, & claustra locorum Cathedralium, aliorumq; Conuentualium, seu Collegiatorum ipsius Religionis, & alibi conuentualiter incedentes, portẽt superpellicia magna, & ampla, iuxta cuiuslibet ecclesiæ consuetudinẽ rationabilem: quæ in longitudine manicarum, vltra manum quatuor digitis transuersalibus, vel circa, & vltra mediam tibiam, vel circa, in sui longitudine protẽdantur. Extra ecclesias verò, claustra, & loca prædicta, & vbiq; sub capis redondellis, seu clochijs, vel mantellis in locis debitis vti possint superpellicijs: quorum manicæ vsque ad palmum in latitudine, vel circa, & eorum longitudo vsq; ad mediam tibiam, vel circa protendantur. Per hoc autem nolumus derogare consuetudini quorundam locorum, quæ ab antiquo, vel ab institutione habẽt vsum superpelliciorum ad formam roquetorum, seu camisiarum Romana-

tum (prouiso tñ quòd minoris lõgitudinis superpellicia huiusmodi nõ existant: & adeo manicas longas habeant, ꝙ ex eis brachia vsque ad pugnum valeant cooperiri.) Per formas autem huiusmodi superpelliciorum alias formas longiores, & honestiores superpelliciorum, & habituum non intendimus prohibere: nec circa eas aliquid innouare. Statuimus insuper, ꝙ Canonici dictę Religionis capis, & vestibus albi, blaui, nigri, seu quasi nigri coloris duntaxat vtantur: quòdq; illi, qui altero tantùm de dictis coloribus vti consueuerunt, seu tenentur, non possint ad alium portandum, seu assumendum aliquatenus se transferre (nisi ad album dũtaxat). Vestis quoque superior habitui proxima, sit rotunda per circuitum, & non fissa, nec longitudine nimia, aut breuitate notanda. Ab eisdem quoq; Canonicis in eorum vestibus ligatæ manicæ non portentur, nec in apparenti consutitiæ, vel quomodolibet botonatæ. In Cathedralibus autem ecclesijs Antistites, seu Præpositi: Priores, seu alij maiores in illis post ipsos Antistites existentes, ac in monasterijs Abbates, Præpositi, Priores, seu alij non habẽtes Superiores Religionis eiusdem, sic aliam formam honestam vestiũ, & calciamentorum ordinent, & disponant: ꝙ sit in colore saltem omnibus Canonicis eiusdem ecclesiæ, seu monasterij tam extrinsecus, quàm intrinsecus vniformis, ipsamq; tam Abbates, quàm Prępositi, Priores, & Administratores, ac cæteri quicunq; Canonici, & alij per proprios eorum Antistites, vel Abbates, seu alios. Abbates verò, & cæteri Prælati, Superiores proprios eiusdem Religionis non habentes, per Præsidentes prouincialibus Capitulis, seu per quemlibet eorum, ac per Visitatores in ipsis Capitulis deputandos, tenere, & seruare cogantur. Qui verò vestem, vel habitum cõtra ordinationem præsentis Constitutionis deferre præsumpserit, per dictos Superiores, vel per Præsidentes, siue per Visitatores, seu eorum quemlibet, sic debitè puniatur; quòd cæteri à similibus arceãtur. Et nihilominus ab eo auferatur vestis prohibita, pauperibus eroganda. Et si infra spacium 15. dierum à tempore monitionis, seu præcepti sibi facti computandum, vestem, vel habitum huiusmodi non dimiserit cum effectu, vel ablationi prædictæ restiterit, si beneficiatus fuerit, per quattuor mẽsium spacium ab administratione temporalium sit suspensus: non beneficiatus verò dicto tẽpore, sit inhabilis ad ecclesiasticum beneficium obtinendum quodcunque. Qui autem exhibens se in publico habitum (super indumenta licet linea) temerè occultauerit: si monitus emendare noluerit, iuxta præmissam personarum distinctionem, dictas suspensiones, & inhabilitatis pęnas per idem tempus incurrat. Iniungimus insuper Præsidentibus, Visitatoribus, & Prælatis alijs Religionis prædictæ, vt con-

tra transgressores eorum, quæ circa honestatem vestium, & habitus superius sunt statuta, prout ad eos, & eorum quenlibet pertinuerit, monitionem prædictam (quum transgresio eis nota fuerit) facere non omittant. Et nihilominus Præsidentes, & Visitatores prædicti, monere teneantur Abbates, Præpositos, & alios, ad quos id pertinuerint Religionis prædictæ, præmissa, quæ (vt prædictum est) circa honestatem vestium, & habitus sunt statuta, seruent, & faciant ab alijs sub dictis pœnis diligentius obseruari.

De habitu candido Episcoporum. *Cap. xiij.*

1 
Oannis de Nigra Valle ab August. Ticinensi 1. par. Propugnaculi cap. 15. alijsq; locis citatus, & approbatus, de Episcoporum linea toga ad hunc modum differit. Propterea hodiæ Pôtifices oẽs, vt Archiepiscopi, & Episcopi, quando consecrantur, efficiuntur Clerici Regulares per solennem professionem, & accipiunt habitum. s. camisiã Apostolicam in signum professionis, & in memoriam, quòd olim tota Ecclesia Catholica tàm in Patriarchalibus, quàm Archiepiscopalibus & Episcopalibus sedibus per ipsos Reg. Canonicos regebatur. Episcopi enim olim simul cum Regularibus Canonicis regulariter viuebant, & hodie multis locis viuunt. Vt ipse citatus August. asserit 5. par. Propũgnaculi ad 4. rationem. Quin potius idem author ibidem ad septimam rationem nu. 12. hæc subijcit: Omnes cuiuscunq; sint professionis, si ad apicem Episcopalem assumuntur, tenentur habitum propriæ Religionis deferre. At si Canonici Reg. assumuntur ad id muneris, nõ secus, quàm cæteri Episcopi vestiuntur; ea nempè causa, quoniã vnus, & idem est in vtrisq; habitus Clericalis. Sũmus verò Pontifex si à Monachali, vel alterius professionis habitu assumatur; eo proiecto lanea, & linea tunica simul induitur. s. vt confirmetur priscis temporibus, quando Pontifices, & Episcopi simul cũ Clericis suis priscorũ more recento, & Canonici Regulares erant, & cum eis conuiuebãt. Vt in cap. Necessaria 12. q. 1. & in cap. in omnibus. de consec. dist. 5. idq; ex antiquo Calcedonensis Concilij instituto, confirmato deinde in Concilio Hispalẽsi, vt habetur in cap. in noua 16. q. septima, vt qui in administrationibus socientur Pontificibus, nec professione discrepent, nec habitu. Hunc quoquę sancti propositi Apostolicum viuendi modum seruauit Augustinus. Vt constat in sermone de commu. vita Cler. ac propterea, vt concludamus, de SS. Pontificibus, & Episcopis dicendum, quòd ipsi in testimonium perpetuæ obligationis suæ Regularis professionis perpetuò teneņtur vsque ad mortem deferre habitum lineũ

Cleri-

Clericalem; quem in diuinis tantùm deferre tenentur Clerici nō professi. Episcopi verò in publico eum deferre tenentur in testimonium solemnis obligationis; quia Regulariter profitentur in sua ordinatione, quia & ipsi sunt in statu perfectionis, quam ad instar Apostolorum imitari tenentur: vt habetur de vita, & honest. cler. cap. Clerici 2. vbi ex Concilio generali mandatur sic ad literam. Pontifices autem in publico, & in Ecclesia desuper indumentis lineis omnes vtantur, nisi Monachi fuerint, quos oportet ferre habitum monachalem. Canonici autem Regulares non alio, quàm professionis suæ lineo habitu vtuntur, si ad Episcopatum fuerint assumpti: quia propriæ professionis habitum deserere non possunt.

2 Omnia quidē hæc, quæ ab his duobus viris doctissimis afferuntur, pulchra mihi videntur, & maximè probantur; præsertim quòd toga linea Episcopalis, imò etiā almutia Episcopalis apertè præ se ferant habitum Canonicorum Regularium, ex eoq; Ordine originem trahant. Nam & Canonici Regulares cum toga linea almutijs vtuntur.

3 Illud verò nec probare possum, nec silentio præterire; quòd Episcopi Regularem professionem in sua congregatione emittant, aut tribus Regularium Canonicorum votis astringantur, aut Canonici sint Regulares: quamuis etiam testamentum ex iure condere non possint, vt nec Canonici Regulares possunt.

4 Pro cuius rei elucidatione aduertendum esse censeo id, quòd Cardinalis Caietanus ad huius opinionis contrariæ confutationē docuit 2. 2. q. 184. art. 2. Circa id, inquit, quod dicitur à S. Tho. s. Episcopi obligant se ad ea, quæ sunt perfectionis, aduerte dupliciter posse intelligi vel de obligatione naturali spectante ad ipsum Episcopatum: quo quidem sensu id verum est. Nam eo ipso, quòd quispiam Episcopatum suscipit, suscipit etiam omnia per se spectantia, & consequentia ad ipsum in quorum numero ex Christi auctoritate est, ponere animā suā pro ouibus suis: ac multò magis labores suos, & bona temporalia sua. Vel alio modo intelligi potest de obligatione votiua. Ita vt Episcopus explicitè, vel implicitè voueat ea, quæ sunt perfectionis. At verò tametsi multi sic intelligere videntur S. Thom. id tamen verum esse non apparet. Quòd n. in primis Episcopi non voueant implicitè, sicut suscipiens ordinem sacrum in Ecclesia Occidentali, intelligitur vouere implicitè castitatem, ex eo sit manifestum, quod nusquam iure cautū inuenitur, Episcopos huiusmodi vouere. Quòd verò explicitè nō voueant lex ritu, & verbis Episcopalis ordinationis constat. Quoniam in ordinatione sua de multis interrogatus ordinandus in Episcopatum: respondet quo ad ea, quæ sunt fidei, Credo: quo ad agenda verò, Volo.

lo. Neutrum autem horum vim voti habet. Nisi quis adeò desiperet, vt diceret responsiones ibi positas per verbum Volo, vim voti habere. Tot.n. dicit se velle, ad quæ non posset, se voto tutè obligare. Præterea extra de iure iurando cap. Ego enim Episcopus, Epis. iurat quædam particularia se facturum, & vnum vniuersale, videlicet fidelitatē Rom. Pontifici, ac Ecclesię Rom. & B. Petro. Quod est velut homagiū quoddam: nihilq; ibi inuenitur de cura animarū, aut de his quæ perfectionis sunt. Extra quoque de renuntiatione cap. Nisi cùm pridem, dicitur Episcopus habere alias strictas; ne volet ad Religionem nexibus præceptorum; sed non dicitur, nexibus votorum. Cum ergo inueneris Episcopos vouere, seu votum habere ad ea, quæ sunt perfectionis, intellige de voto quoad effectum, nō quoad essentiam: idest, quòd habent obligationem, ac si vouissent. Non tamen formaliter, aut ex se habent votum. Ideoq; transgrediendo non sunt rei voti facti; sed præcepti suscepti ab ipso Deo.

5 Hæc omnia confirmat Dom. Sotus lib. 10. q. 4. art. 1. Episcopi (inquit) quamuis statum perfectionis profiteantur, non tamen vt Monachi, quasi absque proprio viuere obligētur. Manifestum.n. est, eos nō se huiusmodi voto irretire: quia neque id ad Pastorale munus necessarium est; sed satis est, vt Christum egregiè diligant. Quare memoriæ mandandum est, quòd cùm Episcopus Religionis votum non emittat, fit vt nec votum faciat peculiare castitatis, præter id quod sacerdotio adiunctum est: neque votum paupertatis. Sed tantùm promittit obedientiam Papæ, fidemq; suam huic Ecclesiæ, à quo vinculo nisi auctoritate Pontificis dissolui nequit. Igitur Episcopi, nec solennem Regularem professionem emittunt, nec Canonici sunt Regulares. Itaq; admirari desinet Choriolanus loco citato, si habitum candidum Episcoporum, & Patriarcharum Canonicorum Regularium Ordinis proprium esse asseuerauerimus: cum id ex dictis sit manifestum.

De Canonicorum Regularium creatione, & electione. Cap. xiiij.

1 
Vm monasterium non ex lapidibus emortuis, sed ex hominibus constet, atque cōstetur, totius rei cardo hic vertitur, vt non inepti, aut prauis moribus affecti, prauæq; indolis, aut sinistri ingenij homines in Religionem intrudantur; qui vel tempore probationis, vel temporū successu sint detrudenti. Eo vel maximè, quòd turpius eijciuntur, quàm non admittantur hospites. Hinc enim Religioni dedecus cōparatur, dum vel electi explodúntur, vel praui, corruptiq; Canonici totam domum conturbant, atq; etiā euertūt. Proinde operæpretium me facturum,

rum sum arbitratus, si incõmoda quædam, atq; mala, quæ in Canonicorum electione prudenter vitanda esse censeo, in ipso vestibulo ob oculos proposuero: Pauca igitur documenta obseruabis.

2 Primum documentum ex Caiet. 2. 2. q. 189. art. 5. de pueris recipiẽdis in Religionem; Illis (inquit) locis expedit pueros nutriẽdos in Religione dari, in quibus optandum est, vt similes fiant illis, quorum cõsortio committuntur. Vbi autem personæ, quorum consortio traduntur, reprobæ, aut infames, aut deuię à Regularibus sunt institutis, magna dementia est dare illis pueros, aut puellas nutriendas. At verò hic error multis viget in locis, dum dantur pueri, & puellæ monasterijs religiosorum, seu religiosarum vitæ communis: qui vulgo Conuentuales, seu Claustrales appellantur. Quo fit, vt reformandi nunquàm reformari possint, dum transgressores vitæ regularis continuè nutriuntur, ac augentur. Idcircò sanciendũ esset, vt nullus puer, nullaue puella possit Religioni tradi, nisi vbi verè viuitur regulariter. Sic enim aut extinguerentur irregulariter viuentes, aut reformarentur, vexatione dante eis intellectum. Duo nanq; incommoda ex hoc malo oriuntur. Prius quidẽ. Quòd qui in prauis moribus consenuerunt, iuniores sua vitiorum scabie corrumpent. Alterum verò quod iuuenes, postquàm prauas, corruptasq; cõsuetudine semel imbiberint, aduersus regularẽ, reformatãq; obseruãtiã, acerrimos se præstabũt propugnatores. Peruersi. n. difficilè corriguntur. Prudenter igitur prętermitteretur in monasterio deformato recentiũ Canonicorum electio, donec reformaretur. Aptaq; hæc esset via ad reformationem introducendam.

3 Secundum documentum ex eodem Caiet. ibidem arg. 9. ad. 2. reg. Nemini licet absq; peccati mortalis nota aliquem inducere ad Religionem in Monasterijs, vel Conuentibus vitæ cõmunis. Inducitur. n. ad vitam reprehensibilem, eo quòd vita illa Conuentualium à Regulari vita exorbitat. Quod quidem eo fit manifestus, quod continuus bonorum Prælatorum, conatus ad illorum reformationem contendit. Vnde vituperabile est nõ solùm inducere, sed etiam ingredi, & recipere ad vitam irregularem personas vtriusque sexus, quamuis Ecclesia toleret hoc permissiuè. Hæc Caie. vbi perpende verbum. Permissiuè. Nam Ecclesia non approbat huiusmodi irregularem vitam, sed ad vitanda maiora mala permittit eum, atque tolerat, sicut & alia turpia mala. Quam rem eodem articulo ipse S. Tho. perspicuè explicuit, dicẽs; Laudabile esse, & admodum meritorium ad eam Religionem aliquos inducere, in qua viuitur ita exemplariter, vt habeat inductus occasionem proficiendi. Nam si tepidè maiores viuunt, & inter minores multa est relaxatio, non paruum imminet inductio periculum

culum ſcandali; Cum ingreſſus inuenit intus tantam remiſsionem, & imperfectionem , & retrocedit. Fiuntq; nouiſsima illius hominis peiora prioribus. Luc. vndecimo cap.

4 Quo circa Caiet.ibidem art.2. ait; Quamuis laudabile ſit inducere aliquem ad Religionem reformatam, non laudo tamen inducentẽ ad vouendum Religionis ingreſſum:quia quòd ex inductione alterius fit votum,nõ omninò ſpontè fit,non adeò liberè fieri videtur. Teſtatur autem magiſtra rerum experientia,quòd minus lætè tota vita agi tur,cùm recolit,ſe quis non ſpontè,non ex proprio affectu, ſed aliena inductione maritum talem acceptaſſe. Quãtò magis vitã in carne præ ter carnem agere in paupertate. Oportet etiam,vt ante ingreſſum ad hoc deueniat,vt non coactiuè,aut illectus,ſed vt ſpontaneus. Non reſpectu inducentis, ſed ob Chriſti imitationem, & fugam ſeculi,intendat Religionem ingredi. Agitur enim de diſpoſitione totius vitæ ſuæ. Quam niſi ſponte quis arripiat, periculum eſt, aut quòd retrocedat, aut in malam vitam Religioſus etiam declinet.

5 Tertium documentum ex S.Thom.2.2.q.189.art.1.& ad finem 5. argumenti.Nõ oportet aliquẽ in ſeculo Dei præcepta ſeruare,in eiſq; eſſe exercitatum,prius quàm tranſeat ad Religionẽ, quò facilius importabilia vitet peccata.Vbi Caiet.ait:Concludit, nõ oportere prius aliquem eſſe bonum ſecularem,vt Religioſus ſit. Cum his tamen omnibus caue,ne ſubitò ad Religionem recipias eos, qui diuturna ſunt cõſuetudine aſtricti enormibus vitijs:quales ſunt lenones, latrones,& huiuſmodi. Quoniam & ſi ſcriptum ſit,quòd Publicani, & Meretrices præcedent vos in regno cœlorum:ſcriptum eſt etiã, videte, quomodo cautè ambuletis.Igitur nõ eſt tutum, tales criminoſos repente in ſocietatem innocentum quodammodo iuuenum introducere.Timendũ enim eſt,ne doceant alios mala,ne corrumpant alios.

6 Quartum documentum ex Caiet.ibidem arg.10.ad.5.Qui admittẽdus eſt ad Religionem,diligenter examinandus eſt, quia animi diſpoſitione Religionẽ ſuſcipiat, vt vberes fructus in ea præſtet. Debet.n. magna inquiſitione,multaq; diſcuſsione ingreſſurus Religionẽ apud ſe examinare.An verè interiori affectu relinquat omnia,vel remaneat affectus ad honorẽ,ad gloriam,ad carnem,& ſanguinem, & huiuſmodi.In hac.n.expropriatione conſiſtunt ſumptus ædificandi perfectionis turrim in Religione.Alioquin nunquàm ædificabit eam,nunquàm ad perfectionem perueniet: ſed verè patebit riſui,ſicuti qui nõ computauit ſumptus, & cœpit turrim materialem ædificare. Tali enim abdicanti à ſuo animo omnia, quæ poſsidet,iugum Religionis ſuaue eſt, auferenti perturbatiua,& laborioſa, & refectionem delectationis

internæ

internæ afferéti. Temerè autem Religionis iugum ſuſcipientibus ſine computatione ſumptuum,fit eis laborioſum,& graue.Palato enim nō ſano,pœna eſt panis,qui ſano eſt, ſuauis.

7 Quintum documentum ex Concilio Colon.ſub Hermanno 5. Archiepiſ.tit.de vita,ac conuerſat. Monaſt. cap.4.Qui monaſterium (inquit)ingreditur,alio affectu,qui ſimplici amore Dei ductus, veluti vel ſpem,vel promiſsionem abbatiam conſequendi habens,vel in ocio viuere affectans, vel lucris tēporalibus inhians, vel honores ab hominibus appetens: quiſquis talis eſt,non Dei filius,aut Monachus, ſed planè mercenarius eſt;cui verendum eſt,vt cū volet ingredi nuptias Euāgelicas,obijciatur illud: Amice quomodo huc intraſti, nō habens veſtē nuptialem? Quodq; ipſo obmuteſcente,rex ſit præcepturus miniſtris,vt ligatis manibus,& pedibus,ipſum in tenebras exteriores mittant:vbi erit fletus, & ſtridor dentium . Admonendi quoq; erunt parētes, ne liberos in monaſterium inuitos detrudant. Ne proſeliti facti, fiant filij gehennæ. Quod.n.quis non eligit,nec optat:quod nō optat, nec diligit;quod non diligit,facilè contemnit : nullum deniq; bonum, niſi voluntarium.Hæc ex Concilio Colonienſi.Hæc igitur mala prudēter cauenda ſunt:ab eis enim tanta,deplorandaq; eiectorum,fugitiuorum , apoſtatarumq; turba dimanare ſolet.

8 Præſtantem quidem ſe nobis hac in rē præceptorem exhibet Laurentius Iuſtinianus lib, de diſcip.& perfect. monaſt. conuerſat.cap.3. Nos ſapienter erudiens, qua methodo noui,& veteris teſtamenti admonitionibus doceantur,qui ſeculo renunciare volunt ; vt prudenter præmeditētur ſtatus,loci , perſonarumq; conditiones,cū quibus Deo commilitaturi ſint;ne à dæmonibus circunueniantur , qui varijs,innumeriſq; artibus Chriſti ſeruos tentant , & oppugnant. Qui enim hac præmeditatione prætcrita, Religionem ſunt ingreſsi,grauiter,ignominioſeq; ceciderunt.Quotidianis.n. erudimur exemplis;vt quoties ardui quidpiam aggreſſuri ſumus,diligenti prius examinatione perſcrutemur,quid ſit opportunum ad id perficiendum . Siquidem legimus Exodi 12.Dominum per Moyſen Hebræis præcepiſſe,vt nō ſolum ipſi cum vxoribus,& liberis ab Aegypto diſcederent , ſed etiam ſecum defrerent oues,bouesq;,& quicquid diuino cultui, ac proprio vſui neceſſarium eſſet. Dominus quoq; in Euangelio iuſsit, vt ſi quis turrim ædificare decreuerit , prius apud ſe ædificiorum ſumptus recogitet; ne fortè deficientibus pecunijs,imperfectum relinquatur opus,fiatq; ipſe cunctis prætereuntibus ridiculus . Eodem etiam conſilio ducuntur Mercatores,qui maria transfertantes, ad nundinas proficiſcuntur. Sic nimirum matura conſideratione cuncta præuideant , qui Religionem

nem arripiunt; animi sui constantiam, fiduciam, corporis valetudinẽ, status congruentiam, personarum qualitatem, internam vocationem, & operis scopum exactè discutientes, ne his neglectis, cum rubore ab incœpto proposito aliquando resiliant, receptuiq; canant. Non enim in hoc conflictu bellum arripitur cum hominibus tantùm, qui interdum prece placantur, vel pretio abiguntur, aut certè fuga declinãtur. Sed etiam aduersus principatus, & potestates, rectoresq; tenebrarũ, qui quidem sunt malitia pleni, nocendi auiditate accensi, pugnãdi assiduitate, & tentãdi calliditate pollentes. Insidiãtur deniq; operibus nostris, vt eorũ mercedem diripiant. Quãuis verò tàm in ipso vocationis initio, quàm in progressu, & fine, prudẽtiæ virtus pernecessaria sit; ob id tamẽ Dei seruus, Religionem affectans, perterrendus nõ est; Deus.n.suis athletis præsto adest, suamq; opem confert.

9 Sanè rem non inutilem me facturum existimo, si in medium adduxero elegantem in hac re Basilij magni sentẽtiam ex regulis fusius disputatis interrogatione. 10. ea autem sic habet. Cum benignus hominum amator Deus, idemq; auctor salutis nostræ, D. N. Iesus Christus prædicet, ac dicat. Matth. 11. Venite ad me oẽs, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: non fit sine periculo, si qui ad Dominum per nos accedere in animo habent, & suaue ipsius iugũ, ac præceptorũ onus, quo ad cęlum extollimur, subire parati sunt, ij à nobis reijciãtur.

10 Verùm neque illud tamen permitti debet, vt quiuis, illotis pedibus in sanctimoniam Dñi mandatorum ingrediatur. Sed quemadmodum D. N. Iesus Christus adolescentem illum, qui ad ipsum accesserat, de superiore eius vita percontatus est; cumq; rectè actam fuisse illam cõperisset: ꝙ ad perfectionẽ amplius pręterea desiderabatur, id illũ iussit adiungere: ꝙ vbi fecisset, tum demùm sequendi se, ipse potestatẽ fecit.

11 Sic quoq; nobis faciendum est, vt videlicet illorum, qui ad nos mansuri nobiscũ accedant, diligenter quæ superior vita fuerit, inquiramus. Et si quidem aliquos inuenerimus; qui aliquos iam in eo progressus ad virtutem fecerint, ijs, ad perfectionem propius pertinentia præcepta commendemus.

12 Quos verò à vitioso vitæ genere, aut ab eo, ꝙ inter bonũ, malumq; medium sit; ad Religionis perfectionem, animaduerterimus se velle transferre, eos exquiramus, sint ne instabiles, & ad deliberandũ pręcipites. Si quidem in ijs magnopere suspecta haberi inconstantia debet: Qui præter id quod nullam ipsi vtilitatem inueniunt, cæteris etiã sunt detrimento, quòd institutum viuendi nostrum falsis probris, & nequissimis maledictis magnopere infament.

13 Verùm.n. quando in rerum natura nihil est, ꝙ non diligentia corrigatur;

gatur; neq; vitium est vllum adeo graue, quod non Dei timore peruincatur: qui huiusmodi sunt, ij nullo modo à principio statim sunt desperandi, sed ad idoneas duci exercitationes debent: ibiq; & adhibendo temporis spatio, & grauioribus imponendis laboribus periculum faciendum est de illorum natura, constantiaq;: vt videlicet, si quid stabilitatis inesse in ipsis cognouerimus, eos tuto admittamus: sin minus, dū adhuc extra sunt, repudiemus, ne ex istiusmodi periclitatione detrimentum vllum in fratres redundet.

14 Porrò illud etiam animaduerti debet, an præoccupatus aliquis in delictis, abiecta omni verecundia, palàm enunciet prauam suam ante actam vitā, & à prauis socijs se se submouere velit, vt ille qui dicebat; Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem: sese ad reliquum vitæ spatium transigendum absque flagitijs præmuniens, ad Religionem confugiat, sit ille admittendus, an repudiandus.

15 Cæterum regula iam tradita seruanda est, nempe vt pertentetur, nunquid paratus sit libenter ad omne humilitatis genus absque verecundia descendere, ita vt sordidißima etiam artificia suscipere nō recuset, isque veluti vas aliquod perappositum, & accommodum domino, & ad omne opus bonum paratum compertus fuerit, ad Religionē recipiendus est. Maximè autem ei, qui ab splendido aliquo vitæ genere, ad imitandum modestißimæ humilitatis D. N. Iesu Christi exēplum festinat, munera quædam sordida præscribenda sunt; obseruandumq;, an in ijs cum animi alacritate non erubescentem, & inconfusibilem, se Deo operarium exhibeat.

Rursus de Canonicorum Regularium creatione. Cap. xv.

1 EGregia quidem extat Bened. 12. constitutio, cuius titulus est de creatione Canonicorum. Ea verò in electionis celebratione accuratè custodienda est. Statuimus igitur (inquit) vt quando in Ecclesia Cathedrali, monasterio, seu loco alio Religionis eiusdem, Canonicorum creatio fuerit facienda, nullus recipiatur, vel induatur in Canonicum, nisi persona idonea, vel de cuius idoneitate spes verisimilis habeatur: & talis, qui inibi in diuinis, vel alijs Deo posit, & velit debitè impendere obsequia opportuna: & ꝙ huiusmodi creatio, & habitus traditio fiant publicè infra Ecclesiam, Monasterium, seu alium locum Conuentualē Religionis eiusdem. Nisi causa rationabilis eas alibi fieri suaderet. Nullisq; promißionibus, seu obligationibus cum iuramento, vel sine cuiquam faciendis. Quòd si secus actum fuerit, eo ipso irritum habeatur: quodq; huiusmodi creatio, seu habitus traditio, non nisi personæ,

seu per-

seu personis Religionis eiusdem: quæ tunc etiam in Ecclesia, loco, seu Monasterio prędictis fieri debeat, aliquatenus committatur. Hij verò, qui creati fuerint in Canonicos infra probationis tempus in loco, in quo saltem septem Canonici resideant, necessariò habeant residere: eisq; idoneus, & fidelis deputetur instructor: qui eos instruere valeat in diuinis officijs, & obseruantia regulari. Cæterũ si Canonicorũ creatio fuerit facienda, eaq; pertineat ad Prælatum vnà cum Capitulo, vel Conuentu: vel cum consensu fieri debeat eorundem; si Capitulũ, seu Conuentus, vel eorum maior pars purè ad eam procederent: vel creationi faciendæ sine causa rationabili renuerint consentire: Prælatus ex quo sibi euidenter expediens, vel necessarium apparebit, huiusmodi Canonicorum creationem fieri debere; vel per Prælatum, & Capitulum, seu Conuentum: aut per illum, seu illos, ad quem, seu quos pertinuerit, concorditer deliberatum, & diffinitum fuerit, fore creationẽ huiusmodi faciendã; tunc Pręlatus moneat Capitulum, seu Conuentũ, & in virtute obedientię eis iniungat, vt purè, ac secundum Deum infra vnius mensis spatium, ad dictã creationem cum eo in primo casu procedãt: vel in secundo creationi faciendæ suum præstent consensum. Quòd si præfatum Capitulum, seu Cõuentus, monitioni, vel iniunctioni huiusmodi parere neglexerint, vel recusauerint; creatio ipsa ea vice liberè pertineat ad Pręlatum, dummodo per eum nihil in præmissis factũ fuerit fraudulenter. In casu autem deuolutionis huiusmodi, Prælatus faciendi eandem creationem cum consilio seniorum eorundem Capituli, vel Conuentus eligendorum per ipsum Prælatum, tertiã partem numero ad minus facientium eorundem Capituli, vel Conuẽtus, de personis idoneis liberam habeat facultatem: ita tamen, ꝙ tunc per dictum Prelatũ tot, & non plures creentur, quot attentis facultatibus, ac statu antiquo, & debito locorum creandi, seu creati rationabiliter fuissent, si Prælatus, & Capitulum, seu Conuẽtus in creatione huiusmodi concorditer conuenissent. Rursus eorum arbitrium, qui ad priuata suorum commoda reciprocantes affectum, faciendæ creationi Canonicorum huiusmodi nolunt aliter consentire, nisi concedatur eisdem, quòd vnus, vel plures, quos maluerint, seu nominauerint in Canonicos creentur, penitus detestãtes, hoc deinceps omnino fieri prohibemus: decernentes concessiones huiusmodi, si quę eis factæ fuerint, fore nullas, quodq; nulli ex receptione, seu creatione ex ea, vel ob eam secuta, ius aliquod in loco, in quo seu ad quem facta fuerit, aliquatenus acquiratur. Insuper præmissis adijcimus, ꝙ Capitulum, vel Conuentus Religionis eiusdem in nouitate sui Prælati, nequeant eidem Prælato, vel alteri, occasione ipsius, facere gratiam super receptione, vel creationę

Canon. pluriũ, q̃ duorũ: nec ad huiusmodi pro duobus gratiam faciendam eos, nisi de libera eorum voluntate processerit, intendimus obligare. Hactenus Bened. 12. Eadem omnino tradit ipse Benedictus in Constit. Monachorum Nigrorum S. Benedicti sub eodem tit. cap. 22.

2 Insuper annotabis fraudes ibi à summo Pontifice explicatas, quæ in electionibus aliquando contingere solent. Prima est, si promissionibus, & obligationibus factis res tractetur, & conficiatur. Secunda est, si alienis personis, quæ non sint eiusdem Religionis electio committatur. Tertia est, si Capitulum tarditatem, aut impedimentum præbeat in præstando consensu suo. Quarta est, reciprocatio affectuum, vel suffragiorum. Vt si quis aliter consentire noluerit, nisi ei concedatur, vt vnus, vel plures ad suam voluntatem eligantur.

3 Annotabis duos eligendi modos, quantum ad Capitulum attinet. Prior quidem quando ad Prælatum, & ipsum Capitulum simul electio pertinet, ita vt singuli Canonici habeant suffragium, & vocem. Posterior est, cùm ad solum Prẹlatum electio pertinet, ita vt singuli Canonici suffragium non habeant, vel vocem: requiritur tamen consensus maioris partis Capituli. Longum. n. est discrimen inter hos duos eligendi modos, in quibusdam. n. monasterijs Canonicorum prior seruatur modus, in alijs verò posterior.

4 Animaduertẽdũ est ex Dom. Soto lib. 3. de Inst. & Iu. q. 6. art. 2. indigno neminem debere suo calculo suffragari, etiam si constiterit, illum à reliquis omnibus cooptari: quoniam talis non nisi per nequitiã obtruditur: Cui nullo colore fauendum est, neque assentiendum. Etiã si elector intelligat, nihil se suo suffragio profuturum. Si tñ qui eligendus speratur, dignus est: tunc licet, ac decet, dignissimum, qui eligi nõ potest, prætermittere, vt dignior eligatur. Sunt tres, quorũ Petrus dignissimus est, Paulus medius, Ioannes verò infimus. Quòd si ego in Petro persisto, neq; ipse, neq; Paulus, sed Ioannes eligetur. Me autem accedente ad Paulum, ipse vincet: hoc ergo consilium sequi debeo, etiã si iureiurando me astrinxerim eligere digniorem. Intelligitur nanque iuramẽtum inter possibiles. Hoc autem, similiq; cessante casu, semper eligendus est dignior. Nam præterquàm ꝙ ei seruandus est honor, & legi dignitas, ad hoc etiam prodest, vt electus admoneatur æquos electores non ei fauisse. Sic enim fiet in se regendo cautior.

Ad tollendos quorundam Monasteriorũ symoniacos abusus in calce huius capitis adijcere placuit extrauagantem Vrbani quarti: quæ incipit; Sanè ne in vinea domini, in extrauagantibus communibus sub tit. de Symonia. Vbi contra particulares personas fertur sentẽtia excommunicationis, & contra Capitulum, vel Conuentum suspensionis senten-

ſententia pronunciatur, etiam contra dantes; vbicunq; pro ingreſſu Religionis alicuius perſonæ exiguntur, vel dantur paſtus, prandia, vel cœnæ, pecunia, iocalia, ſeu res aliæ etiam in vſum Eccleſiarum, vel Monaſteriorum ex ſtatuto, ſeu conſuetudine; imò etiā in alium piū vſum directè, vel indirectè: idq; contra quoſcunq; Abbates, Priores, Præpoſitos, Decanos, &c. Huic extrauaganti mirificè conſonat decretum Cōcilij Trid. ſeſſ. 24. cap. 14. Vbi huiuſmodi abuſus dānat, præter ea, quæ in vſus pios conuertuntur. Conſonat his maximè Baſilius in regulis breuioribus interrogatione. 304. vbi percontatur; nunquid pro his, qui traditi fratribus ſint, à propinquis eorū, ſi dare aliquid velint, accipiendum ſit? Reſpondet; huius rei cura, arbitriumq; eſto penes Antiſtitem. Veruntamen in hoc ſi mea etiam ſententia exquiritur, exiſtimo magis conſultū iri offenſioni multitudinis, ſi repudietur huiuſcemodi munera. Si quidem ex illorum ſuſceptione primùm illud incommodū naſcitur, q̄ ſæpenumero ob eam rem malè audit fratrum res publica. Deinde illud etiam, quòd ad ſuſtollendos animos propinquorum illorum, vnde allata illa ſunt, cauſam dant ad hæc, quòd ſecundum id, quod dictum eſt ab Apoſtolo. 1. ad Corin. 11. de ijs, qui in communi loco priuatas eſcas haberent, & potiones, illud conſequitur; Confunditis eos, qui non habent, & huiuſmodi pleraque. Quare cum ex ea re tot ſimul cauſæ ad peccatum naſcantur, rectum eſt, ſi quæ ſunt huiuſmodi, ea non accipiantur, & Antiſtiti facultas detur, vt ſtatuat ipſe, à quibus ſumi, & quæ ſumpta ſint, quomodo diſtribui conueniat.

6 Præſtans etiam eſt Concilij prouincialis Cameracenſis ſub Maximiliano Archiepiſcopo celebrati tit. de Monaſterijs cap. 12. ſententia, quæ ſic habet. Quandoquidem raró admodum terminantur ſine bono, quæ malo inchoantur principio: abeſſe omnino vult ſancta ſynodus à Religionis ingreſſu labem, etiamq; ſpeciem deteſtabilis ſymoniæ. Quocirca præcipit ſeriò, ſacros Canones inſecuta, ne Monachi, vel Moniales aliquem, vel aliquam ad profeſsionem recipiant mediante alicuius pecuniæ, aut muneris pacto: ne ea quidem ex cauſa, quod plures alere non poſsint, ſine aliquo ſubſidio: cum Tridentina Synodus cap. 3. de Regularibus apertè velit, ne plures recipiantur in monaſterium, quàm ex proprijs monaſterij redditibus, vel ex conſnetis eleemoſynis commodè ali poſsint. Vetat etiam ſancta ſynodus, ne in ipſis diebus profeſsionum, & primitiarum fiat lautus ſumptus, lautuſq; apparatus, quantus pleriſque locis fieri ſolet, ſed ſint frugalia omnia, & moderata.

De professione trium votorum in genere. *Cap. xvi.*

1 VTilissimum fore arbitror, si substantiam, intimamq; naturam Religionis hoc loco vtcumq; elucidauero. Hic.n. fundamenta iaciuntur, in quibus totum Religionis ædificium superstruitur, pulcherrimaq; Religiosorum structura in sublime culmen erigitur, extolliturq;.

2 Prima igitur hæc sit cõclusio. Perfectio Christianæ vitæ in solo Charitatis culmine secundũ suam essentiã posita est. In hoc nãq; vniuscuiusque rei perfectio consistit, quòd suo supremo fini vniatur. Per solã autem Charitatem, & Angeli, & Homo Deo vniuntur, qui vtriusq; creaturæ finis est: in Charitatis ergo fastigio nostra consistit perfectio. Iuxta illud Pauli ad Col. 3. super omnia Charitatem habere, quæ est vinculum perfectionis. Per Charitatem. n. sic cum Deo conglutinamur, vt cum anima corpus. 1. Io. 4. Deus Charitas est, & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.

3 Secunda conclusio. Eadem perfectio in duobus magnis Charitatis præceptis consistit, scilicet, diliges dominum Deum tuum, & proximũ tuum, sicut te ipsum. Hæc enim Charitas, quæ nostra est perfectio, per obseruantiam præceptorum, cõseruatur, fouetur, q; & augetur. Ex eorumq; obseruatione perfectio, salusq; nostra dependet. Præterea qui dixit, in his duobus mandatis lex pendet, & prophetæ, dixit quoq;, si vis ad vitam ingredi, serua mandata.

4 Tertia conclusio. Vniuersa Dei præcepta, quæ vel in decalogo continentur, vel ad decalogum reducuntur, atq; etiam omnia consilia, ad perfectionem Charitatis assequendam referuntur. Suntq; quasi instrumenta perfectionis. Præcepta nanq; Charitati inseruiunt, vt impedimenta tollant, quæ vel ei contraria sunt, vt peccata mortalia, vel eandem tepefaciunt, vt venialia. Consilia verò illa rescindunt, quæ & si licita sunt, nec Charitati prorsus inimica; nonnulla tamen sunt ad culmen progredientibus obstacula, vt possessiones, & matrimonia.

5 Quarta conclusio. Consiliorum obseruatio adminiculum est ad altiorem obtinendum Charitatis gradum, ꝙ cautionem præstãt, vt præstantius, ac tutius custodiantur præcepta, consiliorum.n.exercitium, clipeus est præceptorum. Qui.n. paupertatem ex animo elegit, elongatior est à perpetrando furto: & qui voto se castitatis obstrinxit, abstractior etiam est à fornicatione, & adulterio. Et qui tandem pompis seculi vale dixit, à cædibus est, alijsq; inferendis iniurijs tutior. Quare nulla, arbitror, violentia vaticinium illud Isaiæ 26. in hunc sensum adduci. Vbi propheta de vrbe fortitudinis loquens, cui est Saluator

compa-

comparatus, ait, ponetur in ea murus, & antemurale. Muri.n. appellatione quid nisi legis præcepta intelligas, quibus salus nostra circunsepta protegitur? Antemurale verò non ineptè consiliorum exercitium est, quibus Seruator noster legem Euangelicam circunuallauit.

6 Quinta conclusio; Votum Religionis in paupertate, castitate, & obedientia consistit. Religio nanque in hoc collocatur, quòd seculum deseras, vt Christum sequens, gradibus Charitatis proficias. Huc.n. attinet Pauli verbum ad Gal. 6. Mihi absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo; illud sanè significans, sic mundum post terga à Religiosis esse relinquendum, vt non solùm eum prorsus obliuioni traderent, verùm & operam darent, vt mundus ipsorum vicissim obliuisceretur. Atq; vterq; alteri sic esset alienus, ac si duo essent cadauera, hæc autem abdicatio mundi non aliter fit, quàm si illa relinquamus, quibus nos mundus retinet. Quæ sunt in cano. 1. Ioannis explicata. Omne, inquit, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Aduersus quæ consilia militant. Vt illis prorsus impedimentis eiectis, expeditiores Christi sequeremur crucem. Hoc ipsum Christus significauit Luc. 18. in illa parabola triplicis malignæ terræ.

7 Sexta conclusio; Ad perfectionis statum iam explicitum non sufficit, nec verò requiritur, vt consilia legitimè custodiatur; sed in hoc hic status perfectionis consistit, quòd perpetua voti solennis obligatione stabiliatur. Status nanq; id sua voce esse indicatur, quòd conditio libertatis, aut seruitutis. Status autem spiritualis non solùm internam obligationem, quæ Deo patens est, requirit, verùm & externam solennitatem in conspectu Ecclesiæ. Non quidē ob id, quòd quis alteri seruiat, in statu seruorū est: nam potest quisq; liberè alteri inseruire. Sed quia solenniter se in seruum tradit. Nec verò in statum libertatis asseritur, si fugerit; sed quia instrumento publico libertate donatur. Pari etiam ratione, & si quisq; absq; solenni voto possit consiliorum exercitio proficere, atq; illum Charitatis gradum, ac meriti apud Deum attingere, quem Religiosorum multi nondum fuerint assequuti, statum tamen perfectionis nemo absque perpetuo vinculo habet: & viceuersa, quamuis Religiosus non pro ratione, & dignitate sui instituti, fuerit in Charitate progressus, nihilominus ratione solennis voti in statu est perfectionis. Ob idq; vbi cætera paritatem habeant, idem opus Religiosi cumulatioris est apud Deum meriti.

8 Hanc veritatem Christus insinuat Lucæ. 9. Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Quem locū peculiariter vitæ Monasticæ sancti applicuerunt, sicut & illum Luc. 17.

Memores estote vxoris Loth. & Leuit. 27. Omne quod dño consecratur, redimi non poterit, sed sanctum sanctorum erit. De hac re consule Dominicum Sotum lib. 7. de Iust. & Iu. q. 5. art. 1.


9 Probè igitur S. Tho. 2. 2. q. 196. art. 6. ratiocinatur. Ad statum perfectionis requiritur obligatio ad ea, quæ sunt perfectionis, quæ quidẽ Deo fit per votum. Sed ad perfectionem Christianæ vitæ pertinet paupertas, continentia, & obedientia, vt probatum est. Ergo Religionis status requirit, vt ad hæc tria aliquis voto obligetur, & Gregorius super Ezechielem ait: Cum quis omne quod habet, omne quod viuit, omne quod sapit, omnipotenti Deo vouerit, holocaustum est: ꝙ quidẽ pertinere postea asserit ad eos, qui præsens seculum deserunt, & Aug. in Epist. ad Armentarium, & Paulinam ait: Non te vouisse pœniteat, imò gaude iam tibi non licère, quod cum tuo detrimento licuisset. Fœlix necessitas, quæ in meliora compellit. Demum rectè Caie. ait ibidẽ: Vouere nihil aliud est, quàm immobilitare animum, ne possint retrogredi assumentes statum religiosæ perfectionis. Collige igitur ex S. Thom. loco citato art. 7. ꝙ cupiditas exteriorum bonorum tollitur per votum paupertatis. Concupiscẽtia autem sensibilium delectationum, inter quas præcellunt delectationes venereæ, excluduntur per votum continentiæ. Inordinatio verò voluntatis humanę excluditur per votum obedientiæ. Rursus solicitudo circa dispensationem rerum exteriorum, per votum paupertatis homini aufertur. At solicitudo circa gubernationem vxoris, & filiorum, per votum continẽtiæ amputatur. Solicitudo deniq; circa dispensationem propriorum actuum, tollitur per votũ obedientiæ, quo aliquis se alterius dispositioni cõmittit. Pręterea iure optimo, votum Religionis ex Gregorio holocaustũ nuncupatur. Totum. n. quod habet Religiosus, offert Deo. Primum quidẽ res exteriores per votum voluntariæ paupertatis. Deinde bonum corporis, per votũ cõtinentiæ, quo abrenunciat maximis delectationibus corporis. Bonum autẽ animæ, per obedientiã; qua aliquis offert Deo propriam voluntatem, per quam homo vtitur omnibus potentijs, & habitibus animæ. Conuenienter igitur ex his tribus votis status Religionis integratur.

10 Quo in loco Caietanus annotauit, status, inquit, Religionis habet, vt terminum à quo, secularem vitam; & vt terminũ ad quem, perfectionem Charitatis. Et propterea est, & quies respectu solicitudinis secularis, & exercitium, ac disciplinalis motus ad perfectionẽ Charitatis. Et inter hæc duo, scilicet quietem à solicitudine seculari, & motum ad perfectionem, mediat immobilitas animi, qua firmatur Religiosus in hoc statu. Et quia immobilitas ista fit oblatione sui, & suorum omniũ ad Deum,

ad Deum, ideo etiam holocaustum vocatur. In quo ex vniuersali oblatione concluditur consistere in tribus votis Religionum. Sicut ex vniuersali quiete intellectus practici circa secularia, cuius actus est solicitudo, idem concluditur. Atque ex munditia affectiuæ partis, quæ comprehendit appetitum intellectiuum, & sensitiuum, idem concluditur.

11 Trium Religionis votorum meminit Innoc. 3. in cap. cum ad monasterium, in fine, de stat. Monach. & Canonic. Regul. dicens. Nec æstimet Abbas, quod super habenda proprietate posſit cum aliquo Monacho dispensare. Quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò est annexa regulæ Monachali, vt contra eam nec summus Pont. posſit licentiam indulgere. Concilium etiam Trid. sess. 25. in decreto de Regularibus cap. 1. inquit; Atque in primis, quæ ad suæ professionis perfectionem, vt obedientiæ, paupertatis, & castitatis, &c. pertinētia fideliter obseruent. Inde colligitur vera esse Panormitani assertio in cap. Non magno, ne Clerici vel Monachi, &c. vbi affirmat, omnes Religiosos appellatione Regularium comprehendi. Nam omnes habentes Regulam approbatam, per quam promittunt tria substantialia Religionis, dicuntur Regulares propriè, & Religiosi. Ista verò tria non promittētes, non dicuntur propriè Regulares, vel Religiosi. Quales sunt Eremitæ quidam, qui voto castitatis non ligantur, sed matrimonium contrahere possunt. Multa enim sunt Eremitarum instituta.

De Professione Regulari. Cap. xvij.



1 Rofessionem Regularē amplius enodaturi, à Benedicto 12. in tit. de Canonicorum professione, exordiamur. Præsenti (inquit) quoq; statuimus sanctione, quod singuli Canonici Religionis eiusdem professionē expressā faciant, non clandestinè, sed patenter, & si cōmodè fieri poterit, in Ecclesia, & cum Missa. Quod si fortè Prælatus, ad quem spectabit professionem ipsam recipere, tempore probationis elapso, per Canonicum profiteri volentem, cōgruo loco, & tempore humiliter requisitus, professionem eandem recipere sine rationabili causa renuerit, vel vltra debitum fortè distulerit: dictus Canonicus ex tunc in dicta Ecclesia, vel monasterio, ac membris ipsius ad omnia idoneus censeatur, ad quæ censeretur, si foret expressè professus. Teneatur tamen cùm ad hoc opportunitas se obtulerit, expresse nihilhominus profiteri. Alioquin ex tunc ad præmissa, donec expressè professus fuerit, minus idoneus habeatur, & nihilominus posſit per proprium Prælatum ad profitendum expressè compelli.

2 Prælatus quoq;, qui professionem ab eo recipere renuerit, aut distu-

lerit, vt præfertur, ad ipsius professionem expreßè admittendum per suum immediatum Superiorem Religionis eiusdem ad eum, seu ad quem pertinuerit, compellatur.

3 Nonnulla hoc loco de professione regulari dilucidanda occurrunt. Professio igitur regularis, à Siluestro in verbo professio, definitur esse illa, qua quis fit Religiosus propriè, idest, qua quis promittit expreßè, vel tacitè obedientiam, paupertatê, & castitatem in aliqua Religione approbata. Ex quo fit, duplicẽ esse professionẽ tacitã videlicet, & expressã. Professio tacita illa est, quæ vt nomen sonat, fit sine voce, & scriptura multis modis, idest tribus. Qui tamen limitantur, si sciant, & consentiant illi, quorum est incorporare Religioni. Nam sicut expressa non inducitur quocunq; voto, vel causa, nisi fiat in manibus potentis recipere, & incorporare, vel in manibus alterius habentis mandatum, vel recipientis nomine eius, sequente ratihabitione, ita nec tacita fieri potest sine eius sciẽtia, & assensu. Primò ergo inducitur tacita professio, quando quis se ingerit actibus, qui solùm professis de iure, aut consuetudine conueniunt, vt electioni. Secundò inducitur ex delatione habitus professorum, si habitus professorũ, & nouitiorum sit distinctus. Tertiò inducitur per delationem habitus nouitiorum indistincti distinctione patenti: idest colore, scissura, vel forma per annum: licet esset distinctus distinctione occulta, vt puta per benedictionem. Nec oportet addere anno diem, nisi in anno bissextili. Hæc docet Siluester in verbo Religio 3. num. 19.

4 At verò hæc professio tacita non vtilitatem, sed litium, & iurgiorũ seminarium monasterijs adferre solet. Vt experientia palàm docet, fraudibusq; plurimum deseruit, & fauet. Eis enim casibus arripitur, quibus aut nouitius aduersus Prælatum, aut Prælatus aduersus nouitium, at duæ capituli partes in se inuicem litibus, & schismate agunt. Vidimus in quibusdam monasterijs Canon. Reg. vsq; ad nouitij senium sub prætextu tacitæ professionis, expressam differri, aliaq; id genus incommoda. Quod si de præscribendo, taxandoq; probationis tẽpore quæstio vertatur, quibusdam annus, alijs biennium, ac etiã triennium ad explorandum nouitij ingenium, & mores visum est necessarium, & iure concessum. Ob idq; arbitror, nisi maxima vrgente necessitate, à Prælato vitandam esse hanc tacitam, idest litigiosam, & fraudulentam professionem; vel eo certè, quòd qui tacitè professus est, opinatur, se non teneri huic Religioni in specie, sed Religioni in genere; licet hic etiam venenosus lateat anguis. Credit. n. ad pauciora teneri, quàm qui expreßè professus est. Ad hæc tres illos modos iam recitatos, quibus tacita inducitur professio, planè cõperies apud iuris Can. consul-

cōsultos ambiguitatibus multis, millesq; limitationibus esse refertos, & Cimmerijs tenebris obscuriores. Iure igitur Bened. 12. strictè præcipit, non tacitam, sed explicitam professionem à nouitio Canonico esse emittendam: vnum duntaxat casum excipiens; Cum Prælati pertinacia durior est, & morosior in admittẽda nouitij professione, quàm ratio postulauerit; qua tamen emendata, tempore opportuno expressam professionem iubet emittere.

5 Quare prudenter, atq; persanctè sacrum Concilium Trid. Sess. 25. in decreto de Regularibus cap. 15. & 16. præcipit, professionem fieri non debere ante 16. annum expletum, nec eum qui minori tempore, quàm per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem esse admittendum. Et q̃ rem propius attingit, sic Prælatos alloquitur, finito tempore nouitiatus, Superiores, nouitios quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant, aut è monasterio eos eijciant. Ad quid enim attinet hos occultos, & vmbraticos Canonicos, imò hyppocentauros domi retinere?

6 Nunc verò de expressa professione agendũ. Ea autem fit voce, aut scriptura, in qua simpliciter promittuntur tria vota. s. obedientia, paupertas, & castitas. Quòd si nolet nouitius profiteri, nisi obedientiã solùm, ad aliaq; nollet obligari, non esset propriè professus, si hoc expressè deduxit in pactum. Quoniam remota parte substãtiali actus, remouetur totum. Illa autem tria sunt substantialia professioni Religionis, ex cap. Cum ad monasteriũ. de stat. Monach. Si verò non deducit in pactum expressè, valet professio de vno voto obedientiæ solummodo, si addatur secundum regulam talẽ, vt perdoctè tradidit Siluester in verbo Religio 3. num. 18. Hæc enim obediẽtia secundum aliquam regulam facta, est planè regularis obedientia, non secularis, aut clericalis, qualem Subdiaconus dum ordinatur, Episcopo promittit, siue igitur voueas regulam, siue secũdùm regulam iuxta modos traditos à S. Thom. 2. 2. q. 186. art. 9. ad primũ argumentũ trium votorũ obligatione teneris, vereq;, atq; cõpletè Religiosus efficeris. Nam vt inferius dicemus; in voto obediẽtiæ paupertas, & castitas includuntur; & in regula, secundum quam obedientiam profiteris, reliqua duo vota continentur. Et cùm vouisti obedientiam secundum Regulam, regularem profectò vitam vouisti, quæ in tribus prędictis votis essentialiter consistit, vt ibidẽ ait S. Tho. ob idq; professio regularis necessariò fieri debet ad certã regulã astricta. Quãuis. n. statuta nõ seruẽtur, nõ ideò statim desinit esse Religio. Nam possunt forsan ex incuria, & culpa præsidentiũ ea quæ mala reputantur, non puniri.

7 Rem profectò, quam hic excutimus, eruditè, ac luculenter explicuit

cuit S.Tho. Quolibeto 1.art.20. docens; Cautissimam, & securissimã esse profitendi formam in ordine fratrum Prædicatorum, qua profitens non promittit se seruare Regulã: sed obediẽtiã secundùm Regulam. Ex voto itaq; obligatur ad seruanda ea, quæ ponuntur in Regula, tanquàm præcepta, & quæ Prælatus secundùm tenorem Regulæ sibi præcipere voluerit. Cætera verò, quæ non continẽtur in Regula sub præcepto, non cadunt directè sub voto. Vnde ea prætermittens, non peccat mortaliter. Non.n. omnia quæ in Regula continẽtur, sunt præcepta, cùm quædam sint monitiones, siue consilia: quædam verò ordinatione, siue statuta; quædam, quæ nõ habent vim præcepti. Hæc Tho. In ordine autem Prædicatorum non exprimitur castitas, nec paupertas in forma profitendi: sed sola obedientia secundùm Regulã S.Augustini, & Constitutiones eiusdem Ordinis, vt constat ex lib. Constit. eiusdem Ordinis dist. 1.cap.15.cuius titulus est, de Professione. Quis autem mentis compos assereret, fratres Ordinis Prædicatorum non obligari ex sua professione ad seruandam paupertatẽ, & castitatẽ, nec eos profiteri professione integra tria vota substantialia Religionis? Vt quidam sibi blandientes, sibi falsò persuaserunt. Hac etiam in re perspicuus est nobis author Anto.3.par.tit.16.cap.3. dicens; Professionem expressam eam esse, quæ fit verbis ad modum homagij, quibus videlicet verbis aliquis promittit obedientiam, vel conuersionem morum secundùm Regulam approbatam; vbi sanè egregius ille author solam obedientiam secundùm Regulam approbatam exquirit, intelligens, atq; insinuans castitatem, & paupertatem in huiusmodi professione comprehendi, & contineri, vt nos exposuimus.

8 Vt autem hæc res dilucidior fiat, diligenter expende varias professionum formas, quas Dionysius Carthu. in opusculo de Professione monastica retulit art. 3. & 21. Prima est Regularissarum, quæ tñ & viris deseruiet. Ego N. soror, promitto stabilitatem, & conuersionẽ morum meorũ, perpetuã continentiã, carentiam proprij, obedientiã secundum Regulam B. Augustini sub perpetua clausura. Porrò forma professionis secundùm Regulam B. Benedicti hæc est. Ego frater N. promitto stabilitatem, & cõuersionẽ morum meorum, & obedientiã coram Deo, & sanctis eius secundum Regulam B. Benedicti in præsentia N. Abbatis. Carthusienses autem sic. Ego frater N. promitto stabilitatem, obedientiam, & conuersionem morum meorum: In quibus professionibus sub obedientia Regulari paupertas, & castitas planè continentur, licet non exprimantur.

9 Quòd si fortè status alicuius Ecclesiæ Regularis eo demergeretur, vt ritã, ac legitimam profitendi formã corruperit, & peruerterit; huius

modi

modi Canonici compellendi sunt, vt vel B. Augustini Regulam in eadem Ecclesia constitutam profiteantur,& seruent; aut ipsam ecclesiā omnino dimittant,iuxta doctrinā traditam in cap. cū causa, de elect. quacunq; cōsuetudine cōtraria reiecta.Quia nō qđ factū est, sed quod faciendum erat, considerandum est. Quam rem acutè definiuit Aug. Ticin.par.5.Propugnaculi; ad secundam rationem num. 3.

10 Non ab re hic addetur quæstiuncula illa à Speculatore proposita tit. de statu Monach.q.36. An consuetudo illius loci faciat illos verè professos,qui promittunt tātum obedientiam, nihil dando de castitate, nec de proprij renunciatione? Respondet negatiuè. Licet.n. quis promittat obedientiā, non idcircò promittit alia.Bene.n. esse potest obedientia sine castitate,& sine carentia proprij. Exemplum apponit in ordine S. Mariæ, qui Bononiæ cœpit. Nam milites illius Ordinis sunt sub obedientia sui maioris, attamen viuūt cum vxoribus in proprijs domibus,atq; etiam denuò contrahunt,nec proprijs carent,quę eis licent iuxta Regulam à Sede Apost. sibi concessam. Ergo necesse est,quòd aliquis renunciet expresse mundo,& bonis. Quidam tamen dicunt,quòd eo ipso,quòd quis habitum assumit,& obedientiam promittit,intelligitur renūciasse bonis,si illa professio sine proprio viuit. Hactenus Speculator,cuius sententiam eo retuli, ne incautum lectorē decipiat,quasi nostræ sententiæ aduersetur. Eius.n. mentem,& animū apertè explanauit additio quædam marginalis dicens: ab Vrbano 4. cōcessam fuisse hanc Regulam,& modum viuendi,in quo existunt primum Clerici,& milites professi,& conuentuales: qui quidem omnes promittunt Regulam Augustini. Proindeq; in eis sufficit solius obedientiæ professio secundùm Regulam Aug. factam, vt colligi etiā videtur 20.q.1.cap.Vidua,& de regularibus cap. Porrectum. & de electione cap. Causam,quæ inter. in fine. & de Clericis coniugatis cap. Cum olim. Sunt & alij milites coniugati in eodem Ordine, qui solùm promittunt obediētiam,& certum modum viuendi, de quibus hic loquitur Speculator:qui ideo Religiosi cēsendi non sunt, cùm & vxores ducant,& propria possideant. Quare verissima est doctorum sententia in rubricis de Regularibus,& de statu Monac.docentium, eos esse Regulares, qui Regulam, & tria substātialia vota cuiuslibet Religionis approbatæ profitētur,videlicet paupertatem, castitatē, & obediētiam.Alij verò quamuis aliqua promittant, nō dicuntur propriè Monachi vel Regulares,vel Regulam habere:sed potius certum viuendi modum,licet modus ille sit ab Apostolica Sede comprobatus.

11 Ad dirimendas etiam controuersias conducet nobis illud adijcere, quod Innoc. annotauit in cap. Porrectum de regul. Primum, si quispiam

spiam se alicui Religioni tradat, seu reddat, tantundem est, ac si profiteretur. Secundo si quispiã obedientiam monachalem promiserit, veram professionem compleuit. Tertio, omnis, & sola professio alicuius Regularum approbatarum, & de præsenti facta, sed non de futuro in manibus eius, qui habet potestatem recipiendi professionem, dirimit matrimonium, facitq; Monachum. Quarto, ex Panormitano in eodem cap. Porrectum; professio fit, fieriq; potest his verbis, trado me tibi in Monachũ, & in Fratrem: dummodo recipiatur ab habente potestatem incorporandi in Religione. Quinto, ex eodem Panor. Regula Monachorum constituens certam formam circa professionis actum, non videtur ponere formam substantificam. Vnde valet professio quibuscunq; verbis facta, non obseruata forma Regulari, idest, licet non exprimatur forma consueta, cùm enim obligatio in Deum dirigatur, defectus formæ actum vitiare non debet, sicuti idẽ in excómmunicatione sentimus; id quod admonet mente retinendũ esse. Sexto, dubitari posset, an nouitius ille annum compleuisse dicatur, qui postquàm in monasterio per sex menses steterit, postea exiuit, forisq; apposito, transactoq; aliorum sex mensium spacio, in monasterium regressus, sit ad professionem recipiendus? Tametsi verò quidam doctores partem affirmatiuam tueri velint, mihi tamẽ, & alijs non contemnendis authoribus magis probatur Panor. opinio in cap. ad Apostolicam, de Regularibus, qui asserit; iudicatq; talem nouitiũ non esse adhuc ad professionem admittendum. Sex enim mensiũ cursu non facilè poterit ordinis Regulam, statuta, & asperã praxim experiri, sed nec à Religiosis probè, pleneq; eius ingeniũ, animus, & natiui mores cognoscentur. His adde graue peccatum transgredientis professionem, ex S. Anto. 1. par. tit. 17. cap. vnico. §. 12. Facere contra aliquid essentialium Religionis. s. contra paupertatem, castitatẽ, & obedientiam esse peccatum mortale, non solùm quia contra ius humanũ, sed magis contra ius diuinum, & naturale, quia contra votum factum. In calce tamen non prætermittam professionis formam, quamuis lõgam, fastidiosam, minimeq; necessariam, perspicuam tamen, quàm tradit Speculator in exordio tit. de Regularibus. Ego N. promitto Deo, & Sanctis eius, & vobis domino Abbati, vel Priori coram vobis, & conuentu vestro, me perpetuam continentiam seruaturum in hac domo, vel monasterio, quantum Deus fragilitati meæ permiserit, & renuncio proprijs, & vobis debitam secundùm Regulam talis Ordinis obedientiam, & reuerentiam, ac stabilitatem, & conuersationem morum promitto.

De maximo obedientiæ voto. Cap. xviij.

1 Acra Regularis obedientia maximè ad Religionis perfectionem requiritur. Status nanq; Religionis, quędam disciplina est, vel exercitium tendendi in perfectionem; quicunq; autem instruuntur, vel exercitantur, directore præceptoreq; indigent, cuius arbitrio, vel etiam imperio finem optatum assequantur: necesse igitur est, vt Religiosi in his, quæ pertinent ad vitam religiosam alicuius instructioni, & imperio subdantur, id quod per obedientiam efficitur. Obedientia quoq; inter tria Religionis vota primatum obtinet, atq; princeps est. Per eã. n. quidpiam maius homo offert Deo, nẽpe ipsam voluntatẽ; quæ potior est, quàm corpus proprium, quod offert homo Deo per continẽtiam, & quàm res exteriores; quas offert homo Deo per votum paupertatis. Proptereaq; ꝙ fit ex obediẽtia, maioris est meriti apud Deũ, quã quod fit per propriã voluntatem. Deinde votum obediẽtiæ continet sub se alia vota, sed nõ cõuertitur; Nam & si Religiosus ex voto teneatur seruare continentiam, & paupertatem; hæc tñ etiam sub obedientia cadunt: ad quam pertinent multa alia præter continẽtiam, & paupertatem. Est demum votum obedientiæ Religioni essentialius. Si. n. quispiam absq; obedientiæ voto voluntariam paupertatem, & continentiam etiam voto seruet propter hoc pertinet ad statum Religionis. Hæc docet Diuus Tho. 2. 2. q. 186. art. 5. & 8.

Quo fit vt Religiosus suam voluntatem, & arbitrium in sinu, & arca sui Prælati reposuisse iure censeatur. Et Bonif. 8. in cap. Quorundam de electione in 6. inquit: Quorundam oculos sic vitium ambitionis excęcat, quòd quasi suæ professionis immemores, quia contemptis honoribus, abiectis diuitijs, spretisq; delitijs, arbitrium propriũ subiugarunt alterius ditioni, &c. Item idem Bonif. eodem tit. cap. Si Religiosus. Si Religiosus cuius arbitrium non ex sua, cùm velle, vel nolle non habeat; sed ex illius, quẽ vice Dei supra caput suum posuit, & cuius imperio se subiecit, voluntate dependet. Et idem Bonif. in cap. Religiosi de Sepulturis in 6. Religiosi nequeunt cùm velle, vel nolle non habeant, sibi eligere sepulturam: sed sunt apud sua monasteria tumulandi. Et Vrbanus 2. 19. q. 3. cap. Statuimus, ait. Statuimus ne professionis Canonicæ quispiam postquàm Dei vice, super caput sibi hominem imposuit, alicuius leuitatis instinctu, &c. Et Bonif. 8. de Testamentis cap. Religiosus in 6. ait; Religiosus executor ab aliquo in sua voluntate vltima deputatus, non potest cum velle, vel nolle nõ habeat huiusmodi officiũ suscipere, vel exequi nisi à superiore suo petita su-

per

per hoc licētia, & obedientia. Et August. in cap. Non dicatis 12.q.1. ex sermone de vita comm. cler. ait. Non dicatis vos aliquid habere proprium;sed sint vobis omnia communia,&c. Cũ huius nostræ Congregationis fratres, non solùm facultatibus, sed voluntatibus proprijs in ipsa Ordinis susceptione renunciauerint, & semper promissam obedientiam, penitus aliorum potestati,& imperijs in Christo, & pro Christo subdiderint, certum est eos nihil habere, possidere, dare,vel accipere sine superioris licentia debere.& in cap. Cum in Ecclesijs. de maio.& obedien. statuitur; Canonicos Reg.Priori suo inobedientes,per ipsum excommunicari posse; & si fuerint incorrigibiles,de fratrum consortio expelli debere. Habes iam obedientiam Regularem suis coloribus ex iure Canonico depictam.

3 Ad dilucidam verò voti obedientiæ vim, & amplitudinem vlterius notandum, ꝙ Religiosus obedire tenetur Prælato, cũ præcipit aliquid secundum Regulam, & etiam si præcipit secũdum Constitutiones. Secundum Regulam, inquam.i.secundum contenta in Regula explicitè, vel etiam implicitè;qualia sunt omnia,sine quibus Ordo Regularis, & plenior obseruatio conseruari non posset.Ad Regulam.n.pertinēt,nõ solùm quæ in ea exprimuntur;sed etiam quæ ad eam quocunque modo reducuntur. Vt pertinentia ad obsequia societatis fraternæ, & culparum punitionem.

4 Item quoties dubium est,an Prælatus præcipiat contra Regulam; vel an possit dispēsare,vel an rationabili causa moueatur, tenetur Religiosus ei obedire. 23. q. 1.cap. Quid culpatur, & generaliter vbi est dubium,an obedire teneatur, nec ne tenetur obedire Prælato præcipienti aliqua supra Regulam,si sunt ad pœnam culpæ admissæ, ex Siluestro in verbo Religio.6.§.6.

5 Item Religiosus obligatur ex sua professione sub peccato mortali. Primum,ad tria vota Religionis,seu ad Regularem vitam,quæ in istis essentialiter cõsistit. Secundo,ad obseruantiam Regulæ secũdum quã professus est;videlicet ad ea,quæ sunt in Regula sub præcepto; ad alia autem sub peccato veniali.Tertio,ad intentionem tendendi ad perfectionem,& ad non cõtemnendum principalia statuta Regulæ, omnia, vel nulla. Quarto, ad non agendum quicquam ex contemptu contra Regulam, vel mandatum Prælati. Quinto,ad omnia præcepta oretenus facta à Prælato,quæ non sunt contra Regulam.Præterea ex Caiet. 2.2.loco citato,Religiosi omnes vltra communia vincula omniũ Christianorum,& tria Religionis vota,& præcepta facta à Regula,vel prælato: quæ tamen sub voto obedientiæ comprehenduntur; habent duplex vinculum peccati mortalis. s.propter contemptum perfectionis,

quia

quia licet non teneantur esse perfecti;tenentur tamen tendere in perfectionem ; & propter contemptum Regulæ.

6 De laude, & vtilitate obedientiæ Regularis pauca nunc dicamus. Vt.n.Canonici religiosi ardentiori Reg.obedientiæ amore capiantur, non ab re fuerit ex grauissimis authoribus illius nobilitatem,excellentiam,vberemq; vtilitatem enarrare.Basilius igitur de institutione Monac.sic ait.Quoniam autem varia sunt hominum ingenia,neque similiter de rebus vtilibus omnes iudicāt, tollendæ omnis perturbationis causa,si vnusquisq; eum ritum sequi vellet, quem adamasset, illud curandum est, vt qui omnium testimonio omnibus in rebus prudentia, & grauitate,vitęq; sanctitate,cæteris omnibus præstare iudicatus fuerit,hic deligatur, qui cæteris præsit; vt suæ virtutis fructus in cunctos redundet. Vt.n.si plures pictores,omnes,separatim quisque vnius oris alicuius formam effingant, effectæ illæ omnes imagines similes inter se sunt: eodem modo si multiplicia multorum ingenia,animi vnius alicuius constantes mores sibi imitandos proposuerint, præclarè in cunctis vitæ forma eluceat, necesse est.

7 Delata igitur ad vnum quempiam de communi oīum consensu potestate,priuatæ cuiusq; separatim omnes facessere voluntates debent, seseq; cuncti deinceps,ad magistri sui mentem conformare, & præcepto Apost. obtemperare;qui ad Rom. 13.excellentioribus potestatibus subiectos esse omnes iubet, qui cum ipsis restiterint, ipsi sibijpsis damnationem inueniant.

8 Porrò vera,perfectaq; subiectorū erga Moderatorem Ordinis obedientia in eo cernitur, si quis ex eius consilio non modo à rebus flagitiosis abstineat;sed si,ne ea quidem,quæ laudabilia sunt,sine sententia illius faciat. Nam abstinētia,& omnis corporis incommodorum perpessio vtiles quidem esse poterunt: at si quis propriæ voluntati obsequens,spretis consilijs Antistitis sui id facere voluerit, huic plus mali, quàm boni erit; qui enim potestati resistit,Dei ordinationi resistit ad Rom. 13. Et præmium obedientiæ maius debetur, quàm rectè facto cum continentia. Præclara est enim obedientiæ merces.

9 Idem etiā Basilius in Regulis fusius disputatis interrogatione 41. de auctoritate Superiorum,& obediētia luculenter disserit. Neutiquā permittendum est vnicuiq;, vt arbitratu suo discat quod velit,sed illud tantummodo, ad quod aptum esse illum Antistites iudicauerint. Qui n.seipsum abnegauit, seseq; voluntatibus suis omnibus spoliauit,is nō quod vult facit,sed quod docetur. Neq; verò ratio permittit,eum sibi ipsi quod expediat deligere, qui gubernationem sui alij tradiderit. Alioqui.n.is planè sibi notam inurit, seq; prodit primo se sibijpsi placere;

cere;deinde documento eſt, artem illam cęteris anteponere, aut propter gloriam vitæ huius ,aut lucri ſpem , aut aliud id genus in eam artem propenſiore ſit affectu; aut poſtremò propter ignauiã,pigritiãuè, quod ea laboris ſit leuioris.Ab hoc autem nondum abſterſæ ſunt omnes animi morborum labes.

10 Quemadmodum autem vnumquenq; ſua ſponte quod ipſi placitũ ſit eligere,indecorum eſſe docuimus. Item quoq; pari ratione putandum eſt in vitio eſſe,ſi quis,quæ alij probauerint ipſe recuſet. Quin potius illud declarare debet,nulla ſe rei vllius vitæ huius cupiditate adductum teneri.Ex prompta.n.vbique omnibus in rebus obedientia laudi ſemper tribuitur, cum idem Apoſtolus laudet quoſdã, ac dicat,ſemetipſos dederunt primum dño,deinde nobis propter voluntatẽ Dei.

11 Cęterum aſsignato iam ſibi artificio vacare vnuſquiſq; ſtudioſè debet,& quaſi inſpectore Deo,attentiore cura illud exercere, vt verè dicat; Ecce ſicut oculi ſeruorum ad manus ſpectant dominorum ſuorum,ita oculi noſtri ad dominum Deum noſtrum.

12 Non tamen ab hoc ad aliud temere reſilire audeat. Neq; .n.natura noſtra plura ſimul ſtudia aſſequi poteſt:multoq; eſt præſtabilius vnum modò ſolerter,& induſtriè confeciſſe,quàm multa attentaſſe, quæ neceſſariò poſtea ſint relinquenda.Si quidem quæ ad res plures animi ſit diſtractio, nullum opus perfectè ad exitum perduci ſinit; morum etiã leuitatem,vel ſi ineſt,arguit,vel ſi non ineſt,ingenerat. Deniq; qui huiuſmodi eſt, in eo ſemel animũ obfirmare tenetur, vt rectè intelligat, ne ſuarum quidem manuũ ſe eſſe dominum,& alterius arbitrio diſpenſandum permiſiſſe,quicquid operis ſuæ ipſius manus cõficere poſsint.

31 Baſilius idem in conſtitutionibus Monaſticis, cap. 23.de obediẽtia Regulari,vberiori ſermone ſic proloquitur. Doceamus quàm magna ea obedientia ſit,quàm erga Antiſtites ſuos, Religionis veræ præſtare cultores debẽt. Eiuſq; magnitudinem non aliunde explicare adnitar, quàm ex ſacroſanctæ ſcripturæ auctoritate. Ad Rom. n. 13.præcipit Paulus, vt excellentioribus illi poteſtatibus ſubiecti ſint; alioqui Deo ipſi eos reſiſtere ait. Si igitur poteſtati mundi huius tantopere voluit eos eſſe ſubiectos; quàm magna ei à pietatis cultores præſtanda obedientia eſt; qui à Deo conſtitutus Præſes ſit,& Antiſtes?

14 Idem Paulus ad Heb. 13. Omni in re parendum eſſe ſpiritualibus Præpoſitis iubet,dicens : Obedite Præpoſitis veſtris,& ſubiecti eſtote eis. Ipſi.n.peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes. Hoc. n. non expedit vobis. Quòd ſi non expedit non perfectè obedire, ſine controuerſia, quod magis expedit,illud conſectari debemus. Nam mea quidem ſen-

tentia

tentia hoc quod dicitur non expedire, magni cuiusdam detrimenti significantiam habet.

15 Animaduerte etiam, quid in Euãgelijs Dominus dicat, cum de obedientia erga seruos suos adhibenda legem sanciret. Qui vos recipit (inquit) me recipit Matth. 10. Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Lucę 10. Quod Apostolis dixit, intelligẽdus est in cõmune legem sanxisse in posteros, qui aliorum futuri erant moderatores.

16 Quomodo autem veteres sancti viri animi sui alacritatem in exequendis Dei iussis exercuerint, declaramus oportet. Considera mihi Abraham, qui iubetur relinquere domum, patriam, supellectilem domesticam possessiones, cognatos, amicos, & omnia: quæ contraria his sunt, cõsectari, peregrinationẽ, obscuritatẽ nominis, viarũ errores, paupertatem, metus, pericula, & quæ incommoda peregrinos comitari solent: nihilominus tamen sublata omni cunctatione obediens fuit. Venit ille quidem in Palęstinam, locum sibi à Deo ad incolendum commonstratum. Porrò cum victus inopia regio illa opprimeretur: inde in Aegyptum digreditur, ibiq; adempta sibi vxore non conqueritur. Iam. n. in eo semel animum, cogitationemq; suam obfirmauerat, vt perfectissimam, atq; omni ex parte absolutissimam illi Deo obedientiam præstaret; ac propter hoc filium inuenit, tanquàm præmium, ac donum. Quem postea Dei iussu etiam sacrificare volebat, ne vlla in re obedientiam suam minueret.

17 Expendamus etiam admirabilem Apost. erga præceptorem obedientiam. ait. n. Matth. 10. Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum; & Matth. 24. Tradent vos in tribulationes, & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et ad Præsides, & Reges ducemini propter me. His igitur omnibus auditis, illi qui honores sessionis hinc inde ab dextra, leuaq; tantopere affectabant, expectabantq; submissa mentis ceruice, obedientiæ iugũ subierunt: alacriq; animo in pericula, in fora, in cõtumelias, in lapidationes, in ignominias, in cruces, in varias neces processere; gaudentes; quòd digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.

18 Hanc obedientiam is, qui secundum Deum verè est Monachus Antistiti suo præstet, oportet. Si quidem discipulos Christus in hoc elegit, qui hoc vitæ institutum æmularentur, vt per eos formam relinqueret eadem secuturæ posteritati. Nihil est. n. aliud Antistes (qui modo diligenter munus exequatur, cui Præpositus sit, pietatem videlicet) quàm is, qui personam Christi sustinet; & sequester est inter Deum, & Homines. Quod docemur in Christo ad Petrum dicẽte Ioan. 21. Pasce oues meas. Quemadmodum igitur Pastori suo oues obtemperant, & viam,

quacunq; ille vult, ingrediuntur. Sic qui ex Deo pietatis cultores sunt, mo deratoribus suis obsequi debent, nihil omnino illorum iussa curio sius perscrutantes, quādo libera sunt à peccato. Nouit.n. qui intelligēs Moderator est, vniuscuiusq; mores, & affectus, & animi motus diligen ter exquirere, & ad hæc accommodatum etiam in singulis remedium adhibere. Illud igitur firmissimum tenendum rem omnium esse difficillimam se ipsum cognoscere, & curare, propterea quòd naturaliter se ipsum quisque amat; & quilibet eo quod in se ipsos propensi sunt, in veritatis iudicio fallūtur. Porrò ab alio cognosci, curariq; facilè est. Cum non obstet amor suiipsorum. At verò quisquis proprium iudicium, propriamq; voluntatem Prælati sui iudicio præfert, ac voluntati, chariusq; amplectitur, is nimirum non est voluntarius pauper, nec potest peccata perfectè deserere: siquidem vitiorum radicem amat, idest propriam voluntatem suam, cui tamen merito valefacere, ac renunciare deberet. Et hæc causa est ob quam Angelus in cęlo, & Homo in paradiso lapsus est: ibidemq; etiam num labuntur, qui propriè obsequuntur voluntati. Enimuerò cum simplices, mansueti, & absque fel le esse debeant, ipsi contra nequam, & callidi, rebellesq;, & amaritudine, ac veneno intus pleni sunt, quo non se ipsos tantùm perdunt, sed sæpè etiam alijs offendiculo sunt.

19 De vetusta origine obedientiæ Regularis perdoctè disserit Robertus Episcopus Arboricensis, de tuendo cœlibatu, tom. 2. tit. Voti obedientiæ antiquissimum esse institutum. Item Laur. Iustinianus lib. de discip. monal. cap. 7. explicat modum, quo Religiosus sub obedientia sit exercendus; docens etiam; in monasterijs benè institutis, perspicuè elucere statum cœlestis patriæ.

De voto castitatis *Cap.* *xix.*

1 SAcer August. in Regula hunc in modum de Religiosorū castitate disserit, nec solo affectu, & tactu: Sed aspectu quoque appetitur, & appetit cōcupiscētia fœminarum. Et infra; Sed etiam tacente lingua, conspectu mutuò se inuicem corda nunciant impudica; & secundum concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus hæc ibi.

2 Sapiēter quidem docet Dominicus Sotus lib. 7. de Iust. & iure. q. 5, ar. 3. Rem veneream vtroq; cornui, è diametro cū Religione pugnare. Nam contra nititur cōtemplationi, diuinorumq; meditationi, quibus secundum nomen suum debet sedulò Religiosus vacare: renititur, inquam, propter voluptatis vehemētiam, quæ ex Venere nascitur: cuius

vtique

vtique frequentatione concupiscentia augetur. Idcirco in primo solliloq. Aug. ait. Nihil sentio, quod magis ex arte deijciat animum virilem, quàm blandimenta fœminæ, corporumq; ille contactus. Nec verò naturalis ratio valdè est recondita; etenim cum contemplatio subtilissimis, purissimisq; spiritibus foueatur, carnalisq;, ac brutalis ille vsus spirituũ multitudinem insumat, sanguinemq; à corde vehementer distrahat, cuius collectio ad mentis attentionem necessaria est; fit, vt idem vsus hebetudinem mẽtis efficiat: qua vtiq; de causa Paul. 1. ad. Cor. 7. coniugibus consulebat, vt orationis tempore toro separarentur.

3 Addendum etiam, ex D. Tho. 2. 2. q. 188. art. 6. ad. 3. quod efficacius medium ad continentiam seruandã ordinatur maceratio carnis per abstinentiam cibi, & potus, qui pertinent ad famen, & sitim; quàm per subtractionem vestium; quæ pertinent ad frigus, & ad nuditatem; quàm etiam per corporalem laborem. Vbi Caiet. ait; attende quod non exempli tantùm, sed veritatis doctrinam continet. Nam pauperes nudos vacare generationi videmus; similiter laborantes continuè laboribus maximis, vacare etiam generationi perspicimus: famelicos autẽ, & sitibundos nequaquam; iuxta illud, sine Cerere, & Bacco friget Venus. Melius ergo mediũ ad cõtinentiã seruãdã est abstinere à cibo, & potu, quàm carere caligis, aut calceis, & quàm laborare, & huiusmodi.

4 Postremò ad tollẽdum quorundam monasteriorum Canonicorum Regularium abusũm, qui muliercularum famulatu, ministerioq; vtuntur, memoria retineantur, quæ à Greg. papa in cap. Peruenit. 18. q. 2. Abbati Valentino præcipit. Peruenit, inquit, ad nos, quod in monasterio tuo passim mulieres accedant, & quod est grauius Monachos tuos sibi cõmatres facere, & ex hoc inchoatã cum eis communionem habere, &c. Ideo huius te præcepti serie commonemus, vt neq; mulieres in monasterio tuo deinceps qualibet occasione permittas accedere; neq; Monachos tuos sibi cõmatres facere. Nam si hoc denuò ad aures nostras quocunq; mõdo peruenerit, scito te seuerissimè noueris vltioni subdendum, vt emendationis tuæ qualitate cæteri sine dubio corrigantur.

5 Similia quoq; tradidit Conc. Prouin. Antisidorense. cap. 26. dicens: Quòd si quis Abbas mulierem in monasterio ingredi permiserit, aut festiuitates aliquas ibi spectare præceperit, tribus mensibus in monasterio retrudatur, pane, & aqua contentus. Et Conc. Prouin. Treuerense sub Io. Archiepiscopo, annò. 1549. celebratum, tit. de Religiosis, & monasterijs, inquit; Religiosi omnium Ordinum, vt sinistræ suspicionis etiam tollatur occasio, quascunq; mulieres, & religiosas, & seruientes Deo in ambitum, seu periodum monasterij recipere, aut introducere nullatenus præsumant.

6 Tandem Conc. Prouin. Cameracense sub Archiepiscopo Maximiliano, anno. 1565. celebratum tit. de monasterijs. cap. 8. sic præcepit in hac re; Mandat sacrosancta Synodus omnibus Superioribus, vt diligentissimam operam adhibeant, ne votum castitatis inter subditos periclitetur. Quibus etiam omnes occasiones consortij inuenti, ac familiaritatis cum mulieribus adimere adnitatur. Quæ profectò si quandoque ad cœnobia venerint, non eis concedatur accessus, etiam si Religiosæ sint, & Moniales, ad Religiosos, vel loca Regularia, aut Conuentualia: nisi ex certa quadam, & multum rationabili causa Superior facultatem fecerit.

7 Porrò Regularem castitatem, maxima etiam adhibita cura, custodiendam esse Basilius magnus in Constitutionibus Monasticis cap. 4. sapienter hortatur, his verbis. Non in eo tantùm elaborandum nobis est, vt motus animi in cogitando moderemur; sed quo ad fieri possit, ab earum etiam rerum congressu longissimè fugiendum est; cùm primis quæcunque in conspectum nobis adductæ, refricata libidinum memoria, consilium, rationisq; vim nobis perturbant, atq; confundunt, bellaq; solicitos in animo angores cient. Etenim bellum, quod præter voluntatem nostram incidat nobis, excipere, fortasse necessarium sit, ipsum verò aliquem sibi voluntarium creare, id summæ stultitiæ est. Si quidem ignosci ei forsitan possit, qui in priore illo victus sit (nolim autem omnino hoc Christi athletis euenire) at qui in posteriore hoc superatus discedat, is præterquàm quòd rem admodum ridiculam facit, non meretur etiam, cur sibi ignoscatur.

8 Quo circa fugiendæ in primis cum mulieribus nobis congressiones sunt, collocutionesq;, neq; ad eas vnquam accedendum, nisi cù grauissima nos aliqua ad eas necessitas impellat, & aliter facere non possimus; atq; ipsa etiam vbi nos necessitas adegerit, ab ipsis, non secus, atque ab igne cauendum est; adeò vt quam ocissime, nulla mora contracta, ab istis nos extricemus. Animaduerte enim quid de hac re Sapientia dicat Prouerb. 6. Abscondet quis ignem in sinu suo, & vestimenta sua non comburet? aut ambulabit quispiam super carbones ignis, & pedes non comburet?

9 Quòd si quis dicat, ex assiduo se cum mulieribus colloquio, cógressuq;, & conuictu non admodum lædi; hic sine dubio, aut Maris naturæ particeps nó est, & portentum est quoddam insolentissimũ, & præter omnium opinionem admirabile, & in vtriusq; sexus (vt ita dicam) cófinijs positum: cuiusmodi esse illos ferunt, qui nati eunuchi sunt, si quidem hoc illi etiam velimus tribuere, quod nullo modo fœminarum libidine afficiantur, aut moueãtur concupiscentia enim spadonis deuirgi-

uirginans iuuenculam, inquit Sapiens Eccl. 20. Aut certè ſi expers non eſt, cum totus immerſus libidinibus obruatur, ebrijs, aut phrenitide correptis ſimilem ſe eſſe non ſentit, qui grauiſsimis affecti morbis, morbum à ſe tamen abeſſe omnem exiſtimant.

10 Verùm quòd ratio non dat, hoc demus nos in diſputatione: poſſe, videlicet aliquem exiſtere, qui nullis libidinum aculeis pungatur, aut extimuletur. Verum, & ſi hoc ipſe non ſentit, quomodo quæſo hoc ita eſſe, cæteris facilè poterit perſuadere? porrò quòd quis nulla propoſita vtilitatis ſpe, multitudinem ſcandalizet, hoc ei arbitror non vacare periculo. Quanquam ad hanc alia etiam ratio ſpectanda eſt: quòd eſto, vir nullam ipſe in animo ſuo pernicioſę cogitationis noxam conceperit, de muliere certè, quòd ea quoque idem faciat, nunquam nobiſcũ cõtrouertet, quòd ipſa videlicet nullis corporis libidinibus moueatur. Quin incidit ſæpenumero propter conſilij imbecillitatem, & maiorem quandam in eo ſexu ad libidines procliuitatem, cùm fœmina eius viri libidine commota ſit, atq; ille quidem nullum vulnus accepit, ſed ſæpenumero inflixit. Et quemadmodum id fecerit, nõ intelligit. Tum per ſimulationem, videlicet ſpiritualis charitatis Monachum crebrò adiens muliercula, oculis primũ peccato explere ſe incipit, & formam illius aſpectibus laſciuis depaſcitur, & abditam intus virginem impuris cogitationibus vitiat, & corrumpit.

11 Proinde ne eorum, quæ diximus quicquam eueniat, danda eſt opera, vt ſi qua fieri poſsit, mulierum colloquia, congreſſusq; funditus fugiamus. Sin id non poſsit, in eo enitendum eſt certè, vt quàm rariſsima illa, & quàm breuiſsima fiant: neque id ex odio ſexus, neque vt qui cognationem illarum abnegemus: Quin potius earum etiam patrocinium ſuſcipiamus, & quantùm in nobis eſt, benignè faciamus, & cum omnibus promiſcuè, quæ naturæ humanæ participes ſunt; tum verò illis præcipuè, quæ pro ſeruanda integra caſtitate in certamẽ deſcenderunt, veluti quæ in pari, ac fraterno nobiſcum curriculo certent: congreſſum tamen defugiamus. Ne ex ipſarum aſpectu, in memoriã eius, cui ſemel nuncium remiſimus, libidinis, cuiq; aditum ad nos perpetuò interclusimus, redire cogamur. Diogenes autem Philoſophus aduigilans quidem extitit caſtitatis cuſtos, immodicus tamẽ fuit fœminarum oſor. Hic.n. cùm aliquando vidiſſet mulieres ex oliua pendere laqueo præfocatas, vtinam (inquit) & cæteræ arbores ſimilẽ ferrent fructum. Cupiebat nanque omnes videre penſiles. Extat libellus aureus, & loculentus D. Cypriani de ſingularitate Clericorũ, vbi docet, aſtutum alieno periculo erudiri, aculeumq; eſſe peccati formam mulieris, plurimasq; eſſe mulierum inſidias, & laqueos. Subdit

deniq; vltimo loco perquam egregiam castitatis commendatioem,& virginitatis præconium. Quibus verò modis valeat homo incorruptā custodire castitatem,& continentiam erudiuit nos Laur. Iustin. breui quidem, sed luculenta ratione lib. de Continentia cap. 5. Quemadmodum.n. continentiæ thesaurus laboriosè acquiritur, ita facilè amittitur, si eius puritas negligatur. Confouendi igitur sunt sobrius cibus, labor moderatus; habitus asper, & vilis, custodia sensuum, sermonis parcitas cum honestate, & peccandi opportunitatis fuga.

De voto paupertatis. Cap. xx.

1 AD perfectionem Charitatis acquirendam, primùm fundamentum est voluntaria paupertas, idest vt Religiosus absq; proprio viuat; dicente Domino Matth. 10. Si vis perfectus esse, vade, & vēde omnia, quę habes, & da pauperibus, & veni sequere me, & habebis thesaurum in cœlis. Sic.n. fiet, vt affectus à rebus humanis penitus abstrahatur. authore.n. August. 10. Confessionum ad Deum loquente; Minus te amat, qui tecū aliquid amat, quòd nō propter te amat. Item nutrimentum Charitatis, diminutio est cupiditatis. Aliud.n. est nolle incorporare quæ desunt, aliud iam incorporata diuellere. Illa enim velut extranea repudiantur, ista verò velut membra præscinduntur.

2 Præterea perfectio non consistit essentialiter in paupertate, sed in Christi sequela. Paupertas autem perfectionis instrumentum est; vnde in Collationibus patrum, Abbas Moyses dicit; Ieiunia, vigiliæ, meditatio scripturarū, nuditas, ac priuatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt. Paupertas.n. est, quæ ablatis diuitijs, tollit tria quædam Charitatis impedimenta. Quorum primū est solicitudo, quàm secum diuitiæ afferunt. Secundū autē est diuitiarum amor, qui ex diuitijs possessis augetur. Tertium est inanis gloria, vel elatio, quæ ex diuitijs nascitur. Iuxta illud psalmi 48. qui confidūt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur.

3 Cæterum, & si habere aliquid proprium perfectioni repugnet Religionis. Habere tamen res communes non repugnat, sed ad Charitatem pertinere potest. Ex quo fit, quòd habere res exteriores in cōmuni, siue mobiles, siue immobiles, quantùm sufficit ad simplicem victum, perfectionē Religionis nō impedit; si consideretur paupertas p cōparationē ad finē cōmunem Reg. qui est vacare diuinis obsequijs. In ordine verò ad speciales fines Religionum, maior, vel minor paupertas est Religioni accōmodanda, quæ sit suo fini proportionata.

4 Iuxta hanc finis proportionem effectum est, vt tribus Religionum gradi-

gradibus triplex quoque paupertatis gradus correſpondeat, & competat. Nam illis Religionibus, quæ ordinantur ad corporales actiones actiuæ vitæ; vt puta ad militandum, vel ad hoſpitalitatem ſectandam, competit habere abundantiam diuitiarum communium. Illis autem Religionibus, quæ ſunt ordinatæ ad contemplandū, magis cōpetit habere poſſeſsiones moderatas; niſi ſimul oporteat tales Religioſos per ſe, vel per alios, hoſpitalitatem tenere, & pauperibus ſubuenire. Illis denique, quæ ordinantur ad contemplata alijs tradenda, cōpetit vitam habere maximè ab exterioribus ſolicitudinibus expeditam. Quòd quidem fit, dum modica, quæ ſunt neceſſaria vitæ, congruo tempore procurata conſeruantur.

5 Quòd verò Hieronymus ad Heliodorum de quibuſdam ait. Sunt ditiores Monachi, quam fuerant ſeculares; poſsident opes ſub Chriſtò paupere, quas ſub locuplete diabolo non habuerunt; ſuſpirat eos Eccleſia diuites, quos tenuit mundus ante mēdicos, &c. locum habet, vbi ſunt ſuperbundantes diuitiæ, quæ habentur quaſi propriæ. Vel per quarum abuſum etiam ſinguli de communitate ſuperbiunt, & laſciuiunt. Non autem habet locum in diuitijs moderatis, communiter conſeruatis ad ſolam ſuſtentationē vitæ, qua ſinguli indigent, & vt vel hoſpitalitati vacent, aut patres pauperum ſint, vt gaudeat Eccleſia eorum diuitijs, inani pompa reiecta. Hæc omnia docet D. Tho. 2.2. q. 186. art. 3. & q. 188. art. 7. Ex cuius aperta ſententia proprietatem Canonicis Regularibus eſſe interdictam planè intelliges.

6 De eadem Regulari paupertate, ſuaui quidem pertractatione egit Baſilius Magnus, cuius rei exordium in ſermone de Exercitatione monaſtica conſcripſit huiuſmodi. Monachum oportet cum primis nihil in vita, quod iuris ſui proprium ſit poſsidere.

7 Vberiori tamen ſermone eandem rem depingit in Conſtit. Monaſt. cap. 35. Debet, inquit, pietatis cultor, qui in vita communitatem amplexus ſit, ab omni priuata rerum poſſeſsione liber eſſe. Etenim niſi hoc facit, primum quidē ſocietatis exactā diſciplinam priuata poſſeſſione corrumpit: Tum ipſe etiam magnopere de ſe indicio eſt, vt qui Deum perpetuò ijs alimenta ſuppeditaturum diffidat, qui in nomine ipſius congregati ſint: neq; illud audiuerit, quod dicitur à Propheta Pſal. 36. Iunior fui, etenim ſenui, & nō vidi iuſtum derelictū, nec ſemē eius quærens panes. Si quidē neq; Iſraelitis in vaſta illa ſolitudine ipſorum vſui neceſſarium quicquam defuit. Aut ſi etiā defuerit, ad probationē noſtrā, ſatius eſt inopia laborare, & cū Chriſto eſſe, quā diſiunctos ab eius ſocietate, in rerum vitæ huius omnium affluentia verſari.

8 Porrò incommodum, quod ex iſtiuſmodi poſſeſsione naſcitur, ne-

quaquam hic tantùm resistit, sed vlterius etiam progreditur. Etenim qui proprium habere aliquid studet, is sine dubio nihil aliud, quàm disiunctionem, ac defectionem à cæteris meditatur. His planè de morte animæ suæ inferenda meditatur, qui exiguis obolis salutem suã prodere paratus sit, & alter Iudas efficiatur: nempe qui à furto exordiatur (furtum est.n. priuata possessio) & in proditionem desinat: quãdoq vt ille dominum, sic iste etiam veritatis verbum prodit. Quandoquidem instituti nostri Regula hoc habet, non licere nobis, neq; ab ea societate, ad quam aggregati sumus disiungi; neq; priuatam vllam pecuniam acquirere, neq; denique clancularið quiduis moliri. Et legib. Spiritus Sãcti violatis, societatem primum expilare (societatis.n. expilatio est rei cuiuscumq;, & vndecunq; in priuatum vsum seuocatio) deinde defectionem etiam, ac separationem cogitare.

9 Quocirca omni modo fugiẽdũ nobis est, ne priuatim omnino quicquã possideamus præterea, quæ promiscuè omnibus simul cõparãtur.

10 Rursus idem author in sermone de Instit. Monachorum sic docet. Conuenit igitur, vt quemadmodum qui in balneum ingrediuntur, vestimentis se omnibus denudant. Ita, & qui colendæ pietatis causa ad socialem vitam accedunt, omni rerum vitæ huius materia exuti, genus vitæ, quod est secundùm Philosophiam, ingrediantur. In hoc autem illud caput est, & in quo præcipuę elaborare Christianus debet, vitiosas animi affectiones diuersas, ac varias, quibus illius anima infici solet, ab se segregare. Deinde oportet, vt qui ad excellens hoc, & sublimæ vitæ genus aspirat is pecunia sua omni se spoliet. Si quidem earũ rerum, quę sunt cum materia coniunctæ solicitudo, procuratioq; magnopere mentem, atque animum distrahunt.

11 Quoties igitur plures inuenti fuerint, qui eodem sibi cuncti proposito fine, vitam vna inter se agere decreuerint, hoc cum primis firmè tenere illi debent, vt cunctorum vna omnium mens sit, & voluntas vna, & idem prorsus desiderium. Hoc autem aliter confici nõ potest, nisi apud eos illud probe stabilitum teneatur, vt nihil quicquam suum cuiusquam esse præcisè, & peculiariter dicatur: Non vestimentum, non vas, nõ aliud quippiam eorum, quæ ad societatem vitæ cõducunt. Ea re, vt singula hæc vtilitati communi, non autem priuato sibi vendicantis, cõmmodo seruiant.

12 Idem Basilius in regulis breuioribus interrogatio 88. Quærit, nunquid priuatim aliquid haberi conueniat, in societate fratrum? Respondet. Hoc contrarium est testimonijs hijs, quæ habentur in Actis. cap. 4. de ijs qui crediderant: in quibus scriptum est, neque quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, quare qui

dicit

dicit suum aliquid esse, is seipsum alienum reddit ab Ecclesia Dei, & Charitate Domini, qui quidem & verbo, & re docuit ponendam esse animam pro amicis, nedum res externas.

De prohibita proprietate ex Regula Augustini. *Cap.* *xxi.*

1 
T verò proprietatem quorumcũque bonorum vetuisse Aug. suis Canonicis, ex ipsius Regula, secundũ quã Regularem professionem emiserunt, ostẽdere enitar. Primum, proprium habere prohibet Augustinus alũnis suis in Regulę exordio: Quo magis Charitatẽ, & pacem finem esse Religionis ostenderet, dicens; & non dicatis aliquid proprium. Si ergo prohibet expresse verbum proprietatis, à fortiori, & factum. Subditq́;, sint vobis omnia communia. Omne autem vniuersale signum est, generaliter cõprehendens quæcunq; sub possessione cadunt, cuiuscunq; naturæ sint; siue sint iocalia, siue pecunia, vel aliud quidpiã. Idcircò subiungitur, & distribuatur vnicuiq; vestrum à Præposito vestro victus, & tegumentum, &c. Non dicit, viginti libras, aut scuta, aut certas portiones particulares, atq; diuisas, vt grana, & vinum, & alia huiusmodi; sed tegumẽtum paratum, quod longe minoris est occupationis, quàm prætium eius, consonantiusq́; vitæ Apostolorum, quæ illic ex eorum Actibus citatur, à qua Regularis vita originem trahit. Non.n. Apostolis, eorumq́; discipulis pecunia, sed victus, & vestitus distribuebantur. Ideò ingredientibus monasterium dixit, qui aliquid habent in seculo, quãdo ingressi sunt monasterium, libenter illud velint esse cõmune. Ergo si quod de seculo affertur, cõmune esse iubet, potiori iure, & illud quod monasterij est, & de redditibus communibus assumptum; vt hac arte, & modestia diuites humilientur, & pauperes non inflentur.

2 Ex hac re Aug. animum facilè intelliges, quantum videlicet sibi cordi fuerit communio; quę Charitatis inter fratres est mater, quam abominabile illi fuerit propriũ, quod est dissensionis, & iurgiorũ fomes. Quòd de eo primo loco tractare cœperit in Regula, vsq; ad locum de oratione. Non nescius proprietatem schismata generare, vnanimitati aduersari, & paci, quibus opus est orãtibus. Quid.n. prodest vna domus, si separet diuersa voluntas? Quoniam longe maior est vnitas animi, quam loci: habitus, & conuictus cordis, q̃ corporis; si concordiæ aduersatur propria voluntas, ergo propria cista, aut bursa non conuenit communi Charitati; quæ communia proprijs ante ponit. Sic Hugo, præclarus Regularis Canonicus in expositione Regulæ, inquit; Nõ dicimus quicquam meum, aut tuum, sed nostrum; vt vestis nostra, domus

mus nostra. Omnia.n.in communi habenda sunt. Carnales sunt fratres, qui communia diuidunt; spirituales verò, qui diuisum in communi reponunt. Imitemur Apostoli sententiam. 1. ad Thim. 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.

3 Pręcepit Aug. in Regula; Vnicuiq; prout opus fuerit, esse distribuẽdum. At verò sic Dominus ordinauit Ecclesiam, vt pleriq; spiritualibus; cęteri autem temporalibus vacarent. Præpositorum quidem officia sunt, subditis corporalia ministrare. Subditorum verò spiritualibus insistere, Orationibus videlicet, contemplationi, & lectioni: confunditur ergo Religio, cum quisq; prouisor efficitur necessitatis, & cõmunis magister vestiarij tollitur. Inter alias occasiones proprietatem inducentes, illam profectò potissimam arbitror fuisse, humanũ timorem deficiendi in necessarijs, tempore ægritudinis, & senectutis. Nunquam tamen fuisset Augustino circa infirmos, & debiles in Regula tãta cura, nisi hanc sollicitudinem à cordibus fratrum intendisset euellere: Sanos admonens, ne molestè ferant, quod ægri lautius pascantur, fœlicius esse ducens, minus egere, quàm plus habere.

4 Proprium Religiosorum Regularium eo loco ab Augustino impugnatur in Regula, cum inquit; Quicunq; in tantum malum progressus fuerit, vt occultè ab aliquo litteras, aut munus accipiat: si hoc vltro offert, parcatur illi, & oretur pro eo. Si autem deprehenditur, aut conuincitur, grauius emendetur: vbi Hugo ait; Aliquid occultare, est Ordinem infringere, & sanctum propositum paupertatis. Qui abscondit (inquam) mortaliter peccat, velut alter Giezi, factus sacrilegus. Nisi ergo perniciosum saluti esset proprium, Augustinus non vocaret illud grande malum, grauiterq; puniendum, præsertim ex dono, vel munere, vel proprijs bonis seculi procedens, quid autem dixisset, si ex impia voluntate de bonis communibus quidpiam rapiatur?

5 In Regula proprietas repellitur, vbi Augus. ait; Vestes vestras sub vno custode habeatis, vel pluribus: ne à tinea lædãtur, vbi Hugo, custodiri iubet vestes propter duo. primo ne per incuriam à tinea lædantur; secundo, ne frater quispiam illam quam habet vestem, propriã credat si in proprio loco seruaretur, vt in camera, vel in cista eius. Ad exterminandam.n. omnem proprietatem addit, non ad vos pertineat, quòd vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur, vtrum illud quod quis deposuerat, an aliud recipiat: neq; conqueratur, deterius se accepisse, quàm posuerat: sed magis probatè, quantũ vobis desit in sancto interiori habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis: Vbi Hugo; Discamus fratres superflua resecare, vt dũ quod opus est, non negatur, vltra quam opus sit, à nemine requiratur; superflua quidem

dē est secunda tunica, & perfectioni Religionis Euangelicæ contraria. Mat. 10,& Luc. 9. neq; duas tunicas habeatis. Hæc etiam omnia vehementer confirmat insignis ille Regulæ locus. Sicut pascimini ex vno cellario, sic induamini ex vno vestiario, iubet ergo esse vnum commune cellarium quo ad victum; vnumq; commune vestiarium quo ad vestitum. Nec contentus fuit Aug. si commune esset cellarium, vestiarium, munera parentum,& amicorum, sed etiam præcipit, communia esse opera singulorum, dicens: Nullus aliquid sibi operetur, sed omnia opera vestra in vnum fiant, maiori alacritate, & studio quàm si vobis ipsis faceretis. Et quantò amplius rem communem, quàm propriam curaueritis, tantò amplius vos noueritis in Religione proficere.

6 Eadem sententia contra proprietatem corroboratur ex illis verbis Regulæ; Congruum est.n.vt qui filijs suis in monasterio constitutis aliquam contulerint vestem, siue quodlibet aliud inter necessaria deputandum, illud non accipiatur occultè, sed sit in potestate Præpositi, vt in rem communem redactum, cui necessarium fuerit, præbeatur. Maior autem ratio communitatis videtur esse in bonis Ecclesiæ communibus, quàm in ipsorum parentum donarijs, quæ ex proprio eorum processerunt. Ergo si proprium prohibuit in secundis bonis, multò verius in primis. Vbi Hugo in communi, inquit, omnium vita, cuiusmodi est Religionis cōuersatio, nihil licet recipi, nihil occultè retineri: alioqui iam non esset cor vnū, & anima vna, si non essent omnia cōmunia: Vbi autem omnia cōmunia, nulla sunt propria; ergo aut non stas promissis, Voti fragus, aut nihil penes te propriū habes. Cum.n.nihil retinetur proprium, auaritia restringitur, inuidia religatur,& omne fomētum discordiæ aufertur, superfluum resecatur, Charitas vnanimis cōnutritur, & sancta custoditur paupertas, atque dum non licet terrena retinere, cogitur amplius cęlestia cogitare, tractare, diligere. Tanto.n. minus superna diligit quis, quanto magis in infimis delectatur. Idcircò frater, qui munus acceptum celauerit, furti iudicio condemnetur. Imò, vt inquit Hugo, sacrilegio, quasi Iudæ similis proditori. Cùm rem communem ecclesię de sinu charitatis subtrahit in proprium vsum, ad abiectum seculum retrospicit,& Regulam violat,& votum. In communi fundatores contulerunt,& nisi in communi cum salute retineri non potest. Si obediendum est Præposito, D. August. maximus, & primus Præpositus est post Deum in Regula. Obediendum igitur illi est, cùm in tam plurimis locis Regulæ Regularibus filijs suis Canonicis præceperit, omnia habere communia,& in proprio nihil constituēs commune cellarium,& commune vestiarium; ex quo petenda sunt vestimenta,& calciamenta. ait.n. Vestimēta,& calciamenta, quando fuerint indigenti-

digẽtibus necessaria, dare non differant, sub quorũ sunt custodia, quæ poscuntur. Itaq; tolle proprium de claustro, & lampades extinxisti inuidiæ, luxuriæ, rixæ, auaritiæ, cæterorumq; defectuum.

7 Vehementer quidem dolendum est, ꝙ hoc proprietatis virus quàm plurimos infecerit, quodq; nemo vetustatẽ abusuum doleat, vt inquit Gerson. Verendũ igitur est, ne illud Matth. 23. in nos contorqueatur. Væ vobis, &c. qui decimatis mentam, anetum, ciminum, & reliquistis, quæ grauiora sunt legis, iudicium, misericordiam, & fidem. Si in notula cantus, vel in lectione vocabuli titubatur; si rumpitur leuiter silentium; si cæremoniæ non seruantur, si vestes indecenter sint comptæ, si in rebus deniq; minimis defectus, vel modicus committatur, diligenter corrigitur. Quæ autem maiora sunt in Regula, votaq; tria concernentia, cuiusmodi sunt superbia, rancor, comessationes, luxuriæ, proprietas, auaritia, prætiosæ vestes, vasa argentea, cæteraq; curiositates, proh dolor, negliguntur. Huiusmodi Prælatos Christus loco citato, cæcos, cæcorumq; duces appellat, deglutientes camelum, & culicem excolantes. Lege Gersonem in opusculo de Proprietate.

8 Porrò Dionysius Carthus. in opusculo de Reformat. claustr. ab art. 8. ad. 18. articulatim, & luculenter Religiosorum proprietatem profligat, art. autem, 15. insignem doct. Theologum Theodoricum de monasterio, Cancellariũ Coloniensem refert, qui in suo tract. de Proprietate cap. 6. Sequentes statuit cõclusiones ad cognoscendum proprietarium. Prima conclusio: Monachus, aut Monialis habens pecuniam, aut aliam rem sine permisione sui Superioris, proprietarius cẽsendus est. Secunda conclusio; Persona Religiosa habens pecuniam, aut aliud peculiũ, quod suo Superiori occultat, vel occultare proponit, proprietaria est censenda. Tertia cõclusio; Persona Religiosa habens pecuniã, aut aliã rẽ q̃ non vult dimittere ad requisitionẽ sui Superioris, est proprietaria. Quarta cõclusio: Personę Religiosæ cogẽtes Superiorẽ suũ per se, aut per alios ad hoc, vt det eis licentiã habẽdi peculiũ, proprietariæ sunt dicendæ. Quinta cõclusio: Superior nõ põt licitè pro libito suę volũtatis tradere cõuentualibus suis peculiũ, siue pecuniã, illis præsertim, qui nõ habẽt administrationẽ, siue officiũ in cõuentu, qđ sine pecunijs exercere nõ possunt; qm̃ hoc est Superiori prohibitũ per iura Canonica. Sexta cõclusio; Qũ Superior transgrediẽdo Sũmorũ Pont. præcepta, & statuta, assignat alicui peculiũ, ipse quidẽ grauiter peccat, & recipiens tale peculiũ, similiter peccat, & proprietarius est iudicãdus: qm̃ habet peculiũ cõtra prohibitionẽ Papę, q est super vniuersos Pręlatos. Quas quidẽ cõclusiones ꝓbationibus destitutas reliquit Diony. Carthu. qm̃ eas apud intelligentes, per q̃ notas, & certas esse testatur.

Quod iure Canonico Religiosis proprietas interdicatur. Cap. xxij

1 INterdictam esse Canonicis Regularibus, alijsq; Religiosis proprietatem, multis in locis iura Canonica tradiderunt. Nam Clemens. 4. 12. q. 1. cap. Dilectissimis. Communis, inquit, vita omnibus necessaria est, & maximè his, qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt, & vitam Apostolorum, eorumq; discipulorum imitari volunt, &c. Quapropter hæc vobis cauenda mandamus, & doctrinis, & exemplis Apostolorum obedire præcipimus, vt ab Apostolicis regulis non discedatis, sed communem vitam ducentes adimplere satagatis. Et Vrbanus Papa 12. q. 1. cap. Scimus. Sic ait: Quicunq; vestrum vitam communem susceptam habet, & vouit se nil proprium habere; videat, ne pollicitationem suam irritam faciat, sed quod Domino pollicitus est, fideliter custodiat; ne damnationem, sed præmium sibi acquirat.

2 Concilium etiam Lateranense in cap. Monachi, de statu Monac. &c. Monachi, inquit, non pretio recipiantur in monasterio, nec peculium permittantur habere. Qui verò peculiū habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei proiniuncta administratione permissum, à communione remoueatur altaris; & qui in extremis cum peculio inuentus fuerit, & dignè non pœnituerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres accipiat sepulturam: quod etiam de vniuersis Religiosis præcipimus obseruari. Abbas autem, qui ista diligenter non cauerit, officij sui iacturam se nouerit incursurum. Quo in loco cū ait, pro adiuncta administratione, intelliges, vt si fuerit Vestiarius, Eleemosynarius, vel Thesaurarius, vel huiusmodi cōmune habens officium, deseruiens vtilitati communi ecclesiæ: vt sit fidelis, & prudens dispensator, non quærens quæ sua sunt, sed quæ omnium. Vt explicuit Gerson loco citato.

3 Clemens 3. ibidem cap. super quodam, sic inquit; Super quodam Canonico Regulari, qui in articulo mortis agens: licet à Priore suo commonitus, proprium, quod contra Regularem latenter habuerat, noluit resignare, & sic diem clausit extremū, & fuit inter alios fratres traditus sepulturæ, & infra.

4 Inquisitioni respondet, quòd ille Canonicus non tantùm fuit Christiana sepultura priuandus, verùm etiam si sine maximo scandalo potuit fieri, de ipsa proijci dignus est ecclesia.

5 Hoc autem, cum fortè contigerit, in similibus est agendum.

6 Item Innocentius 3. ibidem in cap. cum ad monasterium, ait: Prohibemus districtè sub attestatione diuini iudicij; ne quis Monachorū proprium aliquo modo possideat: sed si quis aliquid proprium habet,

totum

totum incontinenti resignet. Si verò post hoc proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, regulari monitione præmissa, de monasterio expellatur: nec recipiatur vlterius, nisi pœniteat secundùm monasticam disciplinam. Quod si proprietas apud quenquam inuenta fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra monasterium in sterquilinio subterretur, secundùm quod beatus Gregorius narrat in dialogo, se fecisse. Vnde si quidquam alicui fuerit destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati, vel Priori, vel Cellario assignetur, &c. Ne æstimet Abbas, quòd super habenda proprietate possit cũ aliquo Monacho dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeò est annexa Regulæ Monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.

7 Huc maximè pertinent, quæ sacrum Concilium Trid. sess. 25. in decreto de Regularibus cap. 1. & 2. explicuit, & sanciuit de statuenda vita communi, quò ad victum, & vestitum, & de abroganda, eliminãdaq; Regularium proprietate. Eandem iniquam proprietatem longè repellit Bened. 12. in Constit. Canonic. Regulariũ tit. de victualibus, & alijs ministrandis, sic dicens. Institutionibus regularibus inhærentes, statuimus, vt Canonici in ecclesijs cathedralibus, monasterijs, siue locis alijs collegiatis, seu conuentualibus dictæ Religionis constituti, consuetudine, seu vsu (quinimo abusu contrario non obstante) in Refectorio comedant in communi: nisi in casibus, in quibus, & prout eisdem licitũ est, seu permissum, extra Refectoriũ comedere secundùm regularia, & canonica instituta. Prouiso quòd illi, quibus incumbit onus prouidendi de victu, Canonicis eisdem prouideant sufficienter, & decenter, nõ in pecunia; sed in victualibus: prout cuilibet opus erit. De qua sufficientia, & decentia victualium tractetur: & si expedierit, ordinetur in Capitulo annali; decernentes, quòd si qui redditus, vel pensiones alicui ex Canonicis singulariter hactenus pro victualibus fuerint assignati, nullatenus dimittantur eidem. Nos enim assignationes huiusmodi reuocamus, & pro reuocatis haberi volumus, & eas fieri deinceps prohibemus.

8 Considera obiter pensiones, seu portiones diuisas, vel assignatas dãnari, & reprobari à summo Pontifice. Deinde subiungitur. Illi quoque quibus incumbit onus de vestimentis, calciamentis, & alijs corporis indumentis necessarijs dictis Canonicis prouidendi, eisdem prouideant sufficienter, & decenter, & tempore congruo iuxta suppetentiam facultatum, & conditionem, seu qualitatẽ regionis; & illud, quòd dandum erit singulis pro uestimentis, & alijs prædictis, ordinent, & taxent, si opus fuerit, in annali Capitulo memorato.

Quæ

9 Quæ quidem taxatio non est intelligenda in pecunijs dandis cuilibet sigillatim, sed potius secundùm litteram Regulæ Magistro vestiarij, qui debet ista prouidere in cōmuni pro omnibus illis, vel illis, quibus incumbit onus de vestiarijs, & calciamētis, & cæteris. Nam distributa cuilibet portione pecuniæ, vt quispiam fortè falsò opinari posset, sequitur, nulli incumbere onus ista prouidendi in communi pro singulis. Quem locū in hunc modum interpretatur Gerson in opusc. de proprietate 1. par. propè finem.

10 Postremò idem Pontifex Bened. in tit. de Canonicis, & Conuersis proprietarijs, & negociatoribus hāc rem enodauit dicens: Licet cōtra Religiosos proprietarios sit prouisum per canonicas sanctiones, tamē specialius prouidere volētes contra illos Canonicos, & Conuersos dictæ Religionis; qui suæ salutis obliti cōtra regulares, & canonicas institutiones, pecuniā congregant, iura, possessiones, seu census annuos, & alia bona emunt, seu emi faciunt, aliquando proprio, & sæpe nomine alieno, multis super hijs figmentis adhibitis, alijsq; tradunt animalia nutrienda eorum nomine, seu pro ipsis, & alijs multos contractus diuersimode tanquàm negociatores exercent; necnon appetentes, & sectantes lucra turpia, peculium occultant, & illicitè detinent in suarum periculum animarum; decernimus omnia præmissa (quæ tamen restitutioni non subiaceant aliorum) ne dum post obitum: sed etiam in vita ipsorum Canonicorum, & Conuersorum fore administrationi, ad quam pertinuerint, applicanda, quacunque consuetudine contraria non obstante: quodq; nulli Canonico, vel Conuerso talia faciendi licentia à quoquàm valeat indulgeri; & quòd præfati Canonici, & Cōuersi prædicta committentes, & quæcunq; Religionis eiusdem supradicta retinentes, aut sibi ipsis appropriantes, vel applicationi huiusmodi resistens, vel impedimentum publicè, vel occultè eidem præstantes, seu præstari procurantes, vel dictū peculium habentes, & non reuelantes Prælatis proprijs; si per eosdem prælatos specialiter, & nominatim moniti, infra mensem post monitionem huiusmodi immediatè sequentem, à prædictis non destiterint, vel peculium non reuelauerint, & restituerint, si restituendi facultatem habuerint, sint eo ipso inhabiles ad Prioratus, officium, administrationes, & beneficia quælibet in Religione huiusmodi obtinenda. Concedimus tamen, quòd cum talibus Canonicis, seu Conuersis Antistites, Abbates, Præpositi, & alij Prælati eorum immediati, possint super inhabilitate huiusmodi dispēsare, quando eis videbitur expedire, dummodo à prædictis destiterint: & peculium, & alia supradicta reuelauerint, & restituerint, vt præfertur. Teneantur insuper Prælati, & Superiores præfati in suis annalibus

libus capitulis monere generaliter annuatim omnes proprietarios, vt ab omnibus supradictis desistant excessibus, & peculium, si quod habent, reuelent, & restituere non postponant.

11 Aduerte hic excogitatas fraudes proprietariorum à Bened. 12. pspicuè detectas. Rectè quidem hac in re Dionys. Carthus. in opusculo de reformatione Monialium art. 9. philosophatur dicens: Quid iucundius, suauiusq; pace pectoris, trãquillitate mẽtis in Deo, securitate cõscientiæ bonæ, omni solicitudine tẽporalium rerum carere, absq; propria occupatione sufficientiam victus, & vestitus habere, pacificè conuersari, à Deo visitari, illuminari, accendi, & consolari meditationibus sanctis, & contẽplationi Dei sincerè vacare, lectionibus, orationibus, & psalmodijs ex Charitatis feruore assiduè occupari.

12 Demum aduersariorũ argumẽta diluenda sunt. Diligenti ergo mẽtis acie adnotandum est, nec consuetudinẽ contrariam multis in locis à pluribus annis, à magnisq; viris obseruatam, ne latum quidẽ vnguẽ excusare, sed potius aggrauare. Si.n. ex Innoc. 3. nec Sũmus Pont. nec Abbas, nec Capitulũ Prouin. iure potest hic indulgentiã præstare, prauam consuetudinem cõtra vota Deo facta quid existimas valituram? Id quod, & Conc. Trid. loco citato asseuerauit dicens; Cum cõpertũ sit ab eis, idest à superioribus non posse ea, quæ ad substantiam Regularis vitæ pertinent, relaxari. Si.n. illa, quæ bases sunt, & fundamenta totius Regularis disciplinæ, exactè non fuerint conseruata, totum corruat ædificium necesse est. Sic igitur duo priora argumenta aduersæ partis, quæ ab inueterata consuetudine, & annualium, & Prouincialiũ Capitulorum dispensatione sumuntur, diluuntur.

13 Tertio obijciunt, traditionem illam clauium quolibet anno in manu Superioris fieri solitam, excusare. Sanè obiectio hæc abusus est, Deum irridens, vt ait Paulus ad Galat. 6. solùm igitur, vt ait Gerson, licitum est illis, & permissum claues Abbati vel superiori referre, qui habẽt administrationem: quales sunt Magister vestiarij, Thesaurarius, Cellarius, aut Eleemosynarius, in signũ subiectionis, & administrationis. Deluditur autem veritas, dum clauis Abbati Canonici referunt, sed quæ sub claue concluduntur, & opere, & affectu retinent. Repone igitur ò Canonice, quod non tuum, sed omnium est in communi, neq; clauem deferas, qui clauem habere non debes.

14 Quarto obijciunt, nõ esse proprium censendũ quòd ad nutum Abbatis manet, quoties reuocare voluerit. At verò neq; Religiosus retinere, aut seruare põt peculium, nisi pro administratione officij, nec Abbas cum eo dispensare potest. Fera seuior est leone, proprietas Prælati licentia contecta, simulata enim æquitas, duplex est iniquitas.

Quinto

15 Quinto obijciunt, dicentes, proprium nõ esse custodire aliquid pro necessitatibus secretis, potissimum infirmitatis, & pro festiuandis, & suscipiendis amicis. Sed iam hæc curauit August. in Regula. ægrotantium. n. cura, siue post ægritudinem imbecillitate laborantium, vni alicui est iniungenda, vt de cellario petat, quod cuiq; opus esse prospexerit. Quòd si Religio ferueat, ardebit etiam in ægrotos Canonicorũ Charitas. Quod verò ad amicos attinet; dicendum in Ordine Augustini hospitalitatem esse institutam, cuius rei indicium est, vnicuique domui huius Ordinis hospitale adiunctum. Prouidus etiam Canonicus, eloquens, & discretus est eligendus, qui probè nouerit amicos, & Ecclesiæ benefactores benignè suscipere iuxta domus cuiusq; facultatem. Sed nec adeò vtilis esse solet Religiosis; qui mundum relinquerunt, conuersatio frequens, visitatioq; amicorum carnalium. Qui non relinquit (inquit) Christus, patrem, & matrem, & amicos, &c. non potest meus esse discipulus.

16 Sexto opponunt vtilitatem; nã paucioribus Ecclesiæ expensis prouidetur de Vestiario, Calciario, Medicamentis, alijsq; ad victum pertinentibus, si cuiq; detur pecuniæ portio, quàm si ex cõmunitate hæc omnia conferantur. Quibus tamen respondendum est, id verum non esse, vt Gerson loco citato ait; sed insignem continere falsitatem: si cura, & diligentia, atq; fidelitas in gubernando, distribuendoq; adhibeãtur. Id etiam asserit Diony. Cartus. in tractatulo de reforma. Monialiũ art. 9. dicens; Moniales in cõmuni viuentes sufficientiorẽ refectionẽ habere, quàm illas, quæ propria habẽt, & præparãt sibi. Quãuis verò res ita se haberet, attamen propter commodum temporale, non est votum frangendum, nec Religio violanda. Temporalia bona inseruiant Religioni, Religio verò lucro temporali famulari nõ debet. Mala nanq; facienda non sunt, vt eueniant bona. Præposterus esset ordo, si vota paruo lucro, aut etiam magno postponerentur. Siquidem fieret, vt solem vermibus nocte lucentibus; aurum & gemmas carbonibus: temporalia bona animæ bonis anteferres, & commutares. Minor quoq; est occupatio, si vnus pro omnibus solicitudinem gerat, vt Augustino placuit, quàm si singuli pro se curam gerant. Quòd si adhuc id negare contendas; dicam, minus esse malum, occupationem, quàm Regulæ, votiq; transgressionem, si proprietas retineatur. Et quæ de Vestiario tradidimus, eadem, & eisdem causis de Cellario, quo ad diuisas portiones in pecunia, & alijs victualibus intelligenda esse censuit Gerson loco citato ad 9. argumentum.

De prohibitione eiuſdem proprietatis ex recentioribus Concilijs Prouincialibus. Cap. xxiij.

1 Oncilia prouincialia Religioſorum proprietatem vehementer oderunt. Quare Conc. prouinciale Oxoniẽſe Anglicanum per Stephanum Archiepiſc. editum ſic ait: Decernimus, vt tàm Monachi, quàm Canonici Regulares, & Moniales in vno Dormitorio pariter dormiant, & quieſcant, ſingulis perſonis ſingulis lectis aſſignatis. Et vno Refectorio ſimul edant: nec per ſe cuilibet, ſed communiter omnibus victualia præparentur. Nec ſingulis eorum denarij pro veſtibus tribuantur. Sed talia per certas perſonas ad hæc deputatas, puta Camerarios, vt facultas domus ſuſtinuerit, eis indumenta miniſtrent. Et cum eis noua tradita ſunt, vetera ab eis recipiãtur: quæ in vſus pauperum, vel alias neceſsitates, de conſilio Abbatis, vel Prioris, Abbatiſſæ, vel Prioriſſæ conuertantur. Camerario autem, vel Camerariæ non liceat aliquid recipere, alioquin Camerarius ab officio deponatur. Rurſus idem Concilium. Quoniam non licet viris Religioſis aliquid proprium poſsidere, qui ſe, & ſua pariter in ipſo Religionis ingreſſu Domino dedicarunt; præſenti auctoritate definimus, vt nulla perſona in Regulari Ordine conſtituta, condere teſtamentum præſumat. Cùm nihil habeat ſuũ temporale, ꝙ transferre valeat in dominiũ alienũ. Item nec Monachus, nec Canonicus eccleſiã, vel monaſterium, vel quodlibet prædium eccleſiæ ſuæ audeat retinere ad firmam.

2 Concilium quoque Colonienſe ſub Conrado Archiepiſc. anno 1260. celebratũ tit. De Monachis, & eorum cõuerſatione, & vita, cap. 3. ſic inquit. Item ſtatuimus, quòd Monachi proprium non habeãt, ſecundùm quòd regula eorum præcipit, niſi quod Abbas dederit, aut permiſerit; & quòd pariter victum, & veſtitum percipiant de communi per ſui adminiſtrationem Abbatis; vt nullus Monachorum cauſetur de qualitate, ſeu quantitate victus, & veſtitus; ſed omnia ipſis adminiſtrentur, ſecundùm quòd monaſteriorum ſuorum ſuppetunt facultates, & prout Regula hoc expoſcit.

3 Rurſus idem cap. 11. ait; Statuimus, quòd Abbates excommunicationis ſentẽtiã in proprietarios, ſemel in anno, ſcilicet ſabbato proximo ante dominicam Lætare, ſolenniter in Capitulo publicent, & ſi poſt aliquis inuentus fuerit habere proprium, ſecundùm Regulam punietur. Sifridus etiam Archiepiſc. Colon. ſimili iure tit. de ſtat. clauſt. & religioſorum cap. 3. de communi menſa, & proprio interdicto. Inquit; In Refectorio omnes comendãt, ſed nõ carnes, nec extra, niſi

nisi in infirmaria. Vna sit omnibus coquina, & communis cibus, nisi de licentia Abbatis, vel Prioris, & ex causa, &c. Et sub pœna excommunicationis latæ sententiæ præcipimus ab omnibus tàm Monachis, quàm Monialibus firmiter obseruari, vt proprium non habeant, nec pecuniã, nisi cui hoc permittitur ex ratione officij, vel administrationis sibi commissę per Abbatem. Item officia, vel administrationes habentes, contractus non ineãt; locationes, emptiones, venditiones, & alienationes quaruncunque rerum mobilium, vel immobilium nõ faciant; mutuum aliquatenus non recipiant à quocunq; præter scitum, & consensum Abbatis, & Cõuentus. Et si contra fecerint, sciant contractum huiusmodi non valere, sed sententiam excommunicationis etiam in eos in hoc casu à nobis latam in his scriptis se nouerint incurrisse. Et hæc eadẽ extendi volumus ad Prælatos, & Canonicos Regulares, & Præmõstratenses, & alios quoslibet Religiosos. Hactenus Sifridus. Hic aduerte, statuta prædicta Cõradi, & Sifridi auctoritate Apostolica fuissę confirmata à Nicolao Cusano Cardinale in Cõcilio prouinciali Coloniæ celebrato anno 1452. Quæ etiam extendit ad Canonicos Regulares.

4 Concilium aliud Coloniense sub Henrico Archiepisc. anno 1310. celebratum cap. 28. tit. de Monachis, & Monialibus sic definit. Si qui etiam Monachi, vel Sanctimoniales beatorum Benedicti, & Augustini Ordinũ, præter Superioris licẽtiam bona mobilia apud se, vel apud alios in deposito, negotiationis, aut alia de causa habuerint, illa suo Superiori, & Conuentui resignent, & eisdem ad cautelam quolibet anno intra quindenam ante festum Paschæ intiment, specificent, reuelent, & demonstrent, & ad manus eiusdẽ Superioris Abbatis in presentia conuentus resignent penitus, atq; tradãt. Monachi, & moniales contrariũ faciẽtes, seu qui bona huiusmodi dolo desierint possidere, excommunicentur, & puniantur secundum statuta. Et quicunque alij vtriusque sexus homines præfata bona sub quouis nomine sub se habuerint, tales nisi eadem bona intra mensem simili modo ad manus Superioris eiusdem Monachi, vel Monialis reportent, & resignent, excommunicationis volumus sententiam incurrere eo facto.

5 Huius adeò celebratæ excommunicationis contra Religiosos proprietarios prolatæ non semel meminerunt nonnulli doctores, dum in sacris concionibus editis in proprietarios inuehuntur.

6 Percelebre quoque Concilium prouinc. Mediolanensis sub Carolo Borrhomæo Cardinale anno 1567. celebratum par. 3. tit. de cõmuni vitæ vsu, ac de proprietate tollenda. (Hic enim idem titulus etiam Canonicis Regularibus, & reliquis Religiosis mirum in modum conue-

nit,& adaptatur,propter eandem causam, & obligationem) sic ait de Monialibus loquens. In omnibus,inquit,monasterijs quod ad cibum, potum,somnum,vestitum,cæterasq; res attinet,omnes cōmuniter viuant,vt à sacro Trid. Conc. decretum est. Neq; quidquam inter eas differat,aut alia alij præferatur,aut posthabeatur, quemadmodū votum paupertatis postulat:vt tuum,& meum, atque omnis priuata rerum possessio,& re,& verbo omnino tollatur,omnis etiam superuacaneus, & inanis rerum vsus,neq; vlla sit, quæ quidquam possideat,aut adhibeat vt proprium, etiam si ad necessitatem concessum sit. Omnes itaq: monasterij prouentus cuiuscunque generis sint, eleemosynæ etiam,& quæstus ex laboribus,libelli præterea, legata,& bona mobilia,quæ testamento relicta, & quæ donationis, vel alia quauis causa obtinuerint,à singulis Monialibus ad communem Monasterij vtilitatem conferantur. Præfecta verò pro sua prudentia, & humanitate ex illis ipsis bonis eius necessitati potissimum consulat,ad quam pertinerent,nisi obstaret paupertatis votum.

7 - Vtq; omnis proprietatis occasio tollatur de monasterijs,Confessores,ac Præfectæ,voti paupertatis accuratius seruandi gratia, Monialibus suadere studebunt,vt curēt oēs vestes lineas,laneas, vel pelliceas, aut cuiusuis generis in cōmuni loco asseruādas:duasq; ex monialibus quo tempore mutantur officia,ijs excutiendis,purgandis, & sarciēdis præficiendas;quæ etiam sororibus in singulas hebdomadas pro tempore,& vt vsus feret,eas distribuant,nullaq; vestes apud se habeat præter eas,quæ ad quotidianum vsum sunt necessariæ; ægrotarum verò vestes contagionis nomine suspectæ, separatim custodiātur, aut apud illas ipse relinquantur. Dona, quæ singulis mittantur, ad Præfectam adferantur,nec vlla possit illa accipere,aut ad vsum adhibere,nisi sciēte,& cōsentiente Præfecta; quæ in id omnino incumbere debet, vt ex monasterio vitium proprietatis,tanquàm multorum malorū causam, euellat;neq; cuiquàm permittat,vt pecuniam apud se habeat.Ter autem in singulos annos Præfecta vnà cū discretis,cellas, & suppellectilē singularum Monialium diligenter inquirat,& scrutetur; ne vlla quidquàm habeat proprij,aut plusquam quantum ei ad suum vsum cōcessum fuerit. Quòd si quæ proprij aliquid tenere deprehensa,aut conuicta fuerit,ea biennio actiua,& passiua voce priuata sit ex Trid. Concilij decreto,atq; etiam iuxta suæ Regulæ, & Ordinis Constit. puniatur. Multoq; magis,quæ ex communi,aut ex eo, quod alicuius vsui tributum sit, furtim sibi aliquid vendicauerit. Si præterea speculum,castellus,vnguenta, aut suffimenta, & huiusmodi inanium rerum quidquam apud aliquam repertum fuerit, Superior statim id è monasterio auferen-

auferendum, & eam, apud quam inuentum fuerit, acriter puniendam curabit. Monialis, siue velata, siue conuersa sit, eleemosynam dare, largiri, aut vendere exculentas res, vestes, aut bona cuiusuis generis sint, etiam si ad vsum ei attributa sint, aut etiam legare omnino non possit. Quæ secus fecerit, velum ei per mensem adimatur, ac ter se verberibus ad disciplinam affligere cogatur. In quo tamen integrum sit Præfectæ concedere facultatem cui concedi debere iudicarit, aliquid deuotionis, ac religionis causa, vel aliud exiguum elargiendi propinquis, aut bene merentibus.

8 His consonat Conc. Prou. Sipontinum sub Ptolomæo Gallio Cardinale, & Archiepiscopo tit. de monasterijs; vt autem, inquit, tam viris, quàm regularibus fœminis malorum occasio auferatur, Superioribus omnibus sancta Synodus præcipit, vt omni studio incumbant, ne eorũ subditi, subditæuè, commercia aliqua ineant, vel admittant, quorum familiaritate castitatis votum in aliquo periculo constituatur. Atque, vt Deo paupertatis, & obedientiæ votum perpetuum esse possit; præcipitur, ac mandatur, ne quis pecuniam, aut aliud quidquam, priuati cõmodi causa possideat, aut ea vtatur, nisi suorũ Superiorũ benedictione illud ei fuerit concessũ: nec propriã in aliqua re voluntatem faciat.

9 His similia tradit Concilium Prou. Cameracense sub Maximiliano Archiepisc. tit. de monasterijs cap. 9. 10. & 11: dicens: Cum sacrosancta Synodus Trid. & œcumenica præceperit, ea quę ad communem vitam, victum, & vestitum conseruanda pertinent, fideliter obseruari; mãdat hæc Synodus omnibus Monachis, & Monialibus, Religiosisq;, vt diligentissimè paupertatis votum, tanquàm ineffabilis cuiusdam, & dulcissimæ quietis causam, custodiant; neq; proprietatis vitio violent. Caueant igitur, ne quid pecuniæ, aut alterius rei sibi ita retineant, vel retinere desiderent, vt communitati nolint esse commune; neuè ad peculiares vsus eo vtantur sine Superioris consensu. Vt autem huic pestifero vitio obuiam eatur; mandat sancta Synodus omnibus omnium Ordinum Superioribus, ne subditis pecuniam pro quocunq; cibo, vel potu, siue vestimentis, & quibuscumq; necessarijs administrẽt; sed victus omnis, potus, ac vestitus, & quicquid necessarium fuerit, decenter, & prout ratio postulat, eis porrigatur. Rescindant insuper Superiores, & aboleant prorsus vniuersa illa emolumenta, & iura, quæ antiquo more quibusdam monasteriorũ officialibus concedi solebant. Breuiter omnis illa pecunia, vel res, quam Monachus, vel Monialis acquirere, siue labore, siue industria, siue amicorum liberalitate, seu denique qualibet alia occasione possit, Superiori mox tradatur: ita vt ad nutum eius, tanquàm res communis expendatur. Et quo hęc omnia facilius, diligẽtius,

tius, necnon abſque tædio queant obſeruari; præcipit ſancta Synodus cunctis cunctorum monaſteriorum ſexus vtriuſq; Superioribus; quatenus ſecundum Regulam, ac maiorum inſtituta, benignè, necnon placidè ſubminiſtrent omnia in vniuerſum, quæ ſuis ſubditis neceſſaria fuerint, & conuenientia: ne infirmioribus præbeant anſam detrimenti, votæ paupertatis valdè grauidi, nonnihil congerendi, & apud ſe retinendi. In qua quidem re ſi negligentiores extiterint, admoniti, à ſuo Superiore omnino compellantur.

De rerum vſu Religioſis permiſſo ex varijs Doctoribus. Cap. xxiiij.



1 Modus eſt non facilis explicatu, quin potius ambiguitatibus plenus, apud ipſos etiam graues Doctores, quibus caſibus iure, ac ritè rerum vſus Religioſis permittatur. Vt ergo aliquantulam huic negotio, alioqui obſcuro lucem adhibeamus, dictiones quaſdam rei propoſitæ maximè conuenietes interpretemur. Dominium rei, vt viri docti docuerunt, non quodcunq; ius, & poteſtatem ſignificat, ſed illam, quæ eſt in rem, qua vti pro libito noſtro poſſumus in noſtram propriam vtilitatem, & quam propter nos ipſos diligimus, itaq; dominium eſt propria cuiuſq; facultas, & ius in rem, quam in ſuum ipſius commodum vſurpare poteſt. Diximus autem vniuerſaliter quencunq; vſum, vt diſtinguatur dominium ab vſu, & vſufructu. Eſt. n. dominium facultas non ſolùm vtendi, fruendiq; re; verùm & ipſam diſtrahendi, donandi, vendendi, negligédi. &c. Veruntamen adhibitus eſt modus, vt vſus ille ſit lege permiſſus ad diſſoluendam obiectionem, qua quis tentaret infirmare definitionem. Enimuerò pupillus ante ætatem legitimam dominium habet ſuarum rerum; quibus tamen potiundi liberam facultatem non habet, cum ea bona neq; donare, neque vendere valeat: lege enim humana prohibetur illa dilapidare.

2 Ex hac conſtituta definitione dominij colligitur differētia inter dominiū, & vſum, atq; vſumfructum. Dominium. n. eſt facultas in ſubſtantiam rei; vſusfructus verò non niſi in eius qualitatem, & accidentia; in ſubſtantiam inquam rei, quæ ſi eſt vſu conſumptibilis, velut cibus, & veſtitus, poteſt eam dominus conſumere. Sin minus, poteſt illam donare, & vendere; vt domum, & ſeruum: quin verò & occidere, vt pecudem. At verò vſusfructus eſt ius alienis vtendi, ac fruendi rebus, ſalua eorum ſubſtantia. Nam, qui habet vſumfructum agri, vel hortorum, poteſt non ſolùm fructus edere, verumetiam & vendere. Quin verò & agrum alteri locare. Nudus autem vſus eſt ius rebus alienis vtendi, ſalua eorum ſubſtātia, non tamen fruendi; minus. n. iuris eſt in vſu, quàm

in vſu-

in vſufructu. Fruitur nanq; ille re, qui in fructus habet plenã poteſtatem: quos ſcilicet nõ ſolùm edere,verum quomodocunq; alienare poteſt. Vtitur autem,cui tantũ fructibus veſci licet,vel ſua alere armẽta. Non tamen illos aliter diſtrahere: vt qui habet nudum vſum agri poteſt illuc intrare,comedere poma,& pecudes paſcere: vendere tamen fructus,aut locare non poteſt. Quapropter in vtraq; definitione dictũ eſt,alienis rebus: quoniam verus dominus non dicitur vſuarius, aut vſufructuarius. Quare vſuarius, nihil capere poteſt, præterquàm ad ſuam neceſsitatem, nec aliquid donare poteſt. Sed vſufructuarius vltra ſuã neceſsitatem,poteſt reſiduum illius vſufructus pro ſuo arbitratu donare,& relinquere in vita,& morte licitè ſuos fructus,cuicunque voluerit,ſine vllo paupertatis,aut pietatis intuitu, ob ſolam amicitiã, cognationem, aut liberalitatem: quoniam ipſorum fructuum rei dominus eſt. Conſule Dominicum Sotum lib.4.de Iuſt.& iu. q. 1.art.1. & Martinum Azpilcuetam in tract.de redditibus beneficiorum eccleſiaſticorum.q.1.num.20.

3 Iuxta doctrinam ab ſcriptoribus traditam in cap. Cum ad monaſterium, de ſtatu Monac. &c. apud religioſos proprium illud dicitur, quod celatur Abbati,ſeu alij ſuo Prælato, vel tenetur contra voluntatem Prælati. Dicitur autem proprium,quaſi priuatum,atq; à communitate ſeparatum, & dominium vſurpatum. Quare ſi quidpiam ignorante,atq; inſcio Prælato,à Religioſo tenetur,non explicata quantitate,& qualitate;vel ſi aliquid abſq; Prælati ſcientia, & cognitione acceperit,acceptumq́; expenderit,aut occultauerit,id totum propriũ cenſebitur;ſiue igitur mobile fuerit,ſiue immobile,ſiue exiguum,vel magnum;imò etiam quantitas,& qualitas,quæcunq; fuerit, vniuerſa ipſi Prælato abſq; dolo,& fuco ſunt propalanda. Alioqui proprium exiſtimabitur. Maximè verò ſi Religioſus paratus non ſit ad Prælati libitũ, & requiſitionem cuncta tradere,& reponere. Quamuis verò peculiũ eſſe dicatur puſilla ſubſtantia,vel pecunia ſeparata à rebus, & ratiocinijs patris,vel domini data,vel permiſſa filio,vel ſeruo,nõ ineptè proprium Religioſorum peculium ſæpè vocatur,proprijq́; legibus diiudicandum eſt; nam & Monachus ſeruo comparatur.

4 Perdoctè annotauit Humbertus in Regulam Aug. propè exordiũ; duplicem eſſe vſum in Religioſo conſiderãdum; & certum, & incertũ. Certus vſus eſt, ſi Religioſo Prælatus facultatem concedat in vſum alicuius rei,non ſolùm ad propriam neceſsitatem, ſed ad libitum; qui.ſ. vſus auferri non poſsit. Incertus verò vſus eſt ille,qui ſemper in Superioris voluntate,poteſtateq́; remaneat, vt ei auferatur, cum Superiori placuerit. Nullus igitur Prælatus Religioſorum poteſt alicui ſubdito

vsum rei certum elargiri. Nempè vt Religiosus quidpiam habeat simpliciter in suo dominio, posſitq; facere quidquid velit, absq; Superioris voluntate, ac omnino propria auctoritate, vt ad suum libitum illud distrahat, disſipet, & disperdat, vt sibi videbitur, aliquando etiam in damnum monasterij. Siquidem necesse est, vt voluntas Religiosi semper suo Prælato subdatur, subditaq; perseueret; vt libenti, promptoq; animo quæ apud se retinet, Superiori suo resignet, & tradat, eaq; semper habeat animi præparationem. Cæterum potest Prælatus vsum rei incertum tradere religioso ex causa rationabili, vt si vtilitas iustæ, atq; necesſitas id postulauerint. Caueat autem Prælatus, ne in dispensando nimis se facilem præbeat. Non. n. qualescunque necesſitates, vtilitatesq; legitimæ censendę sunt, sed quæ per quam rationabiles, atq; euidentes extiterint: vt in rebus necessarijs quotidianis victus, atque vestitus, & in vtilitatibus circa pertinentia ad salutem animæ. Quod si fortè laxior fuerit in dispensando Prælatus, statim nõ pauca mala scaturient: vt species mali, quæ sanè fugienda est; deinde conscientiæ periculum. Facile. n. fingitur causa, vbi nulla est, aut perexigua, mentiturq; sibi iniquitas, dispensationem petẽs. Demũ sequela mali exẽpli. Trahitur. n. facilè dispensatio alicui iusta de causa facta in consequentiã, vt illi dispensandum sit, cui nec iusta, nec decens subest causa. Quod n. alterius exemplo fit, omnes iure fieri putant. Cũ igitur hæc res periculosa sit, inuidiæq;, & exẽpli mali causa, cautè à Prælato fugienda est.

5 Addubitabis tamen, an Religiosus ille, qui absq; rationabili causa dispensationem à suo Superiore, aut obtinuit, aut extorsit ad peculiũ, seu proprium habendum, iuxta redditam explanationem, à vitio proprietatis excusetur, si animũ habeat resignandi, cum fuerit requisitus? Respondeo ex doctorum sententia, excusari quidem eum à vitio proprietatis, sed non à peccato. Imò peccat tam dispensans, quàm dispensationem recipiens. Dispensans quidem, peccato abusus potestatis. s. infidelitatis, vel iniustitiæ; quæ tamen potestas data est ei nõ ad destructionem, sed in ædificationem; ipse vero ea abutitur in destructionẽ; adde etiam quod huiusmodi Prælatus ouem suam exponit morti, monasterio damnum infert, vsurpatq; potestatem, quam non habet. Recipiens verò peccat peccato auaritiæ, quia retinet absque rationabili causa rem aliquam, vt alia prætermittamus.

6 Hinc vnicuique cordato manifestum fiet, non absque magno periculo quosdam Religiosos decipi, sibi persuasum habentes, sufficere, valereq; ad habenda multa, quę sibi necessaria non sunt dispensationem, siue licentiam suorum Prælatorum. Cum. n. dispensatio dicatur, prouida iuris communis relaxatio, vtilitate, siue necesſitate pensata; necesse

est, vt

est, vt in dispensatione ratio mouens ad dispensandum, vera sit necessitas, vel etiam vtilitas. Alioqui enim professio exhibita, obseruantia regularis, statutorum custodia, sanctus iuris communis rigor, ac demum ipsa Regula, franguntur, dissipantur, pereunt, & abolentur.

7 Procuratores, Custodes, & Administratores bonorũ monasterij, tenentur quidẽ bona monasterij conseruare, augere, ac meliorare. At verò imminuere, deperdere, aut deteriorare qua ratione, quouè iure poterunt. Carpuntur meritò huiusmodi Procuratores, ac Sindici; qui monasterij bona vendunt, donant, cõmutant, dissipant, atque disperdunt, asseuerãtes se id licitè facere, quod suorum maiorũ facultate hac in re vtantur. Magna quoq; abusio est, vt Religiosi pro officijs sibi iniunctis salaria recipiant. Cum oĩa eorũ opera, atq; etiã volũtates Prælatorum sint. Summo igitur studio, & Superior, & subditi Religiosi in id incumbere debent, vt vita communis in monasterio exactè seruetur: alioqui periculoso statu conuiuunt, & conuoluuntur. Præsertim si seruandæ cõmunitati, cum attentatur, aut introducitur, restiterint; cum possent sufficienter admodum ali, fauent. n. rei, quę Religionem labefactat, & destruit. Sed vulnus lethale hic latet, quòd abũdare volunt, ac de suis suo modo facere, suoq; viuere modo, vitamq; penè secularem viuere, ac in malo statu perseuerare, audacter contendunt.

8 Postremò loco admonendus est Prælatus, vt has tres Regulas semper ob oculos habeat. Prima est illa vulgata in cap. Cum ad monasterium, de sta. Monac. & Canon. Reg. propè finem; Nec æstimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò est adnexa Regulæ monachali, vt contra eam nec Summus Pont. possit licentiam indulgere. Secunda Regula est Conc. Trind. cap. 1. de Regularibus: Cum compertum sit ab eis, idest à Superioribus non posse ea, quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent relaxari. Proprietatis autem abdicatio, vota paupertatis comprehensa, ad regularis vitæ substantiam maximè pertinet. Tertia Regula est eiusdem Concilij ibidẽ cap. 2. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationẽ, aut commendam. Et paucis interiectis, subditur: mobilium verò vsum ita Superiores permittant, vt eorum suppellex statui paupertatis, quã professi sunt, conueniat: nihilq; superflui in ea sit: nihil etiã, qđ sit necessariũ, eis denegetur. De hoc vsu rerũ Religiosis permisso perlege Anto. Flor. 3. par. tit. 16. cap. 1. §. 11. & Hũbertũ in Regulã Augus. cap. 2. & Cardinalem Turrecre. super decretũ. 12. q. 1. cap. non dicatis. Et Siluestrũ in verbo Religio. 6. q. 7. qui etiã nõ paucos iuris canonici doctores citãt.

De grauitate, & pœnis peccati proprietatis. Cap. xxv.

1 EX superioribus fit manifesta peccati proprietatis grauitas; primò ex multitudine iniquitatis, quàm proprietarius committit. Proprietarius.n.fur est, & domus eius spelunca latronũ, sępè quoq; est sacrilegus. Deinde proditor est in Deum contra promissionem factam, & in proximũ; quia fratres suos defraudat bonis illis, quæ sibi appropriat. Item mendax est Spiritui sancto, similis Ananiæ, cui Act. 5. cap. Petrus dixit. Cur tentauit sathanas cor tuum? mentiri te Spiritui sancto, non es mentitus hominibus, sed Deo. Proprietarius quoque de bonitate, & benignitate Dei, vtcunq; male sentit; credẽs, quod si Deo ad eius voluntatem pauper seruierit, ipse sit permissurus eum fame perire. Idcirco.n. proprietatis loculos conficit; quasi Deus non possit parare mensam in deserto, viderimusq; aliquando iustum derelictum, aut semen eius quærens panem.

2 Grauitas huius peccati ostẽditur ex grauibus pęnis, quibus animaduertitur. Primum quidem Iosue. 7. cap. punitum legitur in veteri testamento in Achor, qui furatus fuerat de anathemate Hierico, in figuram proprietariorum, qui lapidatus fuit, & omnia quæ eius erant, igne consumpta fuerunt. Secundo, in nouo testamento in Anania, & Saphira. Qui quoniam de eo, quod commune esse debebat, sibi modicum retinuerunt, ad verbum B. Petri morte subita sunt perempti, factusq; est timor magnus in vniuersa Ecclesia, vt Act. 5. legimus. Tertio, ex B. Gregorio lib. 4. dialogorum, qui præcepit proprietariũ quendam in sterquilinio sepeliri, dicẽtibus fratribus omnibus; pecunia tua tecum sit in perditionem. Quarto, ex cap. Cum ad monasteriũ de sta. Monach. &c. Vbi post præmissam admonitionem, proprietarius de monasterio expellendus est, nec recipiendus vlterius, nisi secundum monasticam disciplinam pœnituerit: & in morte cum proprio deprehensus, in sterquilinio sepeliẽdus. Et in cap. Monachi, de stat. Monach. &c. Proprietarius à communione remouetur altaris; & si in extremis cum peculio inuentus fuerit absque digna pœnitudine; nec oblatio pro eo fieri debet, nec inter fratres accipit sepulturam. Item furti iudicio, & pęna ab Augustino in Regula plectitur. Et à Conc. Trid. sess. 25. in decreto de Regularibus cap. 2. Sic decernitur aduersus proprietarium. Quod si quis aliter quidquam tenere deprehensus, aut conuictus fuerit: is biennio actiua, & passiua voce priuatus sit, atq; etiam iuxta suæ Regulæ, & Ordinis Constitutiones puniatur. Imò Constitutiones quarundam Ecclesiarum huius Ordinis, proprietarios, qui pecuniam, aut

alia quæcunq; bona, etiam animalia, aut greges extra monasteriũ suũ in alio quocunq; loco, etiam apud consanguineos, aut monasterio cõmiserint, aut occultauerint, si erratum emendauerint, pœna vnius quarantenæ iuxta morem solitum. Si verò crimen negauerint, & postea conuicti fuerint, latronum pœnis ad Prioris arbitrium punire iubent. Et si contumaces fuerint, in quadragesima sunt excommunicandi. Sed & Bened. 12. loco superius citato, pœnam inhabilitatis ad futura beneficia obtinẽda ipsis proprietarijs iniunxit. Commemorauimus etiã superius ex aliquot Concilijs prouincialibus excommunicationẽ, quę in quadragesima, aut in sabbatho ante dominicam Lætare, aut sabbatho ante dominicã in Passione, in proprietarios singulis annis promulgabatur. Magno igitur studio Prælati incumbãt, vt hoc teterrimũ proprietatis vicium à Religiosis expellant. Quod fundamentum Religionis, nempè paupertatem detrahat, viam perfectionis tollat, & pacem, quæ præcipuum est Religionis bonum, auferat.

3 Demum Alphonsus Orozco Eremita S. Augu. in expositione eiusdem Regulæ, idiomate Hispano conscripta, annotatione 3. in ea verba, Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia cõmunia. Vniuersos Prælatos hortatur, ne vllo modo facultatem largiantur Religiosis ad obtinendum, vel committendum depositum aliquod in manibus secularium. Quamuis enim ij Religiosi à censura aduersus proprietarios statuta sint liberi, à peccato tamen non excusantur, nec illi, nec illorum Prælati. Cum enim votorum obseruantia à iure diuino vim habeat, in nullo eorum facultatem dispensandi Prælatus habet.

4 Quæ autem mala proprietatem sequantur, eleganter explicuit Dionysius Carthusien. de reformatione Claustralium art. 16. & de reformatione Monialium art. 9. viri. n. prudentes, & sancti Religionum institutores ex proprietate, seu peculio multa peccata prouenire didicerunt, vt contumaciam, superbiam, contentionem, factionem, auaritiam, inanem gloriam, inuidiam, mendacium, luxuriam, occupationẽ infructuosam, curam superuacaneam, dissolutionem, variam mentis distractionem, accidiam, negligentemq; diuini officij persolutionem. Abundantes enim peculio, ad resistendum suis superioribus fiunt audaces; disciplinam, & correctionem ęgrè ferunt, & excutiunt, factiones concitant, rebelliones fouent, comessationibus, & ebrietatibus vacant, ex quibus in vitia carnis labuntur quotidie, magisq; excæcantur, & obdurantur.

De

De diuisione mensarum, & iniuncta administratione. Cap. xxvi.

1 INnocentius 3. in cap. Edoceri de Rescriptis: de munere Abbatum in negotijs suorum capitulorum gerendis interrogatus, in hunc modum respondet. Cum ex officio suo teneantur Congregationum suarũ negotia procurare. Nisi fortè Abbatis, & Conuentus negotia essent omninò discreta. Et summarium ait; nisi Abbatis, & conuentus bona essent omninò distincta. In quibus verbis enodandis de diuisione mensarum Prælati, & Capituli à doctoribus pertractatur. Quo in loco à Panor. quatuor traduntur conclusiones. Prima conclusio; inter Abbatẽ, & Capitulum bona monasterij possunt esse diuisa, vt aliqua. s. ad mensam Abbatis, aliqua ad mensam Capituli pertineant: Quamuis enim hæc diuisio nec ex Regula, nec ex iure communi procedat, cum omnia debeant eis esse communia: vt in cap. Cum ad monasterium. de stat. Monach. &c. Procedit tamen de iure speciali: vt puta, ex consuetudine, vel statuto ex causa rationabili facto. Secunda conclusio: bona Ecclesię inter Abbatem, & Capitulum quadrupliciter contingit posse diuidi; bona. n. Ecclesiæ quandoq; sunt prorsus communia Abbati, & Conuentui; quandoq; sunt diuisa quò ad rem, sed non quò ad administrationem; videlicet quia certa bona sunt deputata mensæ Conuentus, certa etiam bona mensæ Abbatis; administratio tamen non est diuisa; sed Abbas cuncta bona administrat, ac si bona omninò essent cõmunia. Quandoq; verò bona sunt diuisa quò ad rem, & quò ad administrationẽ: vt quia conuentus per se, vel per alium administrat bona na sibi deputata. Tantundemq; facit Abbas de bonis sibi deputatis, ac de his tertij generis bonis loquitur tex. in fi. Cap. cũ requirit, quòd bona sint omnino distincta. Quandoque demum aliqua bona sunt diuisa, aliqua verò sunt communia. Tertia conclusio, cuius auctoritate hæc diuisio fieri posit, à doctoribus decertatur. Quibusdam. n. placuit in institutione, seu fundatione monasterij potuisse fieri ad instantiam patroni, & Episcopi auctoritate: post fundationem verò monasterij huiusmodi bonorum diuisionem Episcopus potest efficere. Censura tamen Panormitani, vt verior mihi magis probatur, qui intrepidè asserit, Abbatem cum Conuentu eam diuisionẽ ex causa posse cõstituere. Nam propter hanc diuisionẽ bona ipsa nõ minus sunt monasterij, quàm prius ante diuisionem erant: sed respectu vsus facta esse intelligitur. Huic sententiæ assentiri videtur Io. Andreas in Regul. non est obligatorium, de reg. iur. in 6. in mercu. vbi post quendam in Theologia magistrum concludit, valere statutũ Abbatis, & Conuen-

tus causa vitandæ murmurationis,& scandali; vt singulis Monachis dē tur decem pro vestimentis.Sine causa tamen hoc debere fieri, non est consulendum: ne sit occasio mali. Neque enim hoc concernit statum Ecclesiæ, sed modum viuendi inter se.Hactenus Panormitanus.Tu tā verba illa, vt singulis Monachis dētur decē pro vestimentis,intelliges, vt dentur decē cōmuni Procuratori Vestiario,p singulis Monachis:Ita vt ex cōmuni iuxta regulam accipiant.Iuxta quem sensum similia verba Benedicti 12. ex Gersone superius sumus interpretati.

2 Eandem diuisionem mensarum Prælati, & Capituli eruditè corroborauit insignis ille Canonicus Regularis, Mart. Azpilcueta Nauarrus in tract. de Redditibus benef. Eccles. q. 11.nu. 32. & inferius,vbi ait,diuisionem mensarum Episcopi,& Capituli ea de causa,& fine statutam fuisse, videlicet ad auferendas rixas,dissidia, & lites, quæ inter Episcopos, Capitula, Fabricarios, & Eleemosynarios accidere solent.Quoniam cùm vniuersa bona soli Episcopi administrarent,ex cap. Præcipimus 12.q. 1. minimeq; exhiberent beneficiarijs, & reliquis congruam,quam debebant portionem;necesse fuit, vt bona ecclesiastica diuiderentur,ad discordias sedendas,quas rerum communio frequentissimè solet importare.Itaq; prædictorum bonorum diuisiones: in hoc præcipuè factæ fuerunt,vt diminueretur potestas Prelatis,Ecclesiastica bona pro libito insumentibus,& sæpè nihil, vel parum distribuentibus Canonicis, Clericis,Fabricis,& Pauperibus.

3 Ob easdem itaq;,& consimiles causas,multas diuisiones ætate nostra factas fuisse,asserit idem Mart. Azpilcueta,inter Abbates,Priores, suosq; conuentus,& hospitalia nonnullorum monasteriorum:quæ per solos Prælatos gubernabantur. Et in his illam,quæ pridem facta fuit in celebri cœnobio Ronceuallis Canon. Regularium.Eadem itē causa,& ratio fuit diuisionis mensarum in illustri monasterio reformatissimo S.Crucis Coimbricensis Canonic. Regularium.Eadem etiā causa fuit aliarum diuisionum, quas se tractasse asseuerat. Quare obiter annotandum,diuisiones mensarum,non in vtilitatem Abbatū, & Priorum,sed in fauorem Capitulorum fuisse factas.Iniustè igitur quidam parum circunspecti capitulares Prælatis suis inuident mensas Abbatiales, vel Priorales. Cum ex earum diuisione Prælatis ipsis sublata fuerit potestas administrandi omnia bona Monasterij, quibus solis, excluso Capitulo, iure competebat.

4 Item stabiliuntur mensarū diuisiones ex celebri doctrina, & Regula Card. Flor. in Clem. 2.de vita,& honest. cler.§.Sed tales:& in Clem. gratiæ.de Rescriptis,quam miris laudibus sublimè effert Mart. Azpilcueta,loco citato q.1.nu.81.& q.2.nu.15.Cui neminē vnquā cōtra dixisse

xisse affirmat. Ea videlicet est. Eandem potestatem, quam habent Clerici seculares disponendi de suorum titularium, & commendatorum beneficiorum prouentibus, habent etiam Regulares de suorum beneficiorũ titularium, & commendatorum redditibus. Primum, quod ratio propria, & radicalis, qua seculares prouentibus suis vti possint ad moderatam sustentationem, superfluis in pauperes distributis non est, quòd illi sunt eorum integri, & absoluti domini, vt Dominico Soto placuit, lib. 10. de Iust. & iur. quem hic author an iure refellat, hoc loco non expẽdimus. Inter vsurarios .n. & vsufructuarios collocat medios beneficiarios, quibus restrictum sit dominium suorũ prouentuũ; sed radicalis ratio hęc est, ꝙ ecclesia, eiusq; ministri cõstituerunt eos eorũ prouẽtuũ dispẽsatores per titulos Canon. & Ecclesiasticos, quos in id cõferunt. Quo munere etiã Religiosus fungi potest, etiã si non possit esse verus alicuius rei temporalis dominus ob solenne suum paupertatis votum. Hinc fit, quòd nec beneficiarius ipse Regularis rei alicuius sit dominus, etiã si in pauperes, aliaq; pietatis opera liberè distribuere possit redditus suos omnes ob facultatẽ sibi ab Ecclesia pia matre nostra per beneficij titulum factam.

5 Sed Abbatiæ, & Prioratus beneficia sunt Regularia, ipsis Prælatis in titulũ collata, atq; etiam prouisa, vt ex Bullis Apost. constat. In quibus summus Pont. ait, conferimus, & prouidemus; quibus etiam ipse Pontifex omnes redditus, prouentus, & emolumenta Abbatiarum, & Prioratuum eisdẽ Prælatis particulariter assignat, & tradit. Huiusmodi autem redditus, & prouentus, illi profectò sunt, qui ex diuisione mensarum ipsis contingunt. Ergo Prælati ex titulo Ecclesiastico, & Canonico, auctoritate etiam Apostolica in bullis, cum assignatione redditũ, & prouẽtuum confirmato, optimo iure suis diuisis mensis, vt cæteri beneficiarij vti, & gaudere possunt. Nec ea ratione vt proprietarij sunt taxandi.

6 Insuper eædem Prælati, & Capituli mensarum diuisiones confirmã tur ex Bened. 12. in Constit. Canonicorum Regul. tit. de soluendis cẽsibus, & redditibus pro alimẽtis cõstitutis. Vbi statuit, ac sub grauibus pœnis præcipit Abbatibus, Præpositis, Prioribus, Archidiaconis, cæterisq; administratorib. præfatæ Religionis: vt cẽsus, redditus, pẽsiones, seu quæcunq; similia, siue in blado, vino, carnibus, oleo, piscibus, pecunia, seu rebus alijs quibuscunq; consistãt, in terminis consuetis, vel ꝑfixis, pro alimentis quotidianis, vel pro vestiarijs, integraliter soluere non omittant. Sed huiusmodi Abbates, atq; Prælati aliundè non habent ad soluendum huiusmodi onera, nisi ex suis diuisis, separatisq; mensis, iure igitur suo mensas habent, retinentq; diuisas.

Audi-

7 Audiuimus etiam quasdam huiusmodi mensarum diuisiones aucto ritate Apost. fuisse confirmatas. Nec illud hic cōmittendū est, quod in Clemētina. Quia Regulares Prælati, de supplenda negligentia Prælatorū, legimus, prohibitum esse Prælatis Regularibus, ne suis mēsis applicent beneficia ad eorum dispositionē spectantia, aut pensiones imponant, aut augeāt, si illa non fuerint de mensa ipsorū Prælatorum. Earundem etiā Abbatialium mensarum fit mentio in Clem. frequens. de excessibus Prælatorum. §. quidam etiam.

8 Nec iniunctis administrationibus suæ desunt rationes, & fundamēta, ne vllo proprietatis vicio dānentur. Prima. n. ex. Conc. Lateran. in cap. Monachi. De statu Monach. sic habetur. Qui verò peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro iniuncta administratione permissum, &c. Vt autem Panor. ait, peculium hic accipitur pro proprio, seu proprietate; si verò vlteriorem, intricatioremq; peculij significationē desideras, consule Diony. Carthus. in Opusculo de Reformatione claustralium cap. 8. qui quid peculij nomine designetur, luculenter exponit. Legitimæ igitur sunt huiusmodi administrationes. Secundò eisdē fauet & illa ratio, quòd huiusmodi administrationes dignitatum, officiorum, aliorumq; beneficiorum Regularium suos habent titulos Canonicos, & Ecclesiasticos, prout mater Ecclesia, eiusq; ministri constituerunt. Habent etiam sua onera pro alimentis, & vestiarijs, aut alijs huiusmodi rebus iniuncta. Quorum beneficiorum Regulariū frequēs est memoria apud Conc. Trid. Postremò & Abbatum mensis, & Administratoribus opitulatur Bened. 12. in tit. de capitulis annualibus faciendis: vbi præcipit, atq; statuit, vt ipso Capitulo perdurante, Abbates, Priores, Præpositi, & Archidiaconi, cæteriq; administrationē habentes in Religione prædicta, de suis administrationibus eidem Capitulo annuali rationem reddere teneantur: non quidē de redditibus, fructibus, prouentibus, aut emolumētis suarum dignitatum, & beneficiorum: sed tantùm declarando, si ipsæ administrationes aliquibus, & quātis, & ex quibus causis, quibusuè personis, & qualibus, & an sub vsuris sint debitis obligatæ; & an ipsa debita possint de rebus extantibus, mobilibusq; persolui; aliaq; onera sibi, suisq; administrationibus incumbentia supportari sine debitorum augmento, & generaliter an administrationes ipsæ in casu desolationis, & quare, vel in statu prosperitatis existant. Idem sentit Dionys. Carthus. de reformatione claust. art. 9. qui à proprietariorū numero excludit Religiosos, administrationem pro bono communi cœnobij habētes. Et à Gersone cōtra proprietarios Regulæ Augustini par. 2. citatur magister Gerardus magnus, in tract. de proprietate Monach. dicens; peculiū habere, non

est habere principale dominium in re ipsa, sed vt seruus sub domino, sub patre filius, sub Abbate Monachus ex licētia ipsorum, sub quibus sunt, hoc tamen nunquàm Monachis conceditur secundùm glossam Innocentij, qui est lucerna iuris, nisi pro adiuncta administratione, vt si fuerit Vestiarius, Eleemosynarius, vel Thesaurarius, vel huiusmodi cōmune habens officiū, deseruiēs vtilitati cōi ecclesiæ, vt fidelis sit, & prudens dispensator, nō quærens quæ sua sunt, sed quæ omnium.

9 Iam tandem explodenda est ad retinendum proprium, vel peculiū illorum excogitata via, qui Religiosorum peculium à proprietatis vitio excusant: dummodò superiori suo Prælato nihil celent, & ad reddēdum, seu dimittendum parati sint iuxta Superiorum voluntatem, nihilq; recipiant, vel expendant sine illorum licentia, nihilq; tandem habeant, aut possideant nomine suo proprio. Id tamen licere opinantur, si nomine Abbatis, aut Conuentus retineant, aut possideant, aut deniq; expendant. Respondetur enim imprimis peculium luce clarius Regularibus administrationem communem non habentibus, à Concilio Lateran. loco nunc commemorato prohiberi: Abbatiq; districtè esse præceptum, vt non permittat, aliquem Monachum habere peculiū, nisi ratione administrationis, adhibitis etiam pœnis. Igitur nomine Abbatis nullus Religiosus proprium possidere potest.

10 Secunda responsio rogo, quid nomine Abbatis intelligas? Si enim intelligis nomine Abbatis, idest ex parte, seu concessione, vel licentia Abbatis; iam docuimus prohibitum esse Abbati hoc ipsum concedere, aut permittere iuxta sensum superius explicatum: Si verò intelligas nomine Abbatis, idest, in quantum est Abbas, vel representat Abbatem, id quoque ridiculum est. Si quidem simplex Monachus, nec Abbas est, nec eum representat in aliqua publica administratione, peculio, seu pecunijs indigente.

11 Ratio quoque præcepti hic consideranda est. Patres enim sancti non prohibuerunt Monachis proprietatem, quasi proprietas, seu rerum possessio sit mala in se: sed quia ex vsu, amore, & occupatione rerum propriarium, seu diuitiarum impeditur homo à perfectione diuini amoris, & à libera, & quieta vnione mentis suæ cum Deo, quod tamen malum contingit Monacho nomine Abbatis, vel Conuentus, siue nomine proprio peculium habenti. Ideo inquit textus. nec æstimet Abbas, quòd super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare. Huius est sententiæ Dionysius Carthusianus loco citato cap. 13.

Quòd Canonicis Regularibus non liceat secularia negotia pertractare.

Cap. xxvij.



1 A Proprietatis vitio secularium negotiorum implicatio nō longè abest. Est.n. eius proles, & assecla. Hinc Paulus. 2. ad Thi. 2. nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus. Vniuersis autem Religiosis Deo militare iniunctum est. Tenentur.n. potissimum in hoc incumbere, vt Deo vacent; id quod negotiorum pertractatione maximè impeditur. Qua de causa titulus extat in iure Canonico; Ne Clerici vel Monachi immisceant se negotijs secularibus. Vbi quidam litterati viri, nomine Clericorum Canonicos Regulares intelligunt, ob idq; in eo tit. Monachis coniunguntur. At verò quoniam status Religionis ad perfectionē Charitatis consequēdam destinatur, si proximis necessitas immineat, eorum negotia ex Charitate gerere debēt, iuxta illud Pauli ad Gal. 6. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Cū.n. proximis propter Deum inseruiunt, dilectioni diuinę palàm obsequūtur. Ex Iac. 1. cap. Religio munda, & immaculata apud Deum, & patrē hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum: idest succurrere eis, qui carent præsidio in tempore necessitatis.

2 Quatuor igitur conditiones à viro Religioso in gerēdis negotijs secularibus obseruandæ sunt, ex S. Tho. & Caie. 2. 2. q. 187. art. 2. Prima, quòd non ex cupiditate, hoc est propter lucrum, aut emolumentū aliquod temporale pro se, vel alio hoc faciat. Hac.n. ratione negotia secularia sunt Clericis prohibita. Secunda, quòd ex Charitate, hoc est propter amorem; quo proximus in Deo diligitur, id fiat. Hac.n. via huiusmodi opus ad finē Religionis spectat, qui est perfectio Charitatis. Tertia est, quòd ex licētia Superioris hoc efficiatur; cuius rei ratio est. Quū Religiosus non habet velle, neq; nolle, vt superius in obedientiæ voto abundè explicamus. Sic.n. inuenitur ab Ecclesia statutum, quo ad actū ministrandi. Quarta conditio est, quòd cum debita moderatione illud opus fiat. Non enimomnis modus ministrandi, aut dirigendi decet Religiosos. Nam non decet Religiosum sic proximorum negotia dirigere, aut eis inseruire, vt personaliter sit exactor, & quasi negotiorum gestor, secularibus tumultibus se immiscens. Sed in eum modū, vt vrgēte Charitatis necessitate se exhibeat, vt & ipse nō se implicet secularibus negotijs, quamuis illa tractauerit. Sic.n. fiet, vt nomen domini in Religiosis nō blasphemetur. Ad hūc modū B. Leodegarius in regni Franciæ regimine se intromisit, multiq; probi Religiosi dirigūt, & adiuuāt viduas, aliasq; miserabiles personas in suis negotijs tractādis.

3 Secundo aduertẽdum, quamuis directio moderata esse debeat, præcipuè tamen circa actum ministerij, seu adiutorij, moderatione opus est. Non.n. omnis seruitij, aut auxilij actus Religioso conuenit. Manifestum.n. est vehemẽter Religiosos dedecere, personaliter secularibus venditionibus, emptionibus, mutuis custodijs, & huiusmodi deseruire: opem tamen ferre, vel in aliquem locum pergere ad conferendum cũ aliquo, & similia, non dedecet. Vt si coniugium inter Reges, aut præcipuos principes tractaretur.

4 Tertio adnotandum, hanc definitionem nequaquam esse communem secularibus, & ecclesiasticis negotijs; quoniam etiam exercere ipsa ecclesiastica negotia Religiosis licet, & non solùm dirigere alios, aut ministrare alijs in illis.

5 Quarto adnotandum ex Panor. in cap. Sacerdotibus, ne Clerici, vel Monachi, &c. Religiosum licitè posse ex licẽtia Abbatis procurare negotia laicorum amicorum monasterij, si hoc arbitretur Superior redundare in consequentiam ad commodum, & vtilitatem monasterij.

6 Quinto adnotanda hic est egregia D. Tho. & Caie. doctrina in responsione ad. 3. loco nunc citato. Quòd frequẽtare palatia Regũ propter diuitias, vel gloriam, vel cupiditatem, non competit Religiosis; sed ea adire propter pias causas eis conuenit. Vnde. 4. Reg. 4. Eliseus ad mulierem dixit. Nunquid habes negotiũ, & vis, vt loquar Regi, vel principi militiæ? Simili etiam modo Religiosis conuenit adire Regum palatia ad eos arguendos, & dirigendos: vt Ioannes Baptista arguebat Herodem.

7 Sexto commemorandum est Paulinum documentum; Omnia mihi licent: sed non omnia expediunt 1. ad Cor. 6. Et rursus; Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. 1. ad Cor. 10. Adire nanq; curias, & palatia propter pias causas, licitum quidem fatemur: Cæterũ timeamus damnum, & ruinam. Nam Petrus, annotatore Bernardo, semel palatium intrauit, & ter dominum negauit. Curiam Diogenes definiuit, locum esse ad decipiendum, & præualendum: qui sunt actus diabolo à Deo permissi. 3. Reg. 22. Decipies, & præualebis. Quare fugiendæ sunt à Religiosis curiæ, & palatia, etiam ecclesiastica. Nam Petrus non Regis, aut Prætoris; sed Pontificis palatium ingressus, nephãdo laqueo captus fuit. Sed & Hieronymus in ea verba. Matth. 11. Ecce, qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt, ait. Ex hoc ostendit, rigidam vitam, & austeram prædicationem vitare debere aulas Regum, & nobilium palatia declinare. Perlege, & excute, aulicorum leges; tunc tandem edisces, quantum dedeceat virum Religiosum aulica contrectatio, atq; consuetudo. Raro etiam fœliciter cessit, hanc adisse fortunatã

insulam.

insulam. Nec semper in aula spirant venti secundi. Solent etiam principum fauores ventorū in morem subinde reflare in diuersum. Assentationibus,fraudibus,morionibus,atq; technis,inuidiæ quoq;,& dicacitati amplissimus conceditur locus. Si quid. n. in te dictum fuerit petulantius,in lusum iocumq; vertere compelleris, etiam si seria res sit. Ab omnibusq; tanquam ab hostibus tibi cauendum est. In cæteris nugis aulicorum lepidus congero esse tenebris. Hæc sunt aulicæ Philosophiæ prima elementa, quæ si illic spreueris, in portu profectò non nauigas. Si quidem ad hunc scopulum multi fecere naufragium,sic vt vix licuerit,enatare nudos. Aspice,quam abhorreat a Religiosorum instituto aulica vita. Elaborato ergo, vt te isthinc explices quàm minimo malo,& ꝙ paucis contingit,fœliciter ab aula te subducas,tibiq; viuas.

8 Postremò sacra etiam Concilia id ipsum docuerunt. Nam & Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. secularia negotia à Clericis fugiẽda esse decernit. Concilium etiam Prouinciale Mediolan. par. 2. tit. de negotijs secularibus à Clerico fugiendis,hæc sunt, quæ interdicit: ne Clericus sacris initiatus, aut ecclesiastico beneficio præditus coram iudice seculari, Aduocati,aut Procuratoris nomine causas agat:nisi ab alijs in iudiciū vocatus,suam,vel ecclesiæ suæ,propinquorum etiam,si necesse erit, & miserabilium personarum causas,ab Episcopo facultate prius scripto cōcessa,tueatur. Ne in prophanis negotijs officium tabellionatus exerceat. Ne artem medendi faciat:ne in negotiationibus,& mercaturis se interpretem,& medium interponat. Negotiationem etiam omnis generis omninò prohibemus. Artes verò honestas cōcedimus,vt aliquid 1
manibus suis lucretur,quo sibi quæ ad victum necessaria sunt,comparare possit. Ne aliena prædia,lucri causa,conducat. Ne aliorum tutelam,aut curam suscipiat. Ne pro alijs fide iubeat. Ne alicuius principis,aut alterius negotiorum Procurator sit,sine facultate ab Episcopo prius per litteras impetrata,singulis annis renouanda. Ne sit in famulatu laicorum, etiam Principū, eorumuè quibusuis alijs obsequijs, nisi cui ex causa, & ad officium sacerdotali munere non indignum, Episcopus huius rei potestatem ante scripto fecerit, quotannis renouandam. Ne præcursor sit,aut assecla fœminarum,aut eis discumbentibus adsistat,aut ancilletur. Et in Decreto dist. 88. legitur. Decreuit Sancta Synodus, nullum deinceps Clericorum, aut possessiones conducere, aut negotijs secularibus se permiscere: nisi propter curam pupillorū, aut orphanorum,aut viduarum: aut si forte Episcopus ciuitatis ecclesiasticarum rerum sollicitudinem eum habere præcipiat. Eadem aūt ratio est,vt exponit S. Thomas de Religiosis, & Clericis: quia vtrisq; similiter secularia negotia interdicuntur. Attestatur quoque D. Hila-

rius in ea verba Psal. 1. in cathedra pestilentiæ non sedit, secularia negotia Clericis, ac bonis esse periculosa. Tertius, inquit, obtinendæ beatitudinis ordo est, in cathedra pestilentiæ non sedere. Sederunt in cathedra Moysi Pharisæi docentes, sedit & Pilatus in tribunali. Illa ergo erit pestilens, cuius contagium Pilatus manus abluendo deuitat; multos. n. etiam in metu Dei constitutos, secularium tamen honorum ambitio corrumpit, & volūt ecclesiæ legibus subditi, fori legibus iudicare. Sed quanquam ad hæc ipsa officia quæ agunt, ferant secū religiosam voluntatem, beneuolos se se, continentesq; præstando, tamen necesse est eorum, in quibus diuersabuntur negotiorum quodam pestilenti contagio polluantur; publicarum. n. causarum ordo manere eos, volentes etiam in ecclesiasticæ legis sanctitate non finit. Et quamuis Religiosi propositi tenaces sint, tamen necessitate sedis obtente cū ad contumeliam, cùm ad iniuriam, cùm ad pœnam: cunctante licet voluntate coguntur, facit eos necessitatis ipsius participes, cùm tanquā lue morbida imbuuntur, & idcirco hanc eorum cathedram pestilentiæ, Propheta cognominat, quia contagione sua voluntatem religiosę mentis inficiunt. Quo circa vir Religiosus id potissimum curet, vt à peccatis se per studium modestiæ, innocentię referat, vt honorum dignitatibus priuatæ, & tranquillæ vitæ otium anteponat. 8

De Voto solenni stabilitatis, siue perseuerantiæ. Cap. xxviij.



1 Voniam pleraq; esse scimus, Canonicorum Regularium monasteria, in quibus solenni professioni, quæ tribus substantialibus votis continetur, quartum stabilitatis votum adiungere, & profiteri consueuerunt; operæpretium esse duximus, eam stabilitatem vtcunq; enodare. Et quidem stabilitas præcipua, rectaq; significatione, & sensu significat perseuerantiam, quæ virtus est, per quam homo firmiter proponit permanere, persistereq; in actibus bonis vsq; in vitæ finem. Iuxta id Matt. 24. qui perseuerauerit vsq; in finem, saluus erit. Ad quam hortatur Apost. 1. ad Cor. 15. stabiles estote, & immobiles, abundantes in opere domini semper. Ea igitur ratione Religiosi, etiam voto solenni, obligant se ad huiusmodi stabilitatem, eamq; in forma suæ professionis exprimunt primo loco, vt vniuersa suæ monasticę cōuersionis exercitia fundent, & collocent supra eam, tanquàm supra solidam, atq; immobilem petram, ita vt malint mori, imò mille mortes pati, quàm ab assumpta Religione, & Deo oblata professione recedere. Sed an primo, postremouè loco in professione stabilitas promittatur, iudicio nostro non tanti refert.

Denique

2 Denique opus bonum specialem solet habere difficultatem ex temporis diuturnitate. Facilè quidem est inchoare, sed vsq; in vitæ finem in actibus studiosis, & arduis permanere, perdifficilè esse iudicatur. Idcircò ne hac difficultate vincamur, & ex fragilitate, infirmitateq; humana à bene cœptis deficiamus, indigemus vtique speciali virtute, quæ stabilitas, seu perseuerantia nuncupatur, ob idq; quicquid huic stabilitati directè contrariatur professioni monasticæ contrarium perhibetur; estq;, teste Dionysio Carthusiano, de Professione monastica art. 4. non solùm mortale peccatum, sed etiam enorme admodum in Religioso, videlicet voti violatio, quæ grauius crimen existit, quàm periurium; vt Sanctus Thomas declarauit.

3 Porrò stabilitati huic duo ex diametro, specialiq; ratione aduersantur. Primum est, propositum, seu desiderium deliberatum non manendi in Religione suscepta. Secundum est, non manere in ea vsq; ad finẽ. Idcircò quoties Religiosus proponit, & deliberato animo cupit Ordinem suum exire, atq; relinquere, toties peccat graui peccato mortali, contra suamq; agit professionem; similiq; ratione peccabit, si Ordinem suum exierit; hæc tamen, illa adhibita limitatione, interpretanda sunt; videlicet nisi petita licentia ingredi vellet Ordinem arctiorem, & altiorem in loco, vbi obseruantia Regularis vigeret. Aut certè alijs casibus, in quibus tamen Superioris iudicium requirendum esset, aut Summi Pont. declaratio esse obtinenda. Certum est etiam, ꝙ re ipsa à Religione discedere sit vitiosius, maiusq; scãdalum, quam exire velle. Illud tandem maximè pestilens esset, apostatare à Religione, quàm laxiorem, & inferiorem Ordinem suscipere. Præterea, vt circa præcepta diuina, sic & circa stabilitatis votum peccatũ veniale cõtingere potest. Vt si Religiosus ex fragilitate humana, aut suggestione maligna ad ea inclinetur, quæ huic perseuerantiæ voto contraria existunt; nec tamen plenè, ac omninò consentiat: sed intuitu, & amore Dei, ex deliberatione, & Superiore ratione resistat. Curandum est igitur, vt huiusmodi tentatio statim abigatur,

4 Postremò ex inductis facilè intelligentur verba vulgata D. Bernardi dicentis: Promissioni stabilitatis tria contrariantur: remissus descensus, contentiosus discessus, & vagus, seu curiosus discursus. Remissus descensus est ex negligentia, & torpore paulatim à pristino feruore deficere, & ad deteriora corruere iuxta illud Apoc. 2. Habeo aduersũ te, quod Charitatẽ tuam primam reliquisti. Contentiosus discessus est, apostatare ab Ordine, vel laxiorem Conuentum, seu Ordinem ex irrationabili causa ingredi. Curiosus, & vagus discursus est ex leuitate, & causa insufficiente de loco ad locum, de claustro ad claustrum, à con-

gregatione in cõgregationẽ trãſire,atq; hincinde per aliquot dies immorari,& pigritiæ,ac carnis curæ vacare.Hinc S. Benedic. in ſua Reg. quattuor cõſtituit Monachorũ genera:quorũ primi vocãtur Cęnobitę, qui in clauſtro,& cõgregatione viuũt ſub Regula, & obediẽtia Patris. Scđi vocãtur Anachoritæ,qui oĩno ſolitarij ſunt,& vitã angelicã ducũt in terra. Tertij dicti ſunt Sarabitæ,qui coram hominibus magnam pietatem,ac religionem finxerunt; ſed in ſuis latibulis gulæ,& omni torpori vacabant. Quarti Gyrouagi ſunt vocati, eo quòd hincinde diſcurrant: quos Sanctus Benedictus Sarabitis deteriores eſſe aſſerit. Ex his vir Religioſus tacita apud ſe mente perluſtret, ad quem modum in cuſtodiendo ſtabilitatis voto ſe gerere debeat; ſuoſq; intẽdat neruos, vt indies in Regulari obſeruantia hilariori animo conſiſtat; & in loco, & habitu ſuo,atque propoſito conſtanter perſeueret.

5 Ad hæc, quemadmodum vitioſæ affectiones,fatuitas,& inſipientia hominem efficiunt vagum,diſſolutum,& inconſtantem;ſic gratia Dei, atque virtutes,prudentia,& ſapiẽtia reddunt hominem ſtabilem, vniformem,conſtantem,& probum:vnde in Eccleſiaſtico cap. 27.legitur: Homo ſanctus in ſapientia manet,vt ſol: ſtultus autem mutatur,vt luna. Et Iob. 11.inquit; Si iniquitatem,quæ eſt in manibus tuis abſtuleris, ſtabilis eris,& non commoueberis. Ad ſtabilitatem igitur conſtabiliendam affectionum purgatione, & virtutum incremento, rectoq; rationis iudicio opus eſt:ad proficiendum quoq; in ſtudioſæ mentis firmitate,atq; cuſtodia cordis,illud profectò maximè cõfert,vt Religioſus aſſueſcat ſecum cogitare diuinæ maieſtatis præſentiam in omni loco,actu,& tempore: cum ſanctoq; Helia iugiter id in corde ſuo verſet: viuit dominus,in cuius conſpectu ſto hodie. Sic. n.planè erubeſcet,ſe inutilem,coram Deo exhibere,& negligentem;diuini etiam iudicij rigorem formidabit, dicetq; cum Dauide pſal. 24.Oculi mei ſemper ad dominum. Sed & præſtitæ profeſsionis non ſit immemor; quam corã omnibus angelis Dei, & ſanctis eius, ac bonis hominibus, ſuis labijs emiſit,& diſtillauit. Audiat dñm Apoc. 2.dicentem; Eſto fidelis vſque ad mortem,& dabo tibi coronam vitæ. Huius ſtabilitatis, ac perſeuerantiæ naturam ſapienter deſcripſit D. Tho. 2.2.q.137.quattuor articulis,vbi & conſtantiam explicuit. Iuxta cuius ſententiam conſiderandum eſt: opus virtutis habere poſſe difficultatem duplicem, aut ex ipſa ſpecie actus,aut ex ipſa diuturnitate temporis. Nã hoc ipſum quod eſt diu inſiſtere alicui operi difficili,ſpecialem difficultatẽ habet. Perſeuerantiæ igitur eſt in operibus bonis, & ſtudioſis, diuturnitatem ſuſtinere,prout neceſſe eſt. Hæc igitur perſeuerantiæ virtus aliquarum affectionũ moderatrix eſt, vt timoris fugæ, aut alicuius defectus pro-

pter

pter diuturnitatem. Nullo igitur vitæ tẽpore à ſuſcepta Religiõne vir probus dimouendus eſt. Nam & Diogenes cuidam admonenti, vt iam ſenex quieſceret à laboribus, Quid, inquit, ſi in ſtadio currerem, vtrum oporteret iam metæ vicinum curſum remittere, an magis intendere? Rectè ſenſit, virtutis ſtudium hoc magis intendendum, quo minus ſupereſt vitæ, quòd turpè ſit ab honeſto inſtituto refrigeſcere. Tardè aggredere, quod aggreſſurus ſis perſeueranter proſequere. Raræ fœlicitatis eſt celeritas; rarioris diuturnitas, & conſtantia. Inconſtans mente cæcus, aut ſurdus exiſtimatur. Propterea ſi boni, maliq; ſermones inciderint, quibus exterrearis, ne ſinas ratione vlla ab inſtituto pij operis dimoueri. Siquidem præclara eſt in omni vita æquabilitas, idemq; vultus, eadẽq; frons. Ob id etiam fortitudo animi nobis omnibus valdè eſt neceſſaria; per quam non ſolùm conſtãtes efficimur in aduerſis, ſed etiam prompti, & alacres in arduis. Quis.n. ſine animi fortitudine maxima, hunc mundum cum ſuis voluptatibus poſſet contemnere, & in ſancta Religione monaſtica ſub obedientię legibus vſque ad mortem perſeuerare? Eſt autem fortitudo animi, teſte Cic. lib. 4. Tuſc. Quæſt. affectio, legi ſummæ in perpetiendis rebus obtemperans; vel conſeruatio ſtabilis iudicij in ijs rebus, quę formidoloſę videntur, ſubeundis, & repellendis; vel ſcientia rerum formidoloſarum, contrariarumq;, aut omninò negligendarum, conſeruans earum rerum ſtabile iudicium. Vel breuius cum Chryſippo dicamus; fortitudo eſt ſcientia perferendarum rerum, vel affectio animi in patiendo, ac perferendo, ſummæ legi parens ſine timore.

De conuenientia, & differentia Canonicorum Regularium à Monachis omnibus. Cap. xxix.

1 Llud profectò ignorandum non eſt, ſed penitus inſpiciẽdum, qua ratione, quibuſuè in rebus Canonici Regulares, & Monachi cuiuſcunq; fuerint inſtituti, ſecum conueniant, à ſeq; inuicem diſcrepent, atque differant. Sic enim fiet, vt optimus quiſq; Canonicus Regularis ſuum ſtatum, quem ſemel profeſſus eſt, planè cognoſcat.

2 In pluribus igitur vtriq; conueniunt. Primum quidem in Religioſorum conſortio, & æternæ mercedis receptione. Ait.n. Nicolaus Papa 20.q.3. cap. Præſens Clericus; Liceat eum à mundanis, & laicalibus remotum vagationibus, vel negotijs, inter Religioſos, & Eccleſiaſticos viros in Canonica degere vita; non.n. putamus, quod abſit, Canonicos Religioſos à ſanctorum Monachorum conſortio ſeiunctos. Quia vnuſquiſq; ſecundum Apoſtolum propriam mercedem accipiet, ſecundum

laborẽ suum. Secundò conueniunt, ꝙ vtrisq; prohibetur audire leges, vel Physicã: vt cõstat in cap. super specula. Ne Clerici, vel Monachj, &c. vbi Honorius 3. inquit; Contra Religiosas personas de claustris exeuntes ad audiendum leges, vel physicã. A. præ. no. olim statuitur in Conc. Turon. vt nisi infra duorum mensium spacium ad claustrum redierint, sicut excommunicati ab omnibus euitẽtur, & in nulla causa, si patrocinium præstare voluerint, audiantur: reuersi autem in choro, mensa, capitulo, & cæteris vltimi fratrum existent, & nisi fortè ex misericordia Sedis Apostolicæ, totius spem promotionis amittant. Hic autem textus intelligitur etiã de Canonicis Regul. pariter, vt de Monachis, vt docet glossa in cap. quod Dei timorem, in verbo, Laxiori. De stat. monac. &c. Tertio conueniunt, ꝙ vtriq; ab aduocationis officio pariter repelluntur: vt constat in cap. ex parte. de postulando: vbi Innocentius. 3. Archiepiscopum Compostellanum in hunc modum alloquitur; Ex parte tua nobis fuit propositum, quod quidam Canonici Reg. non solum in ecclesiasticis, verùm etiam in forensibus causis præsumunt aduocati officium exercere. Cumq; obijcitur eis, quod nõ debent esse forensis, vel ecclesiastici negotij susceptores, vel executores: ni fortè id monasterij exposcat vtilitas Abbate nihilominus imperante, ad suam proponunt insolẽtiam excusandam, quòd capitulum illud, per quod prædicta prohiberi videntur, de Monachis, non de Canonicis Regul. loquitur manifestè. Vnde consultationi tuæ taliter respondemus, ꝙ idem iudicium de Canonicis Regul. quod & de Monachis quantum ad supradicta credimus obseruandum: licet de Monachis in canone specialiter sit expressum. Quo in loco Abbas inquit; Canonem antiquum, qui habetur 16. q. 1. cap. Monachi, prohibentem Monachis hoc officium, habuisse respectum ad Religionem, non autem ad Ordinem Monachorum tantùm. Quod apertè hoc loco probatur, eo quòd etiam Canonicos Regulares includit. Nam & ipsi Religiosi sunt, licet inseruiant laxiori Regulæ.

3 Quarto exequari dignoscũtur & Monachi, & Canonici Reg. in substantialibus Regulæ, videlicet in obedientia, de maioritate, & obedientia cap. cum in ecclesijs. Vbi Innoc. 3. Quosdam Canonicos Reg. suo Priori inobedientes ad suum claustrũ redire cogit, Prioriq; suo secundum Deum deuotè, ac humiliter obedire, ad idq; etiam per censuram ecclesiast. compellendos esse decernit, alioquin de fratrum consortio penitus excludendos. Item in abdicatione proprij, vt constat in cap. Super quodã Canonico Regulari. De statu Monac. &c. Qui propter retentum peculium ecclesiastica sepultura priuatur. Atque etiam in castitate, vt sit manifestum in Cap. cum ad monasterium, eodem tit.

Quinto

4 Quinto æquiparantur in eo quòd vtriq; simul in Refectorio comedunt, simulq; in Dormitorio dormiunt: vt habetur de vita, & honest. Cleric. cap. quoniam; In vna (inquit) domo Clerici vescantur, atque sub vno tecto dormiant, & quiescant: vbi glossa ait; Capitulum illud de Canonicis Regul. intellige. Sed apertius idem traditur in cap. Cũ ad monasterium de statu Monachorum. &c.

5 Sexto conueniunt etiam, quòd vtriq; prouinciale Capitulum celebrant, vt constat in cap. in singulis. de stat. Monac. &c. Vbi post traditam formã celebrandi Capitulum prouinciale additur, hoc ipsum Regul. Canonicos secũdũ ordinẽ suũ volumus, & præcipimus obseruare.

6 Septimo conueniunt vtriq; in ea parte Clementinæ, ne in agro. de stat. Monach. &c. §. sanè singulis, in qua sic præcipit Clemens 5. Sanè singulis mensibus tàm in monasterijs, quàm extra, sublata occasione quacunq; ad confessionem saltẽ semel accedant omnes, & singuli Monachi, & in prima dominica mensis cuiuslibet in monasterijs semper communicent: nisi ex causa fortè, quam Abbati, Priori, aut Pœnitentiarijs monasteriorum non differãt intimare: eórumq; iudicio vel abstineant, vel accedant. Regula quoq; in Capitulo legitur ab illo, qui præest ipsi Capitulò, vel ab alio cui hoc ipse iniunxerit: propter iuniores vulgariter exponatur. Nouitijs etiã fidelis deputetur instructor, tã in diuinis officijs, quàm in obseruautia Regulari. Quæ pars textus locum etiam habet in Canonicis Regularibus, vt sensit Oldradus cons. 222. Ideo. n. in tit. additur, & Canonicorum Regularium.

7 Ex superioribus inferuntur hac in re duæ Regulæ prior traditur à D. Tho. in lib. contra impugnantes Religionem: videlicet Canonici Regulares, & Monachi ad paria censentur in illis, quæ sunt communia omni Religioni, vt viuere sine proprio, abstinere à negotijs secularibus, & ab officio aduocãdi in causis, & huiusmodi. Posterior verò fertur à Panor. in cap. ex parte, de postulando, nempe constitutio fundata super aliqua qualitate, extenditur ad omnes existentes sub illa qualitate: licet habeant ex aliquo incidenti nomina diuersa. Nam Monachi, & Canonici habent nomina diuersa propter aliqua accidentia. Tamen in sũbstantia non variant: quia pariter profitentur tria substãtialia Religionis vota. Ideò canon loquens de Monachis, fundãs se super Religiosis, extenditur ad Canonicos Reg. quia & ipsi sunt Religiosi. Hinc fit, quòd iura loquẽtia de Monachis habent locum in Canonicis Regularibus, nisi cõnstitutio loqueretur de Monachis nigris, vel apponeret aliam qualitatẽ, per quã necessariò restringeretur ad Monachos tantum. Id autem quod dictum est, intelligitur in his, in quibus Monachi, & Canonici Regulares conueniunt, Vt puta quando constitutio

emanat

emanat respectu Religionis,& vbi non potest assignari diuersitatis ratio inter eos,& Monachos,veniunt appellatione Monachorum.

8 Hactenus diximus de conuenientia,nunc explicandum est Canonicos Reg. & Monachos plurimum inter se disconuenire. Nã, vt inquit quædam glossa in c. quod Dei timorem,citato, licet eadem sit substãtia Ordinis Cano. Reg.& Monachorum,est tamen differentia in qualitatibus. Monachorum.n.nomine in materia odiosa nõ intelliguntur Canonici Reg. vt constat in Clem.1.de stat. mona.vbi textus postq; excommunicauit Monachos, subiungit,aut Canonicos Regul. quod frustra fuisset appositum,si Monachorum nomine Canonici Regulares comprehenderentur. Non dissimile est,quod habetur in cap.cùm singula,de prębendis in 6.Vbi dicitur,ne aliqui Monachi,vel Religiosi alij. Præterea Panor.in cap. quòd Dei timorem, docet, quòd licet duo,vt Canonici Regulares, & Monachi in multis æquiparentur, in exorbitantibus tamen dispositio in vno, non extenditur ad reliquum. Carpitq; ibidem Hostien. dicentem, quòd Monachi, & Canonici Regulares in omnibus æquiparantur, præterquàm in casibus exorbitantibus,vt colligitur ex cap. quòd Dei timorem.

9 Primò igitur à Monachis Canonici Regulares differunt vniuersè in materia odiosa,& in casibus exorbitantibus,& vbicunque diuersitatis ratio assignari potest,id quod hactenus manifestum fecimus.

10 Secundò differunt nomenclatura,hanc differentiam constituit Panor. in cap.ex parte,de postulando, dicens;Canonicis, & Monachis vt in hoc textu vides diuersa sunt nomina propter aliqua accidentia.hęc Panor. Canonicis.n. Regu.Monachi, aut fratris nomen propriè non competit. Sed vnusquisque sic appellatur;verbigratia,dominus Ioannes,aut Canonicus Ioannes,non tamen frater Ioãnes, aut Monachus Ioannes; quam rem attentè considerauit August.Ticinensis in Propugnaculo Canonici Ordinis 4.par.cap.12. Quod si quando in iure Canonico,vt in cap. post translationẽ,de renunciatione,appellentur Monachi,dicaturq; eorum vita monastica, ac ocium monachale, id effectũ est eo,quod Canonici Regulares monasteria incolũt, vt Monachi, atque etiam ꝙ simul vniti communem vitam, vt Monachi,obseruent. Demum & propter vitam solitariã, quam ipsi Canonici extra vrbes in monasterijs exercent,vt idem Aug. Ticinensis 3. par.cap.3.explicuit. Potest quoque de Italis Canonicis alia ratio reddi; quoniã ipsi in erigendis nouis Congregationibus habitum clericalẽ in monachalẽ aliquantulum transformarunt;& iura Canonica, quæ Canonicos Regul. Monachos appellauerunt, de Frigionarijs,alijsq; id genus Canonicis apertè loquuntur.At verò quoniam Hispani Canonici Regulares habitum

bitum clericalem, talarem, & honestum cum pileo clericali quo caput cōtegitur, cumq; toga linea semper retinuerunt, nunquàm aut verbo, aut scripto Monachi appellantur, sed Canonici, aut alio honorifico titulo: quo & Clerici seculares honoris causa nuncupantur.

11 Tertiò Canonici Regulares à Monachis in diuersitate, ac dissimilitudine Regulæ, quā profitentur, longè discrepāt. Vt.n. Innoc. 3. in cap. quòd Dei timorem, sæpe citato, author est, licet Canonici Regulares à sanctorum Monachorum consortio non putentur seiuncti, Regulæ tamen inseruiunt laxiori. Quod quidem docet S. Tho. 2.2.q.189.art.8. ad 2. arg. quod præcipuè intelligendum est, ad validitatem transitus ab vno ordine ad alterum. Idcirco.n. Monachi professi diuinis ministerijs obsequentes, ad Canonicos Regulares transire nō possunt. Itē ꝙ plura Monachis, quàm Can. Regul. prohibentur, vt si agatur de ieiunijs, & alijs seuerioribus austeritatibus. Præterea ex Humberto in Regula Aug. multæ sunt Regulæ, quæ imponunt multas obseruantias corporales; Regula verò B. August. circa spirituales actiones versatur; quales sunt dilectio Dei, & proximi, vnitas cordium, concordia morum, & similia. Quis autē nesciat exercitia spiritualia præcellere exercitationibus corporalibus? sicuti spiritus præeminet corpori, & lex spiritualis, legi carnali, adde quòd eadem Canoni. Regula nec mollior est, nec horridior, sed planè singulis congruens, à discipulorum Christi exemplo, vitaq; detracta, mediocritatem illam tenens: quæ inter nimium, & pàrum posita, iure laudatur.

12 Quartò dissimiles sunt etiā Canonici Regulares ipsis Monachis in habitu Religionis. Nam Canonicis Regul. habitus, pileusq; clericalis cum toga linea præscribitur, Monachis verò cuculla imponitur, à qua Canonici Regulares longè abhorrent. Nec ea vnquàm vtūtur, nisi in casu apostasiæ. Quod planè ostenditur in cap. mandamus 19.q.3. vbi Vrbanus 2. inquit, mandamus, & vniuersaliter interdicimus, ne quis Canonicus regulariter professus, nisi quod absit, publicè lapsus fuerit, Monachus efficiatur, quòd si decreto nostro contrariè præsumens agere tentauerit, ad Ordinē Canonicū præcipimus, vt redeat: & deinceps memorialē cucullā deferat, & vltimus in choro maneat: vbi glossa inquit; nō quod sit Monachus, sed ratiōe prioris maleficij, quod leuitatis causa ad asperiorem vitam non petita licentia pertransiret. Et sic quandoque potest esse dispar habitus in eodem choro.

13 Quinto differunt vtriq;, quòd nonnulli Canonici Regulares carnes edunt in Refectorio; carnium tamen esus vniuersis Monachis interdicitur in cap. cùm ad monasterium. In verbo, In Refectorio, sed nec lineis camisiis Monachi vtuntur.

14 Sexto à se inuicem disconueniunt, quod Monachorum auctor fuit S. Benedictus, aut D. Basilius magnus, aut alius eximius, ac præstans vir. Canonicorum autem Reg. auctor fuit, omnium aliorum excellentissimus Aurelius Augustinus episcopus Hipponensis. Qua in re Humbertus in exordio Regulę Aug. sic sentit; inter multas, inquit, & varias Regulas, sub quibus Religiosi diuersi in Ecclesia militant, quædã sunt, quas tradiderunt viri, qui cathalogo Sanctorum non adscribuntur; aliç sunt, quas sancti quidã tradiderunt. Qui tamen sapientia non eminuerunt. Aliæ verò, quas & si sancti, vel in sapientia perfecti tradiderunt; non tamen fuerunt eximiæ auctoritatis; ob idq; rarius, ac difficilius recipiuntur. Hæc verò Canonici Ordinis Regula, à viro sanctissimo, sapientissimo, eximiæ auctoritatis B. Augu. tradita reperitur: quæ non tantum ad exemplar vitæ priorum cœnobitarum, sed ad viuum vitæ Apostolicæ exemplar ab eo conformata est.

15 Septimo inter se differunt, quòd facilius dispensatur à Sede Apostolica secundum doctores, cum Canonicis Reg. quàm cum alijs regularibus; Monachis. s. & Mendicantibus, asseuerante id authore argumenti in Constitutiones Canonicorum Reg. à Bened. 12, editas. hæc vltima differentia sufficienter comprobatur ex cap. quòd Dei timorem, de statu Monachorum, &c.

Quod Regulares Canonici Cathedralium Ecclesiarum eiusdem sint ordinis, & rationis, cum reliquis Canonicis Regularibus. Cap. xxx.

1 
Ostquam ea, quæ in genere ad Canonicorum Reg. Ordinem, & Religionem spectant copiosè admodũ hactenus tradidimus, dubia quædam, quæ subcriri possunt, nunc in calce huius libri dilucidè explicabuntur. Nec defuerũt olim, nec hodie desunt, qui in hanc leuem opinionem protrudantur, vt sibi suadeant Canonicos Reg. Ecclesiarum Cathedralium non esse eiusdem Religionis, & ordinis cum reliquis Canonicis Regularibus Monasteriorum, & Collegiatarum insigniũ Ecclesiarum. Ad quam opinionem refellendã, duo fundamenta iaciuntur. Primum quàmuis Ecclesia Cathedralis Canonicorum Regularium rarò, aut nunquàm Monasterium, aut Cœnobium appelletur; quia tñ Regularis est, verissimè monasterium est, atq; Cœnobium, & Conuentus. Siquidem vulgare est, sub nomine Ecclesiæ monasterium etiam intelligi, atq; comprehendi. Hinc est, vt sacer Augustinus in sua Regula octo in locis Regularium Canonicorum domum, monasterium nuncupauerit, quæ tamen Ecclesia Cathedralis erat. Secundum fundamẽtum est, quod ex superioribus abunde comprobatur. Vbi est idem Religionis

habitus

habitus essentialis, eademq; solennis professio, ibi idem est ordo, & ratio. Hac.n.ratione, atque discrimine vniuersę Religiones à seinuicem discrepant, & secernuntur.

2 His pręmonitis, hæc constans conclusio mente tenenda est. Omnes Canonici Regulares tam Ecclesiarum Cathedraliũ, quàm non Cathedralium, siue Monasteriorum eiusdẽ Ordinis, & Religionis sunt. Qm̃ vbi est eadem habitus essentialis, & professionis ratio, ibi est eadem iuris dispositio; sed vniuersi Canonici Reg. Cathedrales eandem professionem emittunt, eundemq; habitum gerunt, nempè togam lineam: Igitur omnes Regulares Canonici, etiam Cathedrales sunt cum reliquis eiusdem Ordinis, & Religionis. Nemo.n. profectò vir cordatus non leuiculam rationem existimaturus est, quòd hac sola exigui momenti consideratione, quia ecclesia alioqui Regularis, Cathedralis est, Monasterium esse iam desinat, ipsiusq; Canonici à verorum Regulariũ Canonicorum prædicamento, & consortio excludantur. Ad hoc sanè ferendum iudicium, Ecclesiæ Cathedralis ratio impertinens est.

3 Secundo id exemplis Canonicis comprobatur. Vt.n.constat ex varijs chronicis, præsertim verò ex S. Anto. Flo.3.par.Hist.tit.23.cap.4. in ecclesia Cathedrali Oxomẽsi in Regno Castellæ sub Didaco Episcopo instituti fuerunt Canonici Regulares; è quorum numero, & Canonicus, & Subprior erat B. Dominicus. Erat autem professus secundum Regulam Beati Augustini, quam postea suis fratribus Prædicatoribus profitendam tradidit.

4 Tertiò in cap. innotuit. de elect. sic habetur. Innotuit nobis, ꝙ Vigoriensi Ecclesia destituta Pastore, Prior, & Conuentus eiusdem magistrum M. Archidiaconum Euoracensem in Episcopum elegerunt, &c. Et inferius cap. cum Vintonensis, eodem tit. sic habetur. Cum Vintonensis Ecclesia Pastore vacaret, Archidiaconus cum suis fautoribus Salubriensem diaconum; Prior verò, & complices eius præcentorem Linconensem in Episcopũ elegerunt, &c. vbi glossa Vintonensem Eccles. & Priorem habere, & Conuentum esse astruit. Vigoriensis quoque Ecclesia, & Priorem habere, & Conuentus esse in tex. manifestatur. Ergo Canonici illarum Cathedralium Eccles. Regulares erant. Id quod Io. Andreas asserit. Ergo per Canonicos Regulares intelliguntur tam Cathedrales, quàm non Cathedrales: vbi obiter annotabis, Ecclesias Cathedrales etiam Conuentus dici.

5 Quarto nostrum conficitur propositum ex Constitutionibus Canonic. Reg. à Bened. 12. & editis, & approbatis: in quibus omnes Canonicos Regulares tam Cathedrales, quàm non Cathedrales indifferenter sub vno Capituli generalis, siue prouincialis gremio ipse Pontifex compre-

comprehendit. Ex eo quod vna, eademq; Regularis professionis, & habitus ratio sit in vtrisq; ; quamuis in habitu superiori, qui ad Ordinis essentiam non pertinet, sit accidentaria differentia : quæ quidem speciem non mutat. Dummodo in habitu lineo, & Regulari professione non sit discrepantia.

6 Quinto in cap. cum terra. Ibidem traditur forma eligendi Pastorē in omnibus Conuentualibus Ecclesijs. Vbi ex textu, & glossa colligitur ipsas Ecclesias Cathedrales, & Conuentus esse posse, & Conuentuales nuncupari, & ex consequenti ipsarum Canonicos esse Regulares.

7 Sexto in cap. in causis, eodem tit. de Canonicis Capituli Ecclesię Tolosanæ fit mētio, atq; discusio, commemoratur etiam Prior; sed ecclesiam Tolosanam Regularium Canonicorum à primæua sua institutione semper fuisse constat, idq; etiam patet ex registro Innocentij. 3. & ex Cathalogo Ecclesiarum Cathedralium huius Ordinis: quem conscrip sit author argumenti in Constitutiones Canonicorum Regularium Bened. 12. ergo Canonici Regulares Cathedrales sunt eiusdem Ordinis, & Religionis cum alijs.

8 Septimo id ipsum cōmonstratur ex cap. præterea. de præbēdis, &c. G. qui in tua, & Tolosana ecclesia est Archidiaconus constitutus, & in vtraq; Ecclesia regulariter professus, &c. ergo Cathedrales Canonici ecclesiarum metropolitanarum Burdegalēsis, & Tolosanæ Regulares Canonici erant. Quo in loco ait glossa, Canonicum Regularem fieri posse Archidiaconum.

9 Octauo idem constat ex cap. cum super elect. de confess. & cap. sicut nobis, de Regularibus. Vbi cū glossa legimus, Canonicos Bethleemiticos, & Nazaretenses emittere solitos professionē secundum Regulam S. Aug. dareq; consueuisse habitum lineum; qui proprius est habitus Canonicorum Reg. Vbi textus locum illum Canonicam vocat, & pro verbo profiteri, glossa vtitur verbo Monachari. Sed has prędictas Ecclesias Cathedrales esse compertum est ex registro Innoc. 3. idemq; asseritur de Ecclesia Hierosolym. Ergo Canonici Cathedrales sunt etiā Regul. cum cæteris. Sunt & alia cōplura iuris Canonici loca, quæ rei propositæ stabiliendæ nō parum cōducunt; ea tn̄ ad amputandam fastidiosam prolixitatem prætermittimus; si quis verò ea de re plura nosse cupit, perlegat Aug. Ticinensem in Propug. Canonici Ordinis par. 3. cap. 5. Qui rem & copiosè, & luculenter perstrinxit.

10 Sanè non ab re fuerit superiori tractatui Ecclesias Cathedrales hic adnectare ex authore argumenti in Constitutiones Can. Reg. Bened. 12. dicente; Canonici Regulares Metropolitanas, & Cathedrales Ecclesias, & quidem inter alias digniores, tanquam veri Clerici obtinēt;

&

& gubernant: ex quibus hodie nonnullæ, frigescente Charitatis feruore, in Canonicos seculares redactæ sunt. Ex ipsis autem, quæ à sua institutione sub Canonicis Reg. existunt: & quibus modo ius cōmune, modo liber taxarū Cameræ Apost. S. R. E. fidem astruunt, aliquæ subijciuntur videlicet. Sancta, & in toto orbe primaria Ecclesia Lateranen. quæ est Papalis. Sancta Ecclesia Alexandrina Patriarchalis. Sancta Ecclesia Hierosolymitana Patriarchalis. Sancta Ecclesia Nazaretensis in Galilæa, metropolitana. Ecclesia Cæsaraugustana in Aragonia, metropolitana. Ecclesia Tarraconensis in Aragonia, metropolitana. Ecclesia Tolosana in Vasconia, metropolitana. Ecclesia Auinionen in Gallia, metropolitana. Ecclesia Arelaten. in Gallia, metropolitana. Ecclesia Zanzaronen. metropolitana. Ecclesia Tarantasien. in Burgundia, metropolitana. Ecclesia Salseburgen. in Germania, metropolitana Ecclesia Brandeburgen. in Germania, metropolitana. Ecclesia Pampilonen. in regno Nauarræ, metropolitana. Hæc ecclesia Cæsaraugustanæ metropolis nunc suffraganea est. Ecclesia sancti Andreæ in Scotia, metropolitana. Ecclesia Anicien. in Gallia, quæ vtitur pallio. Ecclesia Magalonen. in Gallia. Ecclesia Grationopolitana, in Delphinatu. Ecclesia Perusina, in Tuscia. Ecclesia Eugubina in ducatu Spoletano. Ecclesia Gerunden. in Catalonia. Ecclesia ciuitatis Castellę in Tuscia. Ecclesia Dignē. in prouincia Prouinciæ. Ecclesia Seueren. ibidem. Ecclesia Tarmen. in Basconia. Ecclesia Dertusen. in Catalonia. Ecclesia Vranien. in comitatu Vencisino. Ecclesia Siracusana in Sicilia. Ecclesia Cefaluden. in Sicilia. Ecclesia Oxomen. in regno Castellæ, siue in Hispania, iam secularis est. Ecclesia Hipponen. in Aphrica. Ecclesia Vaianen. in Aphrica. Ecclesia Sebastianen. in Aphrica. Ecclesia Tagasten. in Aphrica. Ecclesia Adrumentina, in Aphrica, & aliæ plurimæ in dicta prouincia Aphricana; quæ ab infidelibus detinētur, & quę breuitatis causa omittuntur. Hactenus ex authore prædicto. His enumeratis Cathedralibus Ecclesijs adnumeranda est Ecclesia Bethleemitica ex Augustino Ticinensi in Propugnaculo Canonici Ordinis par. 3. cap. 5. vbi & plures commemorat huius Ordinis Cathedrales. Sed tamen nec prætermittenda est Ecclesia Auxitana in Gallijs, & metropolitana.

11 Sed ad propositum negotium iam nostra recurrat oratio. Hanc ergo veritatem à multis iam superioribus seculis confirmatam, stabilitamq; habemus ex pluribus iuris canonici locis, vnde vniuersi Religiosi quarumcunq; domorum, siue religionum, vnam de approbatis ab Ecclesia regulam assumere teneantur: ac iuxta eam solennē professionem emittere cōgantur. Hinc enim manifestum fiet omnes Ca-

nonicos

nonicos Regulares, etiam Cathedrales eiusdem esse Ordinis, atq; ratione. Primũ igitur cõstat ex cap. perniciosam. 18. q. 2. ex Inno. 2. Perniciosam, & detestabilẽ consuetudinẽ quarundã mulierum, quæ licet neq; secundũ regulam B. Benedicti, neq; Basilij, aut Augustini viuant, sanctimoniales tamen vulgò censeri desiderant, aboleri decernimus.

12 Secundo, ex cap. cum causam. de elect. ex Innoc. 3. Et compellatis præfatum presbyterum, aliosq; Clericos non professos, vt vel beati Augustini Regulam in eadem Ecclesia constitutam profiteantur, & seruent, aut ipsam Ecclesiam omninò dimittant.

13 Tertio, ex cap. ne nimia. de religiosis domibus. Ne nimia Religionis diuersitas grauem in Ecclesiam Dei cõfusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero nouam Religionem inueniat; sed quicunq; ad Religionem conuerti voluerit, vnam de approbatis assumat. Similiter qui voluerit Religiosam domum fundare; regulam, & institutionem accipiat de approbatis. Illud etiam prohibemus, ne quis in diuersis monasterijs locum Monachi habere præsumat, nec vnus Abbas pluribus monasterijs præsidere.

14 Quarto, ex cap. Religionũ diuersitatem, de religiosis domibus in 6. ex Greg. 10. Religionum diuersitatem nimiam, ne confusionẽ induceret, generale Concilium consulta prohibitione vetauit. Sed quia non solùm importuna petentium inhiatio illarum postmodum multiplicationem extorsit, veruntamen aliquorum præsumptuosa temeritas diuersorum ordinum præcipuè mendicantium; quorum nondum approbationis meruere principium; effrenatam quasi multitudinem adinuenit; repetita cõstitutione districtius inhibẽtes, ne aliquis de cætero nouum Ordinem, aut Religionẽ adinueniat, vel habitũ nouæ Religionis assumat: cũctos affatim Religiones, & Ord. mẽdicãtes post dictũ Conc. adinuentos, qui nullã cõfirmationẽ Sedis Apost. meruerũt, ppetuæ phibitioni subijcimus, & quatenus pcesserãt reuocamus. &c.

15 Quinto, ex extrauagante Io. 22. de religiosis domibus, quæ incipit; Sancta Romana. Sancta (inquit) Romana, atq; vniuersalis Ecclesia, cui auctore domino licet immeriti præsidemus; sicut religiosa, & pia vota benigno fauore prosequitur, sic superstitiosos conatus insolentium hominum detestatur, videlicet ne sub ouina pelle gregem dominicum truculentia lupi rapacis inuadat, sub pietatis imagine virus hæreticæ prauitatis obrepat, & sub prætextu conuersationis angelicæ incautis mentibus spiritus malignus illudat; cuius rei gratia sacris Canonibus est interdictum, ne aliquis nouum Ordinẽ, aut Religionẽ inueniat, vel habitum noue Religionis assumat: sed quicũq; ad Religionẽ venire voluerit, ingrediatur vnã de Religionibus approbatis. His adde cõ-

stitutio-

ſtitutionẽ Pij 5. quæ incipit, Lubricum vitæ genus. Qua quoſcunq; Religionum ritus, ſub ſolẽni profeſsione triũ votorũ, atq; aliqua approbata regula cõſtringit, & ſubijcit, quã nos retulimus ſuperius. cap. 10.

De reprobãda opi. Canonicos Cathedrales ſemiregulares ſtatuẽte. Cap. xxxi.

1 Vidam ægreferentes, Canonicã, approbatamq; D. Aug. Regulam, ab ipſo auctore Canonicis Regularibus, & Cathedralibus fuiſſe traditam, & iniunctam, quendam inauditum, inordinatumq; Canonicorum Cathedralium Ordinem confinxerunt, ſolis coniecturis ſuffulti, quibus videlicet Canonicis Cathedralibus tantum bonorum proprietas denegaretur; cætera verò duo Religionis vota minimè profiteri tenerentur. Ad diluenda verò aduerſariorum argumẽta, infirma eorum fundamenta aperienda ſunt. Sciendũ eſt igitur quandam fuiſſe opinionem ab Aug. Ticinenſi loco nunc citato commemoratam. Quæ originem, propagationem, ſucceſsionẽmq; Canonicorũ Reg. hac ratione deſcripſit, vt Canonici Regulares in duplici ſint differẽtia. Quidam. n. ſunt Canonici Cathedrales ab Auguſtino in ſua domo epiſcopali inſtituti, & primùm creati. Iſtis tamẽ regulam celebrẽ, & ab Eccleſia approbatam Auguſtinus non tradidit, nec obſeruãdam iniunxit. Loco tamen Regulæ, atque inſtituti eis tradidit, conſcripſitq; vulgatos illos duos ſermones, quorum exordia ſunt; Propter quod volui, & Charitati veſtrę hodie, quos etiam de vita Clericorum inſcripſit. In quibus communis tãtum vita, Apoſtolorum more obſeruanda præcipitur, quam etiam iuxta hoc duos ſermones profitebantur. Cæterũ nullam aliam trium votorum ſubſtãtialium, Religioſorum ritu, & lege profeſsionem emittebãt. Hæc Canonicorum Cathedralium inſtitutio ſola eſt, vt eiſdem placet, quã Conciliũ Aquiſgranẽſe, cap. 112. & 113. Canonicis præſcribit. Quæ etiam perduraſſe fertur vſque ad tempora Innoc. 2. & Innoc. 3. aliorumq; ſummorum Pontificum. Poſt hos. n. Rom. Pontifices ſuis luculentis ſanctionibus editis ipſi ijdem Canonici Cathedrales S. Auguſtini coacti, compulſiq; ſunt, tria vota iuxta celebrem, approbatamq; Auguſtini Regulam profiteri. Dicuntur autem iuxta huius opinionis placitum Canonici S. Auguſtini, non quòd Regulares eſſent, ſed quòd Auguſtinum inſtitutorem habuerint. Si tamen Canonici ab Auguſtino ſunt inſtituti. Nam, & id ab aduerſarijs in dubium vertitur. Huius opinionis fuiſſe exiſtimãt Dionyſ. Carthuſ. in tractatu Canonicorum art. 1. cuius titulus eſt De originali inſtitutione, & prima inchoatione Canonicorum.

2 Alij ſunt etiam Canonici, vt aduerſarij conijciunt, qui vulgò Regu-

lares dicuntur, à S. Rupho, siue Arnulpho Episcopo Lugdunensi instituti. Nuncupantur autem Canonici Regulares S. Augustini, non quòd ab Augustino ortum traxerint, sed quòd Regulam Augustini cum plurimis alijs ordinibus profiteantur. Qui tamen tria Religionis vota etiam emittunt.

3 Aduersus tamē hanc enarratam opinionem, quæ iudicio nostro insignem falsitatem continet, perspicuitatis gratia. Prima statuitur conclusio: Canonici Regulares S. Augustini tria Religionis vota iuxta eiusdem Regulam profitentes, siue sint Cathedrales, siue monasteria colētes ab ipso D. Augustino Regulam celebrem, ab Ecclesiaq; approbatam, tanquàm à suo vero institutore acceperunt. Eandemq; Regulam prædictis Canonicis Augustinus tradidit custodiendam. Hanc conclusionem abundè comprobauimus hoc lib. 1. cap. 2. & 3. dum ageremus de Ordinis Canonicorum Regularium origine, & antiquitate. Idq; confecimus rationibus, iuris Canonici confirmatione, & plurimorum historicorum auctoritate, summorum etiam Pontificum grauissimo iudicio, & sententia.

4 Secunda conclusio; Duo illi Augustiniani sermones ab aduersarijs adducti, Canonicis Regularibus prædictis nunquàm loco Regulæ eisdem sunt traditi ab Augustino. Primum nanque illi sermones, neque Regulæ alicuius formam, neq; instituti modum quempiā præseferunt. Vt ex eorum discursu, & nimia prolixitate prælegenti fit apertum. Quin potius cuiusdā apologiæ, siue cōpurgationis imaginem cōtinēt. Pro cuius rei explanatione animaduertendū est, post creatū Canonic. Regularium verè religiosorum Collegium, ac Monasteriū intra domū Episcopalem, viuente ipso Augustino, insurrexisse in vrbe Hipponensi aduersus suos Religiosos Canonicos, seculares quosdam homines maledicos, ac detractores, qui in Augustinum obmurmurabāt, quòd quidam sui Canonici pecuniam, ac proprium contra professionem vulgo iactatam possiderēt; quæ res secularibus offendiculum erat. Præcipuā tamen huius obmurmurationis causam, & occasionem præstitit Ianuarius quidam presbyter, & Canonicus Regularis, qui moriens testamentum condidit, filijsq; quibusdam hæreditatem reliquit: qua ratione S. Augustinum fefellit, maximoq; dolore diuexauit. Duos sanè illos sermones Augustinus conscripsit ad tuendam suam, suorumq; existimationē, & famam: explicans primum, se non appetiuisse, nec ambitiosè conquisiuisse Episcopatum. Referens etiam quales donationes suæ Ecclesiæ factas repudiauerit, ac renuerit; ipsum Ianuarium tanquàm apostatam, & proprietarium accusans. Docet etiam vnde hanc Apostolicam Regulam desumpserit. Demum quamplurimos Canoni-

cos,

cos,quos ipſe Clericos vocat,refert,peculiaria illorum geſta, paupertatem, & bonorum abdicationem exponens;prolixaq; , ac conduplicata oratione à detractorum accuſatione , reprehenſioneq; ſe, & ſuos tuetur . Itaq; ni fallimur,nihil à Regulæ forma,ſeu effigie alienius cõſcribi poterat. Vt.n.doctiſsimorum virorum iudicio cõprobatur Regula nihil eſt aliud,quàm breuis rerum præceptio,ordine etiam diſtributa,atq; digeſta. Quo ergo iure ſermones illos Canonicorũ eſſe Regulam aduerſarij opinentur, prorſus ignoro. Potius.n.apologiam dixerim,quàm regulam. Imò verò illinc colligere licet, iam eo tempore ante hos ſermones conſcriptos, Regulam Apoſtolicam, & Canonicam fuiſſe ipſis Canonicis exhibitam,ob idq; aduerſus Ianuarium Auguſtinus conqueritur,quòd ſuæ iam prius traditæ Regulę impius tranſgreſſor extitiſſet.

5 Tertia concluſio ; Arnulphus Archiepiſcopus Lugdunēſis non fuit Ordinis Canonicorum Reg.auctor,ſiue inſtitutor ; ſed reformator, & reſtaurator. Hanc rem demonſtrauimus ſuperius cap. 10.agentes de arctioribus quibuſdam congregationibus Canonicorum Reg.Quo in loco plures retulimus huius Ordinis reformationes , varijs temporibus,à diuerſiſq; reſtauratoribus fuiſſe factas.Vt ab Iuone Carnotenſi, & à Petro Damiano . Item à Bened. 12.in quorum numero Arnulphũ connumerauimus, qui in Gallijs hunc Ordinem reparauit . Cuius rei aſſertores ſunt Auguſtinus Ticinenſis in Propugnaculo Canonici Ordinis. 5.par.confirmatione. 8.Qui & plures hiſtoriographos citat, has reformationes narrantes . Et Ioannes Nauclerus volum. 2. Chronographiæ , generatione.37.

6 Quarta concluſio ; Concilium Aquiſgranenſe hunc morem ſuo diſcurſu obſeruat. Vt priſcorum,ſanctorumq; patrum, atq; etiam Conciliorum ſententias , documentaq; in vnum aceruum congeſſerit , & conſarcinauerit ad Religioſorum,Clericorumq; eruditionẽ; quo factũ eſt,vt à quibuſdã, vt longum,permoleſtumq; reſcindatur partim,atq; reſecetur . Itaq; locis citatis duos illos Auguſtinianos ſermones appoſuit,vt in calce cap. 113.explicat,ad qualemcunq; doctrinam,& inſtructionem Religioſorum,qui fortè ijs temporibus proprietatis vitio laborabant,vitamq; communem diſcindebant,& dilacerabant. Proptereaq; aliorum votorum,videlicet obedientiæ.& caſtitatis Conciliũ illud non meminit eo loco.Immeritò ergo doctrinæ, ſacræq; Patrum, & Conciliorum conciones, Regulæ Canonicorum exiſtimantur.

7 Quinta cõcluſio ; Dionyſius Carthuſianus abſq; iure ab aduerſarijs in contrariam opinionem rapitur,& contorquetur. Dum.n.loco citato vitæ monaſticæ originem ab Apoſtolis deducit,tria etiam Religio-

nis vota eo tempore extitisse, constanter astruxit his verbis. Veruntamen multi prioris deuotionis, conuersationisq; memores, cum ingenti paupertatis ardore vitam illam communem denuò assumpserunt, & Apostolicam institutionem renouauerunt, in suburbanis, ac locis secretioribus commorātes, à coniugijs abstinentes, sub obedientia sancta secundum euangelica consilia conuersantes. Ex quibus vita cœnobitalis, seu monastica sumpsit exordiū. Quæ res nobis argumento esse potest. Canonicos B. Marci ante Augustinū, Canonicosq; Cathedrales D. Augustini tempore; tria vota iam emisisse. Deinde verò idem Carthusianus paulò inferius subdit institutionem Canonicorū secularium, qui quandam vitam communem in Refectorio, Dormitorio, communiq; domo propè ecclesias agebant; propria tamen bona, ac peculiaria retinebant. Horum Canonicorum secularium institutionem, & viuendi modum apertè descripsit idem Conc. Aquisgran. à cap. 114. ad calcem vsque; quibus propria habere sub Decaniq; regimine viuere libenter largitur. Quem viuendi modum his nostris temporibus quidam neotherici suis scriptis celebrarunt. Hi igitur Canonici seculares sunt, qui tria vota Religionis non profitebantur, quia seculares erant. Hác profectò explicationem significasse videtur Carthusianus, cum fateri cōstringitur, huiusmodi Canonicos sub Decani gubernatione vixisse, quorum etiam loca monasteria dicebantur. Quis.n. vsquàm, aut vnquàm Canonicos Regulares, nisi prorsus seculares. Decanum habuisse gubernatorem aut vidit, aut legit? Hic.n. mos ab Ecclesia obseruatur, vt capitulorum secularium capita, Decani dicantur.

8 Possumus etiam facili negotio aduersæ parti respondere. Dionysiū Carthusianum non esse tanti faciendum, nec tantam illi fidem habendam; eo præsertim quod ipse plurimorum historicorum assertioni, iuri Canonico, ac etiam summis Pontificibus hac in re aduersetur. Quos omnes superius cōmemorauimus cap. 2. & 3. sic intelliges planè, quā sint aduersariorū argumenta infirma, frigida, coniecturis etiā ludētia.

Quòd Augustinus ipse suam tertiam regulam Canonicis Regularibus, adhuc viuens obseruandam tradiderit. Cap. xxxij.

1 SVnt qui inficias iuerint, aut certè in dubitationē reuocauerint, sit ne hæc Augustiniana Regula, quæ ab Ecclesia approbata est ab ipso Augustino, adhuc viuente ipsis Canonicis Regularibus, vt obseruaretur: tradita, & iniuncta? Hi sanè opinatores ex illorum numero mihi esse videntur, qui vt litem dubiam, aut iniustam facilius tueantur, ea etiam, quæ sibi nulla ratione, nulloq; etiam apparenti iure debentur, stentoreo

tamen clamore à iudice flagitant. Sunt etiam similes illis, qui nullum cohæredem secum patiuntur, sed integram hæreditatem sibi arripiũt, totumq; imperium occupant. Cur.n. alij Religiosi primo genituram, institutionẽ, successionemq; sibi vendicabunt, si suo auctori, paretiq; filios alios p quàm legitimos, absq; suo vllo detrimẽto, aut dedecore iure optimo dederimus, attribuerimusq;? Quasi fieri non possit, aut non deceat, vt ipsa vna, eademq; Augustiniana Regula, quæ in tot Religiones, Ordinesq; post Augustini obitum propagata fuit ob vberrimam vtilitatem, quam omnibus Religionem colentibus parit, ab ipso viuente Augustino, & Canonicis, & Eremitis, & Sanctimonialibus tradatur, iniungaturq;. Historia quidem, testis est temporum, lux veritatis, vitæ magistra, memoriæ præses, & vetustatis nũcia. Cuius proinde prima est lex, ne quid aut falsi dicere, aut veri (quod quidem scitũ dignum sit) supprimere, in alicuius odium, aut gratiam audeat; debet enim esse vera, & sincera, vt ne summum quidem aduersarium narratione lædere, nihilq; quod exploratũ nõ habeat, palàm asserere historiographus ausus sit. Alioquin.n. ex rerũ gestarũ ignoratione, aut mẽdax, aut imperitus conuincetur. Secunda lex est, ne quid repugnãs, aut implicans, seu falsitatis se mutuò coarguens afferat. Nam si mendacem decet esse memorem, si deprehendi nõ vult, quantò magis historicum; cui ne dubiũ quidem asserendũ est. Tertia lex est, vt historia sua breuitate aptè delectet, plenè doceat, sensimq; & acriter, quantũ opus fuerit, moueat. Quarta lex sit, ne quid superfluum, aut imminutũ contineat historia. Superfluũ autẽ cõtinere videatur, si altius quã opus sit, exordiũ repetierit; si digressiones ad rẽ nihil facientes induxerit.

2 Rem igitur ea, quæ Religiosos decet, modestia, animiq; sinceritate, tersaq; historia excutiamus. Initio ipso aduertentes, ex Choriolano in commentarijs in Regulam Aug. cõm. 2. & in Defensorio veritate 1. dum decimam auctoritatem discutit, præstantissimum nostrum Augustinum tres Regulas edidisse. Primam quidem ex omni fratrum in monte Pisano solitariam vitam agentium decreto, anno ætatis suæ 31. sub anno domini 408. quæ incipit; Cõmuni definitione decreuimus; Alteram, quæ incipit; Ante omnia fratres charissimi, &c. Et paulò inferius, qualiter autem oporteat nos orare, vel psallere describimus. Vbi autem eam composuerit, certum hucusq; Choriolanus nõ habet, quibusdam opinantibus in Centumcellis, anno ætatis suæ 32. sub anno domini 410. Alijs verò sentientibus, eam ab Augustino fuisse conscriptam in Aphrica in primo monasterio, quod suo patrimonio consecerat, vel in quodam sublimi monte per duo milliaria ab eo loco distante. Alijs etiam existimantibus in monte Pisano fuisse editam. Ter-

tiam verò, quā Ecclesia Catholica celebrem effecit, & approbauit, cōscripsit iam presbyter creatus, ante episcopatum susceptum, vel certè vt Eremitis perplacet, iam factus Episcopus Hipponensis. Hæc.n. litis origo est. Eo igitur tempore tertiā Regulam ex his duabus, & ex quibusdā alijs salubribus documentis, quę ipse Paradisi nuncupauit margaritas, conflatā promulgauit. Hæc, vt pleriq; asserunt ab eo loco initium sumit, vbi legitur, hæc sunt, quæ vt obseruetis, pręcipimus in monasterio constituti. Primū, propter quod in vnum estis congregati, &c. Sic tamen vt prima clausula, nempè hæc sunt, quæ vt obseruetis, præcipimus in monasterio constituti, sicuti in vetustissimis, emendatissimisq; libris Choriolanus comperit, rubrica sit sequentis sermonis, vbi præcepta connumerans, textum inchoauit dicens: Primum propter quod, &c. Quibus si assentiri licet, mandatum de diligendo Deo, ac proximo, idcirco additum fuisse censendum est, vt expresius ad id seruandum excitemur, vehementiusq; inflammemur. Has tres regulas habet primus tomus operum Augustini propè finem, quas omnes Choriolanus commentarijs illustrauit.

3 Secundo notandum, hanc tertiam Regulam, Speculum ab Augustino fuisse nuncupatam. Quoniam quæcunq; in alijs Regulis continebantur, & quæ ad nostram salutem conducibilia erant, in hac vna, veluti in splēdido Speculo perlegere, inspicereq; possumus. Ne verò quispiam in errorem labatur, admonet Choriolanus com. 72. sanctum Augustinum quorundam, videlicet Eremitarum, & Clericorum suorum curam habuisse peculiarem: aliorum verò Christianorū Dei iussu Episcopum creatum, vniuersalem curam suscepisse. Quapropter duos edidit libros, quorum vtrumq; Speculum appellauit; quanquam illud vniuersale, hoc verò particulare nominauerit, alterū, videlicet hanc Regulam peculiaribus suis Eremitis, & Canonicis, alterum, in quo vniuersa legis cōgessit mādata, quod inspiciendū, legendū, obseruandumq; omnibus fidelibus iussit, & reddidit. Hoc autem præceptorū Dei Speculū tomus 3. operū Augustini continet. Caue igitur, ne ea quę de Speculo particulari legeris, ad illud vniuersale referas.

4 Tertio notandum ex Choriolano com. 2. In Regulam Augustini, & in Defensorio veritate 4. tria monasteria ab excellenti nostro parente fuisse in Aphrica cōstructa. Vt ipse Augustinus ait in sermone de Iustitia, qui incipit; Vt bene nostis; præter alia monasteria, quæ in monte Pisano, & in Centumcellis ædificauit. Sic enim ait; Vt benè nostis fratres charissimi, tria monasteria apud Hipponē Dei gratia, merui laudabiliter ad honorem sanctæ Trinitatis construere; quorum primùm hoc est, in quo iam annis multis modico pabulo contenti, hilariter cōmoramur

moramur, bestijs associati, ab auibus ministrati, ciborumq; spernētes delitias, visus hominum fugientes, & ideo non ego miser, sed vos sæpè Angelorum estis assueti colloquijs. Aliud quoq; monasterium in horto, quem sanctus pater Valerius mihi dedit, ædificatum est. Et quoniā postquàm Episcopus factus sum, nec semper hic vobiscū habitare potui, nec cum fratribus, qui in altero positi sunt monasterio; propterea infra domum Episcopi mecum habere volui monasterium Clericorum, vt cum eisdem pariter secundum Apostolicam traditionem viuerem, sicut & vobiscum hactenus vixi.

5 Quarto notandum, hæc ferè esse dissidia in ordine Augustiniano à quibusdam excitata. Primum, in secūdo monasterio fuisse ab Aug. Regulam conditam, Eremitisq; traditam, iam presbytero, nondum tamē Episcopo; alijs contra asserentibus Clericorum Regularium illud fuisse monasterium institutum, eisq; Clericis tanquàm primogenitis Regulam fuisse tributam? Itaq; hic de primogenitura, temporisq; prioritate agitur. Secundum disidium est, an constitutus Episcopus in tertio monasterio domus Episc. post congregatos, cooptatosq; Clericos Regulam condiderit, eisq; Clericis selectis regulam, regularemq; vitam obseruandam præceperit; eo quidem pacto, vt nunquam Aug. hāc celebrem Regulam Eremitis vllis dederit, sed solis Canonicis Regularibus? Tertium disidium est, an illi Clerici Cathedrales, ab Augustino in tertio monasterio domus Episcopalis in vnum coacti, fuerint veri Religiosi, veramq; regularem professionem emiserint? Quibusdā asserentibus, nec Religiosos fuisse, nec vnquàm Canonicos Regulares ab Augustino fuisse cognitos. Quartum disidium est, quamuis illud concederetur & Eremitis, & Canonicis Reg. fuisse regulam Augustinianam traditam, & concessam, vtris magis conueniat, Eremitis, an Canonicis Regularibus?

6 Quinto, notandum duabus prioribus dubitationibns iam nos abūdè, pleneq; satisfecisse superius cap. 2. &. 3. de antiquitate Canonici Ordinis pertractantes. Quod autem illi Augustiniani Clerici veri, perfectiq; fuerint Religiosi, regulam tertiam profitentes, nunc commostrabimus. Primum ex Posidonio in vita Augustini, cap. 11. Proficiente, inquit, doctrina diuina sub sancto, & cum sancto Augustino in monasterio Deo seruientes, ecclesiæ Hipponensi Clerici ordinari cœperunt. Ac deinde innotescente, & clarescente de die in diem Ecclesiæ Catholicę prędicationis veritatis, sanctorumq; seruorum Dei proposito, continētia, & paupertate profunda, &c. Vbi scholiū Lippomani, inquit, Sancti serui Dei Clerici S. Augustini crescebant in monasterio continentia, & paupertate profunda. Hæc Lippomanus. Quod sa-

nè de solenni triū votorū professione à Canonicis Regularibus emissa intelligendū est. Secundo, ex Ioanne à Nigra Valle in epilogo Chronicarum lib. 13. cap. 18. ex Canonico, inquit, Ordine monasticus ordo traxit originem. Cum. n. in Ecclesiæ primordijs, multi ad perfectionē illam, qua pro Christo omnia relinquuntur, assidua prædicatione è secularium Clericorum statu conuerterentur. Hi qui angelicam vitam in communi viuentes, atque in sortem domini sunt per paupertatis, castitatis, ac obedientiæ professionem assumpti, Clerici, siue Canonici nuncupati fuernnt. Hæc ille.

7 Tertio, ex Roberto Episc. Arboricensi de tuendo cœlibatu, tom. 2. tit. de monast. Ord. primordijs. Canonicos ait; dicimus, qui ex communi placito, ac voto orationi, ac mutuæ bonorum distributioni obnoxij erant. Erat autem hoc veluti elementum quoddam, atq; exemplar futuræ communionis in Ordine Canonicorum, qui triplici voto adstricti, se regulares appellant. Quem D. August. longo post tempore instituens, ab Apostolico fonte se hausisse profitetur.

8 Quarto, ex Iacobo Bergomensi Eremita Augustiniano, qui author est supplementi, lib. 14. anno. 1407. sic ait; Canonicorum igitur Ordo Reg. D. Augustini, à quibus directè, vt diximus, præfata congregatio continuatur, ab ipso patre Augustino regularem sumpsit institutionē: Nam vt in dictis sermonibus de communi vita cler. ad verbum habetur, clericos intra Episcopi domum habere curauit, & cum eis pariter secundum Apost. formam, quoaduixit in communi degere voluit. Quibus omnibus placuit vnum in Deo sentire, & omnia in communi possidere. Et ibi inquit; Clericus duo professus est. f. sanctitatem. i. obedientiam, castitatem, & viuere in communi, & vt tunicam lineam, & birrum, idest, vestem desuper habitum in communi gestarent. Hactenus Iacobus Bergomensis.

9 Quinto, vnaquæq; Regula, cuiuscumq; sit Ordinis ab Ecclesia approbata, tria in se continet, videlicet tria perfectæ Religionis essentialia vota; hoc est, paupertatem, castitatem, & obedientiam. Nam vt 2. cap. ex S. Tho. superius docuimus, ad Religionis perfectionē hæc tria requiruntur. Idcircò noster August. in suæ Regulæ decursu prius paupertatem, deinde castitatem, postremò obedientiam tradidit, & præcepit. Eadem tria substantialia in Benedictina, Franciscanaq; Regula comperies. Sed sacer Augustinus hanc Regulam obseruandam Canonicis Reg. dedit, & imposuit, vt ad nauseam vsq;, superius comprobauimus; igitur sui Canonici hæc tria obseruare tenebantur. Veri igitur erant Religiosi, atque perfecti, triaq; substantialia profitebantur. Quandoquidem illa tria in sua Regula continentur.

Sexto,

10 Sexto, ex decreto Theologicæ facultatis Parisiensis, quod superius cap. 9. citauimus: vbi sic legimus; Dubitabatur à plerisq;, an Religiosi vouebant tempore Augustini? Et ad supplicationem fratrum S. Victoris, qui petebant solutionem illius difficultatis; facultas disputauit de materia illa, nō solùm per deputatos, sed per totam facultatem disputatum est diligenter, & tandem matura præcedente deliberatione conclusum fuit, quòd Religiosi S. Augustini, & Monachi illius temporis vouebant. Quo in loco Religiosorum S. Augustini appellatione Canonicos Regulares intelliges. Nam & fratres Sancti Victoris Parisiensis Canonici sunt Regulares.

11 Postremò ex Bened. 12. in præfatione Constit. Canonicorum Reg. Vbi Religionem Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini honorificis verbis referēs, omnia quę in Religione prædicta tam à prima ipsius institutione, quàm à sacris Canonibus salubriter instituta sunt, corroborat; in eisq; Constitutionibus, & solennis professionis, & obedientiæ, & paupertatis sæpè meminit, iuxta formam aliarum Religionum. Reliqua explanauimus cap. superiore, cum Canonicos Reg. Cathedrales veros esse, atq; completos Religiosos disputabamus.

12 Quartum dissidium commouit Ambrosius Choriolanus in suo Defensorio post appositam tertiam Regulam, vbi docere contendit, eam regulam magis Eremitis, quàm Canonicis Regularibus conuenire. Idq; iudicio meo ratiunculis admodū infirmis. Prima sumitur ex verbo, fratres charissimi, in fronte Regulæ posito, quo ad Eremitas scribens semper vtatur. Canonicos autem, non fratres, sed Clericos, presbyteros, sacerdotesq; Dei altissimi appellitare consueuerit. Ceterum mos est homilias conscribentium vsitatissimus, atq; etiam ipsius Pauli Apost. vniuersos Christianos, fratres appellare, quam locutionem nec ipse Augustinus fastidiebat. Secunda ratiuncula conficitur ex verbo, in monasterio constituti. Canonici.n. sua loca Abbatias, Præposituras, alijsq; insignioribus nominibus denominari volūt. Eremitæ verò Cōuentus, & monasteria dicunt. Sed ignorabat sanè Choriolanus nostrarum domorum nomina. Hic.n. vsus obseruatur. Si domus sint Cathedrales, ecclesias appellamus; reliquæ verò domus monasteria dicūtur.

13 Tertia ratiuncula desumitur ex verbis in vnū congregati. August. autem non Clericos, sed Eremitas per nemora dispersos in duobus primis monasterijs congregauit. At verò congregari etiam aptè dicuntur Clerici Augustiniani, qui ex varijs oppidis, & vrbis domibus in vnum commune domicilium ab August. coniuncti, electi, cooptati, coactiq; fuerunt.

14 Quarta fit ex verbis, Non dicatis aliquid proprium. Nam Clerici

S.Augu-

S.Augustini multis in locis proprium retinent. Quodnam autem illud sit proprium, explicat, prædia esse, & beneficia. Apertoq; marte aduersus Religiones bona in cõmunione habentes dimicat, in ipsamq; Eremitarum Religionem inuehitur. Ait.n. hoc pacto, Ad perfectionem, & intentionem regulæ B.Augus. magis accedit nihil habere in communi, quàm habere. Neq; ipse ad habendum in communi præcepit, sed permisit aliquid in communi habere propter inexplebilem illorũ Clericorum auaritiam, quibus neq; Deus, neq; Ecclesia sufficiebat. At verò superius cap.20. ex D.Tho. docuimus, triplicem esse paupertatem variarum Religionum, communia bona posśidẽtium, paupertatemq; profitentium. Communitur etiam nostra sententia ex Conc.Trid. decreto cap.3. de regularibus. Concedit sancta Synodus omnibus monasterijs, & domibus tam virorum, quàm mulierum, & mendicantiũ, exceptis domibus fratrum S.Francisci Capuccinorum, & eorum, qui Minorum de obseruantia vocantur, etiam quibus aut ex cõstitutionibus suis erat prohibitũ, aut ex priuilegio Apost. non erat concessum, vt deinceps bona immobilia eis posśidere liceat. Quòd si fortè Choriolanus alios peculiares proprietarios significet, nos quoq; eosdem cũ vniuersis Religiosis proprietarijs damnamus. Quinta ex verbis; Magis studeant non de parentum diuitum dignitate, sed de pauperum societate gloriari. Vos autem Canonici paupertatem, ait, & pauperum societatem odistis, pingues Abbatias quæritis, domni, vel domini vocari appetitis, pauperes fratres Mendicantes deridetis. hæc illæ. Iniuria quidem Choriolanus in Clericos Augustinianos exurgit. Sunt.n. ex eorum numero non pauci, qui in litteris, morum integritate, ac vitæ sanctimonia non postremas obtinent partes. Docet quoq; sacer Canonicorũ.Reg. Ordo inanem gloriam fugere, humilitatẽ sectari, Christi pauperes, probosq; Religiosos suspicere, & amplecti. Audi Paulum dicentem; Non qui se ipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat. Sexta ratio conficitur ex verbo, In oratorio. Oratorium.n. sacellũ est, idest parua Ecclesia, quales sunt ecclesię Eremitarũ, non verò Canonicorum, qui ecclesias Basilicas, Episcopatus, & Cathedrales domos habẽt. Attamẽ & Eremitæ amplisśima, pretiosisśimaq; monasteria posśident, nec id vetuit August. Postrema ratio ex illis verbis excogitata fuit, non affectetis vestibus placere, sed moribus. Quod Eremitas opere explere, ait, nõ Canonicos Reg. qui põposis indumentis fruuntur. Quos etiã voracitatis, & discursus vitio subnotat, opprobrijs, dicterisq; flagellat. Sed respondendum existimo, Christum, cum malediceretur, non maledixisse; Augustinumq; nos iniuriarum remissionem, & obliuionem in Regula docuisse. Quocirca his omnibus ne-

glectis,id tantùm docendum, Auguſtinum eo loco citato, alijſq; ſimilibus notabiles veſtes interdixiſſe,quorum verborum ſignificationem ipſis eiſdem locis copioſè admodum explicuimus. Quin potius aſtruimus, Auguſtinum non vilibus, aut neglectis veſtibus vſum fuiſſe; ſed quod grauem virum decet, in his omnibus mediocritatem ſeruaſſe. Quod quidem Poſsidonius eius Canonicus, & diſcipulus in hiſtoria ſui præceptoris explicat. Veſtimenta eius,ait,& calciamenta, & lectualia,& competenti,& moderato habitu erant, nec nimium nitida, nec abiecta plurimum. Menſa vſus eſt frugali,& parca. Semper autem vinum bibebat,coclearibus argenteis vtebatur. Cæterum vaſa,quibus menſæ inferebantur cibi, teſtea, vel lignea, & marmorea fuerunt. En Auguſtinianam mediocritatem tibi propoſitã,quam imiteris.

De conciliatione opinionum in vtroque Ordine Auguſtiniano. Cap. xxxiij.



1 Vamuis non mediocribus fundamentis, nec vulgaribus teſtimonijs Canonicorum Reg. nobiliſsimam antiquitatem ſtabiliuerimus, contemnenda tamen non eſt diuerſarum opinionum conciliatio, quam Ambroſius Choriolanus in commentarijs Regulæ, in ſuoq; Defenſorio, quaſi in ſua ſuſtinenda opinione tepidans, atque vacillans,propalauit, ac propoſuit. In primis in vita Auguſtini ante Regulæ ingreſſum ſic ait; Ad quam certè dignitatem aſſumptus Auguſtinus Clericorum regularium,quos vocabulo Græco Canonicos appellamus:monaſterium inſtituit,& duos priores viuendi modos in vnam redegit Regulã, quam & fratribus, & Canonicis iuſsit eſſe communẽ. Rurſus commento.72.cuiuſdam capituli titulus ſic habet. Ambroſius probat ex dictis,hanc Regulam tam Eremitanis,quàm Canonicis Auguſtinum dediſſe. Deinde verò ſic ait,& quanquam multis,multiplicibuſq;, tum ſummorum virorum auctoritatibus,tum rationibus poſsit demonſtrari,hoc ſacros Canones non ſolùm Clericis,quos ad rectam viuendi ſemitam in Epiſcopatu reduxit;verumetiam nobis ſuis fratribus Eremitanis,diuum parentem noſtrum Auguſtinum conſcripſiſſe; ex eo tamen,quòd libellum hunc,Speculũ appellauerit,itidem euidẽtiſsimè conſtat. Nam in ſermone de tribus generibus Monachorũ ait, quia non ſolùm pauperes eſſe voluerunt, ſed etiam ſupra id qđ in Speculo noſtro edidimus,facere voluerunt. Ecce apertè hanc regulã, quã vocat Speculũ,aſſerit à ſuis Eremitanis nõ ſolùm ad vnguẽ obſeruatã extitiſſe,verumetiam eos ſuper illam, arctiorem duxiſſe vitam. Et in ſermone de Cæna domini,id ipſum euidenter innuit,cum ait. Vt ego plenius valeam vna vobiſcum corrigi,& doceri,relinquere volui preſ-

byteros

byteros meos, quorum vita Apostolica, vestra, & eorum vna est. At verò si vna est, vtrorunq; Apostolica vita per eum data, vtrorunq; vna sit regula, necesse est. Tertio idem Choriolanus in Defensorio post cōscriptam tertiam regulam Augustini, sic sentit. Hæc quidem tertia regula, quanquam D. Augustinus in rei veritate, tam Clericis suis, quos in suo Episcopatu ad communem viuendi modum reduxit; quàm eius Eremitis, quos dispersos per nemora ex diuersis locis in duobus monasterijs, antequàm esset Episcopus, cōgregauerat, voluerit, vt esset cōmunis. Hæc Choriolanus, quem iam dedisse manus manifesto cōstat. Vides, quo tetenderint vniuersę Choriolani argumentationes, & acerbæ increpationes in Canonicos Regulares iactatæ? Et qui antea primogenituram, temporisq; prioritatem ambiebat, & conquirebat; iam tandem Canonicos Regulares coæquales, & coætaneos optat.

2 Iam verò quis non videat, exigui roboris esse Abbatis Ioachimi testimonium, quem tantopere, ac tertio quoque verbo magnifecerūt, & celebrarunt; qui vt ipsi affirmant in expositione Apocalypsis, ait; Ordo Canonicorum Reg. incœpit à B. Rufo Episcopo in partibus Galliæ circa annos domini mille & centum, quibus regulam B. Augustini imitandam dedit. Quam.n. ipse Abbas Ioachim, quicunq; ille fuerit, Ordinis inchoationē vocat, vnam ex superius commemoratis reformationibus huius Canonici Ordinis intelligendam esse, vel rudis homo facilè intelliget. Exemplum esto; non pauci historiographi asserunt, Eremitarum Ordinem à Guillelmo exordiri, atq; incipere; quos proinde Guillelmitas appellāt. Respondebit tamen Choriolanus; illud nō esse initium, sed quandam reformationem. Deinde Alexander quartus vnum conflauit ordinem ex Eremitis S. Guillelmi, sancti Ioannis boni, fratrum de Britinis, & Fabalibus. Vnde Io. Andreas in rubrica de religiosis domibus in 6. asseuerat, Ordinem Eremitarum sancti Augustini ex pluribus Ordinibus factū esse. Igitur si tunc fuit factus, tunc fuit institutus, quando per talem vnionem fuit aggregatus. Respondet tamen Choriolanus in Defens. veritate 2. ad 6. arg. exponendum esse illud verbum, factus est, id est, augumētatus est: quam expositionem violentam esse fortè quispiam arbitrabitur. Violenta quoq; iudicio meo, censenda est Choriolani exposito cum in 9. arg. ad primam veritatem, nomen Clerici exponit pro Episcopo. Vt responderet textui 16. q. 1. cap. legi. Vbi Aug. appellat se Clericum, & non Monachum, vel Eremitam, exprimens differentiam inter Clericum; & Monacū dicens: Nimis dolendū est, si ad tā ruinosam superbiā Monachos suberigimus, & tam graui contumelia Clericos dignos putamus, in quorum numero nos sumus: vbi se constituit in numero Clericorum,

corum. Respondet Choriolanus, Augustinus dicit se esse de numero Clericorum, quoniam erat Episcopus Hipponensis, licet non esset de numero Canonicorum, sed Eremitarum. Huiusmodi firmitatis, & roboris argumenta illa sunt, quibus probant, Augustinum etiā Episcopum fuisse vsum cuculla nigra, à pictoribus sumpta auctoritate. Prætermittamus ergo, negligamusq; has genealogiarum curiosas narrationes, quarum nullus est finis; quibus solent ociosi homines plurimū insistere. Quę etiā cōtentiones quidē nōnunquā gingnunt, & disceptationes, nihil verò profectus, aut spiritualis ædificationis, quæ ex simplicitate magis comparantur. Id quod Paulus vtriusque significasse 1. ad Timot. 1. videtur; neque intenderent, ait, fabulis, & genealogijs interminatis: quæ quæstiones præstant magis, quàm ædificationem Dei. Huic cōsonans est, & illa eiusdem Pauli ad Titū 3. cap. præceptio; stultas autē, ait quæstiones & genealogias, & cōtentiones, & pugnas legis deuita: sunt.n. inutiles, & vanæ. Ego sanè morum perfectionem, vitæq; sanctimoniā optimis Eremitis S. Augustini inuideo, hoc est, mihi percupio: sui verò Ordinis antiquitatem inuidebo nunquàm.

3 His igitur omnibus iudicio, & ratione iam discussis, & definitis, beneuolis animis audiamus Augustinū Venturā, sancti Sebastiani apud Bugellam Ordinis Canonicorum Reg. Præpositum, qui in panegyricō ad Ferrerium Cardinalem Vercellensem, originem Canonicorum Regul. citra aliorum iniuriam, & incōmoditatem, elegāti oratione describit. Ea.n. Religio illis Leuitis patribus præmonstrata primum, à Christo Deo optimo maximo, humaniq; generis seruatore clementissimo procreata, atque in lucem orbis terrarum edita fuit. Deinde sanctisimorum Apostolorum pietate, ac sapientia quibusdam quasi nutrimentis, quàm beatisime educata, ac postremo sub Aurelio Augustino, viro tum doctrina, tum sanctitate clarisimo, atque in Christiana republica maximis causis, difficilimisq: temporibus cognito, probatisimoq; Antistite, non modo optimis legibus, atque institutis instructa, sed etiam salutaribus disciplinis, cœlestisq; philosophiæ præceptis vsq: adeò insigniter expolita, atque illustrata, vt & sanctisimorum pariter, ac doctisimorum virorum copia, & vbertate, nulli illustrium Ordinum vnquàm meritò cedat. Quæ obsecro ciuitas, quæ gēs, quæ natio, quæ deniq; Roma, vel Athenæ, tot vnquàm Orpheos, aut Linos, Platones, Aristoteles, Demosthenes, vel Tullios protulerunt, quot ex hac sancta republica prodiere? Quis porrò nescit, quàm multorū hæc eadem inuictisimorum Martyrum, summorum Pontificum, atq; optimorum Præsidum parens extiterit? Cui præterea non cognitum est, quàm multos hæc eadem omni tempore, non tātùm cœlo certisimos

diuos

diuos intulerit, sed terris quoque eruditissimos viros, omniq; genere laudis floridissimos dederit? Augustinum, Orosium, Possidium, Gelasium Papam, Fulgentium, Prosperum, Hugonem, Richardum, Absalonem. Taceo innumerabiles Patrum nostrorum memoria, pietate, doctrina insignes viros, quos quidem non nomino hoc loco, ne mea oratio, si minus dixero, ingrata sit; si satis de omnibus infinita esse videatur. Hucusque Buggellensis Præpositus.

De beneficijs Regularibus Canonicorum. Cap. xxxiiij.

1 Beneficiorum regularium tàm in iure Canonico, quàm Concilio Trid. & Canonicorũ Reg. Constitutionib. frequẽs habetur mentio; quorũ proinde pertractatio est nobis maximè necessaria. Eam autẽ in hunc vltimum locum reiecimus, ne dum grauiora, spiritualioraq; Religionis negotia perstringebamus, tumultuoso obstaculo molestè nos retardaret, ac etiam confunderet. Igitur à beneficij regularis definitione nostra suscipiatur disputatio. Regularia beneficia sunt, quæ Religiosis addicta sunt, vel fundatiõe, vel Ordinarij, seu Superioris institutione, vel certè de consuetudine, seu præscriptione: vt potè quia per regulares regi consueuerunt, & administrari per 40. saltem annos ex cap. cùm de beneficio, de prębendis, lib. 6. per quadraginta, inquam, annos cõtinuè, & pacificè ab vno, vel pluribus institutis in ipso. De beneficio quidem seculari sic ait tex. quòd tanto tempore ab vno, vel pluribus secularibus Clericis institutis in eo Rectoribus extitit continuè, ac pacificè gubernatum, vt præscriptio legitima sit completa: etiã si ante vel post Religiosi quandoq; ministrauerint in eodẽ. De regulari verò prioratu ait, qui per Religiosos juxta modũ præmissum, est solitus gubernari. Ex Petro Rebuffo in praxi beneficiorũ tit. beneficia regularia multiplicia. Itaq; idem Ordo, idemq; ius vtrinq; requiritur, videlicet in beneficijs consuetis regi per regulares, vt regularibus debeãtur, & consueta regi per seculares, vt secularibus debeãtur. Nec sufficit consuetudo, sed continuata, legitimaq; præscriptio. Quattuor aũt requirũtur, antequàm qualitas beneficij mutari possit. Primum, ꝙ is, qui possidet beneficium, fuerit ibi institutus. Nam tex. citatus, inquit institutis. Et accipitur largè institutio pro collatione, vel alia prouisione. Quare si violenter, ac de facto teneretur beneficium, non haberet locum textus ille, quia non esset institutus. Secundo requiritur bona fides, ideò si Clerici seculares contra Papæ præceptum, vel prohibitionem beneficium possederint regulare, non præscribunt. Quia malæ fidei possessor nullo tempore præscribit. Tertio

 requi-

requiritur,quòd cõferens eo animo, & intentione conferat, vt imprimat alium statum beneficio,& ideò in collatione est dicturus collator regulari,confero beneficiũ seculare:& seculari ítidem dicat, confero regulare,licet non sit illius qualitatis. Alioqui si daretur in commendam,vel ex dispensatione posfideretur, vel diceretur depēdere à monasterio,aut diceretur officium regulare,tunc qualitas contraria non præscriberetur. Nisi beneficiũ commendaretur aliud iam habenti ratione alterius beneficij,nõ ratione qualitatis beneficij. Quarto requiritur possessio 40. anriorum, quando probaretur beneficium esse regulare,vel è cõtrario, vel vera qualitas. Secus si cõtraria qualitas non probaretur.Quia tunc sufficit,quòd fuerit vltimo possessum per secularem,licet non interuenerit possessio ad hoc, vt seculari debeatur, si probaretur præscriptio hincinde,eo casu attenderetur vltimus status; sed si Ecclesia regularis mutauerit statum in secularem, vel è cõtrario ob id tamē nõ amittit subiectionem,vel collationem ex cap. dilectus, de capellis Monachorũ.Hęc quattuor requisita docet Petrus Rebuffus in concordatis.tit.de collationibus.§.volumus,in verbo Regularia.

2 Tametsi hoc loco deplorare possumus, multa beneficia regularia, præsertim curata miris prauorum hominum artibus fuisse deperdita; maximè verò collachrymãdũ nobis est, quod plurimæ Cathedrales, Regularesq; Eccl. in seculares transierint nõ absq; maximo Canonici Ordinis dedecore.Sic effectam esse secularē,quę antea regularis erat, Albiēsem Ecclesiã, refert Petrus Rebuffus in praxi beneficiorum tit. de erectione Eccl. in Cathedralem,secularem,vel in alium statum nu. 8.cùm tamē omnes ferè Ecclesiæ Regni Franciæ id temporis essent regulares: quia tunc feruor deuotionis magnus aderat. Sed refrigescēte capite,mēbra etiã frigida fiunt. Vnde factũ est:vt pauca monasteria huius Ordinis in Gallijs inueniãtur,&Religionis ferè zelus extinguatur.

3 De iure quidem facilè fieri potest, vt secularis in Regularem conuertatur ex cap.ad audientiam 2. de Ecclesiis ædific. Et cap. Apostolicæ de dona.illaq; est vera,& propria mutatio; vt docet Guillelmus de Monte Landu.in Clem. 1.de rescriptis. Poteftq; hoc fieri Episcopi auctoritate, etiam inuitis Canonicis secularibus, quibus prouidebitur alio in loco,quàm diu superstites fuerint. Et hæc est opinio quorũdam Canonistarum, sed verisimilius est,id Episcopis non licere absq; Romani Pontificis auctoritate. Sed de Regulari in secularem mutatio fieri non potest sine Papæ beneplacito. Ex cap. quæ semel. 19. q. 3. vbi sic scribitur. Quæ semel sunt dedicata monasteria, consilio Episcoporum maneant perpetuò monasteria, & res,quæ ad ea pertinent, monasterijs reseruari oportet, nec posse ea vltra fieri secularia

habita-

habitacula. Qui verò permiserint hoc fieri, subiaceant his condēnationibus, quæ per Canones constitutæ sunt.

4 Secundo aduertendũ, ꝙ quàmuis Monachi regulariter sunt beneficiorum curatorum incapaces, nisi quis esset aptus ad prædicādum ex cap. ꝙ Dei timorem, de stat. Monac. &c. Canonici tamen Regulares S. Augustini, & Præmonstratenses solent regere Ecclesias parochiales sui Ordinis, vt ait Rebuf. in concordatis tit. de forma mandati Apostolici in verbo Parochialis Ecclesia.

5 Tertio adnotandum, stabilem, constantemq; esse iuris Can. Regulam nempè beneficia Regularia regularibus esse conferenda, & secularia secularibus: quæ maximè fulcitur in cap. cùm causam. Et cap. officij de elect. Item in cap. nullus, eodem tit. in 6. alijsq; etiam locis. Cùm secundum legem diuinam non sit in boue arandum, & asino, nec quisquam debeat vestem induere ex lana, linoq; contextam. Id quod asseruit Innoc. 3. in cap. cùm causam, nunc citato. Item in cap. Possessiones, de rebus Eccl. non alien. idem Innoc. 3. ait. Ecclesias, in quibus Monachi ministrare consueuerunt, Clericis, vel laicis assignare. s. non debes. Hanc quidem vulgatam Regulam sacrum Conciliū Trid. sess. 14. cap. 10. luculenter enarrauit, dicens; Regularia beneficia, in titulum Regularibus professis prouideri consueta, cùm per obitū, aut resignationem, vel aliàs illa in titulum obtinentis vacare contigerit, Religiosis tantùm illius ordinis, vel ijs, qui habitum omninò suscipere, & professionem emittere teneantur, & non alijs, ne vestem lino, lanaq; contextam induant, conferantur. Hac igitur legitima via quàmplurima beneficia Regularia, quæ hodie à clericis secularibus occupātur, recuperari, restaurariq; poterunt. Idcircò. n. Sedes Apost. cautè, atq; prudenter prædictam Regulam semper obseruauit, cùm non cōferat beneficium regulare seculari, nec seculare Regulari in titulū, nisi tantùm in commendam ad vitam. Quam rem perdoctè expendit, & iudicauit Mart. Azpilcueta Nauarrus in tract. de reddit. benef. eccles. q. 1. nu. 80. Præterea beneficia Regularia in duplici sunt differentia. Quædā. n. sunt duplicia; alia verò simplicia existunt. Duplicia quidem sunt, vt Abbatia Regularis, & Prioratus Conuētualis, fortè quod ea obtinentes duplici onere funguntur, vel fungi debent, tā circa personas, quā circa res monasterij. Priores autē cōuētuales eos appellamus, qui in Conuentu Religiosorū Præfecti, siue Prælati sunt. Item & Prioratus claustralis, si in titulum tanquàm beneficium conferatur, vt apud quosdam Canonicos Reg. fit. Dicitur autem Prior claustralis, qui Religiosis in claustro, & monasterio Præfectus est, quiq; præ ceteris post Abbatem potēs esse debet in opere, & sermone, vt exemplo vitæ, ver-

boq;

boq; doctrinæ fratres suos,& instruere posit in bono,& à malo etiam reuocare,zelum Religionis habens secundum scientiam,vt delinquẽtes corripiat,& castiget,obediẽtes foueat,& confortet. Sed de eo iam inferius dicemus,cùm de construendo Priore claustrali agemus. Simplicia verò erunt officia vniuersa,atque etiam Archidiaconatus Ecclesiæ Cathedralis Regularis; ea.n.obtinentes suo solo, simpliciq; onere funguntur. De his dignitatibus,atque officijs Ecclesiarum Cathedralium,atq; etiam Collegiatarum Regularium frequens habetur sermo, & ratio in Constitutionibus Canon.Regularium à Bened. 12.editis,& in sacro Concilio Tridentino,quæ quidem non pauca sunt.

6 Vltimo notandum ex Mart.Azpilcueta,in tract. de Reddit.benefi. q.1.nu.20.Quòd genuinus sacris Canonibus mos est, vocare beneficiarios,procuratores,& dispensatores ex cap.quòd autem. 23.q.7.vnde non rectè à quibusdam vocantur vsuarij, & ab alijs vsufructuarij. Nam maior est beneficiarijs facultas, quàm vsuarijs, qui ex re,in qua vsum habent, nihil capere possunt, præterquàm in solum vsum quotidianum: Et minor quàm vsufructuarijs,Quoniam illi possunt donare, & relinquere in vita, & morte licitè suos fructos cuicunq; voluerint, sine vllo paupertatis, aut pietatis intuitu ob solam amicitiam, cognationem,aut liberalitatem. Beneficiarij verò id minimè possunt:Quod palàm declarauit post alios Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 1. vbi beneficiarij vetantur donare quiçquam cognatis, & familiaribus suis,nisi paupertatis intuitu.

7 Secundo notandum ex eodem. q.2.nu.15.quod Episcopi religiosi, & alij beneficiarij, quamlibet Regulares, tam liberè possunt impendere de redditibus suis, quàm alij Episcopi, & beneficiarij seculares de suis,iuxta determinationem Cardinalis Flor.in Clem.2.§.sed & tales, de vita,& honest.cler.Et Clem.gratiæ col.pen.de rescriptis.Cui nemo vnquàm contradixit.Cum tamen certum sit,eos non esse dominos illorum,neque capaces dominij rei alicuius,propter solenne paupertatis votum,quod per professionem emiserunt.Cuius rei fundamentum non est,quòd sint illorum domini. non.n.sunt,aut certè non integri,& absoluti,vt plurimi laici, sed solùm restricti, & obligati ad onus dandi superflua pauperibus, aut tales quales esse possũt Religiosi professi,& cũ vocãtur dñi in iure,intelligũtur de dominio restricto,& non de omnino libero.Sed verũ fundamẽtũ est,quia, vt beneficiarij seculares, ita beneficiarij Regulares solũ sunt procuratores, œconomi,& dispẽsatores ad erogãdũ pauperibus, desumpto sibi ante omnia eo,qđ statũ suũ decet. Quod quidem officium ita benè,fideliterq;Regularis præstare potest,sicut & secularis. Item quia, Regularis etiam verum titulũ Ca-

 nonicum,

nonicum,& ecclesiasticum habet, vt Clericus secularis. Nam vt idem Mart.q.1.nu.81.iterum repetit, vera est, elegãsq; illa Cardinalis Flor. loco citato sententia, quòd eandem potestatem, quam habent seculares disponendi de suorum titularium beneficiorum,& commendatorum prouentibus, habent etiam Regulares de suorum beneficiorũ titularium,& commendatorum redditibus. Quandoquidem ratio propria, qua seculares prouentibus suis vti possunt ad moderatam sui sustentationem, superfluis in pauperes distributis, non est, quòd illi sunt eorum integri, & absoluti domini: sed quòd Ecclesia, eiusq; ministri constituerunt illos eorum prouentuum dispensatores per titulos Canonicos, quos in id conferunt. Quo munere etiam Religiosus fungi potest, etiam si non possit esse verus alicuius rei temporalis dominus ob solenne suum paupertatis votum. Hæc ille.

De ratione conferendi beneficia Regularia. Cap. xxxv.

1 Egularis Prælatus in cõferendis beneficijs Regularibus, leges quasdam obseruaturus est, quæ perspicuè traduntur in Clem. vnica, de suppl. neglig. Pręlat. quam claritatis causa familiari, breuiq; cõmentatione dilucidare decreuimus. Ea autem sic exorditur, Quia Regulares Prælati prioratus, ecclesias, administrationes, aut quæuis alia beneficia ad eorum dispositionem spectantia, cum vacant, interdum committere negligunt, vel conferre infra tempus in Lateranensi Conc. cõstitutum, diœcesani locorum in nõ exemptis sua, in exemptis verò Apost. auctoritate negligentiam super hoc suppleant eorundem; Prioratus, ecclesias, administrationes,& beneficia huiusmodi: illa videlicet, quæ consueuerunt per singulares Clericos gubernari, secularibus Clericis: alia verò, quæ Religiosis dũtaxat cõmitti sunt solita, vel cõferri: Religiosis monasteriorũ, quorũ Prælati huiusmodi negligẽtes fuerint, cõferendo.

2 Hæc prima textus pars agit de negligentia Prælatorum Regulariũ in beneficijs conferendis, per diœcesanos supplenda, & de modo supplendi. Primo igitur notandum, Episcopum posse supplere negligentiam Prælati Regularis,& conferre beneficia Regularia, quamuis ipse Prælatus Regularis negligens sit exemptus à iurisdictione Episcopi. Tunc.n. confert auctoritate Apostolica delegata in hoc. c. Secundo notandum: Quando collatio deuoluitur ad Superiorem, tunc Superior tenetur conferre illi personæ, cui Prælatus negligens cõferre debebat.

3 Tertio notandum, collationẽ deuolui ad Superiorẽ, in cuius diœcesi est beneficium vacans: & nõ ad Episcopum, in cuius diœcesi est Prælatus negligens. Hæc tria in glossa annotata fuere.

Quarto

4 Quarto notandum, à quibusdam differentiam constitui inter Prioratus, ecclesias, & administrationes asserentibus, per Prioratus intelligi curatos, per ecclesias intelligi tantùm curatas, vt in hoc differant à Prioratibus sine cura. Per administrationes verò, eas intelligi administrationes, quas habent Præpositi, & Camerarij circa redditus monasterij, siue in castris, siue in possessionibus vel decimis, vel alijs, qui generali vocabulo dicuntur Procuratores. Verior tamen est Card. Zab. explicatio, videlicet quod hæc verba sæpè variè vsurpantur. Nam alicubi vocantur Prioratus, alicubi Præpositure. Et hæc verba, ecclesias, & administrationes, generalia sunt. Ideoq; vnum illorum apponere sufficiebat. Sed habita est ratio ad vulgarem loquendi modum; quia Reg. Ecclesiam non solemus nomine ecclesiæ appellare. Fuit autem authoris animus, quęcunque beneficia Regularia cõprehendere.

5 Quinto notãdum, vocabulo dispositionis intelligi collationem, vel prouisionem, quod ideò dixerim, quia si ad solam præsentationem, vel electionem à Prælato regulari faciendam spectarent, tunc ad confirmantem, vel instituentem deuolueretur potestas, siue sit diœcesanus, siue alius. Itaque verbum Dispositio, comprehendit omnem modum conferendi beneficium; significatq; plenam dispositionem, & prouisionem. Vtitur autem textus hoc verbo committere, quia Prælati se excusare contendebant, quod illarum ecclesiarum non fiebat collatio, vel prouisio, sed solùm quædam cõmissio. Discrimen igitur à quibusdam statuitur inter hæc duo verba committere, & cõferre. Collatio.n. fit titulo perpetuo, & irreuocabili; commissio verò fit reuocabiliter ad nutum. Committere.n. propriè, est ad tempus ecclesiam gubernandã tradere. Sensus igitur est, vt hæc Clem. locum habeat, non referre, vtrũ ad tempus, an in perpetuum beneficium conferatur. Item tempus à Lateranensi Concilio ad conferenda beneficia perscriptum, est sex mẽsium, vt habetur in cap. nulla ecclesiastica. de concess. præb. Istudq; tẽpus non à die vacationis, sed à tẽpore scientiæ generaliter est cõputandũm intelligitur quoque tempus vtile: quia tempus illud non currit à tempore suspensionis sententiæ, quo eligere non possunt. Hæc docet glossa in eodem cap. nulla. De hac re luculẽter disserit Petrus Rebuffius in prax. beneficiorum tit. de deuolutionibus num. 2. & inferius. Vbi etiam nostram sententiam confirmat, nempè tempus negligentiæ, nõ à die vacationis, sed à die scientiæ, & notitiæ, vel à die, quo scire debuit collator, esse computandum, quia vbi non est scientia, non potest esse negligentia. Impeditis quoq; tempore belli hoc tempus non currit, nec quando iuris impedimẽtum, siue facti interuenerit. Vt si collator fuerit suspensus, vel excommunicatus, etiam sua culpa. Præterea

Poſſet ea vnire menſæ conuentus. Secundo notandum, Prælatum Regularem non poſſe imponere nouas penſiones, nec antiquas augere, ſed ad Epiſcopum ſpectat, ne illud fiat. Quattuor igitur hic Prælatis Regularibus prohibentur. Primum, ne applicent beneficia ad menſam propriam. Secundum, quòd penſiones nouas non imponant. Tertium, quòd impoſitas non augeant. Quartum, quòd nouiter impoſitas non exigant.

10 Tertia pars textus. Præmiſſa verò de Prioratibus, Eccleſijs, adminiſtrationibus, & beneficijs intelligimus, quę non ſunt de mēſa Prælatorum ipſorum. Sed ſpeciales priores, ſeu adminiſtratores huiuſmodi liberè poſsint ad clauſtrum, cùm oportuerit, reuocari. In hac 3. parte decernit, de quibus eccleſijs prædicta intelligantur.

11 Vbi notandum, vtilem eſſe hunc textum ad cognoſcendum, quando beneficia ſunt de menſa: videlicet quando non habent ſpecialem adminiſtratorem alium à Superiore Prælato. Præſumuntur.n. tunc eſſe de menſa. Item in his, quæ ſunt de menſa, ponuntur ſimplices miniſtri, vel collectores.

12 Quarta pars textus. In quibus etiam conſtitutionem Bonifacij Papæ 8. prædeceſſoris noſtri, bona beneficiorum vacantium occupari à Prælatis, vel alijs prohibētem; ac nihilominus in prioratibus huiuſmodi, & eccleſijs illud Bonifacij eiuſdē ſtatutum, quod Religioſum quencunq; pluribus pręeſſe prohibet Prioratibus, aut Eccleſijs curam animarum habentibus, etiam ſi cura ipſa non per eum, ſed per alium habeat exerceri, locum ſibi cenſuimus vendicare, licet etiam eiſdē Prioratibus cura non immineat ſupradicta. Hæc 4. pars explicat duas Bonifacianas Conſtitutiones. Primam de officio ordinarij cap. præſenti in 6. Secundā de præbendis cap. cùm ſingula in 6. ait igitur, in quibus ſcilicet Prioratibus, adminiſtrationibus, & eccleſijs manualibus, quæ non ſunt de menſa. Primo notandum ex Petro Rebuffo in praxi beneficiorum tit. de diſpenſatione cum Regularibus facta, num 8. quòd licet Monacus, & Regularis poſsit vnum habere beneficium Regulare, duo tamen habere non poteſt: nec quidem capellam, vel penſionē, aut portionem monachalem cum beneficio. Nam quodlibet beneficium eſt incompatibile Monacho cum primo, ex cap. cùm ſingula, de præbendis in 6. vbi ſic dicitur; cùm ſingula officia ſingulis ſint committenda perſonis, pręſenti edicto prohibemus, ne aliqui Monachi, vel Religioſi alij pluribus Prioratibus, vel eccleſijs abſq; ſedis Apoſtolicę auctoritate præeſſe præſumant: niſi vnus ex eis ab alio dependeat, vel adinuicem ſint annexi: ergo diſpenſatione opus eſt, etiam ſi duo tantum ſimplicia vellet habere: Licitum autem eſt duo beneficia habere,

 quando

quando vnum ab altero dependet, quia tunc illa duo pro vno reputantur. Ad hæc, Regulari non solet concedi dispensatio, vt possit duo beneficia sui ordinis in titulum retinere, secus in seculari: sed statui solet in dispensatione vt Religiosus vnum habeat in titulum, aliud in cōmēdam. Ratio est, quia si Religiosus in titulū haberet duo in diuersis monasterijs, esset sub diuersa obedientia, & diuersis subijceretur. Quod esset absurdum & mōstruosum, aliquem habere duo capita, duobusq; dominis inseruire. Itaq; plures Prælaturas Regulares non potest quispiam retinere, etiam si sint Prioratus simplices sine cura, vel sint obediētię manuales, quicquid alij quidam annotauerint. Ex Ioanne Imola hoc loco. Hinc fit, vt iure quærat Card. Zabarella hic, quæ est ratio, ob quam prohibeatur pluralitas Beneficiorum Regularium, etiā non curatorum? Respondetq;, solutionem haberi in cap. cum singula, de præbendis in 6. Eo autem loco talis assignatur ratio. Cùm singula officia sint singulis committenda personis, & dissolutionis, ac euagationis materia sit religiosis præ cæteris auferenda. Adde etiam ad tollendam ambitionem, & auaritiam.

13 His addendum decretum sacri Conc. Trid. sess. 24. cap. 17. cum Ecclesiasticus, inquit, Ordo peruertatur, quando vnus plurium officia occupat Clericorum: sanctè sacris Canonibus cautum fuit, neminē oportere in duabus Ecclesijs conscribi. Verum quoniam multi improbæ cupiditatis affectu se ipsos, non Deum decipientes ea, quæ benè constituta sunt, varijs artibus eludere, & plura simul beneficia obtinere non erubescunt. Sancta Synodus debitam regendis Ecclesijs disciplinam restituere cupiens, præsenti decreto, quod in quibuscunque personis, quocunque titulo etiam si Cardinalatus honore fulgeāt, mandat obseruari: statuit, vt in posterum vnum tantùm beneficium ecclesiasticū singulis conferatur. Quod quidē si ad vitā eius, cui confertur, honestè sustentandā nō sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiēs, dūmodo vtrūq; personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Hæcq; non modo ad Cathedrales Ecclesias, sed etiā ad alia omnia beneficia, tam secularia, quàm Regularia quæcunque, etiam commendata pertineant, cuiuscunque tituli, ac qualitatis existant, &c.

De inconstanti, mutabiliq; natura beneficiorum Regularium. Cap xxxvi.

1 Vra Canonica perpetuitatē beneficiorum Regularium vehementer oderunt, atq; damnarunt. Contra verò diligenter statuerunt, vt Prælati Regulares liberam, expeditamq; suorum subditorum Regularium in claustrum reuocationem semper haberent. Ne vnquàm impediri posset

possset claustralium correctio. Sic apertè statuit Clem. Quia Regulares, de suppl. neglig. Prælat. §. præmissa, dũ ait. Licet Priores, seu administratores huiusmodi liberè possint ad claustrũ, cũ oportuerit reuocari. Similem quoque sententiam legimus in cap. cùm ad monasterium. §. tales. de statu Monachorum, &c. Tales autem, inquit, ad agẽda officia monasterij deputentur, qui fideles fuerint, & discreti: nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò possidenda, tanquàm in sua sibi vita locetur, sed cùm oportuerit amoueri, sine contradictione qualibet reuocetur. Illud autem verbum, oportuerit, importat tantũ honestatem, & non necessitatem. Ob idq; ad reuocandum non requiritur causa necessaria, sed honesta sufficit. Ea.n. ratione beneficia Regularia, exceptis prælaturis, ad nutum reuocabilia iure censentur. Secundo comprobatur eadem assertio ex cap. ad nostram, & ex cap. por recta. de confirmatione vtili, vel inutili. Vbi quidam Canonici Reg. Ecclesiarum Cathedralium Regularium, vt sua beneficia Regularia, quæ sibi à suis Prælatis ad nutum collata fuerant, perpetua efficerent, à Sede Apost. confirmationes obtinuerunt. Quas ad euitandam beneficiorũ Reg. perpetuitatem, illi duo textus tanquàm subreptitias, & inualidas manifestè declararunt: etiam si exprimeretur Religionis conditio, vt glossæ astruũt. Cuius rei ratio redditur, quia cum Regularibus personis nõ consueuit Apostolica Sedes aliqua personaliter cõfirmare: personaliter, inquam, ita vt ipsæ personæ singulares habeant nomine proprio, sed realiter benè consueuit cõfirmare, videlicet elargiens priuilegium ipsi rei, idest monasterio, vel collegio. Ratio autem diuersitatis est, quia collegium est capax in communi, sed particulares personę non sunt capaces, quippe quæ à se abdicarunt omnia, posueruntq; supra sua capita loco Dei Priorem. Hinc fit, vt ob huiusmodi infirmam naturam beneficiorum Regularium, à iuris Can. magistris nunc mauualia, nunc obedietię, seu obedietiariæ vulgò nuncupentur.

2 Nunc autem rationes illas enodaturi sumus, ob quas sacri Pontifices hanc beneficiorum Regularium perpetuam stabilitatem tantopere sunt execrari. Prima igitur est, quæ à Panor. in cap. ad nostram citato cum alijs redditur. Quia Regulares non possunt sibi aliquid appropriare, sed id totum monasterij est, quocunque se verterint, & quacunque arte acquisierint. Huiusmodi.n. perpetuitas vim voti paupertatis maximè deprimit, quod & experimento satis exploratum est. Secunda ratio eiusdem Panor. quoniam hæc perpetuitas bonum obedientiæ dissoluit. Cùm.n. alias ad nutum Abbatis, vel saltem ex facili causa remoueri poterant, hac obtenta perpetuitate, iam remoueri ad Superioribus nutum non possunt. Hincq; ceruices cõtra obedientiæ bo-

num, aduersusq; ipsum Prælatum erigere non verentur. Et qui hactenus Abbatis obedientiarius erat, nunc Pontificiæ confirmationis vigore, quo ad hanc rem attinet, scilicet quò ad remouendi ius, prorsus eximitur. Tertia ratio est glossæ magnæ in citata Clem. quia Regulares, quam obiter attigit, quia hac perpetuitate impeditur claustraliũ correctio; disciplina autem Regulari è medio sublata, actũ est de Religione, facilè autem Religiosi in officio continebuntur, si suorum beficiorum priuationem formidauerint. Quarta ratio est Petri Rebuffi in tract. de pacificis possess. limit. 6. nu. 272. Sciendum. n. est, quosdã Religiosos esse indomitæ ceruicis, & effrenatæ superbiæ; quos dũ Abbates ad Religionem cogere voluerint, in eorum deiectionem conspirant: & alium moribus suis conuenientem sibi præficere contendunt. Quales erant illi, qui in necem B. Benedicti conspirasse leguntur. Hac ergo ratione institutũ est, vt Religiosis beneficia manuaria essent. Vnde domini de Rota decis. 1. in antiquis, tradunt, quod si Religioso manuale beneficium detur, siue sit administratio, siue Prioratus, ad nutum Abbatis amouibilis, illi non competit aliquod remedium in causa restitutionis, videlicet contra suum Abbatem, & Superiorem, quin illa beneficia ab eo, non obstante triennio remoueantur. Et ideò Regularis ab Abbate spoliatus, non potest agere contra illum possessorio recuperandæ. Hæc Rebuffus.

3 Cæterum hãc perpetuitatem beneficiorum Regularium, vtcunque confirmare videtur cap. Monachi. §. Priores autem, de stat. Monach. dicens; Priores autem cum in Ecclesijs Conuentualibus per electionẽ Capitulorum suorum canonicè fuerint instituti, nisi pro manifesta, & rationabili causa non mutentur. Vt videlicet si fuerint dilapidatores, si incontinenter vixerint, aut tale aliquid egerint, pro quo amouendi meritò videantur. Ecce descriptam apertè amouendi difficultatem. At verò, vt glossa inquit, ille textus intelligitur tantùm de illis Prioribus Prælatis, qui instituuntur perpetuò per canonicam electionem Capituli, & confirmationem Superioris. Hi igitur Priores prælati sine certa causa remoueri non debent. Sine culpa enim nemo iure suo priuandus est. Alij verò Priores, qui per electionem canonicam non creantur, ad voluntatem Abbatum suorum remouentur, & huiusmodi Regularibus non confirmantur Prioratus.

4 Secundo notãdum, quòd potest Abbas remouere Priorem, quamuis in eo loco præteritis tẽporibus Priores fuerint perpetui. Id quod asserit Panor. in cap. ad nostram, iam citato. Nam aut Superior nunquam remouit. Et sic non posset dici inducta consuetudo, quia ex actibus meræ facultatis non inducitur consuetudo, seu ex non vsu, nõ habente

bente in se actum tacitum iuris dispositioni contrarium; aut Superior voluit illum remouere, seu prædecessorē suum, & propter potentiam illius non habuit effectum, & sic non potest dici inducta consuetudo, cùm sit contra bonum obedientiæ. Hæc eadem doctrina seruanda est in istis præceptoribus S. Antonij, qui Regulares sunt, & à suis Abbatibus illis præceptorijs præficiuntur. Possunt.n. de iure communi ad nutum Abbatis remoueri. Item prorsus docet Rebuffus de pacificis possess. num. 277. dicens; Non potest induci consuetudo, quòd beneficium manuale efficiatur irreuocabile, sed neque præscriptio. Sic nec statutum ligat successorē, quo cauetur, quòd solus Abbas nō possit reuocare beneficiatos ad claustrum. Quia Abbas in præiudiciū successoris nihil pōt facere sine auctoritate Episcopi, nec alienare, nec locare, nec statuta monasterij alterare. Ex dictis infertur, ꝙ si Abbas conferret Monacho tale beneficium manuale, & promitteret non auferre ei per vitam, adhuc posset auferre. Tum quia est contra naturam beneficij, & pactum contra naturam actus non valet. Tum quia talis promissio non valet, tanquàm facta inter dominum, & seruum. Nam Monachus seruo æquiparatur. Idem sensit Panor. loco citato dicens; quando proprius Superior, vt Abbas contulit Regulari Prioratum, seu aliam administrationem, quousque vixerit, possidendam, hoc non obstante, potest hunc Regularē ad libitum remouere. Nam si in animo gerebat, ꝙ eū remouere nō possit, illicita fuit cōcessio, & contra ius, imò etiam si Abbas iurasset, nihilominus valebit remotio. Illud etiā ex eisdē doctoribus addendū, quòd licet Prior manualis possit ad nutum Abbatis expressè reuocari, attamē ꝑ mortem Abbatis non censetur reuocatus tacitè, sed requiritur expressa reuocatio, alioqui ante reuocationem non potest alteri conferri.

5 Hanc vtilissimam de tollenda beneficiorum perpetuitate assertionem præstantes iuris Canonici præceptores, tot limitationibus constringunt, & extenuant, vt iam quasi nihilo vicinissima esse videatur. Quæ tamen non mediocrè erat continendæ Religionis propugnaculum; sed vniuscuiusque artis peritis fides habenda est, proinde eos, vt duces sequamur. Prima igitur limitatio est. Si ex certa scientia summi Pont. Religioso confirmetur aliqua administratio, quæ ex se temporalis erat; quia poterat ad nutum Abbatis remoueri, deinceps nō poterit auferri absque summi Pont. facultate. Vnde vt prius erat Abbatis obedientiarius, nunc vigore confirmationis quantum ad hunc remouendi articulum, efficitur obedientiarius summi Pontificis. Caue autem, ne propterea tibi persuadeas, eum Religiosum à iurisdictione sui superioris eximi. Nam in omnibus ius Superiori competens, remanet

illæsum, eo dũtaxat excepto, vt Abbas, siue Superior nec possit cognoscere, neq; tollere ius confirmatum. Vnde poterit iste in manibus Superioris renunciare, permutare, & alia facere, quæ ad superiorẽ pertinent. Hæc omnia locũ habent in confirmatione facta ex certa scientia.

6 Huic sententiæ suffragatur Rebuf. loco citato nu. 279. dicens; Quãdo Princeps concedit aliquod beneficium, intelligitur concedere pleno iure. Beneficium tamen per hoc non mutat suam naturam, sed postea vacans eandem naturam resumit. Quod intellige, quando esset facta confirmatio ex certa scientia Papæ, secus verò si confirmatio fuerit facta simpliciter.

7 Secunda limitatio est ex Rebuf. loco citato nu. 281. si Papa concederet Monacho, vt toto tempore vitæ Prioratum retinere possit, tunc non poterit molestari per Abbatem. Imò ex potestate ordinaria, & sine causa Papa non posset eundẽ remouere: quia beneficium illud iam perpetuum reputatur, & postquàm constat de voluntate, & potestate Papæ, illa erit seruanda.

8 Quare totam hanc rem acu mihi tetigisse videtur Panor. loco citato dicens; considera duos casus. Quando. n. Papa beneficium contulit ex Abbatis negligentia, tunc beneficij natura non alteratur, ob idq; remanet ad nutum Abbatis remouibile. Quia. n. contulit iure deuoluto, non videtur voluisse alterare naturam beneficij. Secũdus casus est, quando Papa contulit cessante omni negligentia Superioris; & pretermissa opinionum varietate distinguendum est. Aut. n. illud Papa contulit expressè, vt quoadusxerit, debeat possidere, tunc sine causa non potest remoueri per ipsum Superiorem; aut simpliciter contulit, & tũc remoueri potest per suum superiorem: Non. n. censendus est summus Pont. simpliciter conferendo, voluisse alterare naturam beneficij, & Regularem remouibilem facere perpetuum. Et in dubio hoc tenendum est, tanquàm congruens bono obedientiæ.

9 Tertia limitatio est, reuocari nõ potest ab Abbate ille, qui curæ animarum præficitur, si ab Episcopo est institutus, videlicet quando præficitur alicui ecclesiæ parochiali tanquàm simplex Clericus secularis, eiq; permittitur, vt in priuata domo extra claustrum vitam agat, & habitet. Contra illam. n. permissionem non debet Abbas eum sine causa ad claustrum reuocare. Tunc. n. non habet vlterius aliquam communionem cum suo monasterio, sic tenet Panor. in cap. Monachi. de stat. Monach. n. 3. Et dilucidius multo in cap. quòd Dei timorem. nu. 9. vbi sentit, quòd Monachus dispensatus ad curam alicuius ecclesiæ parochialis, est solutus ab obedientia sui monasterij, nisi illa ecclesia sit sub protectione, & obedientia ipsius monasterij, ad quam consueuit Monachus

nachus promoueri,& ad libitum reuocari. Idem tenet Card. Zabarella in Clem. Quia Regulares, de suppl. neglig. &c. §. præmissa, & Ioãnes Imola ibidem nu. 44. Eandem rem docuit glossa in Clem. Ne in agro. de statu Monach. §. ad hæc, in verbo Ad claustrũ, dicens: si Monachus est perpetuus institutus ad curam populi, sic nihil habet commune cũ monasterio. 16. q. 1. ne pro cuiuslibet; socium non tenet, & sic seruatur de facto, nec occurrit ratio, quare Abbas talem Monachũ suo claustrali, Monacho sociaret: sed obediẽtiarius, qui claustralis est, qui solo nutu Abbatis reuocatur ad claustrum, iste non debet esse solus, vt cum socio aliqualẽ stabilitatem claustris seruet, & idẽ in Regulari Canonico.

10 Quarta limitatio est Io. Imolæ in Clem. quia Regulares sæpè citata nu. 43. Quod obedientiarij, & manuales non possunt absq; causa reuocari, quin saltem habeant potestatem implorandi officium iudicis. Idq; significare, aiunt, verba illa locis superius citatis, cùm oportuerit reuocari. Quæ quidem notant causam debere subesse. Quamuis iam diximus illa verba exponentes, sufficere causam honestam, nec requiri causam necessariam. Nam mala voluntate, si constat, nullus remouendus est, sed neque ex sola malitia Abbatis. Poterit igitur Superiori supplicare, ne remoueatur, sicut & seruus supplicare potest. Si verò non constat de mala voluntate, quia reuocans allegat causam rationabilem, tunc subditus eam negans non debet difficultatem facere, cùm de hoc fiat summaria cognitio, seu indagatio. Potest tamen de qualitate causæ opponere. Oportet. n. eã esse probabilem, æquam, & rationabilem. Si autem de causa probabili constat, etiã summariè sine causæ cognitione, & absque iuris ordine repelletur. Non obstante pacto de non remouendo ad vitã. Item in dubio si reuocans allegat causam iustam, & illam dicit esse veram, forte Prælati verbo stãdum est, si quidem ille melius nouit, quid Monacho expediat; potest. n. habere notã aliquam causam occultam, quam exprimere non expedit: & si contradixerit, eo ipso inobediens esse videtur. Dum tamen persona Superioris sit honesta, & non subsit præsumptio alicuius odij. Idem sensit Rebuf. loco citato nu. 277. Qui hac in re iudices admonendos esse censuit, vt cauerent, ne hac via frãgeretur, irritareturq; reformatio. Nam in Religionibus reformatis appellatio admittenda non est.

11 Sanè in hac rerum ambiguitate, lectu iucundissima erit Bened. 12. sancita præceptio, quæ in Constitutionibus Canonic. Reg. tit. de obtinentibus beneficia à Sede Apostolica, sic habet. Præcipimus, quòd Canonici Religionis pręfatæ, qualiacunque in ipsa Religione, auctoritate Sedis Apostolicæ, vel legatorum ipsius, beneficia obtinentes, obediãt Superioribus suis Religionis eiusdem: ipsorumq; subsint correptionibus,

bus,ordinationibus, punitionibus,& statutis, ac beneficijs huiusmodi,ex causis rationabilibus,priuari,& ab illis ammoueri possint: quẽadmodum possent, si foret per Superiores suos de ipsis beneficijs eis prouisum.Eadem prorsus statuit idem Benedictus 12.in Constitutionibus Monachorum nigrorum.cap.32.

De Canonicis mittendis ad beneficia Regularia. Cap. xxxvij.

1 
IVra Canonica diligenter cauerunt, ne Religiosi in suis beneficijs Regularibus soli,sed adiuncto socio residerent,ea videlicet ratione,vt cum eo aliquantulã claustri stabilitatem,disciplinam Regularem, exercitiũq; monasticum obseruaret, haberetq; sui subleuatorẽ, ac testem suæ vitæ Regularis. Idcirco in cap. Monachi,de statu Monac.&c. sic statuitur. Nec singuli per villas,& oppida, per quascunque parochiales ecclesias ponantur, sed in maiori conuentu,aut cum aliquibus fratribus maneant. Nec soli inter seculares homines spiritualium hostium conflictum expectent,Salomone dicente, væ soli, quia cùm ceciderit, non est, qui subleuet eum Eccl.4.Item in cap.ad audientiam,de capellis Monachorum,sic habetur; Ideoq; mãdamus,quatenus ipsorum Abbates, seu Priores, vt vel ipsos.s.Monachos, ad claustrum reuocent, facientes in ipsis ecclesijs deseruiri per Clericos seculares: vel alios Monachos eisdem associent, cum quibus vitam possint ducere Regularem. Præterea in Clem.Ne in agro.§.ad hæc,de statu Monach.&c. sic legimus. Ad hæc,prædecessorum nostrorum vestigijs inhærentes, perpetuò prohibemus edicto, ne Monachi singuli in singulis sibi commissis administrationibus, vel Prioratibus habitare præsumant.Sed si prouentibus Prioratuum, seu administrationum huiusmodi duobus fortè non suppetant: idem Prioratus, seu administrationes,nisi per Abbates ad sustentationem duorum sufficiẽtes reddantur: locis alijs vicinioribus ad eorum monasteria pertinentibus,vel ipsorum monasteriorum officijs, aut inter se inuicem, prout erit commodius,cum consilio,& assensu Abbatum,per locorum ipsorum ordinarios vniantur. Monachis locorũ, quæ alijs vnientur, prioribus ad claustrum primitus reuocandis,&c.

2 Ex quibus locis iuris canonici Bened.12.in Constitutionibus Canonic.Reg.collegit,atque confecit egregium titulum de mittẽdis ad beneficia,& modo conuersandi in eis; sic autem exorditur.Vt cultus augeatur diuinus,& Religiosis vagandi materia præcludatur, statuimus, quòd Canonici Religionis eiusdem extra ecclesias,monasteria,siue loca alia principalia obtinẽtes Prioratus,seu quæuis alia beneficia: quibus ad

bus ad hoc suppetent facultates, in ipsis beneficijs residere, & socium, vel socios sui Ordinis secum habere, iuxta ipsorum facultatum suppetentiam teneantur; statutis, & consuetudinibus contrarijs non obstantibus quibuscunque: quodq; socium, vel socios huiusmodi Prælatus, seu is, ad quem hoc pertinuerit, prout locis congruere nouerit, & personis, & cum consilio, & assensu sui capituli, seu conuentus vocatis his, qui dicta beneficia obtinebunt, huiusmodi suppetentiam arbitrando, assignet eisdem. Quòd si huiusmodi Priores, seu administratores, quibus fuerint Canonici in socios assignati, cessante causa rationabili, arbitrio assignantis, recusent admittere sibi assignatos: eis sufficienter, & decenter in necessarijs prouidere cogantur ad hæc per censurā ecclesiasticam, & alia iuris remedia opportuna, & nihilominus de huiusmodi inobedientia puniantur. Qui autem in ecclesijs Cathedralibus, seu monasterijs, dignitates, personatus, officia, seu administrationes alias habuerint, & in eisdem ecclesijs, seu monasterijs cōsueuerint residere, cogantur officium incumbens eis, tam in diuinis, quàm in alijs debitè exercere: familiamq; excessiuam, præsertim infra claustra nō teneāt, aut talem, per quam verisimiliter præsumatur in ipsis ecclesijs, seu monasterijs scandalum generari. Et quia secundum præmissa nonnulli de Canonicis Regularibus, qui in ecclesijs, seu monasterijs consueuerant residere, habebunt extra in suis Prioratibus, seu beneficijs alijs residentiam facere, in Capitulo annali cuiuslibet ecclesiæ, & monasterij per Prælatum, & Capitulum, vel maiorem partem ipsius, scito, & cognito diligenter, quot mittentur extra pro residētia in dictis Prioratibus, & beneficijs facienda. Proinde ordinetur, quot loco eorū, qui extra mittentur in ipsis ecclesijs, seu monasterijs fuerint subrogandi. Obtinentes autem beneficia simplicia, quibus cura non imminet animarum: quorum ad tenendum sociū non sufficiunt facultates, si propinqua sint ecclesijs, vel monasterijs, à quibus illa dependent in dictis ecclesijs, vel monasterijs residentiam facere compellantur, & habeant de prouentibus dictorum suorum beneficiorum expensas, quas in victualibus in ipsis ecclesijs, vel monasterijs, residendo faciant illi, vel illis exolui, qui in dictis ecclesijs, seu monasterijs victualia Canonicis ministrare tenerentur, dummodo ad hoc redditus beneficij huiusmodi obtinentis sufficere dignoscantur. Quod si huiusmodi beneficia simplicia longè distent ab ecclesijs, seu monasterijs, quibus subsunt in Prioratibus, & administrationibus Canonici residere consueuerint, sint propinqua, modo præmisso, & cum satisfactione simili expensarum, obtinentes huiusmodi beneficia, seu administratores eorum ad residendum in dictis Prioratibus, seu administrationibus

deputen-

deputentur, nisi per fundatores huiusmodi beneficiorum aliter fuerit ordinatum, cui ordinationi per hoc non intendimus derogare. Super distantia verò, seu propinquitate beneficiorum huiusmodi stetur arbitrio annalis Capituli, eiusq; in hoc deliberatio obseruetur. Quòd si dicta beneficia simplicia tam ab ecclesijs, quàm monasterijs, vel ab eorum prioratibus, seu administrationibus sint remota, per dictum annale Capitulum ordinetur, vbi tales debeant residere: Prouiso tamen, quòd diuinus cultus exerceatur debitè in beneficijs memoratis. Canonici autem in huiusmodi Prioratibus, seu administrationibus commorantes, in ecclesia horis congruis cum dictis Prioribus, seu administratoribus simul intersint, Canonicas horas dicant, in missis celebrandis suas hebdomadas ordinatè teneant: & in loco vbi duodecim fuerint, vel plures, vna per eos Missa ad minus cũ nota, die qualibet celebretur, & Horæ canonicæ cum nota dicantur. Dicti quoq; Canonici Priorum, & administratorum prædictorum in vna domo communi regulariter iaceant, camerulis, & cellulis eis penitus interdictis. In vna etiã domo vescantur. Prior insuper, & Administrator, & Canonici, nisi infirmitas, vel alia euidens ratio interdum aliud suaserint faciendum, in vestitu etiam, & tonsura à communi ecclesiæ, monasterij, siue loci; cui subijciuntur, institutione, vel debita obseruantia non recedant, ac suo proprio Priori; vel administratori, iuxta ordinationem Prælati sui, vel Superioris obediant humiliter, & deuotè. Et si aliquando dictos Canonicos in Prioratibus, seu administrationibus mori, aut fugitiuos fieri forsan continget, priores, seu administratores prædicti diem mortis, aut fugæ, seu recessus ipsorum Prælatis, aut eorum Superioribus, vt in ecclesijs, seu monasterijs eorum principalibus, pro defunctis eorum consueta fiãt suffragia, seu fugitiuos reuocare, vel in prioratibus, seu administrationibus alios loco eorum subrogare valeant, quam citius commodè poterunt, intimare per suas litteras teneãtur. Quòd si Priores, seu Administratores prædicti diem obitus, aut fugæ, siue recessus huiusmodi Prælatis, suisuè Superioribus significare distulerint, tertiã partem illorum, quæ Canonicus expedisset, si non fuisset mortuus, vel in fuga, pro pitantia Capituli, vel conuentus, ecclesiæ, monasterij, vel loci principalis soluere teneantur. Insuper Canonici prædicti, non soli, sed honestè associati, & cum habitu decenti incedant, nec in villis, in quibus Prioratus, seu administrationes huiusmodi fuerint, comedere, vel bibere, aut ingredi domos præsumant, nisi cum honestis personis: & tunc de sui Prioris, seu administratoris licentia speciali. Qui verò cõtrarium fecerint, regulari subiaceant disciplinæ. Vt autem hæc efficacius obseruentur, Antistites, Abbates, & cæteri eorundem Canonicorum Su-

rum Superiores, necnon alij, qui ad visitandum per eos fuerint deputati, quum prioratus, & administrationes huiusmodi visitabunt, circa illa seruanda, & non seruata, ac corrigenda curam habeant diligentem. Hactenus Benedictus 12. Eadem ferè ipse tradidit in Cõstitutionibus Monachorum nigrorum Sancti Benedicti, cap. 25.

De commendatarijs perpetuis monasteriorum. *Cap. xxxviij.*

1 Riscis temporibus cum ecclesiæ vacanti Pastor idoneus statim præfici non poterat, interim vt ea euitarentur mala, atque incommoda, quæ vt plurimum viduitatis tempore contingunt, solebat ecclesia vacans probo alicui viro commendari, & committi; qui tanquàm tutor quispiam, aut procurator bona fide muneris sui rationẽ redderet. Hic.n. Pastor ecclesiæ non erat, sed ad tempus solùm constituebatur. Itaque poterat, & alterius ecclesiæ ministro hæc curatio, administratioq; demandari. Non.n. contra Canones Pontificios duabus ecclesijs præfici videbatur, aut ab vna ad aliam transferri; cùm vnius ecclesiæ Pastor perpetuus, alterius verò custos temporarius esset. Sed nec illa inquisitio vsquequaq; adhibebatur, quàm in promotione pastorũ, ministrorumuè necessariã esse iura volunt. Proinde ei, qui Monachus non erat, siue Regularis, monasterium poterat commendari, donec aliquis ex sodalibus Abbas electus, creatusq; esset: verùm res longè vtilissima, & ad consulendum ecclesijs vacantibus prudẽter excogitata, in ipsarum tandem perniciem, mirabiliter conuersa est. Nam quibus per Canones non licet præfici ecclesijs, aut monasterijs, moribus comparatũ est, vt eisdem ecclesiæ, vel monasteria in perpetuũ, & quàm diu viuũt, commendentur. Atque ita concipitur formula huius commendationis in diplomatibus Pontificis, vt libera non solùm dispẽsatio rerum, sed etiã cõsumptio permissa ipsis intelligatur; ob idq; fit, vt apertè despici Canones videantur, multaq; mala adumbrentur. Itaque & si vetus nomen adhuc retineatur, & commendatio nuncupetur, res tamen sic immutata, & abolita est, vt priscæ illius commendationis vix imago quædam, vmbraue supersit. Vnde vulgò dicitur, titulum hunc commendatitium, à legitimo titulo nihil differre, & commẽdationum administratorem perinde ac iustum, verumq; gubernatorẽ ecclesiæ fructus sibi acquirere. Quamuis commendare apud iuris authores nihil aliud sit, quàm deponere. Idcircoq; Custos, & Procurator tantùm videtur dici debere, qui hac ratione promouetur: sed iam non Procuratores, sed domini habentur. Ob idq; si residentia Pastoris, Dei, iurisq; ordinatione indicta est, quidnam refert, commẽdatarius ne absens sit,

an verus Pastor? Ratio nanq;,quæ instam facit, ac legitimam commẽdationem hæc esse debet,quòd haberi tunc persona non potest,cui legitimè sub titulo ascribatur, nõ autem commendatarium ditare. Cõmendatarius enim Ecclesiæ tam stricto iure obligatur illic residere,ac si esset legitimus Abbas. Commenda enim perpetua iuxta iuris peritorum opinionem,idem est quod titulus.

2 Hi sanè commendatarij sunt,qui monasteria relaxarunt,labefactarunt, & corruperunt. Nam si aberant, Religionis, Religiosorumq; salus,non aliter quàm absente nauclero nauis,periclitabatur. Quòd si aderant,adeò sua est iurisdictionis curta supellex, vt Religiosos corrigere, emendareq; nec audeant, nec fortè possint. Regulares.n. non plenè,sed in quibusdam negotijs tantùm illis obtemperant. A capituli negotijs,actibus,regulariumq; electionibus acriter repelluntur. Nã in suo Capitulo voce carere dicuntur, Abbatis,aut Prioris nomine se appellare nõ audent,commendatoris nomenclatura contenti. Vix.n. Prælati à subditis censentur, vnde & subditorum incussionem formidant,& monasteriorum emendationem tacent,& supprimunt, suaq; iussa facilè contemnuntur. Nam,vt D. Benedicti cœnobia prætereamus,vnde tanta calamitas Canonicorum Regularium illustri Ordini contracta est? qui omnes ferè Eccle. Cathedrales, Metropolitanasq; ac Collegiatas insignes adipiscebantur,& moderabantur: id quod nobis Hispanis in Regnis Aragonicæ coronæ,in Nauarra etiam, amplissimaq; Castella aut vidisse,audiuisse,aut certè legisse contigit. Hinc,& aliud malum subortum est, vt quamuis iam à Philippo Hispaniarum Rege Catholico,quæ sua est admiranda pietas,atq; religio, monasteria non in commẽdam,vt hactenus,sed in titulum viris litteratis præsentationis iure conferantur,deformata tamen monasteria adeò difficilimè reformantur, vt deplorata, desperataq; eorum salus ob inueteratam ipsorum corruptionem esse videatur. Hic enim magni labores, ingentes curæ,& crebra pericula latent.

3 Istam commendatariorum incommoditatem deplorabat summus ille Pont. Clemens 5. in Extrauaganti,ex supernæ,de præbendis,inter communes,dicens; Nonnullis Clericis,& personis Ecclesiasticis Religiosis,& secularibus Patriarchales,& Archiepiscopales,& Episcopales Ecclesias,ac monasteria destituta Pastoribus sub commendæ, vel custodiæ,seu curæ,vel guardiæ, aut administrationis titulo, nomineuè notabili duximus perpetuò ad vitam, seu ad certi temporis spacium committenda. Verùm ad hoc subdiligenti examine direximus aciem nostræ mentis,demumq; prospeximus euidenter, quòd ecclesiarum, & monasteriorum eorundem cura negligitur, bona & iura dissipãtur ipsorum,

ipsorum,ac subiectis eis personis,& populis spiritualiter plurimum,& temporaliter derogatur,eisq; redundant ad noxam, quæ dicebantur cedere ad profectum. Ac nedum ipsis,sed etiam Romanæ matri Ecclesiæ,quæ disponente domino, ipsorum caput forè dignoscitur & magistra,grauiora inde futura timentur pericula. Nolentes igitur ijs tot,& tantis dispendijs vlterius causam relinquere, sed volentes potius opportunũ,& debitũ in hac parte remediũ adhibere, omnes, & singulas promissiones huiusmodi p nos(vt præmittitur) factas quibuscunq; cuiuscũq; ordinis, dignitatis, aut status: sed etiã S.Romanæ Eccl. Cardinalibus, quocunque modo,vel tempore factæ noscãtur, auctoritate Apost.ex nunc ex certa sciẽtia reuocamus,cassamus,& annullamus, & decernimus de cętero nõ habere aliquã roboris firmitatẽ, nulli ergo, &c.Datũ apud Pisatũ Burdegalen. diœc. 10. Cal. Martij. anno. 2.

4 Huic rei maximè congruit Constitutio Concilij Lateran.sess.9. sub Leone 10.cap.3.cui titulus est, ne monasteria alieni commendentur. Quoniam, inquit,ex commendis monasteriorum, monasteria ipsa tàm in spiritualibus,quàm in temporalibus grauiter læduntur, quippe quorum ædificia partim commendatariorum negligentia, partim auaritia,vel incuria collabuntur, & indies diuinus cultus in eis magis diminuitur,volumus, & sancimus, vt cum illa per obitum Abbatum, qui illis præerant,vacauerint,nullo modo cuiquam possint commendari,sed de persona idonea iuxta præscriptam constitutionem, eis ita prouideatur,vt illis idonei Abbates,prout decet,præfuturi sint. Huic cousonat Conc.Trid. sess. 14.cap.10. dicens: Regularia beneficia, in titulum Regularibus professis prouideri consueta, cùm per obitum, aut resignationem,vel aliàs illa in titulum obtinentis vacare contigerit, Religiosis tantùm illius Ordinis, vel ijs, qui habitum omnino suscipere,& professionem emittere teneantur, & non alijs, ne vestem lino, lanaq; contextam induant, conferantur.

5 Copiosius autem idem Concilium Tridentinum eandem rem explicuit sessione 25. in decreto,de Regularibus cap. 21. dicens: Cùm pleraq; monasteria, etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præposituræ ex mala eorum, quibus commissa fuerunt administratione,non leuia passa fuerint, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus detrimenta: Cupit sancta Synodus ea ad congrua monasticæ vitæ disciplinam omninò reuocare: verùm adeò dura, difficilisq; est præsentium temporum conditio, vt nec statim omnibus, nec commune vbique quod optaret, remedium possit adhiberi: vt tamen nihil prætermittat,vnde prædictis salubriter aliquãdo prouideri possit: primùm quidem confidit,sanctissimum Rom. Pont.pro sua pietate, & prudentia

curaturum, quãtum hæc tempora ferre posse viderit, vt ijs, quæ nunc commendata reperiuntur, & quæ suos conuentus habent Regulares personæ eiusdem Ordinis expresse professæ, & quæ gregi præire, & præesse possint, præficiãtur. Quæ verò in posterum vacabunt, non nisi Regularibus spectatæ virtutis, & sanctitatis conferãtur. Quo ad ea verò monasteria, quæ capita sunt, ac primates Ordinum, siue Abbatiæ, siue Prioratus, filiæ illorum capitum nuncupantur. Teneantur illi, qui in præsenti ea in commendam obtinent, nisi sit eis de regulari successore prouisum, infra sex menses Religionem illorum Ordinum propriam solẽniter profiteri, aut ijs cedere, aliàs cõmendæ prædictæ ipso iure vacare cẽseantur. Ne autẽ prædictis omnibus, & singulis fraus aliqua adhiberi possit: Mãdat sancta Synodus, vt in prouisionibus dictorum monasteriorũ qualitas singulorum nominatim exprimatur: alioterq; facta prouisio, surreptitia esse censeatur, nullaq; subsequenti possessione, etiam triennali, adiuuetur. Hinc perspice, quàm sint hæ perpetuæ commendationes iuri Canonico, & Concilijs odiosæ.

6 Cæterum de his Commendatarijs perpetuis monasteriorum, maioris elucidationis causa, adhuc pauca notanda sunt. Primùm, commenda censetur Canonicus titulus, quæ si ad vitam conferatur, verus titulus est. Nam commendatarius potest constituere procuratorẽ ante litem contestatam, sicut is qui habet titulum. Secundo, potest permutare beneficium commẽdatũ cum alio dato in titulum. Tertio, potest ex redditibus beneficij commendati viuere, sicut is qui habet in titulum. Quarto, potest super redditibus transigere, ac eos vẽdere. Quinto, habet liberam potestatem in temporalibus, spiritualibus. Sexto, Commendatarius Abbatię censetur verus Abbas, ideò potest illi delegari causa à Romano Pontifice, sicuti Abbati titulario. Et ideò in commendis à Romano Pontifice factis solent hæc verba inseri. Talem N. Prioratum cum omnibus iuribus, & pertinentijs suis tibi auctoritate Apost. commendamus, per te quàm diu vixeris, & dictum Prioratum N. obtinebis, tenendum, & etiam gubernandum, ita quòd durante commẽdà huiusmodi, de fructibus, redditibus, & prouẽtibus ipsius prioratus N. disponere, & ordinare valeas, sicut veri Priores ipsius Prioratus, qui fuerunt pro tempore, ordinare, & disponere potuerunt, & etiam debuerunt, &c. En ergo quomodo Papa æquiparat eos habentibus titulum, ergo eodem iure vti debent. Idcirco etiam, per mortẽ Commendatarij beneficia vacant, & impetrantur, ac si in titulum haberentur. Septimo, habens beneficium in commẽdam non potest cogi, vt profiteatur, sicut is qui habet in titulum, nisi hoc in bulla expressum fuerit. Hactenus ex Petro Rebuffo in tract. de pacificis possesso-

ribus à num. 36. Octauo, Commendatarius potest præsentare, sicut alius, qui titulum habet, quia fructus recipit. Nono, potest etiã eligere, & conferre beneficia, quia eligere, & conferre est etiam fructus beneficij. Decimo, locare potest fructus, & possessiones, sicut habens titulum, quia liberam habet administrationem. Ex eodẽ Rebuf. in praxi, tit. de commenda. Item Mart. Azpilcueta in tract. de reddit. benef. q. 1. nu. 80. docet; Commendatarios ita disponere posse de fructibus commendarum beneficiorum, per summum Pontificem ad vitam commendatorum, sicut de fructibus beneficiorum in titulũ collatorum, pro conuenienti sua sustentatione, dando superflua pauperibus. Primum, quia in ipsis diplomatibus Pontifex Max. illis concedit facultatem in suos ipsorum vsus expendendi. Deinde, quòd Commendatarius tantam iurisdictionem, & auctoritatem habet in administratione beneficij cõmendati, præcipuè per summum Pont. ad vitam, alienandi potestate excepta, quam eisdem adimit per sua diplomata, quantam titularius.

7 Secundo notandum, ad resarciendam vtcunq; iacturam, quæ ex cõmendis perpetuis contrahitur, iurisdictionem Prælati commendatarij in subditos Regulares temperatam, coarctatamq; fuisse in Conc. Trid. sess. 25. in decreto de Regularibus cap. 20. his verbis, & quamdiu durabunt huiusmodi commẽdę, Priores claustrales, aut in Prioratibus conuentum habentibus, Subpriores, qui correctiones, & spirituale regimen exercent, à Capitulis generalibus, vel ipsorum Ordinum Visitatoribus instituantur. Et cap. 21. subdit, vt ijs, quæ nunc cõmendata reperiũtur, & quę suos cõuentus habẽt, Reg. personæ, eiusdẽ Ordinis expresse professæ, & quę gregi præire, & præesse possint, præficiãtur.

8 Eandem Prælatorum commendatariorum iurisdictionem mirum in modum constringit Bened. 12. in Constitutionibus Canonic. Reg. tit. quòd antiquus Canonicorũ numerus teneatur, præcipiens, quòd Prælatus commendatarius teneatur curam, & regimen, siue administrationem Canonicorum committere alicui Canonico eiusdem Ordinis, & domus, dicens; Cùm sit consonum rationi, vt obtinentes beneficia ipsorum onera debeant supportare, statuimus quòd in monasterijs, Prioratibus, & alijs beneficijs quibuscunque Religionis eiusdẽ, personis quibuscunq; extra præfatam Religionem, cuiuscunq; sint dignitatis, gradus, seu pręeminentiæ (etiam si fuerint S.R.E. Cadinales) collatis, seu commendatis, vel seu de cętero conferendis, vel commẽdandis, tot Canonici teneantur: quot in eis tenerentur, si per Canonicos Regulares, monasteria, prioratus, & beneficia huiusmodi regerẽtur. Et quòd nihilominus Canonico in eisdem monasterijs, priorati-

bus, & beneficijs committatur id, quod supra, vel circa alios Canonicos inhibi residentes haberet exercere administrator Canonicus, si præesset eisdem, quantum ad ea, quæ pertinent ad Regulam, seu disciplinam, vel obseruantiam regularem, & quod quilibet prædictorũ huiusmodi monasteria, prioratus, & beneficia quomodolibet obtinentes, ad procurationes, & alia quælibet onera ipsis monasterijs, prioratibus, & beneficijs incumbentia supportanda, persoluenda, & reddẽda integrè sint astricti: quodq; ad hæc, & alia supradicta, auctoritate Apostolica per censuram ecclesiasticam, & aliàs compelli valeant per Capitulorum prouincialium Præsidentes, & quemlibet eorundem: prout per Superiores suos possent, & deberent compelli Canonici Regulares, si præessent monasterijs, prioratibus, & beneficijs memoratis: nisi fuerint Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, quos nolumus talium compulsionibus subiacere.

9 Eandem prorsus legem constituit Benedictus 12. in Constitutionibus Monachorum nigrorum, & sub eodem tit. cap. 33. Cuius notula marginalis sic habet; curam & regimen, siue administrationem Monachorum debet Prælatus commendatarius committere Monacho eiusdem Religionis, & domus.

De hospitalibus Canonicorũ, quæ in titulũ conferuntur. Cap. xxxix.

1 VT autem beneficiorum tractatulum non absq; vtilitate concludamus, de ijs hospitalibus, quæ à Canonicorum monasterijs dependent, eisdemq; in titulum conferri consueuerunt, pauca nobis dicenda sunt. Hospitalia igitur in titulum posse conferri, vniuersi doctores testãtur in Clem. Quia cõtingit, de religiosis domibus. Præsertim verò Petrus Rebuf. in tract. nominationũ q. 15. nu. 13. Et de pacificis possessoribus nu. 81. Potest aũt hospitale duobus modis in titulum conferri; aut ratione fundationis, aut quando ad eius regimen quis assumitur à Clericis per viam electionis. Item tunc dicitur hospitale concedi in titulũ, siue in beneficium, quando ibi est campanile cum campana, quæ publicè pulsatur ad cõgregãdos homines, vt diuino officio intersint: vel si ibidem sit altare fixum, & consecratum, & ibi passim celebrentur Missæ: tunc enim verè beneficij appellatione continetur. Alioqui. n. dicitur locus pius, & religiosus. Quod si Regulare sit iuxta difinitionẽ beneficij Regularis, fatendum erit, subire etiam leges beneficij Regularis, maximè verò, quo ad inconstantem, mutabilemq; naturam beneficij Regularis, quam superius descripsimus.

2 Secundo aduertendum est, multa vitia hospitalariorum recenseri

in citata Clem. Quia contingit. Primum est, quòd hospitalarij, locorũ suorum cura postposita, bona, res, & iura ipsorum interdum ab occupatorum, & vsurpatorum manibus excutere negligunt. Secundũ, hospitalia collabi, & deperdi domos, & ædificia ruinis deformari permittunt. Tertiũ, ipsi adhuc non attendunt, nec cõsiderant, loca ipsa ad hoc fundata, & fidelium erogationibus dotata fuisse, vt pauperes, infectiq; lepra reciperentur in eis, & ex illorum prouẽtibus sustentarentur, idq; renuunt inhumaniter facere. Quartum, prouentus hospitalium in proprios vsus damnabiliter conuertunt. Cùm tamen ea, quæ ad certum vsum largitione sunt destinata fideliũ, ad illum debeant, non ad alium (salua quidem Sedis Apost. auctoritate) conuerti.

3 Notandæ sunt qualitates, quibus ornatum esse hospitalarium maximè conuenit, nempe vt sit vir prouidus, idoneus, vt boni testimonij, idest bonæ famæ, & opinionis. Scđo, vt ipse sciat, velit, & valeat hospitalę, eiusq; bona, & iura vtiliter regere, prouẽtusq;, & redditus in personarum miserabilium vsum fideliter dispensare. Tertio, vt is sit, habeaturq; hospitalarius, aduersus quem verisimilis pręsumptio non existat, quod in vsus alios bona prædicta sit conuersurus.

4 Notãdum, hospitalarios regulares quinq; in rebus liberos esse, nec ea Clementina fuisse comprehensos, videlicet in suppletione ordinariorum, etiam quo ad exempta, & quòd non conferantur hospitalia in beneficium, in iuramento præstando, in inuentario cõficiendo, & in ratione reddenda: vt glossa exposuit. Id. n. significat verbum textus, pręmissa. Dixit etiam hospitalia militarium ordinum. s. S. Ioannis Hierosolymitani, S. Mariæ Teutonicorum, Calastrensium, & similium. Dixit etiam, aut Religiosorum etiam aliorum: quoniam iuxta glossam, sunt quædam Religiones super hospitalitatem fundatæ, vt Cruciferorum, vel quamuis ad hoc non sint fundatæ, habent tamen hospitalia.

5 Notandum, quod à Petro Rebuf. in praxi, tit. de commenda. nu. 15. aduersus Commendatarios consideratum est. Hospitalitas, inquit, debita non seruatur, sed tota omittitur. Nam quotusquisque Cõmendatarius hospitalem se exhibeat, aliorum sit iudicium; quæ tamen plurimum est commendata, vt glossa, & doctores scribunt in cap. de Monachis, de præbendis. Hodie quidam Commendatarij tantùm absunt ab hac hospitalitate, vt quæ possunt à pauperibus eripiant. Vnde quia hospitalitas discęssit, succesit indictio fisci, decimarum, & aliorum onerum præstatio: vt habetur in cap. maiores 16. q. 7. Hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus.

6 Notandum efficax præceptum illius Clementinæ. §. præmissa, quòd hospitalarijs regularibus districtè iniungitur, & in virtute sanctæ obe-

dientiæ mandatur. Videlicet vt in suis hospitalibus secundum suorum Ordinum instituta, & antiquas obseruantias prouidere pauperibus, & hospitalitatem debitam in illis tenere procuret: Ad quod per Superiores eorum arcta districtione cogantur: statutis, aut consuetudinibus quibuslibet non obstantibus in præmissis.

7 Notanda sunt decreta Conc. Trid. ad hospitalium gubernationem condita. Primum habetur sess. 7. cap. 15. Curent, inquit, Ordinarij, vt hospitalia quæcunq; à suis administratoribus, quocunque illi nomine censeantur, etiam quomodolibet exemptis, fideliter, & diligenter gubernentur, constitutionis Concilij Viennensis, quæ incipit; Quia contingit, forma seruata. Quam quidem Cõstitutionem eadem sancta Synodus innouandam duxit, & innouat, cum derogationibus in ea contentis. Secundum decretum habetur sess. 25. cap. 8. vbi post commendatam, admonitamq; hospitalitatem, omnibus hospitalarijs tam secularibus, quàm regularibus, quibus hospitalia in commendam, administrationem, aut quencunque titulum, etiam per vnionem hospitalia cõcessa sunt: præcipit omninò, vt impositum illis onus, officiumuè administrent, atq; hospitalitatem, quam debent, ex fructibus ad id deputatis actu exerceant, iuxta Constit. Conc. Viennensis, quæ incipit; Quia contingit. Deinde præcipit, quòd in defectum pauperum, fructus hospitalium in alium pium vsum, institutioni proximiorem, ac pro loco, & tempore vtiliorem cõuertantur, ad arbitrium Ordinarij cum duobus de Capitulo. Eaq; omnia sub grauibus pœnis præcipiuntur omnibus, & singulis hospitalium administratoribus, cuiuscunque Ordinis, & Religionis, & dignitatis fuerint, ijs duntaxat Regularibus exceptis, qui illis Regularibus subijciuntur, vbi viget Regularis obseruantia. Additur etiam maxima exemptionum, consuetudinum, etiam immemorabilium, seu priuilegiorum, aut indultorum derogatio.

8 Adnotanda sunt documenta Concilij Mediol. sub Archiepiscopo Borrhomæo. Primum tit. de dispensatione bon. ecclef. In hospitalitate inquit, non is habeatur delectus personarum, vt diuites potissimũ inuitentur, qui cum fœnore reddant, quod acceperint: sed cùm ecclesiasticarum personarum domum nemini, quãtum per facultates licuerit, clausam esse deceat, profectò illis maximè patere debet, qui Dei voce, sanctorum Patrum cohortationibus, & exemplis, sacrorum Conciliorum præcepto, & auctoritate nobis commendati sunt. Secundum documentum habetur tit. de piorum locorum administratione. Qua, inquit, in re, ne vlla fraus fieri possit, ineatur aliqua ratio, Episcopo probanda, quæ ei constare possit, in quas personas fructus illi erogati fuerint. Quos autem compererit Episcopus, vel iniquè distribuendo, vel

in suum

in suum commodum vertẽdo, vel inutilibus, & superuacaneis sumptibus faciendis, malè in administratione versari, eos pro modo culpæ puniat, & ad restitutionem legitimè compellat: & ab officio etiam, si ei videbitur, amoueat. Quod hic de Episcopo dicitur, tu de Regulari Prælato interpretaberis. Tertium documẽtum ibidem sic habetur, in hospitalibus, pijsq; diuersorijs, vbi hospitalitas exercetur, mares cum fœminis etiam specie matrimonij, nisi id certissimè constet, versari ne liceat, neuè ea loca, quę bonorum subsidio sunt addicta, circulatoribus, aleatoribus, nebulonibus, & istiusmodi nequissimis hoĩbus pateant.

9 Quòd si de munere hospitalariorũ plura discere percupiueris, perleges Concilium Coloniense sub Hermanno 5. Archiepisc. par. 11. per septem capita. Et Concilium Coloniense sub Adolpho 3. Archiepiscopo. in formula visitandi hospitalia tam monasteriorum, quàm fratrum sanctæ Mariæ Teutonicorum, Ioannitarum, & Antonitarum.

10 In calce demum huius capitis illud est etiam de elargiẽdis eleemosynis mente tenendum monasteria quoque pręcepto eleemosynarum obnoxia esse. Nam & Religionis scopus est Charitas in Deum, & proximum, Hoc autem eleemosynarum præceptum docetur à D. Th. 2. 2. q. 32. art. 5. Ex quo Dom. Sotus lib. 10. de Iust. & iure. q. 4. art. 4. statuit conclusionem; Episcopos arctissimè teneri, atq; perstringi eleemosynarum præcepto; & quod de Episcopis dixerat, id etiam suo gradu intelligendum esse asserit de Religiosorum monasterijs, in quibus prouentus redundant. Quæ autem ratio tenenda sit in erogandis eleemosynis in pauperes, à Religiosis paupertatem professis, sapiẽter docuit D. Basilius magnus in Regulis breuioribus interrogatione 100. dicẽs: Eos, qui aliunde ad nos accedunt, ac mẽdicantes aliquid petunt, quomodo dimittemus? Et nunquid arbitratu suo quisq; panem, aut aliud quiduis illis debet tribuere? An verò vni cuipiam munus hoc conueniat delegari? Respõdet, Cum dominus affirmate dixerit Matth. 15. c. non esse bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus: & tamẽ illud etiam approbarit, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum: cui dispensandi munus assignatum est, is illud diligenti adhibita animaduersione exequi debet. Qui verò præter illius sententiam aliquid facit, is tanquam euersor disciplinæ acriter obiurgandus est. Idq; eousq;, quoad tueri locum suum discat, cùm Apostolus dixerit, vnusquisq; in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum. 1. ad Corinth. 7. Rursus idem author ibidẽ interrogatione 302. eandem rem magis enucleate perstringit, quærens: nunquid extrarijs quoq; indigentibus impertiendum sit de ijs, quę ex cõmuni penu distribui inter fratres debeant? Respõdet. Cum Matth. 15.

cap. Dominus dixerit; Non sum missus, nisi ad oues, quę perierunt domus Israel: & non est bonum sumere panem filiorum, & mittere catellis: nequaquam necesse est, ea, quæ in eorum vsus attributa sunt, qui consecrati sunt Deo, temerè ita in quosuis impēdi. Si verò id fieri possit, quod à muliere, quæ de fide laudatur, dictum est, videlicet, etiā Domine. Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum, hoc positum sit in arbitrio dispensatoris: adhibita eorū etiam sententia, qui secundum ipsum in familia cæteris præstantiores sunt. Vt ex eo quod abundat, sol oriatur super malos, & bonos.

De testamentis Canonicorum Regularium quid sentiendum. *Cap. xl.*

1 Voniam nostram Canonici Ordinis dilucidationē, quoad primum librū, finire properamus, vltimus locus id exposcit, vt ea, quæ est vitæ terminum, ipsamq; mortem spectant, discutiamus: mortis igitur memoriam versantes ea cura diuexare solet, vt testamētum, qua decet, lege, & facultate occulate condant. Est autem testamentum mentis testatio, qua quid vnusquisq; post suum decessum de rebus suis fieri velit, disponitur. Nodos autem, grauesq; anfractus habet ea discusio, quam testandi facultatem habeant Canonici Regulares, cæteriq; vniuersi Religiosi? Sanè certa ab incertis secernentes, hanc statuimus stabilem conclusionem. Canonici Regulares post emissam solennē professionem testari non possunt. Hæc conclusio suum habet fundamentum in cap. Quia ingredientibus, de testamētis. Hanc veritatem edisserit, & docet Didacus Couarrubias in commentarijs in tit. de testam. cap. 2. num. 9. dicens. Testamentum factum ante professionem, post eam à Religioso nec mutari, nec reuocari potest. Siquidem professus testari non valet, etiam si professus fuerit eam Religionem, quæ communia bona habere posit. Ad quod propositum conficiendum non paucos doctores congerit. Huius rei rationem reddit Rebuf. in praxi benefi. tit. de rescriptis, nu. 1. Quia ingressus monasterium, per professionem dedicat se, & sua omnia Deo. Igitur nihil habet; de quo testetur. Luculentius verò rem vrget Mart. Azpilcueta Nauarrus in tract. de reddit. benef. q. 3. corol. 16. dicens; Beneficiarius, si est Religiosus professus, testari non potest. De redditibus. n. ecclesiasticis eadem ratione, qua Clericus secularis testari nō potest; de alijs verò bonis, quæ secum detulit in monasterium, vel post ingressum quæsiuit per hæreditatem, donationem, aut alium quencunq; modum, multò minus testari potest: quia non est, neque esse potest dominus alicuius rei. cap. non dicatis. 12. q. 1. & cap. cùm ad monasterium, de stat. Monach. &c.

Imò ve-

Imò verò quicquid acquirit, monasterio, vel beneficio acquirit.cap. multos. 54.dist. At nemo de rebus alienis testari potest. Et sanè hoc habet locum,quamuis sit Abbas,vel Prior, vel is factus sit Episcopus, aut Archiepiscopus cap. 1.18.q.1.& cap.cũ olim.2.de priuilegijs. Hi. n. neque ad pia opera testari possunt ex Panor. in rub.de testamentis.

2 Tota verò huius rei ambiguitas in eo versatur, an Religiosus cum priuilegio,siue dispensatione summi Pont. testari possit? Siquidẽ ancipiti marte à doctoribus hic decertatur. Quidam.n.adeò trepidãt,vt hoc negotium sommo Pont.dirimẽdum relinquant. Alij verò nõ posse, affirmant: quoniam vt censent, Papa non potest eum absoluere à voto substantiali paupertatis ex fine capituli, cùm ad monasteriũ, de stat.Monac. Alij verò opinãtur posse quidẽ,sed propter aliquã magnã causam.Hi.n.assentiri vidẽtur cõmuni opinioni Iurisperitorũ,quæ habet,posse Romanũ Põtificẽ, ipsum Religiosum à voto paupertatis absoluere ex magna causa. Couarrubias quidem loco citato sentit, solitum esse Romanum Pont.concedere Monachis ius testandi,ita vt modica quantitas eorum testamento distribuatur, etiam ad hoc accedente Prælati Monachorum consensu:sicuti asserit Io.Staphilæus de litteris grat.& iustit.fol.188.col.1.potest. n.Papa licentiam testandi Religiosis concedere, ad quam rem corroborandam adducit magnam doctorum congeriem.Huius verò egregij doctoris ratio est, quòd Papa potest Monachum à voto continentiæ eximere propria dispensatione, ergo etiã à voto paupertatis. Semper.n.in his votis auctoritas Romani Pont.excepta cẽsetur. At verò hanc rationem explodimus nos, qui semel D. Thomæ, aliorumq; grauissimorum Theologorum sententiã recepimus,quæ asserit,votum religionis esse indispensabile,quod quidem tria includit vota. Cùm ergo teneamus, posse ex Romani Pont. dispensatione Religiosum testari,alia nobis via quærenda est.

3 Secunda conclusio; vtriq; plurimum errauerunt, existimantes esse necessarium euellere à Monacho monachatum, & reddere eum secularẽ,vt ei priuilegium testandi præstari possit. Quoniam sat est efficere,vt quemadmodum potest,monachatum non relinquendo, aliquorum bonorum, & eorum redditũum liberam habere administrationem,vt de illis per contractus inter viuos possit disponere. Ita etiam habeat liberam facultatem, vt in vltima volũtate de eisdem bonis disponat,quam quidem facultatem tametsi Religioso cõcedere non potest Abbas,neque alius præter Papam: potest tamen Papa ei facilè eã concedere,licet eum à voto paupertatis non absoluat. Hoc. n.non est Monachum alicuius rei dominum facere: sed solùm efficere eum executorem, atq; dispensatorem, qualis esse potest Religiosus cap.2.de

testamentis

testamẽtis lib. 6. nisi fuerit Ordinis Minorum Clem. Exiui. §. proinde. Et. §. verum. de verb. signifi. Quales quotidie fiunt à testatoribus, & illo munere sanctè vtuntur, nec ob id voto paupertatis contraueniunt.

4 Tertia conclusio; quantùm ad hanc rem attinet, quadruplices sunt Religiosi: quidam. n. sunt beneficiarij; alij sunt simplices Religiosi, qui in conuentibus perfectæ cõmunitatis resident, & nullam rem secularem habent propriam, separatam, aut peculiarem. Alij sunt, qui beneficia quidem non habent, sed neque in perfecta communitate viuunt. Imò habent cum Superiorum licentia certam quantitatem panis, vini, pecuniæ, ac aliarum rerum victui suo necessariarũ, vt si quid eis desit, id aliundè quærant; si quid verò superest, sibĩ & suis necessitatibus obseruent. Alij denique sunt cum licentia summi Pontificis, aliauè sufficienti, extra monasteria degẽtes, hi quidem his bonis aluntur, quæ industria sua, labore, aut eleemosynis quæritant; quorum nihil reddunt suis monasterijs, neque ab eis quicquam recipiunt.

5 Quarta cõclusio; summus Pont. huiusmodi priuilegium primis, hoc est, beneficiarijs Religiosis quotidie concedere solitus est. Quoniã nihil incommodi monasterio; neque beneficio infertur, eo quòd ipse ea quæ in vita donare potest, in morte relinquat. Imò ex hoc sæpè monasterio commodum euenit: quoniam aliquot nõ donant in vita, & parcius viuẽdo quærunt, quæ iuxta suum priuilegium in morte relinquãt, quod minimè fecissent, si id priuilegij à Papa nõ habuissent. Postea verò decedunt intestati, & succedit eis monasterium, vel suũ beneficium.

6 Quinta cõclusio; secundis, hoc est simplicibus Religiosis, qui in perfecta communitate degunt, facultatem hanc testandi Papa minimè dare consueuit. Non quia concedendo hanc facultatem videatur eos bonorum proprietarios facere, sed quia non habẽt, neque habuerunt vnquam in vita rem aliquam, vel in proprietate, vel in administratione: & non decet, vt quis disponat in morte de his bonis, in quibus in vita, neq; proprietatem, neq; possessionẽ, neq; administrationẽ vllã habuit.

7 Sexta conclusio, tertiæ speciei Religiosis consueuit Papa huiusmodi facultatem concedere: quia hoc nihil aliud est, quàm administrationem bonorum prorogare, vt quemadmodũ habent eam in vita de Superiorum licẽtia expressa, vel tacita, ita quoq; habeant tẽpore mortis.

8 Septima conclusio; quartis eadem quoque ratione, qua tertijs, & maiori testandi facultatem concedere solet summus Pontifex: quia licèt bona, quæ vtrique habent, monasterij sunt quo ad proprietatem, & possessionem cap. 2. de testamẽtis, tamen ea quæ tertij habẽt, quærunt è bonis eiusdem monasterij, cui subsunt, parcius viuendo; quarti verò ex alijs bonis, atque alijs modis. Hactenus Azpilcueta.

At verò

At verò nulla ratione silentio, dissimulationeuè prætereundus est ille tertius Religiosorum status, qui in perfecta cõmunitate nõ viuunt. eum.n. statum dimidiatę, truncatæq; communitatis damnãdum esse censemus ex ijs, quæ longa trium quatuoruè Capitum disputatione lib. 1. pertractauimus; quibus abundè hunc statũ, certas, separatasq; portiones, & quantitates admittentem, confutatum esse nobis suademus. Perlegat igitur, atq; diligenter euoluat Regularis Canonicus tractatulum contra proprietarios Regulæ Augustini à Cãcellario Parisiensi, siue alio viro docto conscriptum, & Humbertum in Regulam Augustini pluribus locis. Excutiat quoque Conc. Trid. 1. & 2. cap. decreti de Regularibus, quod exactè obseruanda esse præcipit vniuersa, quæ ad communem vitam, victum, & vestitum conseruãda pertinent. Easdem certas, diuisasq; portiones, & quantitates, pẽsiones, siue assignationes manifestè dãnauit, & reuocauit, & pro reuocatis haberi voluit, & eas fieri deinceps prohibuit Bened. 12. in Constitutionibus Canon. Reg. tit. de victualibus, & alijs ministrandis. Eadem prorsus statuit vetanda, & reuocanda idem Bened. in Constitutionibus Monachorum nigrorum cap. 17. cui titulus est, ne victualia in pecunia ministrentur. Venerãdus autẽ Mart. Azpilcueta sola assertione, aut potius recitatione contentus fuit, ad constituendum illum tertium statum à vera Religione longè abhorrẽtem. Nam quod asserit, illum suffulciri Superiorum licentia, & facultate, eaq; expressa, aut certè tacita, his sanè verbis imbecillitatem illustratus satis profitetur, & monstrat. Quis.n. Religiosarũ rerum peritus ambigat, huiusmodi facultatem, siue licentiam in re tanti ponderis, & quantitatis, grauitatisq; ab Abbate, alioue Prælato concedi non posse? Quid etiã hac in re possit Regularis Prælatus, loco citato etiam nos discussimus. Vereor equidem, ne his opinionibus semel auditis, & susceptis, ad dissoluendam, funditusq; labefactandam Religionem latissima aperiatur, pateatq; via. Huiusmodi igitur abusus reuincuntur in fine capitis, cùm ad monasteriũ. de stat. Monach. cùm scribitur. Nec æstimet Abbas, quòd super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeò est annexa regulæ monachali, vt contra eam nec summus Pont. possit licentiam indulgere. Audi exaggerationem, audi Abbatis, & summi Pontificis comparationem. Expende quorundam Prælatorum Regularium suæ opinionis dissuasionem. Adde etiam à Concilio Tridentino fuisse declaratam his in rebus curtam Regularium Prælatorũ potestatem, dum loco citato ait, cùm compertum sit ab eis non posse ea, quæ ad substantiã regularis vitæ pertinẽt relaxari. Si.n. illa quæ bases

sunt,& fundamenta totius regularis disciplinæ,exactè nō fuerint conseruata;totum corruat ædificium necesse est. Perfecta itaq; communitas in quocunq; monasterio ritè, recteq; instituto custodienda est.

10 Pro auctario autem huius negotij non ab re fuerit huc adducere, quæ Dom. Sotus lib. 10. de Iust. & Iure. q. 5. art. 7. de Monachis Episcopis annotauit. Eadem.n. consideratio Canonicis etiam Regularibus suo gradu inseruitura est. Neque verò,inquit, D. Tho, quantū ad hæc bona ecclesiastica aliā paupertatē tribuit Religiosis Episcopis, quàm reliquis. At quoniam semper habuit oculum ad illud tempus,quo Clerici in communi viuebant,propterea simpliciter ait, Monachum factū Episcopum,non absolui à paupertatis votò. Dicendum ergo sub peritorum censura,quòd sicut obedientia Monachi,dum fit Episcopus,sic mutatur, vt soli sit Papæ subditus; ita & eius mutatur paupertas, vt decimarum portio, reliquaq; Episcopalia bona illi, sicuti & reliquis Episcopis adiudicentur, ad se & paupetes alendos. Quantum ad aliud verò bonorum genus,videlicet secularium, dubitari non potest, quin etiam paupertatis votum quadamtenus ei mutetur. Ex cap. statutū 18. q. 1. Quia ipsum electio Canonica à iugo Regulæ monasticæ Religionis absoluit,& sacra ordinatio de Monacho Episcopū fecit. Quin verò si vsum iam receptissimum consulas, Papa cum Episcopis Monachis nonnunquàm dispensat, vt secularia bona emant, quæ postea quibus velint,relinquāt;qui quidē mos,si legitimus est,profectò ostēdit,non esse tā indispensabile paupertatis votum, quàm continentiæ, aut obediētiæ. Dubitatio tn̄ oritur ex cap. statutū,nunc citato, cui nā post Episcopi mortē hæreditas paterna obueniat? Monasterio ne an Episcopali Ecclesiæ? Verba quippe capituli obscura sūt,nihil.n. aliud explicant, quàm ꝙ quæ Monachus acquisierat,monasterio relinquat, quæ verò factus Episcopus acquisiuerit, ad altare,ad quod sanctificatus est,restituat. Sensus ergo istorum verborum est, quem vsus declarat:nēpe quòd ea,quæ Episcopus in seculo acquisierat,monasterio relinquat. Quæ verò Episcopus factus adiecit, relinquat Episcopali Ecclesię. Bona verò Religiosorum,qui titulares Episcopi fiunt,quia sedē non habent, licet acquisita eis sint in Episcopatu, monasterijs obueniunt. Postremò & illud sciendum excitato Azpilcueta q. 3. corol. 1. quòd summus Pont. per suos collectores in Hispania, accipit omnia bona Episcoporum,quæ de redditibus Ecclesiasticis tempore mortis relinquunt, omnibus relictis testamentis. Quòd iure quidem fit,licet ea omnia in opera pia relinquerēt. Et textu singulari in cap. quia Ioānes 12. q. 5. Imò quod maius est, summorum Pontificum testamenta à successoribus suis nō recipiūtur, quo ad redditus Ecclesiasticos,quā

do saltem ad alios, quàm pios vsus relinquunt. Quin omnia prædicta bona deferuntur ad eum, quem Camarlengum vocant, cuius officium morte summi Pontificis non finitur.

11 Rem igitur propositam absoluẽtes, omnes Prælatos Regulares admonitos esse volumus, vt vigilãter circunspiciãt, ne sui Canonici morti vicini, testamenta condant, nec schedulas conscribant, nec demũ aliquam dispositionem quacũque arte excogitatam, atque compositam conficiant, in quibus suam voluntatem testentur, vel quacũque ratione declarent, vt iuxta eam bona, quæ relinquant, quantulacunque illa sint, distribuantur. Hæc enim omnia figmenta, testamenti speciem, vt minimum in se continent.

12 Prætermissa ergo, relictaq; hominibus secularibus conficiendorũ testamentorum cura, & facultate, reliquum est, vt iugi mortis cogitatione occupati viri Religiosi, testamentorum loco ad mortem salutarem summo studio sese accingant, ac præparent. Qui enim vitæ præsentis longitudinem non ex suo spatio, sed ex eius fine, atomiq; puncto considerat, quàm sit breuis, & misera satis vtiliter intelliget, suis. n. incrementis paulatim deficit. Ad mortis consideratiõẽ S. Basilius nos exhortatur, sic dicẽs; Semper ante oculos tuos versetur vltimus dies, cùm diluculo surrexeris, ne ad vesperam confidas peruenire, & cùm quiescens in lectulo membra collocaueris, de lucis ne confidas aduentu, & facillimè poteris liberari ab omnibus vitijs; mirum in modũ bonis operibus exercetur, qui siue comedat, siue dormiat, siue aliud quid agat, in cunctis quæ agit semper extremum diem secum cogitat. Nam quantum prosit ad mentis puritatem, & omnium peccatorum abrenunciationem frequens meditatio mortis, Sapiens in Eccles. cap. 7. præmonuit dicens; In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Nam mortis futuræ cogitatio, timorem inducit, timor verò mentem necessariò concutit, & quasi clauus malleo impulsus, omnes carnis motus superbæ ligno crucis affigit. Qui. n. semper diuinæ formidinis pondus aspicit, eius cordis faciem caligo peccati non operit. Proinde reminiscamur mortis nostræ, quã nullo cõsilio poterimus euadere. Quotidie. n. morimur, cõmutamur. Quotidie demitur aliqua pars vitę, & tunc quoq; cũ crescimus, vita decrescit; atq; hunc quẽ agimus diem, cũ morte diuidimus. Hoc ipsum ꝙ nũc agere tẽto, de vita mea tollitur. Hinc præclarè canit ille, Tẽpora labuntur, tacitisq; senescimus annis. Prętereũt anni more fluẽtis aquę.

13 Si quis verò interroget, vtrum ne bonum morale sit mors, an malum; respondebimus cum Lactan. Firm. lib. 3. diuinarum institutionũ, qualitatem eius ex vitæ ratione pendere. Sicut ipsa vita bonum est, si

cum

cum virtute viuatur,malum,si cum scelere;sic & mors ex præteritis vitæ actibus perpendéda est.Ita fit,vt si vita in Dei Religione transacta sit,mors malum non sit, quia translatio est ad immortalitatem; si aliter,malum sit necesse est,quoniam ad æterna supplicia transmittit. Vnde illi tantum in morte verè deplorandi sunt, quos miser infernus ex hac vita recipit;non quos cœlestis aula Christi lętificãdos includit;bona est mors iusti propter requiem,melior propter nouitatem, optima propter securitatem. At contra,mors peccatorum pessima: mala siquidem est in mũdi amissione,peior in carnis separatione, pessima in vermis, ignisq; duplici contritione. Quã ob rẽ hi, quorũ animus sincera fide,perfectaq; Charitate præditus est,non exhorrent mortem tanquam malum,& parum,aut nihil pauent ad ingressum eius,certissimè hoc sibi persuadentes,obdormitionem esse in domino, & animæ à corpore non perpetuam,sed temporariam, ac breuissimam seiunctionẽ. At impij, quibus gratior est pecunia, quàm virtus; quibus suauior est hinnitus meretricius,quàm psalmus,& vt in summa dicam, qui terrena sapiunt,hi ad solam mortis memoriam pallent,& expauescunt, qui semper viuere vellent,vt semper peccarent. Iustum est igitur, vt nunquam careant supplicio,qui nunquàm voluerunt carere peccato. Curandũ est ergo,vt benè viuendi studio,malorũ vltricia tormenta fugiamus:quia nec opes,nec rõ,nec sapientia, nec sciẽtia erit apud inferos.

14 Sanè si bonæ mentis simus compotes, hæc sola propemodum sufficit regula ad piè,& sanctè moriendum;honestam,inquam, agere vitã, & probos amplecti mores, iustitiam in vita studiosè colere, sacris lectionibus vacare,cœlestia verba meditari, in æternitatis amore se accẽdere,de terrenis rebus secundũ vires bona opera agere, & regnum perpetuum in eorum remuneratione sperare.Sic.n.viuere,iam in æternitatis vita partem est habere;raro.n.malè moritur,qui bene vixit; & vix benè moritur,qui malè vixit. Mala nanque mors putanda non est, vt diuus asserit Aug.quam bona vita præcessit.Quare tutissimum est, vt quicquid boni in extremo discessu nos fecisse vellemus, id modo sani incipiamus. Nam ad mortẽ vsque illud protrahere, & periculosum nimis est,& stultum.Hinc Eccles.5.legimus;Ne tardes conuerti ad dominum, & ne differas de die in diem. Vacuus quidem dierum ille est, qui,& quamlibet multum vixerit,ætatis suæ tempora in vanitate contriuit,subito diues ille stultus Luc.12.cap.raptus est, qui horrea, quæ præparabat,deseruit,& inferni locum, quem non præuidebat,inuenit. Proinde remedia emendatioris vitæ, nullis sunt cunctationibus differenda, ne tempus conuersionis pereat tarditate, cum iam nulla dilatio concedetur pœnitendi. Qui.n.Pœnitenti indulgentiam promisit,

diem crastinum non spopondit. Spes vitæ longioris miserabiliter quàmplurimos fefellit.

15 Sæpè quidem nocuit distulisse bonum in tempus futurum, quod fieri citius potuisset, satisq; alienus à fide est, qui ad agendam pœnitentiam tempus senectutis expectat. Nam qui tunc pœnitentiã vult agere, quando amplius non potest peccare, peccata profectò illum dimiserunt, sed non ipse peccata deseruit. Quisquis.n. pœnitentiæ fructus differre vsque ad senectutem, aut mortis horam non metuit, ipse sibi testis est, quòd pœnitere veraciter nunquàm in eius mente fuit. Latet vltimus dies, vt obseruentur omnes dies. Nescis qua hora veniat, & idcirco semper vigila, vt quod nescis quando veniat, paratũ te inueniat, cùm venerit, semperq; paratus sis, iuxta illud Gregorij lib. 21. mor. cap. 20. Ad hoc conditor noster latere nos voluit finẽ nostrum, diemq; nostræ mortis esse incognitum; vt dum semper ignoratur, semper proximus esse credatur, & tãtò quisque sit feruentior in operatione, quantò magis incertus est de vocatione. Sic.n. mors ipsa cùm venerit, vincetur, si priusquam veniat, semper timeatur. Perfecta.n. est mortis imitatio, quã dum virtutis candidati solicitè peragunt, culparum laqueos euadunt, quoniam eorum mentes mortis timore tenentur.

16 Hoc igitur tempore acceptabili ira Dei ante iudicium præcibus est placanda. Necesse est.n. authore Gregorio, nunc timere iudicem, cùm nec dum iudicium exercet, cùm diu mala sustinet, cùm adhuc mala tolerat, quæ videt; ne cùm semel manum in retributione vltionis excusserit, tantò districtius in iudicio feriat, quantò ante iudicium diutius expectat, quoniam quo tardius iudex venit, eo seuerius percutit. Hinc cautos, & vigiles, ac prouidos ad mortis, & extremi iudicij aduentum reddere nos volens, sæpius auribus nostris inculcat, dicens; Videte, vigilate, & orate, nescitis.n. quando tempus sit; & iterum; Orate, ne fiat fuga vestra hyeme, vel sabbato Marc. 13. & Matth. 24. Ac si diceret; Videte, ne tunc quæratis peccata vestra fugere, quando iam non licet ambulare. Appropinquantem itaque incertum æterni iudicis diem, solicita mente semper conspiciamus, & terrorem ipsius pœnitendo præueniamus, delictorum omnium maculas fletibus lauemus, iram æternam imminentem caueamus. Certè si aliquis nostrum cum suo aduersario causam dicturus in iudicio die crastino esset exhibendus; totam fortasse noctem, insomnem duceret, secum cogitans, quid sibi dici posset, quid obiectionibus responderet, secumq; alia huiusmodi solicita, & æstuante mente versaret, ne iudicem inueniret asperum, vehementer metueret; ne apud eum appareret noxius, formidaret; & quis, aut quid iudex? nimirum non longè post futurus post hominem vermis,

atq; post


atq; post vermem puluis. Si ergo tanta cura pertimescitur iudicium pulueris,qua intentione cogitandum est, qua formidine prouidendũ, tantæ iudicium maiestatis? Expende itaque ante conspectum tanti iudicis,quis in illo die terror erit,quando iam in pœna remedium non erit. Quæ illa confusio,in conuentu omnium angelorum,hominumq; erubescere. De vnoquoque enim dicetur; Ecce homo, & opera eius. Si peccatum miseri hominis esset atramento scriptum, forsitan illud deleret; nunc autem scriptum erit stilo ferreo in vngue adamantino; quadam enim virtute diuina fiet,teste Bernardo, vt vnusquisque opera sua bona, vel mala cuncta in memoriam reducat; & mentis intuitu mira celeritate cernat; vt accuset, vel excuset scientia conscientiam, atque ita simul,& omnes,& singuli iudicentur. Iudicium faciet gestorum quisque suorum, cunctaq; cunctorum cunctis arcana patebunt. Quod enim nunc confiteri erubescimus, tunc omnibus manifestabitur;& quicquid hic dissimulando palpamus,totum ibi vindex flamma comburet. Ignis vbiq; ferox ruptis regnabit habenis. Has quidem cogitationes diebus, ac noctibus qui euoluerit, in ipsis medullis consumetur,continuatisq; suspirijs tabescens,carne,ac toto corpore liquescet, laxioris vitæ libertatem in monastica Religione amplius non desideraturus. Hęc omnia à viro Religioso testamẽti vice, ad salutarem mortem se præparante, diligenti mentis acie, & maturitate tractanda sunt.

FINIS LIBRI PRIMI.

ORDINIS

ORDINIS CANONICORVM REGVLARIVM ELVCIDATI, LIBER SECVNDVS.

L. Ioanne Trullo Aragonio Authore.



De custodia ianuæ, & claustri Monasterij. Cap. j.

1 ERSTRINXIMVS superiori libro ea, quæ generalia Ordinis Regularis esse videbantur. Nunc verò ad particulariora descendentes, de principalioribus monasterij partibus; deinde verò de eius ministris, atq; Prælato sumus (Deo duce) pertractaturi. Prima autem occurrit ipsa monasterij ianua; quam vel ipse philosophorum princeps, Aristoteles diligenter in singulis domibus custodiendam esse docuit lib. 1. œconomicorum cap. 6. vbi ait; Nunquàm incustoditam esse domum decet, quemadmodũ nec vrbẽ. Videtur quoq; in magnis domibus vtilis esse ianitor, qui sit ad cetera inhabilis, pro obseruatione exportatorum, importatorumq;. Hæc Aristoteles. Nam si fores omnibus absque delectu pateant quàm plurima profectò incommoda in ipsam domum inferes. Qua de re Conc. Aquisgranense sub Ludouico Imperatore primo sic statuit cap. 117. 143. & 144. Præpositorum officij est, vt subditorum mentes sanctarũ scripturarum lectionibus asiduè muniant, ne lupus inuisibilis aditum inueniat, qui ouile domini ingredi, & aliquam ouium subripere valeat. Et quanquam ab his hoc instantissimè spiritualiter fieri oporteat; necesse est tamen, vt claustra, quo Clero sibi commisso canonicè viuendũ est, firmis vndique descendent munitionibus, vt nulli omnino intrandi, aut exeundi, nisi per portam pateat aditus. Sint etiam interius dormitoria, refectoria, cellaria, & ceteræ habitationes, vsibus fratrum in vna societate viuentium necessariæ. Qui verò hæc, quæ præmissa sunt, iuxta quod possibilitas suppetit, agere renuerit, minus idoneus ad ce-

tera Ecclesiastica officia peragenda habendus est, & quanquam diuina vltione sit dignus, synodali tamen sententia est feriendus. Eligatur necesse est à Prælato ex congregatione sibi commissa frater probabilis vitæ, cuius officij sit, portam Canonicorum cum summa obediētia, & humilitate competenti tempore claudere, ac reserare; vt nulli per eam, nisi per licentiam aditus pateat intrandi, aut exeundi; cui etiam obseruandum est, ne quibus cordi est, plus otijs vacare, quàm diuinis obsequijs incubare, foras euagandi locum præbeat; & eorum nugarũ, quod nephas est, particeps fiat. Debét præterea aduenientes quosque cum Charitate suscipere, & Priori aduentum eorum, causamq; nunciare. Expleto nanq; vespertino, & completorio officio, obseratisq; portis, claues earum idem portarius ei, qui vicem Prælati tenet ferat, vt nulli horis incompetentibus intrandi, aut exeundi maneat facultas. Quas etiam ab eodem in crastinum tempore accipiat constituto. Si verò inobediens, atq; proteruus idem repertus fuerit portarius, sicut de alijs ministris negligentibus superius dictum est, iudicetur.

2 Oportet claustra Canonicorum ita diligenter custodiri, vt grex dominicus fraterna concorditer fruatur pace. Et si quemlibet Prælatus, aut qui eius vice fungitur, aut fortè quilibet alius spiritualis frater intra claustra quippiam inhonestè agētem, aut extra in biuijs, aut in plateis otio, vanisq; confabulationibus vacantem repererit: primò secreta admonitione eum corripiat, & post, si necesse fuerit, coram fratribus idem negligens acrius iudicetur, vt deinceps emendatus in melius proficiat. Fœminis nanque non solùm in mansionibus, & claustris Canonicorum prandendum, aut requiescendum non est: quin potius nec eo intrandi, excepto in ecclesiam, vltra tribuenda facultas: quia valdè hoc à sanctis patribus legitur inhibitum. Qui verò secus, quàm præmissum est, agere tentauerit, ita seueriter à Prælatis, & magistris corrigatur, vt ceteris, ne quid tale agere pertentēt, exemplo correptionis sibi inflictæ, terrorem incutiat.

3 Item D. Benedictus in sua Regula tit. de ostiarijs monasterij sic præcipit. Ad portam monasterij ponatur senex sapiens, qui sciat accipere responsum, & reddere: cuius maturitas eum non finat vagari. Qui portarius cellam debet habere iuxta portam, vt venientes semper præsentem inueniant, à quo responsum accipiant. Et mox vt aliquis pulsauerit, aut pauper clamauerit, Deo gratias respondeat, aut benedicat. Et cum omni mansuetudine timoris Dei reddat responsum festinanter, cum feruore Charitatis.

4 De munere autem Ianitoris hæc tradi solent documenta. Primum, conuenit Ianitorem esse senem, sapiētem, cuius maturitas, siue, vt Aristoteles,

ſtoteles inquit,ad cetera inhabilitas, eum non ſinat vagari. Secundũ, vt domicilium,ſiue domunculam propè ianuam habeat, vt facilè pulſantibus reſpondeat. Tertium, Ianitori ſeni ſubianitor, vel ſubportarius adiungatur, qui eum in illo munere obeundo diligenter adiuuet, Hæc tria ex D.Benedicto deſumuntur. Quartum ,Ianitor neminem in monaſterium introducat abſq; Abbatis ſcientia,& facultate.Sed pulſantem in veſtibulo conſedere faciat,donec eius aduentum Abbas reſciat,& quid ſit agendum,decernat. Quintum,cùm Horæ diuinæ in Eccleſia celebrātur,neminem ingredi domum ſinat; nec quempiam Religioſum è choro euocet,ſed pulſantem admoneat, minimè licere cuiquam ſe vocantem alloqui. Proinde ſibi expectandum eſſe,donec Horæ finiantur. Quam rem prudenter explicuit Baſilius in regulis breuioribus interrogatione 173. dicens; Nunquid tempore domeſticæ pſalmorum modulationis,colloquijs vllis dandus ſit locus? Reſpõſio. Iis exceptis,quibus tuendæ diſciplinæ procuratio credita eſt, & operũ dilata diſtributio. Et hoc ipſum, cùm maxima aliqua vſus alicuius neceſsitas poſcat,& neq; tunc inconſideratè, ſed habita ratione loci, ordinis dignitatis, & vtilitatis cuiuſq;. Reliquis omnibus neceſſarium ſilentium eſt. Sextum,hoſpitalitatis ratio exigit, vt portarius apud ſe panes habeat,quos per tranſeũtibus hilari fronte diſtribuat, & impartiatur.Septimum,non decet Ianitorem, dũ ad ianuam pulſantes præſtolatur,ignauum eſſe, & otioſum, quare alicui rei vtili, vt lectioni, & orationi, aut opuſculo mechanico incumbat. Hæc accipiuntur ex libro vſuum Ciſtercięſis Ordinis cap. 220.Octauum, abuſus à Religioſis cenſeri ſolet hoſpitem,aut nuncium in domum admittere, qui aliquid nouarum rerum adferat,eaſq; Religioſis renunciet;qui.n.nouarũ rerum nuncia in monaſterium adferunt, mũdum ipſum in monaſteriũ vtcunque important,Religioſoſq; cogunt,aut certè incitant,vt rerum mundanarum, quas obliuioni tradere eis conueniebat, denuò recordentur;ij ſanè nihil aliud quàm monaſterij,Religioſorumq; iacturam, & detrimentum curant: quoniam in ipſam Religionis nauim aquam maris huius mundi immittere conantur.

5 Nonum,ſed multò deterior eſt abuſus ille à quibuſdam ſacræ Theologiæ magiſtris notatus, monaſteriorum eneruationem referentibus. Portæ, inquiunt, monaſterij patent apertæ à mane vſq; ad veſperam, ne dum viris,ſed & mulieribus iuuenibus,ſenibus, atq; mediocris ætatis. Imò etiam gladiatoribus,& nebulonibus,alijſq; id genus hominibus,qui penetralia domus perſcrutãtes,poſtea foras egreſsi, Religioſorum mores apud populum manifeſtant,& traducunt.

6 Decimum deterrimus autem omnium eſt abuſus ille, quòd ſinguli

Canonici Regulares extra monasterium,aut in monasterij vicinia domunculas habeant,ac propria domicilia. Sic.n. domum Dei in speluncas dilacerãt,atq; dissecant. D.enim Augus.præcepta Regulæ suæ tradens,inquit; Hæc igitur sunt,quæ vt obseruetis præcipimus, in monasterio constituti. Primum,propter quod in vnum estis congregati, vt vnanimes habitetis in domo domini. Vna igitur domo cuncti Canonici concludendi sunt;nec extra monasterij claustrum habitantes,ratione vlla ferendi sunt. Hac.n.de causa Canonicorum domum D. Aug.in regula octies monasterium appellat. Est autem monasteriũ ipsis Religiosis quasi carcer,vt inquit glossa in cap.cùm singula. De præbẽdis in 6.in verbo Auferẽda;& Eugenius Papa 16.q.1.cap. Placuit,inquit, sit Religiosus claustro suo cõtentus:quia sicut piscis sine aqua caret vita,ita sine monasterio Monachus. Sed & Chrisostomus definiuit monasterium,luctus domum,& certissimam lachrymarum sedem. Assumit n.cœnobita officium plangentis peccata. Hactenus de custodia ianuę.

De septem Custodijs claustri animæ. Cap. ij.

1 HAbet etiam & suum spirituale claustrum Religiosi viri anima, quod quidẽ summo studio custodiẽdũ est septẽ adhibitis custodijs. Si in domo domini tertij Esdræ cap. 7.per singulas ianuas ostiarij constituebantur, ad nostram quoque animæ tuendam domum vigiles ostiarios constitui nostra interest. Plurimum quidem vera sanctitas elucescit, longè,lateq; radios diffundit; tametsi ipsa se ex humilitate velit, quàm maximè tectam. Priscorum eremi cultorum sanctitatis odore multi attrahebantur, neque itineris difficultati,& asperitati parcebant. Indicium est igitur perfectionis à multis, & per epistolas,& coram Religiosum inuisi,non quidem terrenæ sapiẽtiæ magnitudine, scientiæve curiositate, vel mirabilium nouitate; sed solùm gratia edocendæ viæ Christi crucifixi: ad propriæ volũtatis abdicationem,& ad euellẽdam omnem inordinatam affectionem. Quare si ab hominibus frequenteris,respice,vt sis immobilis tam ad dolorem,quàm ad gaudium,nec te delectent laudes, vel blanditiæ. Primũ itaq; oris, atq; verborum aduersus loquacitatem custodia tibi tenenda est. Quemadmodum.n.in domum,cui nulla est custodia adhibita, quæ porta,aut ostio non est conclusa,sine delectu quilibet ingreditur, atq; egreditur,facileq; ventus quilibet introgreditur, & efflat: ita stulti,& peruersi, quibus non est linguæ custodia, neque ostium labia circunstans,absque delectu,atque iudicio proferunt quicquid in buccam venerit,& quicquid libuerit. Et quomodo ciuitatem,aut domum, quæ custodia adhibita seruatur,ostio quoque, & porta concluditur, nisi cũ discre-

discretione,& iudicio egredi, vel introire nemo potest, ita p os bonorum non egrediuntur,nisi quæ secundum iudicium,& rationis examē, vera,bona,atque vtilia probata fuerint. Vnde & vulgo dici solent homines ori frenum imponere,aut seram adhibere;cùm nō nisi probos, & bene meditatos sermones loqui proponunt, neque absque discrimine inutilia profundunt. Eam ob rem rex Dauid.psal. 140.Deum precatur dicens; Pone domine custodiam ori meo, & ostium circunstātiæ labijs meis. Non declines cor meum in verba malitiæ. Proinde si fortassis ad collocutionis locum vocatus fueris,si quidem libens eo,& cū animi voluptate accedas,est sanè quod doleas; quippe qui plus adhuc carni viuas,quàm spiritui,plus mundo quàm Deo ; quando autem ad collocutionis sedilia iturus es,neque nimium te, habitumq; tuum coles,ac apparabis;nec etiam plus satis abijcies, sed mediocritatem obseruabis,Cumq; iam illuc ventum erit, fixis humi oculis in nullius intēdas vultum,nec quenquam te considerare finas, modo id vitare possis, maximè verò aspectum caueas fœminarum . Eos qui te inuisunt, breuibus,ijsq; simplicibus salutes verbis.Si religiosi,aut spiritales sūt, ora eos,vt boni quippiam tibi referant, vnde possis effici melior, vtq; in votis tuis,atque cœnobio,cui inclusus es,ad extremum vsque spiritum persistere queas. Si seculares sunt,& mundani,cautius attēde, nē quid ex tuo proficiscatur ore,quod carpi ab illis possit,aut eis offendiculo esse:tamq; sedeas procul,vt qui te inuisunt,& te dicentem audire, & abs te audiri queant.Aut nihil,aut pauca de amicis,neque cognatis, nec de vlla re mundana sciscíteris. Si quis ex te quicquam percontetur,quod tibi constet,respondeas quàm poteris breuissimis,ac apertissimis verbis. Sin verò id interroget quispiam quod ipse nescias, nihil verearis,nec te pudeat illi fateri,eius te inscium esse. Quod si cupiant quidam audire ex te,vnde corrigantur,vituperes apud eos peccata,& commendes,ac prædices virtutes,& iustitiam, terreas eos pœnis tartareis,ac consoleris Dei misericordia, proponasq; illis immanitatem, ac horrorem dæmonum,& tormentorum inferni,itemq; gloriam,& lętitiam Angelorum,& Sanctorum,cum Deo in ęterna degentium vita, & beatitudine. Adiungesq; exempla his rebus apposita,& accommodata,sic fiet,vt arguantur ipsi,& instituantur,perterreantur,& consolationem accipiant in ijs omnibus,quæ sibi necessaria sunt.Nihil à quoquam exigas, aut petas, neque sine Superioris permissu quicquā des, vel accipias,& à cunctis hominibus,& erga eos occurentibus occupationibus,& collocutionibus, vt primùm poteris te expedias, ad tuāq; cum Deo vnitatem, & solitudinem reuertaris. Si.n.te delectat fabulari, & cum aduentantibus colloqui,rumusculosq; mundanos percipe-

re,indies obtenebraberis,rudiorq; fies,& peregrinis cogitationibus, atque id genus alijs innumeris vitijs abundabis.

2 Secunda est corporis custodia, cui videlicet corpus per gratiam ex amore,& libera voluntate,ac sponte includitur,quando tecum ipse cō stituisti,proposuisti, Deoq; pollicitus es,omnes vitæ tuæ dies absq; im mutatione eo te in loco permāsurum in obsequio,ac cultu Dei,in quo nunc agis,& perseueras. Quare,decet,te inutiles discursus, infrugiferamq; diuagationem fugere; in tua sacra domo pedem siste, quæ aduersus tuorum hostium incursus,& oppugnationes tutissimum est pro pugnaculum,foris autem discurrens,caue ne truculentissimis dæmonibus præda fias.

3 Tertia est sensuum custodia, vbi externus sensitiuus homo in interno rationali homine includitur,ita vt sensitiua portio Rationis semper imperio,non secus,quàm ancilla dominæ suæ subdita sit,atq; morigera. Etenim Ratio,custodia, & conclaue tuū erit, in quo demoraberis, quodq; Charitate,sanctis exercitijs,cunctis tum corporalibus,tum spiritualibus virtutibus munies,& exornabis. Sunt autem custodiæ, vel conclauis huius quinq; ianuæ, quæ sunt sensus quinq;, quas Deus Rationis curæ,ac solicitudini commisit,vt eos à cunctis seruet,ac tueatur hostibus. Tametsi verò sensus isti ad externum hominem pertineant, non potest tamen eos moderari,ac regere,cum sit ipse stolidus, ac fatuus,& sensibus consentiens. Ob idq; cum omnibus ad se pertinentibus meritò interioris hominis imperio subiacebit.Si.n.ex aliqua harū quinque portarum absque Rationis vigilanti permissu foras progreditur,peccatum admittit,dum suæ naturæ propensiones,& oblectamēta sectatur. Idq; vbi accidit, à Ratione trahendus est intrò, & pro ratione criminis obiurgandus, castigandus, flagellandus, & verberibus est afficiēdus. Si nanque diu foris hæserit,amore,ac voluptate captus, in eandem captiuitatem interiorem hominem secum pertrahet. Tunc verò vterque apostata,vterque stolidus reddetur,custodiamq;,& tranquillum conclaue deperdet, quam hostis tartareus ingressus, eam sibi vendicabit,eoq; malorum peruenietur,quòd & Deus, & virtutes omnes ex animæ regno depellentur, & exturbabuntur. Serua igitur sensuum tuorum custodiam,virtutes colens,& exercens.

4 Quarta claustri spiritualis custodia est Dei Charitas, atque Gratia, quæ nunquàm non patet,nunquàm non recipere parata est, quotquot id appetunt.Quæ proinde accuratè obtinenda,vigilanterq; retinenda est; nihil.n.custodia hæc aliud est, quàm gratia, & charitas domini Iesu. Ea verò obtineri,vel possideri non potest, nisi integrè redamādo. Rumpenda igitur nobis sunt vincula omnia, laquei omnes atterrēdi, cuncta

cuncta tranſcendēda,& curæ,occupationes,ſolicitudines cordis,& om nis inordinatus amor propulſandus,ac repellēdus. Ita enim exuemus nos ipſos,& cum Paulo ad Epheſ.4.deponemus veterem hominem cū actibus ſuis,& induemus nouum,ideſt dominum Ieſum Chriſtum,qui nos ſe ipſo,& vita,gratia,& charitate ſua veſtiet,& induet; Cumq; hoc pacto ſuæ nos charitatis,& deſiderij habitu veſtierit,& nos in illo,& ip ſe in nobis viuet.Hac itaque perpulchra animæ cuſtodia, affectus, vel deſiderium noſtrum modo excellentiſsimo exornatur. Enimuerò domini præceptum eſt,vt ex toto corde,ex tota anima,& ex cunctis viribus,ſiue tota vi affectiua amemus, vbi verò amans cum dilecto in eadem amoris cuſtodia iungitur, ac vnitur,ibi amor perfectus exiſtit.

5 Quinta eſt noſtræ volūtatis cuſtodia; quādo videlicet ex amore propriam voluntatem, omnēq; adeò proprietatem in liberrimā voluntatem Dei reſignamus, & abnegamus,vt iam nihil aliud, niſi quod velit Deus, velle optemus. Tunc.n.libera voluntas noſtra ſponte ſua in voluntate Dei, ceu in cuſtodia quadam, abſque retroceſsione ex amore includitur, atque cingitur, ſiue captiuā tenetur. Hoc ſanè modo in veræ ſanctitatis ordine Deo profeſsionem facimus,qualicunque ſimus tecti habitu,aut quencunque vitæ ſtatum teneamus. Cæterum quamdiu voluntas noſtra volendo, nolendo, nondum eſt diuinæ voluntati conglutinata,cupimuſq; ab illo potius nobis morē geri pro noſtra voluntate, quàm à nobis ipſi pro illius arbitrio, tam diu non poterimus in amore profiteri, ſed tyrunculi permanebimus. Quandoquidem diuinæ Charitatis ignis, æs omne auro admixtum, ideſt omnem amoris noſtri proprietatē,qua nos ipſos ſpectamus, quærimus, nondū exuſſit, nondum abſumpſit. Porrò cùm vſque eo in nobis conualeſcit, & feruet amor,vt amorem vitioſum,& dolorem, metumq; cuiuſcunque rei amittendæ,& ſpem cuiuſlibet lucri acquirendi, & quicquid demum in nobis eſt,in quo nos ipſos ſpectare,vel quærere poſsimus, exurat prorſus,ſuoq; ardore conſumat,iam planè pura, & munda eſt Charitas,atque inſtar annuli aurei, qui cœlo, terra, & rebus omnibus amplior ſit perfecta. Atque hæc cella vinaria eſt, in quam Charitas ſuos electos introducit,quemadmodum in ipſius Canticorum volumine cap. 2. diſcimus. Vbi & cæteræ virtutes omnes ordinantur;Eſtq; hic radix,vita,incrementum, nutrimentum, & conſeruatio virtutum omnium, id autem cum ordine quodam,ac diſcrimine, in honeſtis moribus, cunctiſq; bonis operibus. Attamen Charitas in ea cella permanens, ipſa habet in ſe quicquid appetit,neque.n.extra aliud quærit,aut concupiſcit,nempe Deum habens intra ſe,& in ſuo ad Deum aſcenſu ebria.

6 Sexta eſt noſtri intellectus cuſtodia, in qua nudum intellectum no-

ftrum ſubleuatum, fixum,& ſimplici aſpectu in diuino lumine intentè contemplantem reperimus. Huc quot quot amor perducit, Dei amici ſunt; quippè qui iſthic vitam inueniunt contemplatiuam, in æternum amorem eleuatam. Habentq; intra ſe vitam rationalem gratia, charitate, & ſanctis exercitijs abundantem. Porrò infra ſe vitam obtinent ſenſitiuam, moralem, ad Dei præcepta compoſitam, honeſtis præditã moribus, atq; externis actionibus bonis apud quoſcunq; homines fulgentem. Quæ quidem triplex vita, Contemplatiua, Rationalis, atque Moralis, dũ quaſi vna obtinetur, poſsidetur, exerceturq; vita, ſuo vnaquęque munere fungens, tunc demum perfectus eſt homo. Vtpotè qui ſupra ſe nuda Charitate in diuino lumine Dei coniunctus eſt, & in ſeipſo per gratiam, & benè compoſitas, ordinataſq; virtutes, Dei quandã gerit ſimilitudinem; atque infra ſe per pœnitentiam, & per carnis, ac ſanguinis, omniumq; inordinatarum affectionum contemptum, Chriſto imitatione quadam vtcunq; ſimilis eſt.

7 Septima, imaginis, & ſimilitudinis Dei cuſtodia eſt. Homo ſiquidẽ conditus eſt Geneſ. 1. ſecundum naturam ſuam ad imaginem, & ſimilitudinem Dei. In hac ergo cuſtodia totus reformatur, ac reparatur, recipiens iſthic imaginem, & ſimilitudinem Dei ſupra naturam ſuam in amoris vnione, vbi vnus cum Deo ſpiritus, & vna vita eſt. Ita. n. ait Io. cap. 1. quod factum eſt, in ipſo vita erat. Attamen continenter, ac ſine intermiſsiqne in virtutibus, ac maiori Dei ſimilitudine nos renouemus oportet. Quando non ad imaginem duntaxat, ſed ad ſimilitudinem quoque Dei facti, & conditi ſumus. Et quamdiu amor, deſideriũ, affectus, Rationi illuminatæ obediunt, magna nos actitare opera valemus, & virtutibus, ac ſãctis exercitijs noſtras exercere cuſtodias. Sic nimirum Deo per gratiam, & virtutes intra nos ſimiles, eidemq; per intẽtam ſubleuati ſpiritus noſtri contemplationem vniti eſſe debemus. Qui etiam generoſitatem ſuam primæuam conſiderat, diligẽtius Deo ſeruiet: cauebitq; ſummo ſtudio, ne eandem deturpet impia vita. Nã ſi oculos etiam deflexerit ad miſeriam, in qua nunc ſumus, videbit planè, quòd verè amarum ſit, nos dereliquiſſe Deum. De interioris hominis cuſtodia, per virtutes Cardinales habenda, ſcite diſſerit Hugo de S. Victore lib. 4. de Anima, cap. 13. eum locum Luc. 12. pertractans; Hoc autem ſcitote, quoniam ſi ſciret pater familias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non ſineret perfodi domum ſuam.

De Refectorio Canonicorum. Cap. iij.

1 
Atio commnnis vitę Canonicorũ Regularium postulat, vt in communi Mensa, ac Refectorio ad prandendum, & cœnandum in vnum conueniant. cuius rei meminit Innoc. 3. in cap. Cùm ad monasterium, de statu Monach. & Canonic. Reg. præcipiens, in Refectorio silentium obseruari. Hoc ipsum decernit Bened. 12. in suis Constitutionibus tit. de victualibus, & alijs ministrãdis, iam superius relatus, in hæc verba; Institutionibus regularibus inhærẽtes, statuimus, vt Canonici in Ecclesijs Cathedralibus, monasterijs, siue locis alijs collegiatis, seu conuentualibus dictę Religionis constituti, cõsuetudine, seu vsu, quinimò abusu contrario non obstante, in Refectorio comedant in communi, nisi in casibus, in quibus, & prout eisdem licitum est, seu permissum, extra Refectorium comedere secundùm regularia, & canonica instituta. Prouiso quòd illi, quibus incumbit onus prouidendi de victu Canonicis eisdem, prouideant sufficienter, & decenter: non in pecunia; sed in victualibus (prout cuilibet opus erit) de qua sufficientia, & decentia victualium tractetur; decernentes, quòd si qui redditus, vel pensiones alicui ex Canonicis singulatiter hactenus pro victualibus fuerint asignati, nullatenus dimittantur eidem. Nos .n. asignationes huiusmodi reuocamus, & pro reuocatis habere volumus, & eas fieri deinceps prohibemus.

2 Vetus etiam quoddã Conc. prou. Coloniense sub Cõrrado Archiepiscopo, postea à Cardinale Nicolao Cusano auctoritate Apost. ad eã prouinciã confirmatum, tit. de Monachis, & eorũ cõuersatione, & vita c. 15. ait. Statuimus ẽt, ꝙ omnes Monachi in communi Refectorio comedãt, nisi infirmitas, vel aliqua alia causa legitimæ necessitatis ipsos excuset: & tunc quæ superfuerint in eleemosynam pauperibus tribuãtur. Idem quoq; præcipitur in Conc. Maguntino anno 813. cap. 9. cuius titulus est, De regulari obseruantia Canonicorum, his verbis; Et vt simul manducent, & dormiant, vbi his facultas id faciendi suppetit, & in suo claustro maneant. Ad mensam verò similiter lectionem audiant. Et Conc. Aquisgranense sub Ludouico Pio I. Imperatore cap. 117. inquit, Sint etiam interius dormitoria, refectoria, cellaria, & cæteræ habitationes, vsibus fratrum in vna societate viuentium necessariæ. Et Conc. Oxoniense Anglicanum sub Stephano Archiepis. nu. 40. de Canonicorum Regulariũ Refectorio sic statuit; Et in vno Refectorio simul edant, nec per se cuilibet, sed communiter omnibus victualia pręparentur: nec singulis eorum denarij pro vestibus tribuãtur, sed

talia per Camerarios diligenter expendantur, qui vt quilibet indiguerit, & facultas domus sustinuerit, eis indumenta ministrent. Et nu. 42. omnem (inquit) singularitatem interdicimus in Refectorio, vt cibus aliter vni, quàm alteri præparetur; sed qui præest, videat, vt scilicet interdum alia præparentur, de quibus aliorum debilitas, vel infirmitas, prout viderit expedire, valeat releuari. Omnia etiã victualia Religiosis apponenda, sine subtractione eis apponantur tàm in cõuentu, q̃ alibi, vbi reficiuntur de omnibus appositis. Totũ residuũ sine diminutione aliqua cedat, in eleemosynã indigẽtibus fideliter erogãdã: ita quòd nec Abbas, nec Prior, nec Eleemosinarius hoc possit dispensare.

3 Subticendum etiam non est, quod Bened. 12. in Constitutionibus Monachorũ nigrorum. §. nempe, & §. cæterum, & viam scandalis, tradit, dicens; Monachi comedant in communi, in eodem Refectorio, nec pecunia eis pro victu, simul, vel minutim ministrari debet: sed in victualibus vsui congruentibus, ac qualibet die in cibo, potu, vel pitãtia ministrandus est victus ad congruentẽ mensuram, secundum modũ facultatum monasteriorũ, & illa quæ supersunt, eleemosynis sunt applicanda. Ex libro de cultu vineæ dñi. 4. par. cap. 21. Eiusdẽ nos rei admonet Conc. Prou. Cameracense sub Maximiliano Archiepiscopo tit. de monasterijs cap. 3. & 4. dicens: Cæterum, quia mensæ communio Charitatis vnionem designat, & à patribus antiquitus statutum, obseruatumq; fuerit in bene moratis cœnobijs, vt omnes eodem in loco cibum simul caperent; Statuit sancta Synodus, vt Superiores seuerè ꝓhibeant priuatas mensas; cogantq; omnes, qui legitimè non fuerint impediti, ad vnum conuenire Refectorium cõmunis refectionis gratia. Si locis quibusdam lectio sacra in conuentuali Religiosorum mẽsa hactenus omissa fuerit, & minus vsitata, eius vsus restituatur; ieiunia item conuentualia sicubi minus fuerunt obseruata, iuxta Regulæ, aut locorum bene reformatorum vniuscuiusq; Ordinis consuetudinẽ.

4 Idipsum docet Synodus prou. Hydruntina sub Petro Antonio Archiepisc. tit. de monasterijs cap. 4. dicens: Priuatæ mensæ prohibeantur, agantq; Superiores, omnes qui legitimè non fuerint impediti, ad vnum conuenire Refectorium; & in eodem loco, eademq; mensa cibũ capere, cùm mensæ communio Charitatis vnionem designet, & seruato silentio, sacra lectio in conuentuali mensa adhibeatur, vt vnà cum corpore sumat quoque, & mens cibum; simul etiam ieiunia iuxta vniuscuiusq; regulam, & cõsuetudinẽ restituantur; mensa sit frugalis, & vitentur excessus. Nulli sermones irreligiosi misceantur, sed qui boni sint, & honesti, nisi ardua, & honesta causa per Superiores approbãda.

5 Quæ autem de Refectorij cura tradi solent, hæc sunt; primum, ex

Auguſt. regula cap.2.dicentis; cùm acceditis ad menſam, donec inde ſurgatis, quod vobis ſecundum cõſuetudinem legitur, ſine tumultu, & contentionibus audite; ne ſolæ vobis fauces ſumant cibum; ſed & aures eſuriant Dei verbum. Hoc quidem ſtatutum fuit in Conc.3. Toletano diſt.44.cap.pro reuerẽtia, quòd in conuiuio ſacerdotali diuinarum ſcripturarum lectio ſemper haberetur. Primum, vt non ſolus homo exterior, ſed etiam interior Dei verbo paſceretur. Secundum, vt anima lectioni diuinæ intenta, à delectatione ciborum vtcũque retraheretur, eaq; ratione peccata, quæ ex ciborum delectationibus naſcuntur, vigilantius caueret. Tertium, vt nociua verba, & cõtentioſa, quæ in conuiuijs oriri ſolent, euitarentur. Ait.n.Hieronymus; Conuiuia tunc ex Charitate veraciter prodeunt, cùm in eis abſentium nulla vita mordetur, nullus ex illuſione reprehenditur, nec in eis negotiorum ſecularium inanes fabulæ audiuntur. His conſonat Bened.in regula, dicens; Menſis fratrum edentium lectio deeſſe non debet, ſummum ſilentium fiat ad menſam, vt nullius muſitatio, vel vox, niſi ſolius legentis ibi audiatur. Fratres autem non per ordinem legant, ſed qui ædificent audientes. Baſilius quoq; in regulis breuioribus interrogatione 180.quærit, cuiuſmodi animi affectione, attentioneve ea debemus audire, quæ ad menſam accumbentibus nobis leguntur. Reſpondet, maiore multo cũ delectatione, quàm cũ quãta aut edimus, aut bibimus: idq; vt appareat mentem nequaquam diſtrahi ad corporis voluptates, ſed maiorem in modũ ſe in verbis Domini oblectare, quod ille faciebat, qui dixit, dulciora ſuper mel, & fauum. Pſal. 18.

6 Ex eodem; Qui ad benedictionem in Refectoriũ non venerit, primum propter id corripiatur. Si verò non ſe emendauerit, non admittatur ad menſæ communis participationem: ſed ſequeſtratus à conſortio omnium, ſolus reficiatur, ablata ei portione vini, vſque ad ſatisfactionem, & emendationem. Similiter autem puniatur, qui ante gratiarum actionem ſurrexit.

7 Iure notanda ſunt hac in re, quæ Conc.prou.Mediolanẽſe ſub Borrhomæo Archiepiſc. par. 3. de monialibus tit. de communi vita, tradidit. Quæ quidẽ & viris religioſis, paucis mutatis, conueniunt. Ad ſonitum, inquit, minoris campanæ omnes conueniant ad benedictionem menſæ, quã Præfecta, vel Vicaria, vel ipſis abſentibus, antiquior diſcreta faciat. Deinde loco, & ordine diſcumbentes, non prius diſcedant, q̃ Deo gratiæ actæ fuerint. Quæ non obedierit, vno die obſonio priuetur: ac poſtremò loco in menſa ſedere cogatur. Mane, & veſperi ad primam, & ſecundam menſam aliquis ſpiritualis liber, qui

qui ad Religionem incendat,quotidie legatur,omnibus discumbentibus,cum silentio,& attentione audientibus,vt vnà cum corpore mens etiam recreetur.

8 In Refectorio murmuratio,aut querimonia maximè vitanda est, si delicati cibi non administrentur. Non.n.ad delectationem, sed ad sustentationem cibus appetendus est. Religiosum enim virum cibi delicatiores,aut exquisitiori arte conditi,non parum dedecent.Quicquid igitur appositum fuerit, libenti animo, & cum gratiarum actione accipiat, & taceat.

9 Mundities verò loci, mensarum, atque ciborum, & potus accuratè ab eo, qui Refectorio præficitur, custodienda est; alioqui fit ille congruam pœnam daturus.

10 A D.Basilio in regulis breuioribus interrogatione 131. & inferius, increpantur,qui non ex eodem,vnde reliqui fratres cibo participant; sed cibum diuersum exquirunt;& ij etiam,qui aliquo cibi genere se lædi dicunt,& ægrè ferunt, nisi aliud detur, atque etiam illi; qui ob cibũ murmurant,iuxta illud Pauli 1.ad Cor.10. Neq; murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt,& perierunt ab exterminatore.

11 Sed nunquid necessariò hora prandij adesse omnes simul debeant, & qui abfuerit,& peracto iam prãdio superuenerit, quomodo nos aduersus ipsum geremus? Respondet. Omnino hic si eo abfuerit, quod necessitate loci, operisvè aliter facere non potuerit, disciplinæ magister & cognoscet,& ignoscet.Si verò cùm vnà cum cæteris posset adesse,negligenter egit,agnita hic negligentiæ suæ culpa,vsque ad pręfinitam horam insequentis diei ieiunus maneto.

12 Non ab re fuerit hoc loco adijcere,quæ ratio in sessionibus,& accubationibus teneri debeat, quandocunque ad prandium, cœnamuè vẽtum sit,ex D. Basilio magno in regulis fusius disputatis interrogatione 21.Præceptum(inquit) est domini, qui vbique nos ad humilitatem assuefacit,vt in prandijs etiam accumbentes,nouissimum locum præoccupemus. Quamobrem si laici, si seculares nobiscum accumbant, danda nobis sedulò opera est, vt exemplo nostro illi discant, se intra modestiæ fines cõtinere,neque prima subselliaappetere.Sin verò Religiosi fuerint,vt quouis tempore suæ humilitatis edant specimen, nouissimum locum occupent; veruntamen pugnax nimis ea de re damnanda contentio est,vt quæ ordinem tollat,& perturbationem, ac tumultum inducat;si.n.nemo sit, qui alteri cedat, simile quiddam eueniet planè,ac si de principe loco pugnaremus.Proinde cognito diligẽter,quid nos facere deceat,vbi id facere studuerimus, loci assignationem Superioris arbitrio permittamus. Dominus.n.huiusmodi locorũ distri-

distributionem ad Patremfamilias pertinere admonuit. Hoc.n.modo honestè omnia,& secundum ordinem faciemus; & non ostentationis, aut captandæ gloriæ popularis causa, nos humilitatem consectari demonstrabimus: quin cedendo potius, parendoq; ad veram humilitatem perueniemus. Et Conc. Oxoniense Anglicanum num. 41.de silētio seruando sic decernit; Item tam à Monachis; quàm Canonicis Regularibus,& Monialibus silentium imponimus obseruari in temporibus,& locis constitutis. Quod quidem explanauit Innoc. in cap. Cùm ad monasterium. de stat. Monach. §. in oratorio, dicēs; In Oratorio verò Refectorio, & Dormitorio continuum semper silentium obseruetur: in claustro quoque certis horis,& locis secundùm antiquam consuetudinem monasterij laudabiliter obseruatam. Et idem Conc. Oxoniense nu.45. ait; Quoniam inter alia vitia, impetus gulæ viros Religiosos præcipuè, non mediocriter infestat: decernimus, vt nec Monachi, nec Canonici Regul. nisi statutis locis,& horis, potationi, aut comessationi vacare præsumant. Si quis verò sitiuerit, impetrata licentia Refectorium regulariter intret, vt sic necessitati subueniat, non vt consulat voluptati: ab hac generalitate eximimus infirmos, & eos, qui fuerint in obsequio Prælatorum.

13 Modestia autem victus, & potus accuratè in Refectorio seruanda est, ea quidem lege, vt edas citra cruditatem, bibas citra ebrietatem, nec præsentibus delitijs inhæreas, nec absentes desideres. Maximè verò ebrietatis pericula caueto. Audi Ecclesiasten, cap. 2. dicentem; Cogitaui in corde meo abstrahere à vino carnem meam, vt animū meum transferrem ad sapientiam, deuitaremq; stultitiam. Ante omnia autē à vino abstrahere carnem voluit, idest affectum ab omni gula,& luxuria auellere. Nam sub vino, puto intelligi, quicquid ad delitias carnis attinet,& corporis malis motibus fomentum, atque incitamentū præbere valet. Non est autem ex hoc loco accipiendum, omnē vini vsum esse fugiendum ijs, qui cupiunt animum suum transferre ad sapientiā, vel in ea permanere, sed vsum immoderatum eius vituperat. Quomodo vti eo solent, qui sectantur carnis delitias, alioqui si admodum modice sumatur iuxta Psal. 103. verbū, cor hominis lætificat. Non dicit, obnubilat, aut inepta dissoluit lætitia, sed tantum lætificat. Non est autem moderata,& honesta corporis lætitia, sapientiæ contraria: tamen diligentissimè cauendum est, ne supra mensuram debitam ipsum sumatur, neque in mensura præbenda iudex constituatur sensualis concupiscentia, sed recta ratio inuigilet, ne debita mensura excedatur. Vnde Paulus Apost. discipulum è stomacho laborantem, ad vini sumptionem exhortari volens dixit 1. ad Timoth. 5. Noli adhuc aquam bibere, sed

re,sed modico vino vtere propter stomachum,& frequentes tuas infirmitates. Vbi vide,quàm trepidè loquatur sanctus Apostolus.primùm dicit; Noli adhuc aquam bibere.Cùm enim dicit,adhuc,indicat,se nõ nisi pro tempore dare consilium,donec,scilicet,duraret infirmitas, & repararetur sanitas,quasi post sanitatem reparatã cessare debeat istud vinum bibendi consilium.Deinde non ait infirmo,vtere vino,sed cum adiectione dicit, vino modico. Causam postremò subiungit, propter stomachum,& frequentes tuas infirmitates;quale putamus consilium daret ei,qui valido esset,& bene vegeto corpore; quid arbitramur cõsilij daturum pinguibus istis;ac bene saginatis,posteaquã huic ex stomacho laboranti, & crebris ægritudinibus vexato, tanto cum timore loquitur? de abusu verò,aut immoderato vsu vini ad Ephes. 5. apertè clamat. Nolite inebriari vino,in quo est luxuria; sed impleamini Spiritu sancto;velut indicare volens,vino immodico pelli Spiritum sanctũ. Episcopum quoque nõ vult esse vinolentum, vel multo vino deditum, primæ ad Timoth. 3. Noster Hugo de S. Vict. lib.3. de claust. animæ, quoddam constituit animæ Refectorium; vt.n.homo exterior in Refectorio materiali ad constitutam horam cibo, potuq; reficitur: Sic homo interior in Refectorio sanctæ meditationis potatur vino compunctionis,& diuersis exemplorum saginatur ferculis. In hoc autem Refectorio sternuntur tres mensæ, idest triplices intellectus diuinæ scripturæ;videlicet historialis,mysticus,& moralis. Reliqua illic leges.

De vitanda in mensa edacitate. Cap. iiij.



1 CV'm ad Refectorium cum cæteris sodalibus accesseris,benedictionem mensæ pro consuetudine, aut tu lege, aut attentus audi. Tametsi verò magna te fames occupet, ingensq; cibi,& potus appetitus, cauebis tamen excessum,ac immoderatum eorum vsum;quoniam gula causa est,& origo vitiorum omnium: ab ea.n.torpor,accidia, & impudicæ propensiones, atque interdum etiam libidinosi actus oriuntur, ex quibus deinceps diuersa,ac multiiuga vitiorum monstra emergunt,& proficiscuntur. Adam quidem protoparens noster Gen. 3. nulla licet fame laboraret,gulæ tamen vitio tẽtatus est,& legem Dei violauit,atque eo ipso in mortiferum lapsus est crimen, & nos simul omnes cum illo. Atque Christus Dei filius. Matt.4.& famem sensit, & tentatus est à dæmone, sed vicit improbum nostræ institutionis causa, sic dicens; Non in solo pane viuit homo,sed in omni verbo,quod procedit de ore Dei.Deut.8.cap. Constat.n.ex duabus naturis hominem esse compositum,spirituali videlicet,& corporali; hoc est anima, & corpore. Et corpo-

corporea quidem natura cibi alitur corporeo, & ſpiritalis alimento viuit ſpiritali. Fames corporis quandoque perit, cibus deficit, & vita mortalis eſt, at eſuries ſpiritualis, quæ eſt Charitas, amorq; diuinus, æterna eſt eſca vitalis,& vita beata,ac glorioſa,vtpotè qua Deo fœliciſſimè copulamur,& vnimur. Cibum corporeum aut ipſi nobis præparamus,aut paratur ab alijs;ſed eſcam ſpiritalē Deus ipſe nobis in beata æternitate parauit. Vbi ſpiritalis eſuries eſt, ibi quoque æternū alimentum ſemper paratum eſt: contra verò vbi fame laboratur corporali,ibi plerunq; rerum defectus, ac ingens penuria eſt.

2 Itaque quiſquis ſpiritualiter eſurit, ac ſitit,nunquàm nō reficitur à Deo,viuitq; coram Deo in gratia: ſed qui corporalem duntaxat famē ſentiunt, ſeq; implere contendunt,iuſtitiæ fame neglecta, mortui ſunt coram Deo,cùm vita illorum non niſi beluina ſit. Quando igitur corporis percipis neceſſaria alimenta,animo ad Dei conſpectum ſubleuato, cum Chriſto, & angelis, & ſanctis omnibus diſcumbe inter conſodales tuos: donaq;& fercula ex Deo manantia ſuſcipe. Sicq; ſecundū hominem interiorem æterna aleris,ac reficieris eſca,hoc ipſo victurus in Deo.Emorere,obſecro mūdo,& viue Deo: quæ ſurſum ſunt,hoc eſt cibum æternum à Chriſto tibi præparatum,opus eſt quæras, & ſapias. Neque te tui corporis cura occupet,ſed eius victum neceſſarium accipe,eo quidem modo,quo à Deo tibi datur,& prouidetur. Neq; ibi ſaporem,aut delectationem, aut commodum quæras, ſed rudiori cibo contentus eſto; quæ alijs ſuperſunt edens, ſi tamen natura tua id patitur. Sis diſcretus, ac prudens, & naturæ tuæ attende habitudinem, ſiue conſtitutionem, vt quibus habeas opus, quibuſque carere poſſis, intelligas.

3 Si n. corpori vltra neceſſaria plus nimio indulſeris, hoſti tuo vires addes. Sin autem minus quàm debeas, illi tribueris, mancipium tuū, quo Deo te ſeruire oportebat, deſtrues. Inſpice, quæſo, vitas Priſcorum Patrum,eremos incolentium, vt illi panem ſuum certo pondere, & aquam certa menſura ſumpſerint,idq; maximo abſtinentiæ amore, cuius cauſa, etiam carere, ac penuriam pati, & ipſa quoq; neceſſaria parcè, ac ſtrictè capere ſolebant. Interim tamen erga ſibi conuiuentes, itemq; aduentantes hoſpites, pios, ac liberales ſe præbebāt; ſed & primi illi ordinum monaſticorum Patriarchæ, & architecti, ſiue inſtitutores non verbo tantùm, ſed etiam exemplo ſuo, vt Auguſt. Baſilius, Bened. Bernardus, Dominicus, Franciſcus, in ſeipſos quidem rigidi, duri, ac ſeueri, & ſobrij, temperanteſq; admodum, ita vt neceſſaria parce ſumerent, fuiſſe leguntur: erga fratres verò, quibus p̄erant, clemētes, propitij, & perquàm pij, ac liberales in omnibus neceſſarijs.

cessarijs. At isthæc vita, istiq; viuendi canones, in libris hodie descripta visuntur, sed in cordibus, & actibus, propemodũ obliterata sunt, ac pessum ierũt. Abbates.n.& Prælati Ecclesiastici, cuiuscunq; illi status sint Religiosi, magna ex parte, vt videtur, dominãdi pompã, & sui corporis oblectamenta, grandi alenda familia, & immanib. faciendis sumptib. detenti, colunt, & sectãtur, haud secus q̃ si in mundo agerẽt.

4 In nonnullis cœnobijs diuites, & pauperes, vt in mundo inuenire licet. Prælati, Monachi, & quotquot in Religiosis statibus locupletes sunt, suis obseratis cubiculis, quicquid libet, edunt, ac bibunt; Vespe ri quidem percontandum est, quid altera die cibi, ac potus ministrari, vtq; apparari sibi velint. Non equidem hic intelligimus infirmos, valetudinarios, senio affectos, aut qui ita teneræ sint naturæ, vt neglectiori, vel incondito cibo vti non possint; sed de illis potius agimus, qui carni viuant, & seipsos, ac suum commodum citra ordinẽ ament, quos omnes duros, inclementes, auaros esse opinamur; nec.n. facilè, vel se ipsos, vel quicquid habent, aut habere possunt, alijs communicant, aut impartiuntur. Istos sanè non incongruè quisquam diuiti illi comparauerit Epuloni, cuius dominus cap. 16. apud Lucã meminit, qui purpura, & bysso induebatur, & epulabatur quotidie splendidè, nec alijs quicquam tribuebat, ne ipsi quidem Lazaro mendico, ad ostium illius iacenti. Enimuero fratrum tenuis conuentus indiget aliquot diebus, vt vltra consuetos cibos, lautioribus, delicatioribusq; edulijs reficiatur, & refocilletur, sustinet.n. pondus diei, & æstus, dum frequenter ieiunijs inuigilat, oneribusq; lectionis, & cantus, die noctéq; semper incumbit.

5 Diuersa tamen futura est & diuitum, & pauperum Religiosorum sors. Si.n. isti obediẽtes, patientesq; in Ordinis obseruatione ad mortem vsque constanter perseuerauerint: Cum Lazaro reuera ab Angelis in Abrahæ sinum perducentur; diuites autem auari, qui bona cõmunia sibi priuatim vendicant, & vsurpant, ex eisq; ad sui corporis voluptatem, & delectationem viuunt, cum diuite Epulone in inferni profundo consepelientur; Vbi in flammis semper arsuris, vel guttulam vnam aquæ pro linguæ suæ petent refrigeratione, nec eam tamen vnquam obtinebunt. Quapropter in cibo, ac potu percipiendo, sobrius, & temperans, taciturnusq;, necessarijs contentus esto; & dum corpori necessaria subministras alimenta, cor in Deum erigito. Sumpto cibo, dicito gratiarum actiones cum ceteris sodalibus pro tui instituti consuetudine, laudes, & gratias agens Deo pro bonis omnibus, & obsecrans eum pro illis, à quibus ea vobis sunt præstita; itidemq; orans, vt veniam elargiatur immoderationi, siue indiscreptioni tuæ, si quid plus minus-

minusue sumpseris, quàm æquitatis ratio postulabat, seq; tibi propitium præbeat.

6 Attamen diligenter animaduertenda, studioseq; adhibenda nobis sunt quædam contra voracitatem remedia: modum ergo, temperantiam, & sobrietatem eligemus, & amanter complectemur, quippiā nobis semper subtrahendo, minusq; quàm libeat sumēdo, ita vt necessaria, eaq; parca refectione contenti simus. Est item & in sensibus quædam obseruanda sobrietas, quod ita fiet, vt vires bestiales ratione coerceantur, ac refrenentur, vt ne appetitus plus æquo in cibi, potusq; saporem præceps, auidusq; feratur; sed ita potius corporis alimenta sumantur, perinde vt ab ægro medicamenta; idq; pro sua necessitate, quo vires conseruare suas, Deoq; vacare, ac seruire possit. Ex hac corporis sobrietate alia quædam exoritur sobrietas pulcherrima, quæ modū quēdam, ac mediocritatem, & disciplinā asseruare docet in verbis, in actibus, in silendo, in loquendo, agendo, ac omittendo, idq; pro sanctæ Ecclesiæ, & Religionis instituto, more, & consuetudine, exemplisq; Sanctorum. Ea autem, quæ circa sensus versatur, sobrietate, ac moderatione, sæpenumero quoq; naturæ, seu corporis incolumitas custoditur, & tranquilla quædam temperies, conuersationis honestas, & famæ, atque existimationis integritas.

7 Istos voracissimos helluones ad Philipen. 3. Paulus deplorat, eosq; crucis Christi inimicos esse testatur, quorū finis interitus est, eo quòd Deus eorum venter sit, qui terrena sapiunt, quorum gloria in cōfusione eorum erit, idest in confusionem, & ignominiam mutabitur. Gula quidem: vt ait Augustinus, insatiabilis est edendi, & bibendi auiditas; quam deinde auida, & vorax comestio, atque potatio consequitur. In hac autem edendi auiditate gulosus homo naturæ necessarijs minimè contentus est, sed pretiosos, & delicatos cibos appetit; vixq;, dum præparetur cibus, temperare sibi, & expectare potest; Sæpè cibi, ac potus nimium capit, magisq; escarum voluptate, & sapore, quàm fame ducitur, eo quòd delectationem potius expetat, quàm corporis necessariā refectionem. Ex hoc vitio nasci consueuerunt immoderatio, inordinatio, multiloquium, vaniloquium, scurrilitas, ioca, & scommata, inepta lætitia, corporis indispositio, vel mala affectio, incompositi mores, effrenatio, cæcitas rationis, internus externusq; torpor ad ea, quæ diuini sunt cultus, mentis hebetudo, cogitationes inutiles, Ebrietas, ignorantia, & varia demum, ac multiplex interioris, exteriorisq; hominis impuritas. Ad profligandam quoque voracitatem conducet plurimum, si Religiosus sanctorum considerauerit vitam, institutiones, temperantiam, & in cibo, ac potu sobrietatem. Quoties autem cibum ca-

piet, aut parcè, loquetur, aut omnino silebit, mente interim reuoluens, vt Angeli, & sancti homines in cœlis diuina pascātur gloria; itemq; id secum perpendens hominem, licet pauperem, cui Deus sufficiat, etiā modicis in hac vita posse esse contentum; atque eam ob rem cùm exterior homo noster foris suū capit cibū, interior homo intus in sanctis meditationibus, & cogitationibus, ac diuinis inspirationibus escam captabit, vt intus, & foris reficiatur. Quamobrem in cœnobijs, seu religiosis sodalitatibus, & congregationibus, dum cibus capitur, conciones, aut alia quædam spiritui congruentia, audituq; iucunda legi solent, quo fratres, interea dum corpus foris necessaria percipit, intus ad spiritalem gustum pertrahantur.

8 Nostrorum hominum mensæ, hac tempestate nō modo ieiunia, frugalitatemq; ignorant, sed instructæ lautissimis ex omni terra, & mari cibarijs, & potionibus affluit exquisitissimis, quæ tamen famem, & sitim nō extinguunt, sed libidinem accuunt. Nempè in delitijs castitas, in diuitijs pietas, in honoribus humilitas periclitari solet. Quid insanam impensam auri, & argenti commemorem? Quibus per gradus, mensæ, abaciq; onerantur. Quid tandem voluptates indulgētissimas aurium excitantes, lasciuis, & mollibus voculis, ac tibiarum, & fidium demulcentibus numeris, non ad diuinam laudem temperatis, sed ad luxum excogitatis, atq; vsurpatis? Et quæ Deus, vel natura, vel ars aliquando nobis ad obsequium dedit, in nostrum dedecus, damnumq; conuertimus. Etenim potum, cibumq; ad ebrietatem, & crapulam, ocium, & quietem ad somnolentiam; domicilium, & vestimentum ad pompam, inanemq; iactantiam; iucunditatem ad dissolutionem commutamus. Illorum itaq; profunda, & insatiabilis gula maria scrutatur, & terras hamis, laqueis, retibus; nullis animalibus per eos pax est; vna sylua pluribus elephantis sufficit, at homo terra pascitur, & mari, quid ergo tam inexplebilem nobis aluum natura dedit, cùm tamen modica corpora dederit, vt vastissimum animalium elephantum gula vinceremus? Infelices etiam, quòd vos maiorem famem, quàm ventrem habere intelligitis, altissimi planè effecti epularum gurgites, qui etiā gruis collum à natura vobis dari optetis. Quis autē habens aliquid humani pudoris, voluptatibus istis duabus, comedendi, & bibēdi, quæ sunt homini cum sue, & asino communes gaudeat? Conuiuium solenne maiores viri modestissimè constituerunt, quo præter cognatos, & affines nemo interponebatur, vt si qua eos querela intercessisset, inter sacra mensæ, & animorum hilaritatem deponeretur. Modo fiunt conuiuia Lyndia, in quibus turpia conuitia iactantur, more tracto à Lyndo Rhodij oppido, in quo Gentilium sacra maledictis, & execratione celebran-

lebrantur, eaq; pro violatis habent, si qua inter solẽnes ritus, vel incauto exciderit alicui verbum bonum: denique in conuiuijs infructuosæ oriuntur nugæ, in conuiuijs semper huic obloquimur, & illi; & ab inanibus ad lasciua prosilitur; neuè alijs videamur inferiores, arrodimus & proximi famam, raroq; celebrantur conuiuia, quin execrabilis adsit detractio. Hugo de S. Victore lib. 4. de anima cap. 17. describit quædam vitia Religionem, vt ipse ait, suffocantia; cuiusmodi sunt crapula, ebrietas, otiositas, & quæ in otiosis subrepunt, cogitationes prauæ.

De infirmatorio, siue infirmorum domicilio. Cap. v.

1 

Cura infirmorum in monasterijs & necessaria est, & ad proximi charitatem plurimũ spectat. Ait. n. Christus Matth. 25. infirmus fui, & visitastis me. Proinde salubre est Bened. 12. in suis Constitutionibus tit. de infirmarijs decretum. Cùm expediat (inquit) infirmis de domo, seu loco congruo prouideri; statuimus, quòd in ecclesijs, monasterijs, & locis alijs conuentualibus Religionis eiusdẽ; in quibus certa domus, seu locus, deputata, seu deputatus, non fuerit pro infirmis, ij, ad quos id pertinuerit, quibus adhuc suppetent facultates, domum, seu locum huiusmodi sufficientes iuxta statum, & facultates locorum, quantocius cõmodè fieri poterit, deputare, seu construere teneantur eisdem infirmis sufficienter de lectis, victualibus, seruitoribus, medicis, & rebus medicinalibus, & alijs quibuslibet necessarijs prouidendo. Ad quæ peragenda, & complenda per Superiores suos immediatos, & Pręsidentes, ac Visitatores, & eorum quemlibet, auctoritate Apost. per censuram ecclesiasticam, & alia opportuna remedia compellantur. Vbi autem administratores eorum, qui ad præmissa tenentur, sufficientes ad ea peragenda non habuerint facultates, in annali Capitulo, per ipsum Capitulum, vel maiorem partem ipsius, auctoritate Apost. ordinetur, quòd administratores huiusmodi sufficientes ad hoc reddantur per assignationes pensionum, prout infra in alio casu, sub rubrica de victualibus, & alijs ministrandis noscitur esse prouisum.

2 De infirmatorio quoque, & ægrorum cura Innoc. 3. in c. cũ ad monasterium, de stat. Monach. &c. Sic statuit: Porrò (inquit) debiles, & infirmi, qui minutione indigent; vel aliqua medicina; non seorsum in cameris, sed omnes in infirmatorio, quæ necessaria fuerint sibi, tam in carnibus, quàm in alijs recipiant competenter. Quòd si quis eorum debilis fuerit, aut etiam delicatus, vt non possit communibus cibis esse contentus, sic ei prouideatur sine scandalo aliorum, vt si Abbas, vel

Prior voluerit in Refectorio misericordiam facere, specialem cibum aliquem competentem, non ante illum, sed ante se faciat apportari: de quo ipse illi faciat pitantiam pro sustentatione naturæ. D. etiam August. in Reg. 4. cap. ægrotorum non immemor, quattuor tradidit præcepta. Primum, de lauacro, siue balneo, dicens; Lauacrum etiam corpori, cum infirmitatis necessitas cogit, minimè denegetur. Secũdum, de medicina. Fiat sine murmure de consilio medicinæ, &c. Sed tamen vtrum sanando illi dolori, quod delectat expediat, si non est certũ, medicus consulatur. Tertium est, de itinere, salutis causa faciendo. Nec eant ad balnea, siue quocunq; ire necesse fuerit, minus quàm duo, vel tres; & ille, qui habet aliquo eundi necessitatem, cum quibus Præpositus iusserit, ire debebit. Quartum est, de infirmorum curatore, siue infirmario. Aegrotantium cura, siue post ægritudinem reficiendorum, siue aliqua imbecillitate etiam, siue febribus laborantium, vni alicui debet iniungi, vt ipse de cellario petat; quod cuiq; opus esse, perspexerit. Eadem de re idem Aug. in Reg. cap. 2. de conualescentibus differit, dicens; Sanè quemadmodum ægrotantes necesse habẽt minus accipere, ne grauentur; ita & post ægritudinem, sic tractandi sunt, vt citius recreentur, etiam si de humillima seculi paupertate venerunt, tan quàm hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod diuitibus anterior consuetudo. Sed cùm vires pristinas reparauerint, redeant ad fœliciorem consuetudinẽ suam, quæ famulos Dei tanto amplius decet; quãtò minus indigent. Nec cibi eos teneat voluptas iam vegetatos, quos necessitas aliquando leuarat infirmos: illos æstiment ditiores; qui in sustinenda parcitate fuerint fortiores, melius est enim minus egere quàm plus habere.

3 Sapienter quidem D. Bened. in Reg. tit. de infirmis fratribus, hac in re conscripsit. Infirmorum, inquit, cura ante omnia, & super omnia adhibenda est, vt sicut re vera Christo, ita eis seruiatur, quia ipse dixit; Infirmus fui, & visitastis me, & quod fecistis vni de his minimis meis, mihi fecistis. Sed & ipsi infirmi considerent in honorem Dei sibi seruiri, & non superfluitate sua contristent fratres suos seruientes sibi. Qui tamen patienter portandi sunt, quia de talibus copiosior merces acquiritur. Ergo cura maxima sit Abbati; ne aliquam negligentiam patiãtur, quibus fratribus infirmis sit cella per se deputata, & seruitor timẽs Deum, & diligens, ac solicitus. Cura autem maxima sit Abbati, ne à cellarijs, aut seruitoribus negligantur infirmi. Quia ad ipsum respicit, quidquid à discipulis delinquitur. Hæc Benedictus. Inter vniuersas enim huius seculi miserias, quæ sunt fames, sitis, labor, infirmitas omnium maxima est. Religio quoque munda circa Deum patrem est, visita-

visitare orphanos, & viduas, &c. Religiosi autem, relictis parentibus, & amicis, orphani censentur.

4 Deniq; Conc. Mediolanense de Monialibus par. 3. tit. de Præfectis, sic ait; Quæ Præpositæ sunt curæ ægrotantium, pias, & misericordes se illis præbeant, quanta maxima possunt & patientia, & diligentia, ac tales se illis præstent, quales cæteras vellent, si ipsæ ægrotarent. Aegrotis cibus, & medicamenta opportuna à Præfecta, & ab electis ad id ministris ita adhibeãtur, vt monasterij facultates tulerint; Præfecta autem Charitatis causa, eas quotidie visitet, vt & solatio sit, & melius ab eis cognoscat, ac curet, quæ ipsis sint necessaria. Et Conc. Oxoniense Anglicanum sub Stephano Archiep. nu. 46. ad hæc (inquit) statuimus, vt cũ rõne debilitatis, vel alia iusta ratione Monachi seorsum, ĩ misericordia morent, semper habeãt secũ ad minus alios seniores, q̃ aliorũ leuitatẽ debita correctione compescant, & qui postmodũ in Capitulo testificentur, qualiter in misericordia fuerint conuersati. Idem volumus inter Canonicos Regulares, & Moniales obseruari.

Infirmi qua sint ratione tractandi. Cap. vi.

1 I infimum, optime Religiose, atque extremum tibi in monasterio demandetur officium, vel ministeriũ, gaude, & gratias age Deo, vt id præstare, explereq; possis. Quòd si infirmorum habere curam iubearis, serenum, & hilarem illis vultum exhibeas, seruiasq; illis hilariter, humiliter, & cũ mansuetudine, ac citra murmuratione͂, & licet illi fortassis morosi sint, & impatie͂tes, cogitate ministrare Christo, tamq; benignam, piam, ac mitem illis exhibeas faciem, vt coram Deo, & te meritò pudefiant; quanto autem pauperiores, atque ægrius affecti sunt, & rariores amicos habe͂t, hoc eis ꝓpensius, atque promptius inseruias, neque eos solùm consideres, q̃bus inseruis, sed Deum potius, cuius causa id agis. Magno verò opere caue, ne aduersa correptos valetudine, siue verbo, seu facto, aut gestu aliquo tuo contristes, vel affligas, & præmas, sed si quos conspexeris mœrore animi cõtractos, aut impatientes, tũ dñica, tũ sanctorũ ꝑpessione eos consolare, cõmemorans eis, vt illi alacri animo, & cũ gaudio aduersa pertulerint, atq; ea re beati iã, & gloriosi agant in cœlis.

2 Quando petunt quippiam sibi necessarium, absq; mora quàm poteris celerrimè id eis ministres, aut ministrari cures; si quid verò petant incommodum sibi, ac perniciosum, & vnde morbus possit augeri, si id ministrare vereris, simula te non intelligere quid velint; quòd si illi in petendo pertinaci animo persistãt, didicito illis, nociturum ip-

 sis, quod

ſis, quod petunt; at ſi nec eo pacto quieſcant, age cum conſilio Superiorum tuorum, aut eorum, qui te pudentiores, magiſq; experti ſint. Quicquid autem eis aut cibi, aut potionis paraueris, id tanta munditia, tantaq; ſaporis gratitudine, modo poſsis accures, ac præpares, vt illis ſatisfaciat, eoq; contenti ſint, & vtrobiq; pacem cōſerues; lectos, quibus decumbunt, ſubinde moueas, atq; componas, & quicquid poteris commodi, illis impendas, idq; eo magis, quo erunt teneriores, & his opus habebunt. Si res poſtulet, maneas peruigil apud eos, tantaq; dum illis ades, hilaritate vtaris, adeoq; verbis iucundis, & ad exhilarādū appoſitis eos recrees, vt quicunq; malè valent, te ſibi adeſſe peroptent. Verba ſalutaria, & pia exempla tum domini Saluatoris, tum Sanctorum illis referas, ſi tamen audire velint, vt quibuſcunq; adeſſe te contigerit, ſimul omnes ſpiritaliter in anima reficiantur.

3 Erudiuimus te hactenus, ſi infirmorum præfectura fungaris; accipe nunc, vt te gerere debeas, ſi aduerſa labores valetudine. Porrò dum ipſemet aliquo morbo corriperis, ita tibi perſuadeas, pauperem te eſſe peregrinum, alienæ domus vtentem hoſpitio, & ad æternam patriā ſuam peruenire cupientem. Itaque ſis patiens, & hilaris in omnibus, & gratias age Deo pro beneficijs, ac donis eius, nec quicquam aliud velis, vel optes, aut eligas, niſi quod Deus præſtare, & conferre velit; neque plus ſatis curioſus ſis, hoc eſt, non nimiam tui curam geras, ſed ſis contentus omnibus, quęcunque præſtantur tibi; quærimonia.n. vitanda eſt ægrotis. Reſigna te Deo, neque de hominum infidelitate, aut ſolatij defectu, vel morbo ipſo quæraris, & licet nemo te inuiſat, non murmures, nec iudices quenquam, ſed de manu Dei tui accipe, quicquid is tibi euenire volet. Ede, & bibe ea, quæ tibi miniſtrantur, ſi tamen libet, aut potes, velut mendicus quiſpiam. Etiam ſi cibus, aut nimium ſalſus, aut aduſtus, aut inſipidus eſt, cogites dominum Ieſum, dum maximè ſitiret, & eſſet ægerrimè affectus, fel, & acetum potaſſe, & tacuiſſe tamen, nec quicquam quæſtum eſſe; ita & tu quoque illius cauſa, rebus oblatis contentus eſto.

4 Iam ſi quid fortè libeat, quod tamen non habeas, & ſit tibi neceſſarium, indicare illud poteris illis, qui tibi adſunt; & ſi quidem obtinueris, age gratias Deo; ſin minus, eſto patiens, & Dei cauſa libenter eo careas, eritq; Deus merces tua. Reprime interim cupiditatem, & appetitiones tuas, neque exigas quicqnid in mentem venerit, aut appetitus poſtulauerit. Id.n. ſolent homines delicati, rebus omnibus locupletes; ſed moleſtum, graueq; eſt in homine mendico, ac paupere, & probro datur, ac ægrè auditur ab illis, qui huiuſmodi homini adſunt. Si alij tui parum memores ſint, & obliuiſcantur, neq; te inuiſant, quādo id

do id tibi putas necessarium, perferas isthæc moderatè, & placidè, certus tum adesse tibi Christum cum Sanctis, & Angelis suis; semper esto hilaris, & à querelis, ac murmure abstineas. Sit tibi Deus semper in corde, atque versentur pia verba in ore, hac. n. via vberes virtutis fructus facies, & quotquot sese tibi adiunxerint, meliores à te recedent.

5 Atqui vbi conualueris, & morbo liberatus, pristinas recuperaueris vires, rursum ad officium, vel ministerium tuum humili animo accede, nec quicquam eligas, sed quicquid iniunctũ erit, id assumas, eoq; pergas, siue id sit lauandi officina, siue sit domus infirmorum; & quantũ quidem ex te est, semper expetes infima obsequia, ijsq; tibi demandatis gaude, ac libens ea amplectere; sin verò exaltari te contingat, doleas, & inuitus id recipias, ac nolens, faciensq; hoc pacto non mediocrem in virtutum cultura profectum. Quoniam verò ex corporis infirmitate, tãquàm ex diuino flagello, castigatior, atq; correctior exurgas, oportet; hæc quæ sequuntur documenta virtutum suscipito. Esto simplex, & prudens, & fidelis in officio, siue ministerio, quo fungeris. Non mentiaris vnquàm, nõ iures, nec vnquàm sciens, & prudens cuiquã maledicas, aut execrationibus vtaris; qui. n. his dediti sunt, & assueti, animarum suarum iacturam faciunt, inter sodales sis pacificus, & æquo animo aliena onera feras, neque propriæ sis deditus voluntati, sed cum commilitonibus tuis in omnibus rebus bonis concordiam sectéris. Nemini exprobres, aut verbum mordax dicas, neminem spernas, neminem contristes, aut præmas, aut confundas, aut contumelia afficias, aut iudices temerè, nec cuiquam detrahas, aut obloquaris. Quin potius ames omnes, inuideas nemini, neminem, neque verbis, neque factis decipias, non rancorẽ vllum retineas, nec vindices quicquam, sed sis mitis, ac benignus, neque vlla pro re contendas, aut decertes, sed semper vinci, ac superari te patiaris, magisq; velis, virtutẽ seruare incolumem, quàm superbiam, contentionem, ac propriã retinere voluntatem. Nihil omnino fictè, ac simulatè geras, quo videaris ab alijs, aut sanctus existimeris. Sed sis verbis, & actibus verax, & omne vitium, quod tibi inesse cognoueris, odio persequaris. Idemq; diligenter obserues, & animaduertas, & vbicunque poteris, profliges, ac elimines. Eos quibus cum viuis, bonis verbis, magis verò etiam bonis exemplis instituas. Si quis te vel facto, vel dicto offendit, illico corde remittas, etiam si ille id non petat, nec desideret; tamq; illi iucundum, & amicabilem exhibeas vultum, vt rubore suffundatur, & erubescat coram Deo, & te, animoq; mitescat, ac sedetur. Sin verò ipse aliquem vel verbo, vel actu læseris, mox veniam præceris, & ab illo tibi ignosci petas, & si necesse sit, possisq; eum, hac ratione placare, eiusq;

tibi conciliare gratiam, ac beneuolentiam, eius te vestigijs aduoluas. Inter consodales positus, semper iucūdus, amicabilis, ac benignus sis, non singularis, sed communis, & paratus singulis quibusq; tuam expetentibus, ac desiderantibus operam. Ista nimirū iam dicta à te Deus expetit, atque præstari peroptat.

6 Sanè non mediocre solatium accipiet infirmus, si ægritudinum causas strenuè considerauerit, vt æquo, patientiq; animo ægritudinem ferat. Quamuis verò ex naturalibus causis, prauáq; corporis habitudine, & affectione morbus quandoque proueniat: ægrotus tamen Christianus facilè intelliget, corporis infirmitatem in pœnam peccati originalis, Deo vltore, nobis infligi, quin & ipsam mortem, quam in pœnam peccati comminatus est Deus Gen. 2. dicens; Morte moriemini; morbus autem est planè inchoatio mortis. Nam ab illo temporis momento cœpit natura dissolui, & in mortem ire. Id quod & nobis ab ipso statim conceptionis articulo contingit. Quandoquidem viuere, nihil aliud est, quàm vitæ tempus absumere. Itaque mala, quæ erāt alioqui nobis naturalia, nunc sunt pœnæ, quales sunt corporum morbi. Quin etiam mala alia externa, quæ nobis vel à feris animalibus, vel ab inclementia cęli, vel ab elemētis accidunt, vel ex nostra nobis inscitia, vel incogitantia, & vecordia contingunt, vltiones diuinæ sunt peccati originalis, eaq; ratione patienter sustinendæ. Secunda causa ægritudinum est, vt vir iustus exerceatur, & dum patiētiam colit, meritis, satisfactionibus, bonisq; operibus ditescat, & augeatur; cuius rei præclarū nobis exemplum præstitit perquàm B. Iob, qui magnas, multasq; dolorum, vlcerum, acriumq; corporis ægritudinum afflictiones patientissimè sustinuit, vt fulgentissimam meritorum coronam inde sibi compararet. Tertia causa ægritudinum est, ad cautiorem, prudentioremq; studiosæ vitæ, atque virtutum custodiam, ne vir bonus virtutis splendore in superbiam efferatur. Sic Paulus. 2. ad Cor. 12. ait. Virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Cum. n. infirmor, tunc potens sum. Perspice quonam modo Paulus cùm secundū corpus affligebatur, spiritu confortabatur plus solito. Quarta causa est, quam nostra peccata subministrant. Siquidem infirmitas corporis nonnunquam ex peccato prouenit, vt asserit Innoc. 3. in cap. cum infirmitas. de pœnitentijs, & remissionibus. Vt dixit Dominus Ioannis quinto cap. languido, quē sanauerat; vade, noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat. Quam quidem terrificam Christi comminationem, tibi ipsi factā esse intelligito, quasi nunc te Christus sic alloqueretur: ecce iam plenam tibi contulit diuino munere sanitatem. Primum quidem malis animi

tui

tui curatis,idest peccatis omnibus tibidimissis,ac deinde corporis infirmitate ablata,pristinisq; viribus tibi redditis. Posthac igitur diligenter tibi caue,ne iterum peccata committas,vt non in maius malũ propter ingratitudinem recidas, siue in præsenti tempore in morbũ grauiorem,siue in futura retributione in malum æternum. Præterea quæritantur nonnunquam qui aduersa detinentur valetudine,non posse se quæ cæteri faciunt,præstare ; nempe vt ieiunent, vigilent, templa visitent,cæteraq; id genus peragant exercitia . Neque verò vident , vberioris esse meriti patiẽter ferre ægritudinem, Deiq; conformari voluntati,quàm vt lubet,agere; sed neque illa vtilitas nobis prætereũda est, quòd grauis infirmitas orare nos docet acribus aculeis, vt facilius,clementiusq; à Deo exaudiamur . His itaq; rationibus diligenter expensis,aliquantulam persentiet animi consolationem ;quicunque cordatus Christianus,grauioribus morbis diuexatus.

De communi Canonicorum Dormitorio. Cap. vij.



Adem iuris Canonici,& Conciliorum loca , quæ superius cap. 3 .ad stabiliendum commune Refectorium in me-
1 dium attulimus,commune etiam Dormitorium statuerunt. Cæterum Bened. 12.in Constitutionibus Canonicorum Regul.à se editis tit.de cellis nõ tenendis in Dormitorio,eandem rem singulari præceptione perstrinxit,dicens;Rursus præcipimus,quòd Canonici Religionis eiusdem residẽtes in claustris, omnes simul , vel si multitudo eorum non finit , saltem quanto plures ex ipsis commodè poterunt,in vna domo dormiant, & quiescant iuxta regularia, & instituta Canonica : non habentes separatas cameras, siue cellas:exceptis his,qui propter senectutem,vel valetudines corporales, aut propter administrationes , seu officia , quæ gesserint , vel ex alijs causis , iuxta dispositionem sui Superioris rationabiliter excusantur . Statuimus etiam , quòd in Dormitorijs cellas non habentibus,cellæ de cetero nullæ fiant. Permittimus tamen , quòd in eis , vbi sunt cellæ iam factæ,remaneant;sed à parte anteriori debeant aperiri, ita quòd à transeuntibus ij,qui intra fuerint,conspici valeãt, & videri: & quòd per Prælatos locorum infra sex menses, à tempore , quo præsentes Constitutiones fuerint publicatæ,vel ipsis negligentibus,seu nõ valentibus, per Visitatores in prouincialibus Capitulis deputatos , in prima visitatione, quam impenderint , omnes tales cellæ ab anteriori parte debeant aperiri,& si super hoc fuerint aliqui resistentes, vel impedimentum præstantes , seu præstari procurantes , vel ad id dantes auxilium,consilium, vel fauorem , publicè vel occultè , vel huiusmodi

cellas

cellas de nouo facere præsumentes, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto: quos etiam ipsi Prælati, & Visitatores præfati, per alia iuris, & ipsius Religionis remedia, valeant super hijs auctoritate Apost. coercere, ab huiusmodi autem excommunicatione, si ipsam incurrerint, possint absolui per Visitatores præfatos, vel per Prælatos immediatos eorum, & cum eis super irregularitate, si quam forsan contraxerint, per simplicitatem, & iuris ignorantiam; non tamen in contemptum clauium, celebrando diuina, vel se ingerendo eisdem, per eosdem valeant dispensari.

2 Conc. etiam Mediol. par. 3. tit. de communi vitæ vsu, paucis mutatis inquit. Vniuersi Religiosi, si fieri possit, vno loco dormiant, à Præfecto, aut Vicario optimè concluso: cuius claues ab ipso Præfecto asseruentur. Singuli autem in singulis lectis omninò dormiant, & in singulis etiam cellis: Si tanta ibi sit copia cellarum, vt omnes capere possint: cellæ verò, diu, noctuq; apertæ sint, vt Præfectus in singulas horas inspicere eas possit. Dato autem signo eundi cubitum, locoq; vbi dormitur clauso, Præfectus, aut eius Vicarius, omnes cellas visitet: vt an omnes suis dormiant locis, animaduertat.

3 Et Concil. Oxoniense Anglicanum nu. 4. de dormitorio sic decernit, quia nonnunquàm serpens antiquus, qui iugiter sedet in insidijs, vt interficiat innocentes, & sanctos viros quando eos inuenit solitarios, & absque conuersatione, vel consolatione mutua conuersantes, tantò facilius interdum eos suis insultibus obruit, & confundit, prouida deliberatione decernimus, vt tàm Monachi, quàm Canonici Regulares, & Moniales, in vno dormitorio pariter dormiant, & quiescant, singulis personis singulis lectis assignatis.

4 Diuus etiã Bened. in Reg. tit. quomodo dormiãt Monachi, ait; Singuli per singula lecta dormiant, lectisternia pro modo conuersationis secundùm dispositionem Abbatis sui accipiant. Si potest fieri, omnes in vno loco dormiant. Si autem multitudo nõ sint, deni, at viceni cum senioribus, qui super eos soliciti sint, pausent. Candela iugiter in eadẽ cella ardeat vsque mane, &c. Et facto signo absque mora surgentes, festinent se inuicem præuenire ad opus Dei, cum omni tamen grauitate, & modestia; adolescentiores fratres iuxta se non habeant lecta, sed permixti cum senioribus.

5 Sanè vt cibus, ita & somnus temperatè sumendus est, cuius profunditas nociua iudicatur. Qua in re egregium est D. Basilij documentũ in oratione de ieiunio dicentis. Ex crasso alimento exhalationes quædam fuliginosæ nubis densæ instar exhalãt, quæ eas illustrationes, quibus Spiritus sanctus mentem illuminat nostram, incidunt. Somni etiã

leues,

leues,& è quibus facilè te excitare posſis,tenuem victũ cõſequi ſolẽt. Ac ſanè ſua ſponte tales ſomni dirimuntur, cùm cogitationes magnis de rebus habentur. Nam qui tam graui ſopore detentus eſt,vt diſſolutis ipſius membris,locus ſit abſurdis imaginationibus, ſi cõſenſus adſit, hunc ſomnus in quotidiano mortis periculo verſari facit.

6 Nec minus vtile quidem eſt alterum eiuſdem Baſilij documentum in regulis breuioribus interrog.22.ſic inquirens.Vnde nam turpes nocturnæ viſiones naſcuntur? Reſpondet. Naſcũtur illæ quidem ex prauis,& abhorrentibus,quæ interdiu exiſtunt,animi motionibus.Si verò occupatus in iudicijs Dei animus incõtaminatus ab illis permanſerit, & in aſsidua rerum honeſtarum,& Deo placentium meditatione verſatus ſit,conſimilia etiam ſine dubio habebit inſomnia. De Dormitorio verò animæ Hugo de S. Victore lib.3.de clauſtro animæ cap.9. ſic agit; Poteſt mentis tranquillitas,animæ Dormitorium per ſimilitudinem nuncupari,in qua conſtituitur conſcientiæ lectus, carnis fœnum ſubſternitur,excipitur pacis ſomnus,in his ſiquidem anima dormit, & ſuauiter quieſcit. Caue igitur chariſsime, ne Dormitorij tectum, tentationum turbine diſcooperiatur; compone conſcientiæ lectulum, ne mens incompoſita ceſſet à quiete.Subſterne fœnum carnis,vt concupiſcentia mentis rationi ſubdatur; compeſce vitiorum turbam,ne impediant quieſcentis ſomnum. Ordo nanque Dormitorij is eſſe debet, vt clauſtralium nullus aliquid proprium in lecto repoſitum ſeruet, ſic & conſcientiæ lectus talis exiſtat, ſi requiratur; vt nihil in ea propriæ voluntatis inueniatur. Oportet quoque ne ſub carnis fœno quidpiam abſconditum lateat,quòd oculos Abbatis, qui omnia circunſpicit,offendat. Vt autem in pace,& in idipſum dormias, & requieſcas,inquire pacem, & perſequere eam pſal. 4.& 33.

Canonico cubitum ituro, quid ſit agendum. Cap. viij.

1 
Voniam diabolus aduerſarius humani generis, ex omni parte vndequaq; diſcurrit, iam hunc, iã illum tentans, atque etiã eundem modo ſic, modo aliter oppugnãs, omni quidem tẽpore,præſertim verò nocturno, in dãnationis barathrum per os ſuum abſorbere cupiẽs. Idcircò neceſſe eſt,nocturnis vigentibus tenebris,nos vigilãtem animarum gerere curam,Deumq; præcari,vt omnes dæmonum inſidias quã longiſsimè repellat, adhibitis beatis Angelis in noſtrã cuſtodiã, pacẽ, & tranquillitatem,atq; etiam ſublatis mœſtis,& fœdis inſomnijs, atq; phantaſmatis,hoſtem noſtrum comprimere velit, vt impolluta cuſtodiantur corpora. Nocturno nanque tempore feruet carnis illecebra,

coqui-

coquitur cibus,potusq; digeritur. Quam occasionem nactus, serpens antiquus multi iuga tẽtationum varietate,& carnem illidit,& animum occupat,vt testatur Ambrosius. Petro quidem inter punctum mediæ noctis,& gallicantum ardor fidei refriguit, & calori ignis temporalis admotus, Christum negauit. Porrò in primitiua Ecclesia infestissimæ, erant nocturnæ dæmonũ incursiones,sed neque eas hodie cessare credendum est,aduersus quas, nocturnas vigilias orationibus instructas antiqui patres instituerunt, teste Isidoro lib. de officijs cap. 19. imitantes artem militarem, & nauticam, milites nanq; in exercitu aduersus insperatas hostium insidias,& in naui nautæ contra inopinatas vẽtorum tempestates, quattuor stationes nocturnas ordinant,quas vigilias appellant:nimirum singulas tribus horis durantes;quarũ & Christus meminit. Luc. 12. Mar. 13. Igitur ad ritè gerendum hoc bellum nocturnum,peculiaria quædam arma nos induamus oportet.

2 Vesperi ergo semper dum quietem capturus, lectum accedis, si datur otium, & opportunitas, tres primum perlegas libellos, quos ipsos nunquàm non etiam tecum feres. Primus ex his liber peruetustus est, ac deformis, & sordidus, nigerrimo scriptus atramento. Alter candidus est,& gratus,ac elegãs, rubicũdo sanguine exaratus. Tertius cæruleus, ac viridis est, & totus aureis scriptus litteris. Primo igitur vetustum perleges codicẽ, hoc est, antiquam, & præteritam vitam tuã, quæ sicut in cæteris mortalibus, ita in te quoque vitijs,& erratis inuoluitur. Ergo in temetipsum descendens, ac intrò ingrediens, librũ explica conscientiæ tuæ, qui in extremo Christi iudicio, Deo, ac mundo vniuerso apertus erit Apoc. 20. explora, attẽde, & iudica temetipsum, ne illa tremenda die iudiceris, & condemneris. Conscientiæ autẽ examinandæ hic tibi præfixus sit modus, vt ad memoriam reuoces, quẽadmodum vixeris, vti te neglexeris in verbis, actibus, desiderijs, cogitationibus, meditationibus, inordinato, ac iniusto timore, illicito auditu, non recto amore,& dolore, instabilitate, duplicitate, delitijs, simulatione, agendo, ac omittẽdo inutiliter, sensus foras sequendo, sensualitati intus consentiendo, appetendo, commodum proprium captando, impuritatem contrahendo,atque in alijs demũ omnibus quæcunque præter ordinem admittuntur, & à Charitate dissentiunt, & vel præceptis, vel consilijs,vel gratissimæ Dei voluntati repugnant; quorum quidem, atque id genus aliorum tantus est numerus, & tam multiplex varietas, vt nulli, præterquàm Deo soli perfectè cognita sint. Sed tñ animæ faciem cõmaculant,eo quòd atramento scripta sint, hoc est carnis, & sanguis voluptate, ac delectatione, & peruersa quadam ad res terrenas propensione. Displicebis igitur ob ea tibi ipsi. Et cum

publi-

publicano Luc. 18. coram patre tuo cœlesti, & eius æterna misericordia humi in faciem prostratus dicẽs; Deus, propitius esto mihi peccatori. Peccaui domine, peccaui, miserere mihi misero. Da cordi meo lachrymarum, & veræ pœnitentiæ, siue contritionis vndas, quibus animæ meæ faciem à vitijs, & peccatis meis abluam, priusquàm in tuũ me conspectum erigam. Largire mihi domine gratiam tuã, qua exornem, atque colorem faciem meam, vt placeam tibi. Præsta mihi bonã voluntatem, atque animum strenuum, quo tuo in seruitio, tuaq́; laude sine intermissione renouer. Et ista quidem si obtinere velis, mane affixus humo, tunde pectus, altos ede clamores, funde lachrymas, neq; ausis sursum tollere oculos, sed contemne, abijce, humilia, & obiurga te ipsum. Dei autem misericordiam implora, & pulsa; neq; ab his desistas, donec ipse tibi veram loquatur pacem, verumq́; gaudium cordi tuo. Tum verò metum anxium, & formidinem, dubitationem, ac horrorẽ, & quicquid ipsi in te displicet, à te auferet, ac remouebit, præstabitq́; tibi fidem, spem, & erga se fiduciam de illis omnib. quę tũ in hac temporaria, tum æterna illa vita tibi necessaria fuerint. Hinc iã illũ laudandi, illi ad mortem vsq; fidem seruãdi quodã accenderis desiderio.

3 Deinde verò vetusto posito codice, ingenua cum laude, & gratiarũ actione consurgens, ex memoria tua candidum proferas librum, rubicundis litteris exaratum, idest innocentem Christi Iesu vitã; cuius quidem anima innoxia est, eiq́; totius inest gratiæ plenitudo, estq́; ardenti instar flammæ rubicunda amore. Corpus autem gloriosum, & mirificè candidum, ipso Sole splendidius, vndiq; confectum flagellis, roseo, ac prætioso perfusum sanguine, qui sunt characteres rubri, qui nobis illius erga nos veræ Charitatis signa, & litteræ sunt. Quinque verò insigniora vulnera, litteræ maiusculæ, & capitales sunt, quibus huius codicis capita inchoantur. Litteras igitur in venerando eius corpore exaratas, ingenti cum miseratione, & condolentia releges; charitatem autem in illius anima viuentem, intima consideratione commemorabis, age fugias, ac deuites mundum hunc fallacissimum, quandoquidẽ cernis dominum tuũ sua extendisse brachia, quibus te suscipiat, & amplectatur. Commorare in foraminibus vulnerum eius, quemadmodũ columba solet in petræ cauernis; Apposito ad patulum lateris eius vulnus ore, cœlestem suauitatem ex corde eius manantem gustato, atque olfacito. Aspice pugilem, & gigantem tuum, vt ad mortem vsque prò te dimicarit, victis hostibus tuis, & sua morte peccatorum tuorũ morte perempta, ac per solutis debitis tuis, patrisq́; sui hęreditate præcioso sanguine suo recuperata, atque comparata tibi, & vt in cœlos ascendens, æternæ gloriæ portas tibi patefecerit, ac locum præparasit.

rit.

rit. Quas ob res gaudere meritò debebis, domini tui Charitatem, ac paſsionem tuo geſtare in pectore, ita vt ipſe viuat in te, & tu in illo; quo fiet, vt mundus omnis cruciatui, ac tædio tibi ſit, & mori ipſe appetas, & ſequi dilectum Chriſtum in regnum ſuum. Et ſic candidus quoque liber perlectus erit.

4 Tum verò in pedes erectus, & ſurſum in cęlum leuatis oculis, & mẽtem tuã Deo explices, & aperias, librumq; tertium perlegas cæruleo, viridiq; colore conſpicuum, & aureis ſcriptum characteribus, quo vita ſignificatur cœleſtis, quæ in hyacinthi morem, cæſio, ſiue cæruleo nitet colore, & triplici claritate refulget, in eaq; claritudine viridis quidam elucet, atque exiſtit color, multiplicem illi decorem adferens. Prima cœli claritas ſenſibilis eſt, eaq; Deus cœlum ſupremum compleuit, ac illuſtrauit, quemadmodum totum vndique terrarũm orbem Solis ſplẽdor implet, & illuminat. In hoc cœlo cum Chriſto & beatis Angelorũ ſpiritibus cum anima, & corpore perenniter viuemus, ac regnabimus, ſingulis corporibus pro meritorum dignitate fulgentibus. Attamen omnium minimè ſplẽdidi corporis claritas, Solis huius viſibilis claritudine ſextuplo maior erit, cunctaq; illic corpora impaſsibilia erunt, & ipſa quoq; cogitatione agiliora, aëre leuiora, & ſolis ſplendore ſubtiliora. In hac cœli, & glorioſorum corporum claritate, viridis apparet, ac eminet color ſimilis iaſpidi, eamq; noſtris nos corporeis cõſpiciemus oculis viriditatem; quę ſunt cũcta illa externa bona opera, quæ iam facta ſunt, & deinceps fient vſque ad mundi terminum, quocunq; illa modo peracta ſunt, & peragentur, vt puta moriendo, viuendo, martyrij cruciatus perferendo, humilitatẽ, caſtitatẽ, pietatem, & liberalitatem, Charitatẽ colendo, ac exercendo, ieiunando, orando, vigilando, legendo, cantando, multiplicem agendo pœnitentiam, & quęuis demũ bona actitando opera, quorum omnium numerus eſt infinitus, hic inquam, amœnus, & gratus ille viridis color eſt; quo corpora glorioſa plus minuſuè, pro ſuo quæq; labore, meritò, ac dignitate decorabunt.

5 Altera beatæ vitæ claritas ſpiritalis eſt, oculos omnes intellectiles ad perſpiciendas, cognoſcendaſq; internas virtutes omnes ſcientia, & ſapientia in cœlis adimplens, & illuminans, & in ipſa itidẽ color elucet viridis, qualis eſt ſmaragdi gemmæ viriditatis eximiæ, & hic color mirificè elegãs eſt, & oculis intellectualibus longè gratiſsimus; per ipſum autem virtutum decorẽ, fructum, ac diſcrimen omne intelligi volumus, qui eſt regni cœleſtis color omnium elegantiſsimus, atque iucundiſsimus; quantoq; virtutes ipſæ cum fructibus ſuis attentius inſpiciuntur, & altius ſcalpuntur, tãtò ſunt aſpectu pulchriores, atq; amœniores, quamobrem ſmaragdo, præclaræ admodum gemmæ comparantur,

rantur, quippe quæ quo scalpitur magis, eo obtutus amplius delectat & exhilarat. Atque in huius ipsius gemmæ morem singulus quisq; beatus pro sua excellentia, meritò, ac nobilitate magis, vel minus clarus, viridis, formosus, iucundus, & gloriosus est.

6 Tertia demũ cęlica claritas prorsus diuina est, & non nisi ipsa æterna est sapientia, & claritudo, quæ Deus ipse est. Hæc claritas quicquid est creatæ claritudinis, circumplectitur, & excedit; & ad diuinam sapientiam omnis creaturarum omnium tàm cęlestium, quàm terrigenarum cognitio collata, minor est, quàm candelæ vnius lux in radiantis media æstate solis splendore. In hac autem diuina claritudine color viridis quidem sese manifestat, ac emicat, sed nulli comparari potest; quippe cuius tanta amœnitas, gratia, & gloria est, vt obtutus omnes in ipso hebescant, & excęcentur, & omni consideratione destituantur. Ex his animaduertere potes, tertium, quem euoluendum tibi dixi, codicem, vitam esse cęlestem, ac beatam, triplici claritate, ac viriditate distinctum, prima sensibili, altera spiritali, tertia diuina. Scriptus autẽ totus hic liber est auro puro. Quandoquidem singulæ quæque amorosæ introuersiones singulos efficiunt versus, auro scriptos. Itaque vera Dei, nostri ipsorum, & virtutum cognitio, huius nostri codicis claritas est; multiplices autem, & varij modi, discrimina, & exercitia virtutum, eiusdem libri color viridis est.

7 Mente igitur vltra cœlos omnes subleuata, codices hosce legito, qui quidem omnes tum foris in sensibus ob præclara opera sua, tum intus in spiritu ob multiplices virtutum modos, pleni sunt gloria; quod si in Christo tibi ipsi, & rebus omnibus emortuus es, & cum ipso in nouam, & æternam resurrexisti vitam, quæ sursum sunt, & quæ æterna sunt, sapito, quærito q;. Post vbi euigilaueris, mox occurret animo tuo id qđ amas, quodq; potissimum colere, & exercere soles, & quod tuo viuit in pectore. Sis obsecro firmus, & stabilis in obsequio, & cultu Dei tui, eiusq; iugiter gratiam præceris. Oleum ardens die, noctuq; sit semper in lucerna tua; vigilijs, ac præcibus, qua oportet moderatione, insiste. Sponsus quidem animę tuæ opinione tua celerius adęrit. Tantum vide, vt inter prudentes virgines anima tua inueniatur, quo ab illo, eiusq; familia recipi dignus sis, vbi gaudia æterna erunt interminata. Considera quæso, & inspice temetipsum quotidie, foris & intus, vtrũ etiam pensum quotidianum tui muneris, & Religionis absoluas. Vt.n. diuinam sapientiam perscrutari non sufficis, ita eam nec fallere poteris. Et diuina quidem iustitia, quo in statu ex hac vita decesseris, secũdum eum iustissimè de te feret sententiam. Hortor itaq; & obsecro, vt diligenter, probè, ac strictè te examines, obserues, & animaduertas.

Tempus.n. breuissimum est,& mors adest pro foribus. Vbi ad eã ventum erit horam,qua extremum trahes spiritum, mercedes pro ratione tuorum accipies operum,nec deinceps vnquam huc redire licebit. Quotidianam verò sui ipsius examinationem esse faciendam egregiè docuit Hugo de S. Victore.lib.1.de anima,cap.6.tom. 2. Integritatis tuæ curiosus sis explorator,viam tuam quotidiana discussione examina; diligenter attende,quantum proficias,vel quantum deficias: qualis sis moribus,qualis affectibus; quàm sis Deo similis,aut quàm dissimilis;quàm propè,vel quàm longè,non locorum interuallis, sed morum affectibus. Enitere teipsum cognoscere. Sic enim eruditior eris, quàm si te neglecto,incognitoq; ad vnguem cognosceres cursum syderum, vires herbarum,cõstitutiones hominum,naturas animalium, haberesq; plenissimam omnium cœlestium, terrestriumq; cognitionem. Redde ergo te tibi ipsi,saltem aliquãdo. Moderare tuos affectus, dirige actus,corrige gressus; propone ante oculos tuos transgressiones tuas;statue te ante te,tanquàm ante aliũ,& sic temetipsum plãge; deplora iniquitates,quibus Deum offendisti, indica ei miserias tuas. Itaq; extra quotidianum orationum sacrificium,vel lectionis, aut meditationis studium,quotidianæ conscientiæ discussioni, emendationi, morum compositioni,pars sua diei neganda non est. Cõparandus est dies præsens, & instans, diei præteritæ, vt ex eorum collatione, tuum deprehendere possis,vel profectum,vel defectum;& in omni actu, vel cogitatu tuo tibi dominum Iesum adesse memoreris;necnon omne tẽpus, quo de ipso non cogitas,perdidisse te computes. Mane autẽ præteritæ noctis, fac à temetipso exactionem,& venturi diei tu tibi indicito cautionem. Vespere verò diei præteritæ rationem exige, & superuenientis noctis fac vtilem dispositionem.

De somni vsu,& munditia somniorum. Cap. ix.



1 Omnum homini esse pernecessarium Aristoteles testatur in libello de somno,& vigilia cap.2.dicens;Cùm naturã semper agere gratia alicuius boni dicamus, quietem verò vtilem esse,atque adeò necessariam ijs omnibus,quæ moueri quidem nata sunt, sed semper, & continuè moueri cum voluptate nequeunt; cumq; ob veritatem ipsam translatio hæc vulgo recepta sit, vt somnus quietis nomine designetur, somnus profectò ad salutem iunctus animalibus fuit. Item somnus animali cuiq; necessarius est,non quidem simpliciter,sed ex supposito,& adiũctione, nam si animal naturam suam seruare, ac tueri debeat, necessariò quædam adesse ei oportet,quibus positis,alia subinde adiungenda

sunt.

sunt. Est autem somnus, vt idem cap. 3. definit, coitus quidam caloris ad intima refugientis, & naturalis quædam antiperistasis, circunobsistentiaq;; imò nexus est, & vinculum primi sensorij, vt suo fungi munere non possit. Fit igitur salutis gratia, quoniam quies animal tuetur, atque conseruat, hæc ille. Quapropter sicuti vigilia est sensuum libertas, atque solutio, cùm hominis sensus liberi sunt ad operandum suas operationes obiecto oblato, & impedimēto secluso; ita somnus sensuū est vinculum, atque ligamen, quo ligantur sensus, vt non possint suas exercere operationes, etiam si obiectum offeratur, & impedimentum omne extrinsecum remoueatur.

2 Duplex autem somni vtilitas à philosophis traditur. Primum.n. ad animalium virium facit reparationem. Omnis nanq; virtus naturalis, quæ absq; fatigatione perpetuò exerceri non potest, indiget aliquando quietis intermissione, vt possit instaurari quiete, quæ nimia fatigatione deficeret. Itaque quia organa sensuum immodica defatigātur vigilia, indigent intermissa quiete, vt resumptis, reparatisq; viribus, iterum ad suorum officiorum possint aptam functionem redire. Secundo est somnus vtilis, atq; etiam necessarius propter virtutes vegetatiuas, è quarum numero nutritiua est. Propter quòd in hominibus studiosis, & in re quapiam plurimum sensu occupatis peior fit nutritio, minorq; augmētatio. Et multum vigilantes macrescere videmus, atq; pallescere, somniculosos autem vehementer impinguari. Idcirco propter salutem hominis, ipsiusq; valetudinem firmandam prouidè auctor naturæ somni tempus instituit. Atque hinc est, quod vulgo dici solet, somnum non minus, quàm cibum ad bonam valetudinem conducere, somnoq; moderato non minus, quàm cibo hominē nutriri. E contrario autem nimia vigilia, non minus quàm immodico ieiunio corpus exsiccari, atq; tabefieri. Somni.n. defectus impedit alimenti debitam conuersionem in substantiam rei. Hinc aptè Eccl. 31. legimus; Vigilia honestatis tabefaciet carnes. Prudenterq; viri sancti, quibus cura est edomandæ carnis, eiusq; molestijs, & afflictionibus debilitandæ, ne supercrescant spiritui, vigilijs æquè, atq; ieiunijs insistunt, scientes carnis vigorem non minus somni, quàm cibi subtractione infringi, atque imminui. Hoc.n. est quod quærunt, carnem videlicet atterere, & velut supprimere, ac iuxta Apost. 2. ad Corinth. 9. castigare, & in seruitutem redigere, vt dominetur spiritus. In somno igitur hominem cōtingit sensu, & motu priuari per spiritum sensitiuorum, & motiuorum defectum. Non.n. moueri possunt membra secundum locum, nisi per spiritus motiuos, qui transmittuntur à cerebro ad membra.

3 Quare cùm ad duo hæc somnus ab auctore naturæ, Deo, sit institu-

O tus,

tus, videlicet ad sensuum reparationem, & vegetatiuarum virium adiumentum, nam sopor irrigat artus, nequaquam cordati, sapientisq; hominis fuerit, prorsus sibi velle somni quietem subtrahere. Non.n.minus peccatum habebit huiusmodi, quàm si alimentum sibi in totum adimeret aduersus Dei ordinem, & institutionem. Vnde Christus somni necessitatem nequaquam à se repulit. Nam & in naui super ceruicaleum dormiuisse legimus, & à discipulis fuisse excitatum. Est autem sapiẽtis eatenus somno moderato vti, quatenus ratio dictat eundem esse conducibilem; quomodo alimento vir bonus frugaliter vti debet pro retinenda corporis vita, non pro eodem enutriendo ad lasciuiam. Qua in re attendenda est propria corporis constitutio. Quemadmodũ n. in alimento sumendo non omnibus vna est mensura constituenda, ita nec in somno. Quod enim huic ne satis quidem est, illi est nimium.

4 Animaduerte igitur immodicum somnum multa mala, & nocumẽta parere homini; quemadmodum.n.moderatus somnus cuncta organa apta reddit ad sibi congruas exercendas operationes, ita cum nimius fuerit, reddit ea pigra, tarda, atq; inhabilia ad exercendas conuenienter suas functiones. Vnde homines nimio somno deditos, videmus esse pigros, desides, oscitabundos, graues, & velut immobiles, malæ apprehensionis, mali iudicij, tardi motus, imò non ita limpidè vidẽtes oculis, neque etiam lingua ita exactè gustantes, & omnino in omnibus, quæ ad vires animales spectant, operationibus inueniuntur inhabiles. Cùm è contrario qui moderati sunt somni, conspiciantur ad omnia prompti, & alacres, viuacitate quoque sensuum pollentes. Item si plus iusto somno indulges, rursum deinde cerebrũ indisponitur, maleq; habet. Propterea non parum ingenio conducit, summo mane è suaui lecto exurgere, dulcesq; relinquere plumas, videlicet vt sensibus reparatis, antequàm iterum malè afficiantur, somnus abrũpatur. Præterea & aliud inuehit damnum somnus prolixus, quod & mentis, & corporis immunditiam contrahit. Proinde omnibus quidem, maximè verò ijs, qui castitatem mentis, atque corporis seruare volunt incontaminatam, & nec illusionibus fœdarum imaginum, nec spurcitijs pollui nocturnarum immunditiarum, prolixus ille somnus matutinus diligenter est cauendus. In fine nanque somni experientia commonstrat, huius rei maximum esse periculum. Coinquinationes ergo inordinatas corporum euadere possunt, qui tẽpus illud præueniendo, somnum antequàm eo pertingat, abrumpũt. Quamuis verò in aurora somnus sit mollibus hominibus maximè suauis, ijs videlicet, qui venerem amant, & corporis delitias; veris tamẽ Dei amatoribus, castitatisq;, & omnis virtutis cultoribus somnus ille maximè est fugiẽdus. Huc quo-

que

que accedit, quod Arist. in œconomicis tradit, aurorã studiorũ contẽplationi, rei familiari augẽdæ, corporeæq; sanitati aptissimã esse, atque vtilissimã, quã proinde non somno, sed vigiliæ tribuendam esse. Sapiẽter quidem nos Eccles. cap. 5. docuit, quanam ratione, & methodo legitimam somni suauitatem, atq; dulcedinem, nobis captare, & arripere possimus. Dulcis, inquit, est somnus operanti, siue parum, siue multum comedat; saturitas autem diuitis non sinit eum dormire. Audi diligenter egregiam, & monasticam regulam. Comparat ergo sapiens diuitem in otio agentem, cum homine paupere, vel mediocri, qui suo sibi labore victum parare debet, ostendens pauperem suo labore viuentem melius habere ex eo ipso, quem sibi cum labore parat, victu quotidiano, quàm habeat diues in otio agens propter rerum sufficientiam ex omnibus suis diuitiis. Videmus. n. homines tenuis fortunæ suis manibus sibi, ac familiæ victum quotidianum parantes, bellissime valere, corpore esse sano, & robusto, stomachum habere in dispositione optima, qui facilè possit digerere quemuis iniectum cibum, quamlibet rudem, quãtumlibet iuxta diuitum æstimationem vilem. Atque hinc fit, vt vigens in eis appetitus magnam illis præstet in esu rudium quoque ciborum delectationem, adeò vt nonnũquàm è cibarij panis nuda crustula (iuxta commune prouerbium) mellis videantur exugere dulcedinem. Quòd si nonnunquàm in cibi quãtitate excedere eos cõtigerit, aut aliquid esui incommodum traiicere, validus appetitus, & ferrei stomachi igneus ardor facilè absumunt, quod superfluum est, aut malè conueniens, vt nullum inde patiantur incommodum. Deniq; somnum (cuius est delectatio hominibus plurimum suauis) habent quietissimum, & plenum, non interruptum crebris vigilijs, vel ob stomachi cruditatẽ, vel quamlibet aliam ob causam: mox vbi ceruicali caput contigerint, adest mulcebris somnus, tanquàm obuijs vlnis suauiter excipiens resupinos, vt videri possit ad hoc in ceruicali latitasse, quò aduenientem pauperem operarium in suo sinu conforeret. Sic postquàm totam noctem suaui somno pauper edormierit, mane euigilans, eodem in latere iacentem se comperit, in quo se ad vesperam reclinauerat, cùm se somno daret, neq; vel ad latum culmum mutasse. Nõ meminit insomniorum, nullos sensit nocturnos timores, lamias non vidit, neque lemures, excutit celeriter somno bene refectũ corpus è lectulo, atque ad solitum opus reuertitur, vt impleat illud quod in Psal. 103. de huiusmodi homine dicitur: exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam, vtq; illi pareat sententiæ, quam Dominus super Adam protulit, & posteros eius, dicens Gen. 3. In sudore vultus tui vesceris pane tuo.

6 Tanta ecce c ommoda præstat pauperi sua tenuitas. Contra verò, otiosi diuites, qui ampla hæreditate à parentibus ditati, aut aliàs quomodo habet diuitias copiosas nacti, in otio vitam agunt, nulla actione honesta, neque priuata, neque publica occupati, propter otiositatem malè digerunt cibum, nimirum vt ipsi pigri sunt, ita & coquum habentes pigrum, idest stomachum tepidum, & digerere impotentem, qui nihil ferre possit, nisi quod tenerrimum sit, & digestu facillimum; neque rursum nisi modicum aliquid, quod pauperi operario vix ad ientaculi præludium sufficeret. Et iustè quidem hanc in illos vindictam exercet suu s stomachus, quasi eius sententiæ exequutor, quam pronunciauit Apostolus: si quis non vult operari, nec manducet. 2. ad Thes. 3. Malam verò digestionem sequuntur incommoda plurima, ex quibus vnũ est: quod magni reputant delicati diuites, nullũ cibum quantumuis de licatum, quamlibet opipare præparatũ, sibi videri sapidũ aut si interdum ad primum gustum in sapore nonnihil sentiant oblectationis, post morsum vnum, aut alterum morsellum, fastidiunt & conuertuntur in nauseam. Quod malum ipsorum iudicio non mediocrè, dũ conantur depellere, arte tum coquorum, tum medicorum solicitãt, vt appetitum prouocent, & stomachum, vel nolentem ad cibum concupiscendum, quasi per vim cogant, sicq; esurire compellant. Hinc ferculis omnibus aromaticas species, & cõfectiones alias calidissimas adiũgunt, vt his prouocata gula, in stomachum etiam nolentem escas delicatas traijciat. Vina præter ea adhibentur, quæ possunt inueniri calidissima. Aquæ haustus, aut ceruisiæ (immane) quantum illorum languenti stomacho adfert periculi, videlicet ne totus simul naturæ, ac digestionis calor extinguatur. Sed & medici magno pretio, & multi honoris obsequio solicitãtur, vt vel tota sua arte ipsi efficiãt, quod à natura, ac naturæ donis se vident non pro voto consequi. Atque hi rursum, quæ calidissima nouerint, & ad gulam irritandam quàm maximè conducentia, stultis stulti obsequentes adhibent, simul in hoc, & alienæ seruientes insaniæ, & suo non minus studentes quæstui. Atque his rebus efficiunt otiosi illi diuites, infœlicem stomachum tot modis diuexantes, vt in dies magis viribus ille deficiat, & totus pigritia languescat, donec tandem ex ligneo (vt per iocum de huiusmodi dici solet) papiraceum accipiãt. Quo languente, necesse est totum corpus pessimè habere, vt frigente coquina, & coquo languente, omnis simul languet familia, quæ non nisi coqui, & culinæ beneficio sustentatur.

7 Ad hoc malum, ipsorum iudicio, non mediocre consequitur alterum, nihilo melius tolerabile, dormiendi, videlicet impotentia. Vbi.n. malè digerit stomachus, non potest congrua esse dormitio, quemadmodum,

modum, & ratio, & experientia testatur. Atque ita & illa dulcissima somni requie (qua nihil carnalibus hominibus videtur suauius) fraudantur. Tametsi.n.stomachum habeant impotentem ad digerendum, prouocant tamen gulam omnibus, quibus possunt modis, vt etiã per vim cibum, potumq; vel inculcent, vel ingurgitent, nonnunquàm velut pistillo intrudẽtes, donec per gutturis canale in stomachũ traijciãt, quibus digerendis dum nequaquàm piger, & languidus sufficit stomachus, dum conatur, & non præualet, non sufficit vapores eleuare mulcebres (cuiusmodi ad somnum causandum Physica docet requiri) sed tãtùm crudas quasdam, & indigestas exhalationes sursum fundit, quæ vbi caput occupauerint, dolorem non modicum generãt, per os quoque eructationibus eijciũtur, & per varia corporis membra dispersæ, corpus totum mirum in modum fatigant, & indisponunt, diuersarum quoque ægritudinum materiam, & causam præstant. Sic diuitum saturitas dormire eos non finit. Si in lectulo se componant, vt somnum inuitent, iacent, claudunt oculos, silentium præstari summum à tota familia exigunt, puluinaris plumas iterum, iterumq; eleuant, in plumarum mollicie delicatum corpus versant, atq; reuersant (iuxta Sapientis verbum) quasi ostium in cardine; fugientem somnum expectant, obsecrant, inuocant. Qui vbi post horas plures diu vocatus tandem aduenerit, abscedit quãtocius, vix vlla data requie, & post horam vnã, aut alteram expergefacti, sentiunt eructationes ascendẽtium è stomacho laborante, sed impotente cruditatum: reuertuntur illis ad os cum amaritudine pinguia, quæ qualicunque delectatione per gulam intrusa, verius quàm manducata fuerant, sic stomacho de gula iustas, meritasq; pœnas sumente, vt quemadmodum cœnæ tempore per vim ingurgitando gula stomachum afflixerat, sic nunc per tempus somni stomachus illi refundat, qua torqueatur crudam amaritudinem. Qua in re diuites isti otiosi, & gulosi aduertant, iam in se incipere executionẽ iudicij illius, quod in Apoc. de Babylone illa ipsorum matre definitũ, legimus, dicente Angelo Apoc. 18. Quantùm glorificauit se, & in delitijs fuit, tantùm date illi tormentum, & luctum. Nonne.n.huius miseriæ euidens isti sentiunt præludium, dum quod sub noctem cœnandi tempore cum qualicunque oblectatione ingerunt, statim per noctem somni tempore non minori cum amaritudine eructantes effundunt? Nunc igitur ex hac Ecclesiastis comparatione, iudicet quisquis habet oculos, quanto sit otiosorum diuitum, etiam hoc in mundo peior conditio, quàm pauperũ, & tenuium, qui suis manibus quotidianum sibi victum quæritant: id quod vel ipsi, si rectè perpendant, velint, nolint, fateri cogentur. Sed hæc ob pauperum consolationem, & diuitum ad-

monitionem prolixius dicta sufficiant. Potest autem saturitas ista diuitis aliter intelligi abundantia diuitiarum, quæ illum non sinit dormire ob perpetuam, quam pro eis tum congregandis, tum conseruandis, gerit solicitudinem.

8 Quod verò ad somniorum rationem attinet, ex Arist. in commentariolo de insomnijs. cap. 1. somnium sensoriæ partis affectio est, & spectrum quoddam, & phantasma. Nam visum ipsum, quod in somno apparet, insomnium dicimus. Animaduertendum itaq; est, quòd in sensiterijs nostris ab extrinsecis impressæ, insignitæq; obiectis, quædam permanent, durantq; reliquiæ, simulacra scilicet, & imagines ab actu sensibilibus impressæ, & quasi in tabellis quibusdam depictæ. Horum simulacrorum, & imaginum quædam integra, & illæsa, vt impressa fuerant, restant, & perseuerant: Nonnulla verò conturbantur, & ob nimios caput petentes vapores confunduntur, neque integri quidpiam conseruare possunt. Pleraque etiam penitus obliterantur, & euanescunt, alijsq; ingruentibus occuluntur sanè, & intereunt. Quæ igitur idolorū vel integra restiterint, vel ita remanserint, vt non penitus euanuerint, in ipsum postmodū cor cū vaporibus descendentia, qui somni tempore à cerebro deuoluuntur, principio sensitiuo applicata, & inconcinne ingruentia, ipsum non aliter mouere censentur, quàm si ab actu sensilibus excitaretur. Et hoc certè modo confusa quadam, minimeq; constantia effici somnia, nō ab re existimamus. Vt igitur apertius dicamus, contingit quidem in somno sensus interiores interdum solui, exterioribus sensibus in suo vinculo permanētibus; apparentq; tunc phantasmata, & variæ imagines in phantasia, atq; in æstimatiua; quas apparitiones, imaginationesq; somnia vocamus, fiūtq; hæc somnia maximè post medium somni, cùm iam vapores incipiunt minui, & subtiliari, & ita primum sensus interni soluuntur, incipiuntq; operari, exterioribus sensibus in suo vinculo nihilominus permanentibus; eo quòd vapores adhuc meatus occupent, quibus à cerebro ad ipsorū organa transmitti debent spiritus animales. Causa autem, ob quā somniantes omnia iudicent ita se habere, vt somniant, videtur esse ex defectu operationis sensus cōmunis. Falsas. n. imaginationes sensus cōmunis iudicat in vigilia, atque cognoscit per sensuum exteriorū obiecta; in somniantibus verò sensus exteriores ligantur, neq; sensus communis, nisi quæ ab ipsis recepit, iudicat. Quemadmodū videlicet cùm vanus, atq; mendax homo miranda proponit, si nemo adsit, qui falsitatē redarguat, credūtur vera esse, quæ narrātur. Si verò adsit, qui arguat falsa eiusmodi proponentē, manifesteq; comprobet, nihil talium sic se habere, nemo credet homini mendaci, quicquid tandem ille dixerit.

9 Variæ autem statuuntur somniorum causæ, quibus semel à religioso viro cognitis, non mediocris ipsorum mundicies comparari, haberiq; poterit. Quædã.n.sunt somnia, quæ cõtingunt ex prius in vigilia sensatis, & maximè ex ijs, circa quæ fuimus in vigilia soliciti, siue anxiè, diligenterq; occupati. Hinc.n.fit, vt auarus somniet de pecunijs, de negotiationibus, emptionibus, atque venditionibus; gulosus de epulis, & conuiuijs; luxuriosus de mulierũ conuictu, & colloquijs, alijsq; huiusmodi. Homo autem misericors somniat de pauperum necessitatibus, de miserorum patrocinio. Qui zelat pro iustitia, somniat iniustitiæ punitionem; nauta de ventorum prosperitate; doctor verò de litterarum studio. Demùm in vniuersum, circa qualia occupatur homo in vigilia, circa tália versatur in somnio: offerunt.n.sese species illæ, atque imagines dormienti, quæ solent vigilanti. Ex huiusmodi autem somnijs potest vtcumq; coniectare homo, quid potissimum ipsius affectu inhæreat. Vt si quis frequenter de honoribus, & laudibus humanis somniet, meritò sibi metuere potest, ne fortè sit ipse homo ambitiosus. Item si de epulis, ac lautitijs, ne fortè sit homo delicatus, & gulosus, atque ita in cæteris. Naturaliter etiam somniat homo de illo, quod sibi deest, & quod appetit, vt esuriens, cibum somniat, & sitiens potum. Ad eundem modum cùm natura se oneratam senserit alimenti superfluo, quod ad generationẽ pertinet, somnium excitat ad id aptum; & de salute viuentis solicita, id ita procurat, æstimatiuã mouens. Ne si non fiat superflui illius exoneratio, varijs morbis consumat hominem; atque ita contingit etiam castissimos viros, nocturnis illusionibus solicitari, atque vexari. Quod tamen opus omnino naturale est ad viuentis salutem conseruandam. Quod sanè dixerim pro consolationis loco ad scrupulos dirimendos. Omnino.n.contingere potest, & contingit non rarò, eum qui secundùm rationem, & voluntatem verè castus est, somnijs rerum venerearum illudi. Qui ergo huiusmodi se sentit somnijs rerum non bonarum tangi, non statim deijciatur animo, non se mox Dei existimet inimicum: veruntamen examinet se ipsum diligenter, an nõ ex præuijs in vigilia voluntarijs cogitationibus, aut effectibus, ista sic exurgant; an non exorta fuerint à causa aliqua voluntariè subministrata, vnde eiusmodi somnia per se sint cõsequuta. Discatq; nõ debere se esse securũ; discat nondum perfectè deuictũ esse domesticum hostem; discat sibi adhuc standum super custodiam, & humilitatis, ac prouidentiæ sibi sumat occasionem.

10 Possunt quoque huiusmodi somnia ex alia causa prouenire. Videlicet ex demonum illusione. Ii.n. per phantasmatum commotionem possunt turpe aliquid in somno sensui communi repræsentare, vnde in-

terdum pollutio subsequitur. Illusio autem dæmonum nonnunquam accidit ex præcedenti negligentia in præparatione ad orationē. Ille.n. qui sic diuexari solet, tenetur se præcationibus, alijsq; remedijs aduersus dæmonem communire, & nonnunquam corpus macerare. Si quas itaq; contingat tibi vel dormienti, vel vigilanti, siue ex aspectu, siue auditu, siue per cogitationes, siue dæmonum suggestionem, immundas incidere imagines, ita vt ad libidinem, & turpes naturæ propensiones, ac voluptatem mouearis, Crucis signum imprimis cordi tuo, dicasq; Angelicam salutationem, & ores Deum, vt tui misereatur; & sanctorū opem implores; proponasq; tibi ob oculos, si consenseris, priuatum te iri gloria Dei, & pęnas inferni semper esse luiturū, Deum quoq; offensurum, & ab eo, cunctisq; amicis, & electis eius separandum. Quæ sanè merito vereri, atque horrere debebis. Certabisq; viriliter & spem, atque fiduciam tuam in Christi morte, gratia, & auxilio collocabis; certus quòd is te non deseret, sed citra dubitationem victor euades, gratiæ, virtutumq; incrementa maiora accepturus. Fuge igitur somnolētiam, vigiliam honestam arripiens; somniorum verò munditiam, & puritatem ex operationibus, negotijsq; studiosis, atque ex præcedentibus mundis cogitationibus compara, & conquire.

Quæ ratio tenenda sit in accipiendis hospitibus. Cap. x.

1 SExta synodus Constantinopolitana in hunc modum hospitalitatem docet: admonendi sunt omnes, vt hospitalitatem diligant: & si cui hospitium præstiterint, nullam ab eo mercedem accipiant. Dicendum quoq; est illis, qualiter multi per hospitalitatis officium Deo placuerunt, dicente Apostolo, per hanc enim placuerunt quidam Deo Angelis hospitio susceptis. Ad Heb. 13. & iterum 1. Petri 4. Hospitales sine murmuratione, & ipse Dominus Matth. 25. ad iudiciū veniens, dicturus est: Hospes eram, & non collegistis me. Sciant quicunque hospitalitatem amant, Christum se in hospitibus recipere: quare ferendi non sunt, qui hospites à monasterijs congruas diuitiarum facultates habentibus abigunt; nec consanguineos quidem, aut patronos, aut nobiles per ea transeuntes, aut in ipsa per aliquot dies recreādi animi gratia sese recipientes propellere decet, vt Mar. Azpilcueta in tract. de reddit. bon. Eccl. q. 1. nu. 69. opinatus est. Illa.n. nō est pura liberalitas, imò donatio ob causam, non est pura donatio. Est enim hoc non inutile artificium acquirendi, & conciliādi voluntates eorum, qui fouerunt, aut fouendi potestatem habent monasteriorum iura, & causas in iudicio, aut extra illud.

Quidã tñ abuſus hic cauendi ſunt. Primus eſt,ſi immodici fiant ſumptus,pompã humanã præ ſe ferentes. Quod quidẽ ſimulatæ hoſpitalitatis vitiũ vehemẽter carpit Baſilius in regulis fuſius diſputatis interrogatione 20. Inanis.n. gloria,& humani fauoris captatio,& quælibet in quacunque re oſtentatio Chriſtianis hominibus interdicuntur,maximè verò Religioſis humilitatem profeſsis. Qui in ciuili vitæ genere verſantur,paupertatis humilitatem veluti rem ignominioſam fugiunt, ob eamq; cauſam ſi aliquis ipſis ſuſcipiendus ſit hoſpes, epularum, & copiam, & magnificentiam ſtudioſius cõſectantur. Vereor equidem, ne ad nos quoque furtim ſe iſtiuſmodi peſtis inſinuet, aut certè commendatæ à Chriſto paupertatis nos pudeat. Indecorum igitur nobis erit,ſi noua,& à communi victus noſtri ratione lõgè abhorrentia eſcarum genera excogitare velimus. Illud.n. circuncurſare nos,vt ea perueſtigemus,quæ nõ ad neceſſarium vitæ vſum requiruntur, ſed ad explẽdam miſeram libidinem, ambitionemq;, præterquàm quod fœdũ, ac turpe eſt,& ab inſtituto noſtro alienum,exemplo etiam apprimè nocet:quando delitijs dediti,nos quoque in earundem rerũ curis ſolicitudinibusq; verſari animaduertant. Quid ergo nobis cũ apparatibus ſumptuoſis? Eſt & altera efficax ratio. Si enim ad nos aliquis hoſpes acceſsit,idem nobiſcum vitæ inſtitutum habens; is profectò domeſticam ſuam menſam agnoſcet,qualem & ipſe domi ſuæ reliquerit:at defatigatus ex intinere? Cum eo liberalius agatur, quatenus ad recreandam eius laſsitudinẽ ſit ſatis: acceſsit alius, ſed ſecularis; hic diſcat ex factis formulam vitæ frugalioris. Quam ſi non didicerit, iterum nobis moleſtus nõ erit, ſi nos voluptatibus deditos eſſe nõ decet,illud certè multo ab honeſto alienius eſt,ſi ob iſtos delicatulos,à menſæ noſtræ ſolito ritu receſſerimus. Nequaquã Dominus Marthæ illud laudi tribuit, quod in apparatione rerum multarũ occuparetur, ſed ſolicita es (inquit)& turbaris circa plurima. Porrò paucis eſt opus, vel vno potius: ac paucis quidem,quod pertinet ad apparatum: vno verò,nempè fine ipſo,vt videlicet neceſsitati fiat ſatis. Porrò alijs rebus eſt opus ꝑ diſſimilitudine naturæ corporis cuiuſque,& propoſitæ rei gerendæ neceſſitate. Siquidem huic largiore, & validiore opus eſt cibo propter defatigationem laboris: illi contra tenuiore, leuioreq;, & ad corporis ipſius imbecillitatem accommodato. In communi autem hoc ſtatuendum eſt, vt cibaria,quæ promiſcue omnibus apponantur,eiuſmodi ſint,quæ cum vili prætio, tũ paruo etiam negotio comparentur. Adhibenda tamen in menſa munditia eſt, atque elegantia, ita tamen vt nuſquàm extra fines noſtros egrediamur,atque hoc vnum in accipiẽdis hoſpitibus ſpectemus, vt eorum neceſsitati ſatisfiat. Abeſſe igitur

tur

tur debet epularum curiosarum, vel immodicarum, & exquisitorum vini generum nimia exuberantia.

3 Secundus abusus est, si sub hospitum prætextu milites, ac viri potentes monasteria plus æquo sumptibus diuexent. Cuius rei nos admonet Conc. prouin. Coloniense anno 1536. celebratum par. 10. cap. 9. dicẽs: Monasteria olim virtutum scholæ, ac pauperum hospitalia erãt: nunc proh dolor, videmus ea in diuersoria militum, ac raptorum esse commutata. Quam ob rem dispiciendum nobis est, ne tam passim à quibusuis militibus hospitij ius à monasterijs vi exigatur, & eleemosynæ pauperibus deputatæ, improborum luxu deuorentur. Et qui deprehensi præter hæc fuerint, offendiculum, aut occasionem illis labendi, siue intra, siue extra monasteria dedisse, dignas pœnas ferant.

4 Conc. quoq; prouin. Treuerense anno 1549. sub Io. Archiepiscopo celebratum tit. de Religiosis Monachis, & Monialibus, graphicè descripsit, quanta mala ex hospitum secularium frequentia monasterijs proueniant. Licet, inquit, ex iniuncti nobis pastoralis officij debito, super cunctum gregem nobis commissum mentis nostræ aciem dirigere teneamur; vigilantius tamẽ, & cautius agendum ducimus in hijs, vbi subditorum nostrorum maiora incommoda, & pericula vertuntur. Sanè vti ex plurimorum querela dedicimus, multi barones, præfecti, officiati, aut alij nobiles, & ignobiles, in transigendis, aut componendis suis, vel aliorum controuersiis, & dissidijs, vel simili prætextu, sese cum equis, & iumentis in monasteria, vel eorum curtes, aut possessiones conferunt, & hospitio excipi volunt: vt ne dum luxus dissoluendæ Religionis, & monasticæ disciplinæ, ac turbandorum diuinorum inibi in animarum discrimen, & Dei offensam occasio nascatur, verùm etiã vt experientia docti comperimus, nisi prouisionis nostræ auxilio succurramus, periculum sit, ne monasteria tandem funditus exhausta depauperentur, & collabantur. Nos itaque huiusmodi malo, ac innumeris præterea, & diuersis tribulationibus, & iniurijs, quibus sub præfato prætextu Religiosi sæpe afficiuntur, medelam competentem, quam possumus adhibere volentes; mandamus omnibus Præfectis, & officiatis nostris, ac alijs quibuscunque baronibus nobilibus, & ignobilibus, vt nunc, & post hac talia iam prædicta tentare, & facere nullo modo præsumant, neque sub colore memorato, aut simili, monasteria, aut eorum curtes infestare, aut molestare deinceps attentent. Mandamus insuper districtè omnibus, & singulis Abbatibus, Prioribus, & Religiosis, ne deinceps tales etiam proprio suo consensu recipiant, vel admittant. Et si per aliquẽ Prælatum, aut alium quempiam permissum, concessum; vel actum fuerit, animaduersione condigna ita cum illo agemus,

mus,vt cæteri ab exemplo diſcant obedire. Et ſi contra præmiſſa violēter quiſquam ſeſe ingeſſerit,aut indebitè iniurias,aut moleſtias monaſterijs,aut eorundem perſonis intulerit,in eundem præſentis ſtatuti vigore,excommunicationis ſententiam ferimus.

5. Tertius abuſus eſt,ſi neglectis pauperibus,hoſpitalitatis officiũ frequentius,& liberalius in cõſanguineos,amicos,ac diuites monaſteriorum bona erogentur. Contra.n. ſenſit Conc. Medio. ſub Cardinale Borrhomæo celebratum par.2.tit. Quæ pertinent ab bonorum eccleſiaſticorum diſpenſationem, dicens. In hoſpitalitate autem nõ is habeatur delectus perſonarum,vt diuites,potiſsimum inuitentur,qui cũ fœnore reddant,quod acceperint: ſed cùm eccleſiaſticarum perſonarum domum nemini,quantum per facultates licuerit,clauſam eſſe deceat,profectò illis maximè patere debet,qui Dei voce,ſanctorum Patrum cohortationibus,& exemplis,ſacrorum Conciliorum præcepto, & auctoritate nobis commendati ſunt.

6. Quartus abuſus eſſet,ſi cuiuis Canonico pro libito liceret, hoſpites accerſere,& in domum immittere:id quod damnandum eſſe cenſuit Conradus Archiepiſcopus Colonienſis in ſuo Conc. prouinciali tit. de receptione hoſpitum nu.13. dicens; Statuimus item, quòd nullus monachorum hoſpites per ſe recipiat,niſi hoſpitarius monaſterij, vel alter,cui Abbas eos commiſerit recipiendos. In calce tandem huius capitis id prouidè expendendum eſt,ne vltra monaſterij vires, & facultates frequenter hoſpites recipiantur. Parſimonia.n.maximum eſt vectigal,& ſuo ſe metiri pede,viri prudẽtes vbiq; cohortãtur. Illud quoque adijciendum,quòd prudenter aduertit Hugo de S. Victore lib.2. de clauſtro animæ.cap.4. tom. 2. Hoſpitum (inquit) domos duas eſſe volumus. Vnam,quæ fratribus,qui Religionis habitũ gerunt, ſiue etiã quibuſdam perſonis ſecularium,quos Abbatis ſeu fratrum prouidentia ibidem ſuſcipiendos decreuerit,deputetur; aliam verò domum remotiorem illis ſuſcipiẽdis volumus eſſe deputatam,qui lingua, vel habitu clauſtralium pacem turbare poſſunt. De hoſpitum ſpiritualium domo Hugo de S. Victore lib.3. de clauſtro animæ ſic diſſerit cap. 5. Inter coadiacentes ſpiritualis ædificij officinas, hoſpitum domus prima occurrit, qui peregrinantibus in regionem longinquam, cùm ad clauſtrum animæ redierint,apertis miſericordiæ ianuis patet. Hoſpitum ſiquidem domus,mens compatiens appellari poteſt. Vnde Ambroſius,mens (inquit)ſapientis hoſpitalis eſſe debet. mens.n. hoſpitalitatis officio fungitur, cùm delinquentium fratrum culpis benignè compatitur. Habet autem hæc domus miniſtros ſuos, qui hoſpitibus aduentantibus inſeruiant. Pulſanti etenim peregrino ianuam Chari-

tas aperit, intratē Hilaritas recipit, receptū Affabilitas detinet, esuriētē Refectio pascit, fesso Humilitas seruit. Hæc verò hospiti debentur; hęc reuertenti filio, qui Luc. 15. luxuriosè viuendo partē substātiæ dissipauerat, paterfamilias exoluit: à longè enim venientem intuens, occurrit, amplectitur, occidit vitulum saginatum, ordinat chorum, symphoniam tangit. Sic & spiritualium patrum pietas erga delinquentem discipulum se gerit. Reliqua facilè intelliges, & ouibus perditis ad caulas redeuntibus adaptabis.

De capitulo disciplinæ. Cap. xi.

1 NOn infirmum conseruādæ Religionis retinaculum est, disciplinæ capitulorum crebra celebratio, ea autem fiet in aliqua secretiori domus parte. Quam rem Summus Pōtifex Bened. 12. in suis Constitutionibus Canonicorum Regul. tit. de capitulis quotidianis faciendis, prudenter intelligens, sic stabiliuit. Pro regulari, inquit, disciplina attentius obseruanda in ecclesia Cathedrali, seu monasterio, locouè alio conuentuali Religionis eiusdem, diebus singulis; in illis verò locis, in quibus quattuor, aut plures canonici fuerint deputati, saltem semel in septimana, & etiam sæpius in eisdem, si in ipsis sæpius, ac in quibus vis locis alijs non conuentualibus, toties, & quando est in eis fieri consuetum, regulare Capitulum teneatur: in quo antequàm ad tractandum alia procedatur, Canonicorū excessus, transgresiones, & negligētiæ corrigantur: ac de disciplina, & reformatione regulari tractetur salubriter, & agatur: nullo ibidem proteruè, aut clamosè, seu irreuerenter se habere, quomodolibet præsumente. Eadē fere tradit idem Bened. 12. in Constitutionibus Monachorum nigrorum S. Benedicti cap. 5.

2 Idem negotium prouidè pertractauit Concilium prouinc. Colon. anno 1536. celebratum tit. de metropolitanis, &c. cap. 14. dicens: Capitula verò disciplinæ, quæ vocant, multò maiori diligentia obseruentur, atq; hactenus. Id ita fiet, si non tam prophanæ, quàm res sacræ in his tractentur. Si de moribus inquiratur; si vita expendatur singulorum: & quòd olim sancti patres fecisse dignoscūtur; extemporali oratione interdum commonerentur fratres. Et in primis ad sacras litteras capessendas instigarentur, atque vt in his optimas horas collocarent, incitarentur, quòd hic reperiatur fons vitæ scaturiens, ex quo qui haurit, non sitit in æternum. Hic thesaurus euangelicus, propter quem oportet vendere vniuersa, reconditus sit, ex quo prudens ille paterfamilias profert, noua, & vetera.

3 Eandem rem non minus luculenter, quā vtiliter tradidit Conc. Mediolan.

diolan. sub Card. Borrhomæo 3.par. de Monialibus.tit.de Præfectis. Si quæ de virginibus sacris conscribuntur, viris religiosis adaptaueris. Singulis etiam, inquit, hebdomadis Præfecta Monialium conuentum, siue capitulum habeat, corrigendi causa Moniales pro erratis, quæ ipsæ publicè, vel in suorum officium munere admiserint; quorum veniā ipsæ sponte, atque humiliter coram omnibus petant, eisq; pœnitentiā imponendi, aliaq; adhibendi, quæ earum institutis tradita sunt, ad ipsas in humilitate, & sui contemptione continendas, atq; ad virtutes omnes studiosè sectandas. Caueant autem Moniales, ne pęnitentiam sibi à Præfecta impositam, pertinaciter recusent: neuè superioris temporis delicta sibi inuicem, iniquo animo obijciant. Quæ hoc commiserit, ei hæc sit pœna, vt statim ad singularum Monialium pedes terram exosculetur, sibiq; flagella nomine disciplinæ adhibeat.

4 Sed nec eam rem subticuit sacrum Concilium Trid. sess. 24. cap.8. dicens: Apostolus monet, publicè peccantes, palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publicè, & in multorum conspectu crimen cōmissum fuerit, vnde alios scandalo offensos, commotosq; fuisse, non sit dubitandum: huic cōdignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè iniungi oportet; vt quos exemplo suo ad malos mores prouocauit, suæ emendationis testimonio ad rectam reuocet vitam.

5 Ad maiorem autem ex disciplinaris Capituli actione frugem capessendam, pauca quædam hic alta mente reponenda sunt. Primū, vt canonicus in capitulo obiurgādus, sibi persuasum habeat, se ex huiusmodi obiurgatione non mediocrem fructum esse relaturum, eaq; de causa æquo animo sibi reprehensionem esse perferendam; qui Basiliū hac de re concionantem in Esaiam cap. 2.& in oratione 9. de Ira, audiat; Omnis reprehensio palàm attingēs eum qui reprehēditur, ipsius animum acri dolore excruciat, ob oculos ponens turpitudinem peccati, ita vt nō mediocri beneficio videatur affecisse eū, qui nullo sensu suorum peccatorum tangebatur, reuocās eum ad conscientiam malè cōmissorum, & ad suscipiendam peracrem pœnitentiam perducens. Quale.n. vulnus corporis tā vehementē affert dolorē, quale inurit animę obiurgatio? pudore afficiens eū, qui sibi est vitiorū conscius. Sermo.n. mordicus anxietatem, ac mœrorem animæ ingerit. Secundum est ex eodē Basilio in regulis breuioribus interrogatione 73. Execrādus est, ac vehementer carpendus ille, qui non desiderio correptionis fraternæ, sed libidine seipsum vlciscēdi, peccantē accusat, vel castigat. Qui.n. huiusmodi est, is in eorum numero, qui seipsos valde amant, & dominandi cupidi sunt, haberi debet, eiq; correctionis modum cum pietate conuenientem declarari oportet. Tertium, adnotanda est à Prælato

eiusdem

eiusdem Basilij sententia ibidem interrogatione 99. qui sic percontatur. Cuiusmodi animi affectione increpare debet,qui alterum increpat? Respondet;quod quidem ad Deum attinet ea, quā habebat Dauid psal. 118.cū dixit; Vidi præuaricātes,& tabescebā:qui eloquia tua nō custodierunt.Quòd verò ad eos qui increpātur, eiusmodi quali vteretur pater,& medicus cum misericordia,& lenitate, si filium suū curaret,& maximè si adesset dolor, & sine cruciatu adhiberi curatio non posset. Quartū, at verò qua mente irrogatam sibi punitionem accipere quisq; debeat? Respondet;ea nimirum,quæ illi conueniat,qui morbo aliquo laboret, & de retinenda vita anxius sit, quandocunq; aut à patre curatur,aut à medico,licet acerba sit,& aspera curationis ratio, reiecta prorsus omni de Charitate,peritiauè eius, qui sibi illam irroget dubitatione,cum summo desiderio recuperandæ sanitatis. Quintum,sed quodnam de eo iudiciū sumendum sit,qui ei succēseat, à quo obiurgetur?Respondet;hic neq; peccati periculum cognouit,& maximè eius,quod est aduersus Deum, neque vtilitatem pœnitentiæ, neq; ei fidem habuit, qui dixit; qui autem diligit,instanter corripit: & seipsum alienum statuit à fructu illius,qui dixit,corripiet me iustus in misericordia. Et qui eiusmodi est, huius conuersatio inter reliquos fratres perniciosa est. Siquidem exemplo suo à suscepto certamine ceteros abducit. Sextum,quoniam capitulum disciplinæ quandam vltimi iudicij similitudinem præ se fert,omnes in eo cum pudore, & tremore interesse debent;nec eorum defectus rideant,qui libenter eos confitētur,sed potius eis compatiantur, & piam orationem in Deum pro eis fundant. Iudex discussionem,misericordiam,& mansuetudinem in iudicando custodiat;accusator charitate,& modestia vtatur. Accusatus verò humilitatem,patientiam,& obedientiam complectatur. Ad Prælati quidem discussionem,discretionemq́; pertinet, vt quæ crimina secretò,quæuè publicè punienda sint,probè dignoscere nouerit; Sciatq́; interdum peccata condonare, interdum verò acriter punire, cognita prius diuersa personarum qualitate,in senes.n. clementius agendum est. Idcirco.n. ait Gregorius,Deum permisisse principē Apost. in turpem Christi denegationem incidere, vt in sua culpa aliorum crimina condonare, ac remittere nosset.Maximè verò Prælatus caueat, ne in iram in puniēdo rapiatur,quæ quidem impedit animum, ne possit cernere verum.Septimum,calamitas huiusmodi capituli est, exorta in eo contentio,quam consilium illud extinguet,si viri perfectiores accusati taceant, sinantq́;,vt Prælatus pro eis respondeat, ad diuæ Magdalenæ exemplum. Luc. 7. quæ à Pharisæo accusata, à Domino defendi meruit. Tantūdē eidem à sorore Martha accusatæ contigit. Denique si

Præſidens falsò accuſatũ non tueatur,ſæpe quidem occaſionē eſt pręſtaturus,vt ipſe innocens ſeipſum defendat, eaq; ratione clamoſa cõtentio in capitulo oriatur. Quam Bened. 12.vehementer deteſtatur,& odit loco citato,cùm inquit, nullo ibidem proterue, aut clamosè,ſeu irreuerenter ſe habere quomodolibet præſumente.

5 Iam verò cõducibile monaſterij gubernaculo eſt,quod D. Baſilius in regulis fuſius diſputatis prouida animaduertit interrog.27. dicens: An ipſe etiam Antiſtes ab ijs,qui maioris in conuētu auctoritatis ſunt, admoneri debeat, ſi aliqua in re offendat aliquando? Reſpondet; verùm enim verò quemadmodum neceſſariò ijs,quibus pręeſt,omnibus in rebus recti itineris dux eſſe Antiſtes debet;item quoq; viciſsim reliquorum officiũ eſt,ſi qua vnquàm minus laudabilis de Antiſtite orta ſuſpicio ſit,ipſum admonere. Verùm enim ne qua conſtanti diſciplinæ ordini iniuria fiat,huiuſmodi admonitio ad eos eſt deleganda, qui cũ ætate,tũ prudētia in ſocietate reliquis præſtent:ita.n. fiet, vt ſiue quid fuerit,quòd emendationem deſideret, & fratrem ipſum noſtrũ iuuemus,ſimulq; vna,atq; eadem opera noſipſos etiã, qui videlicet ipſum, qui vitæ noſtræ veluti norma ſit quædam,ſuaq; ipſe rectitudine prauitatem noſtram arguere debeat,diſtortum ad rectũ reuocemus.Quòd ſi temerè quidam ſecus de ipſo ſuſpicati,nonnihil turbulentiæ audierint, ij cognita veritate eorum, propter quæ in falſam ſuſpitionem illam venerant, certi de ea amplius iam dubitare deſiſtant.Admonendus eſt autem Prælatus magna cum humilitate,reuerentia, atque modeſtia, & ſecretiori loco, ne regentis frangatur auctoritas, vt in regula inquit Auguſtinus.

7 Ad capitulum autem diſciplinæ vtilius celebrandum ea mala adnotanda ſunt,vt caueantur,quæ Hugo de S. Victore lib.1. de anima cap. 11. ſua humili cõfeſsione expreſsit. Primũ eſt, cũ correptus canonicus,vbi peccata emēdaturus erat,peccatis peccata addidit. Secundũ eſt,ſi accuſatus,aut peccata quodãmodo excuſauit,aut omnino negauit,aut quod deterius eſt,defendit,impatiētiq; animo reſpondit; Præſertim cùm nullum ſit peccatum, quo quiſpiam aut nõ contaminetur, aut certè contaminari non poſsit. Iuſtum eſt ergo,vt omni excuſatione remota,emendationem polliceatur,vndecunq;,aut à quocũque accuſetur,vt hac via,& ratione eripi valeat à peccato perpetrato, vel perpetrando. Præterea idem author lib.3.de clauſtro animæ cap.6. aliud exequitur diſciplinæ capitulum ſpirituale; quemadmodum.n. Canonicorum multitudo, vt errata corrigat,ſtatutis horis ad capitulũ confluit;ſic mentis ratio cogitationes diuerſas ad ſecretum cordis locum, quandoque cõuocat; vt incorrigibiles eijciat, corripiat inquietas,negligentes

gligentes emendet, erudiat simpliciores, mitiget iracundas, voluptuosas restringat, pigras excitet, consoletur pusillanimes, doceat indiscretas. In hoc spirituali capitulo, Abbatis locum Ratio tenet, Conscientia accusat culpas, excusat Peruersitas, Superbia defendit, Innocentia confitetur, Humilitas se ipsam iudicat, Arrogantia verò alienos. Quid igitur disciplina vtilius, quæ animi quietem gignit, peruersos interimit?

De Choro Canonicorum regularium. *Cap. xij.*

1 CElebratio diuinorum officiorum publico, solenniq; ritu, ac cantu in choro, die, noctuq; repetenda, quanta sit cura, atq; studio persoluēda, nemo nisi rudis homo, atque agrestis ignorat. Hæc.n. quotidiana, assiduaq; diuinorū officiorum decātatio inter religiosorum studiosa opera ferè primatum obtinet. Cùm illud sit præcipuū contemplationis munus. Atque Religio, quæ non soluit in choro officium diuinum, vix nomen Religionis meretur: maximo.n. Religionis splendore caret. Quin potius D. Tho. 2.2.q.189.ar.8. Ad 2. argum. asseuerare audet, peculiarem scopum, præcipuumq; Ordinis Canonicorum Regulariū esse diuinorum mysteriorū celebrationem, quos proinde tanquàm huic muneri ab Ecclesia, suoq; ordine mancipatos, nunquā non accinctos esse oportet. Qua de re dilucidum præceptum summa cum grauitate, Clericis, etiam Regularibus iniunxit Clemens 5. in Concilio Viennensi, de celebratione missarum, Clem. 1. Pleriq;, inquit, ecclesiarum ministri, modestia ordinis Clericalis abiecta, dum offerre Deo sacrificium laudis, fructum labiorum suorum in puritate cōscientiæ, & animi deuotione deberent, horas Canonicas dicere, seu psallere, transcurrendo, syncopādo, extranea quidem, & plerunque vana, profana, & inhonesta intermiscendo colloquia, tardè ad chorum conueniendo, seu ecclesiam ipsam absq; rationabili causa antè finem officij exeundo frequenter, &c. diuina etiam celebrare, aut eis interesse nimis indeuotè præsumit, &c. Sācimus, vt in cathedralibus, regularibus, & collegiatis ecclesijs horis debitis deuotè psallatur. Quapropter periti Theologi definierunt, peccatum esse mortale, si Religiosorum conuentus Ordinis cuiuscunq; ab Ecclesia approbati, diuinum officium in cōmuni celebrare prætermiserit. Vt Dom. Sotus lib. 10. de iustitia & iure. q. 5. art. 3. & Siluester in verbo, religio. 8. §. 15. num. 17. & in verbo hora. §. 9. & 10. & præcæteris præstātius Caietanus in summa in verbo, horæ canonicæ cap. vlt. Nam vbi Ecclesia Religiones secundum Euangelicū Ordinem instituit, eas videlicet, quas rei spiritualis gratia admisit, easdē

diuini s

diuinis laudibus mancipauit; sanè intelligens, hanc esse potissimam contemplationis functionem.

2 Huius negotij maiestatem, & pondus scitè explicuit Bened. 12. in Constitutionibus Canonicorum Reg. tit. de celebr. missarum, his verbis. Hortamur etiam, quòd in ecclesijs, monasterijs, siue locis alijs cõuentualibus, cũ modestia, humiliter, & deuotè, horis nocturnis, & diurnis, ad diuina officia vniuersi, & singuli Canonici studeant conuenire: ipsaq; nõ trascurrendo, aut syncopando, sed tractim, & distinctè psallant, & celebrent, ac deuotè. Sanè in ecclesijs Cathedralibus, monasterijs, & locis alijs conuentualibus Religionis eiusdem missa maior per Canonicũ celebretur: & si inibi magnus, & ad hoc sufficiens fuerit Canonicorũ numerus, in officijs diaconatus, & subdiaconatus ministret huiusmodi celebranti. Et qui hebdomadarius fuerit missæ maioris, cessante impedimento legitimo, horas canonicas incipiat, & collectas, & orationes dicat. Transgressores verò præmissorum debitæ subiaceant disciplinæ. Hactenus Benedictus 12.

3 Concilium quoq; Tridentinũ sess. 24. cap. 12. rem paucis attingit, dicens: Omnes verò diuina per se, & non per substitutos compellantur obire officia, atque in choro, ad psallendum instituto, hymnis, & canticis Dei nomen reuerẽter, distinctè, deuoteq; laudare. Vestitu insuper decenti tàm in ecclesia, quàm extra assiduè vtantur.

4 At verò de recta chori ratione, & ritu, elegãter disseruit Conc. prouinc. Medio. sub Cardinale Borrhomæo. par. 2. tit. communia de ratione diuinorũ officiorũ: Horæ (inquit) canonicæ oẽs quotidie in choro dicãtur: quæ ratio, neq; cõcione, neq; solenni missa, neq; alia causa impediatur, nisi euidens necessitas intercesserit: de qua iudiciũ sit Episcopi. Horæ ita commodè diuidantur, vt mane aliquod interuallum, si id fieri põt, sine detrimẽto diuini cultus detur canonicis, & alijs ad studiũ diuinæ scripturæ, aut sacrorũ Canonũ. Chorus ita vel sepiatur, vel constituatur, vt tempore diuini officij laicis aditus in eum esse nõ possit: vel saltem à clericis seiuncti sint. In choro, vel omnino in ecclesia nemo ministret sine superpelliceo, aut ceteris indumentis, quæ pro ratione officij requiruntur. Superpellicea latis sint manicis, non angustis, instar rocheti. Et tit. quando, & quomodo ad diuina officia conueniendum, sic ait; Cùm in ecclesiam ad diuina officia diurna, vel nocturna conueniendum erit, id campanæ sono significetur; ea interposita mora; qua omnes facilè possint conuenire. Signo audito, qui dignitates in ecclesia, etiam si Præfecti sint, personatusuè, aut canonicatus habent, cæteriq; omnes, qui interesse debent, præparent se ad diuinas laudes: & maturè ad ecclesiam progrediantur. Ingressi in ecclesiam,

factisq; ad sacrosanctam Eucharistiam, vel vbi ea non seruatur, ad altare maius precibus, recta in sacristiam proficiscātur. Quo loco retenta talari veste superpelliceum assumant, & reliquum vestitum, ad sacrũ munus necessariũ, quòd vt seruos Dei decet, tacitè, & modestè faciant. In ingressu Chori ad matutinum, & alias horas, & diuina officia, is ordo seruetur. Vt paulo post vltimum campanæ signum ad rem diuinã faciendam; vniuersis in sacristia paratis, pulsetur paruula cāpana, qua egressus sacerdotum ad missas celebrandas significari solet; vt omnes qui in ecclesia, vel circũ eam sunt, diuini officij celebrationem instare intelligant: postea omnes de sacristia ordine procedentes exeant. Et vbi se ad altare humiliter inclinarint, suũ quisque locũ in choro adeat ibi flexis genibus, & submissa voce saltem orationem dominicã dicāt. Deinde dato signo, vel pronũciato, Pater noster per Hebdomadariũ, ad initium officij omnes surgāt, & officium inchoetur. Qui verò in ecclesia, vel circum eam, aut in sacristia fuerit, & eo ordine chorũ ingredi neglexerit, dimidia parte distributionum illius horæ priuetur, nisi aliqua de causa, quæ ei, qui choro præsidet, vel ordinario probetur, impeditus fuerit. Si quis ausus fuerit inchoare officium, priusquam eo ordine in chorum conuenerint, & distributionem illius horæ amittat, & grauiori etiam pœna ab Episcopo plectatur. Si quis autem alijs in choro iam cõsistentibus aduenerit, idem institutum seruet, & in sacristia, & in choro. Si quis non venerit ad matutinum ante finem capituli de beata Maria virgine, cùm de ipsa officium celebratur; alioqui ante finem psalmi, Venite exultemus; in alijs etiam horis ante finẽ primi psalmi, pro absente habeatur; illiusq; horæ distributione careat; in missa vero, nisi venerit ante finẽ vltimi Kyrie eleyson, eandem negligẽtiæ pœnam subeat. Si quis, cùm possit initio officij, vel supplicationum conuenire, aduentum suum in extremum à nobis præfiniti temporis punctum de industria distulerit; absentis loco habeatur.

5 Omnes in choro diuina officia, vt temporis ratio postularit, alternis vocibus canant, recitent, attenteq; audiant. Id non cursim, nõ perturbatè, non oscitanter; sed leniter, distinctè, ac studiosè faciāt. In choro pro temporis, & officij ratione, ex instituto, & more ecclesiæ sedeāt, stent, flectant genua, caput aperiant, & submittant, ceteraq; eius generis adhibeant. Omnes verò æquè idem faciant. In choro etiam in matutino officio, Clericali birreto, non pileo vtantur, alioqui moneātur à Præsidente chori, vel ab eo, qui proximo loco sedet, & nisi paruerint, pro absentibus habeantur. Facessant somnus, risus, ioci, rixæ, colloquia. Ne vagentur in choro, vel ecclesia. Neuè locum mutent, ne occasione quidem genua flectendi. Ne in choro, vbi communi officio

opera datur, priuatim officium dicant. Neuè litteras, libros, aliauè ſcripta legant, ne exeant, niſi diuino officio confecto, ne cauſa quidem de communi re agendi, ſi neceſsitas non coegerit, tumq; à Præfecto venia petita. Si cùm diuina celebrantur officia, ſacerdoti, vel clerico, vel miniſtro, interdũ per eccleſiam neceſſariò ſit incedendum, grauiter, & modeſtè, id faciat. Neque cum vllo ſermonem habet de rebus inanib. Qui dignitates, aut perſonatus habent, Canonici, & alij oẽs qui aliquid in his commiſerint; ſi moniti à Præſidente chori, non reſipuerint, & horæ illius diſtributione careant; & pro modo culpæ alias pœnas dent, Epiſcopi, aut eius, qui eccleſiæ præſit, arbitratu.

6 Poſt diuinum officium in choro flexis genibus, ſubmiſſa voce, ſaltẽ orationem dominicam dicant. Tum vel ſurgente, vel ſignũ dante hebdomadario, conſurgant omnes. Et inter ſe conſalutãtes, & ordine procedentes, ſimul exeant; & de more ante altare ſe inclinent. Eodemq; ordine ad ſacriſtiam progrediantur; vbi modeſtè, & quietè ſuperpelliceũ exuant, nõ in Eccleſia. Qui ſecus fecerit, monitus à Præfecto chori, niſi reſipuerit, diſtributionem illius horæ ne capiat, & ab ordinario pro modo culpæ plectatur. Hæc Concilium Mediolanenſe; quæ, pancis immutatis, Canonicis regularibus facilè accommodabuntur. Quoniã verò in alio opere, quod paramus, fuſiſsimè omnia ad chorum pertinentia pertractauimus, hic ſilendum eſſe cenſuimus.

7 De oratione mentali, & contemplatione, deq; lectionis fructu tantillum hic attingemus ex Conc. Mediol. par. 3. de monialibus tit. de diuinis officijs, paucis mutatis; quia mentis oratio tanto præſtantior ea, quæ ſolùm ore exprimitur, quantò anima eſt excellentior corpore, pijs incredibile ſolatium affert, & fructum; eoſq; quotidie nouis cumulat muneribus, in Deum quodammodo conuertens: ideo Religioſi præter horas canonicas, aliaſq; orationes, quas ex officio habere debet, quotidie in chorum vniuerſi conuenientes, niſi neceſſariò impediantur: ſaltem per horam, mentalem orationem adhibeant. Semi hora videlicet poſt matutinum. Iteq; poſt nonam, aut completoriũ, ſublatis ad Deũ mentibus pijs, & ſalutaribus rebus contemplandis. Præſertim verò vitam, doctrinamq; domini noſtri Ieſu Chriſti, atq; eius ſancta myſteria ſtudioſè meditabuntur, paſsionem videlicet, mortem, reſurrectionem, aſcenſum in cœlum, extremum aduentum ad iudicium. beatorũ gloriam, & damnatorum ſupplicia, aliaq; eiuſmodi, quæ ad Dei gloriam, & propriam, priximorumq; ſalutem pertineant. Vt otium, à quo mala omnia oriuntur, euitetur: Religioſi tempus, quod ſibi à diuinis officijs, & conſuetis orationibus ſuperfuerit, in ſacra aliqua lectione conſumant, quæ ad Dei, & ſui ipſius cognitionem eos ducat, viamq; mon-

ſtret perfectionis,& æternę vitæ,idq; vel ſeparatim,vel coniunctim faciant:cùm huiuſmodi lectio ſuauis,& fructuoſa ſit animarum oblectatio,vitia coerceat,ad virtutes inflāmet. Cōtra autem, inanium librorum lectio mentes corrumpat. Quod ne accidat, Superior monaſterij libros perſpiciat,& recognoſcat,ſingulos Religioſos in virtute obediētiæ ſuos proferre cogens. De oratorio animæ ſic pertractat Hugo de S. Victore lib.3. de clauſtro animæ cap. 10. Congruum eſſe videtur,vt de dormitorio tranquillæ mentis ad piæ deuotionis oratorium pertrāſeamus. Surgam igitur,& egrediar,ingrediar,& proſternar. Surgam è lectulo mundę conſcientiæ,vt proſternar in oratione;egrediar è domo Salomonis,vt Saluatoris templum ingrediar. Qui enim habitat in domo pacis, tranſire meretur ad beatitudinem æternæ ſalutis. Attendamus igitur humanam fragilitatem; Attendamus & diuinam pietatem. His enim duobus pedibus itur in templum; his duobus pedibus calcatur caput,& cauda ſerpentis antiqui,id verò eſt,elatio, & deſperatio. Cùm ergo oramus aſsiſtentes coram ſummi iudicis maieſtate,tria ſunt conſideranda; videlicet inſinuatio,captatio,poſtulatio; vt inſinuemus miſeriam,captemus beneuolentiam, poſtulemus veniam. Hic nanque eſt ſupplicantium ordo, vt miſericordia miſeriam reſpiciat,beneuolentiam diligentia,veniam gratia.

Ad eos,qui diuinis interſunt laudibus, Deoq; pſallunt,pia exhortatio. Cap. xiij.

1 Xultate iuſti in domino: rectos decet collaudatio; ait Dauid pſal. 32. quo in loco aptam pſallendi Deo, eundemq; collaudandi formam nobis tradidit. Gaudendū enim exultandumq; in domino eſt omnibus illis,qui ſectantur iuſtitiā,æquitatemq; diligunt,ſincera, ſanctaq;, & immaculata lætitia. Eos.n. qui recto ſunt corde, benè, vt oportet, cum Deo compoſiti,decet pſallere Deo,Deumq; laudare. Nam & iure poſſunt,& meritò debent. Poſſunt quidem,eo quòd in ore ipſorum ſit laus Dei ſpecioſa,quemadmodum è contrario non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Debent verò, quia quantò amplius Dei bonitatem cognouerunt, eiuſq; beneficia ſunt experti,eo magis laudabilē dominum prædicare tenentur. Impios autem non decet laudare Deum,donec in ſua impietate ſecundum voluntatem perſiſtunt. Omnis.n. qui laudat Deum,quaſi præſens aſsiſtere debet Deo quem laudat,& cū eo velut colloqui. Non eſt autem decens,vt is, qui ſordibus peccatorum eſt inquinatus Deo aſsiſtat,illiuſq; maieſtati ſe abijciat ante oculos. Vnde & pſal.49.ſcriptum eſt; Peccatori autem dixit Deus, quare tu

enarras

enarras iustitias meas,& assumis testamentum meũ per os tuum? Tu verò odisti disciplinam,& proiecisti sermones meos retrorsum. Quapropter si is,qui peccator est, cupiat vnà cum iustis laudare dominũ, curret primum illis se similem reddere,per pœnitentiam abluens immunditiam peccatorum,atque ita demum,speciosam laudẽ Deo proferet in ore suo. Quoniã non Deus volens iniquitatem tu es. psalm. 5. Tu es.n.Deus,qui turpitudinem peccati,& omnem iniquitatis immũditiam non tantùm non diligis, sed habes etiã odio;propter quod eos, qui se ante conspectum tuum exhibere volunt, diligenter contemplari oportet,& peruidere,ne quid forte lateat in occulto, quod oculos tuæ maiestatis offendat. Quoties ministri regij suorũ dominorũ se aspectibus exhibẽt,cunctas quas vel in vestibus,vel in facie gerunt sordes,diluere studiosè conantur, ne quid in ipsis incompositum, aut indecorũ appareat,quod oculis Principis fœdum esse videatur. Cõgruum.n.est, vt quicquid sordescit, quicquid deforme est,à se amoueant, vt eorum alliciant aspectus,quibus placere desiderant.Capitur enim plerunque animus ornatu,& pulchritudine rerum. Hanc igitur regulam, hunc quoque morem accuratè tu custodito,qui æterno regi inseruire semel proposuisti. Tibi nanque conuenit ita exteriorem habitum, corporis gressus,morum actus, animæ cogitatus, atque affectus componere,vt nihil in te reprehensibile cognoscatur, cuius causa à Redemptoris præsentia iure repellaris. Plurimum quidem dominus Iesus delectatur grauitate vitæ, cordium puritate, & virtutum perfectione, quas in suis ministris elucere conspicit.

2 Propterea quidem angelicam consuetudinem tenere apud se conẽtur,qui cœlesti domino gratissimũ exhibere famulatũ exoptant. Magni nempe periculi res est,sordidos, impudicos, & criminibus implicitos audere diuinis astare aspectibus, & spirituales Deo promere iubilationes. Proinde Christi serui,qui die,noctuq; in ecclesia Dei excubias celebrant,qui septies in die Summo Creatori laudes proferunt, diligenter studeant labia habere impolluta,corpora casta,& immaculata corda, vt iucunda, grata, decoraq; sit ipsorum laudatio. Quare priusquàm templum domini ingrediantur,Deoq; assistant, ac in laudes diuinas erumpant,vehementi conatu è suis cordibus,atque ex memoriæ domicilio omnem abijcient terrenam occupationem, terrenarumq; rerum affectionem;ita vt(si fieri posset)quasi solo spiritu ingrediantur. Reuocanda in vnũ sunt omnium corda, alioqui dispersa; colligendæ sunt etiam omnes intentiones,vt se inuitantes,verè occinant; Venite exultemus domino, iubilemus Deo salutari nostro, præoccupemus faciẽ eius in cõfessione,& in psalmis iubilemus ei. Ille enim 94.

psal. inuitatio est quædam fidelium ad laudem Dei concelebrandam, propterea quòd ipse Rex, & dominus sit omniũ supremus, qui omnia fecit, & vbique tam in terra, quàm in mari plenum, & perfectum tenet imperium, qui est omnium fidelium pastor, & curator benignissimus, quique nos à morte saluos fecit, & vita donat sempiterna. Magnũ quidem adiumentum, acutumq; est calcar ad diuinas laudes pure decantandas, si cor ad se redierit, & quid sit acturum, diligenter expenderit. Quicunque.n. absque præmeditata intentione, diuina cantica profert, facilè vagatur mente, & à seipso elongatur, atque recedit: admittit etiã immunda phantasmata. Igitur si cupiueris spirituales, vt decet, persoluere laudes, purumq; Deo psalmodiæ sacrificium offerre, intellige, te coram Dei tribunali esse constitutum, Deumq; tibi præsentem esse, & tanquam amicum cum amico colloqui. Est enim psalmodia quædam Dei ad hominẽ, atque hominis ad Deum dulcis, læta, & familiaris alloquutio, quæ immensas in se continet delectationes. Idcirco indecorum est, & ab vrbanitate alienum, vt quandiu sacer famulus cum Deo sermonem habet, alio se diuertat, & digrediatur, qui maximè tenebatur intendere diuinis canticis, eaq; attenta mente audire, & gustare, non secus atque si ipsi soli essent prolata.

3 Aduigilanti igitur mẽte curet dominicus cantor, vt quod voce protulerit, sensui concordet, atque cõsentiat, seq; coaptet intellectui scripturarũ. Nihil verò de ijs, quæ foris sunt, illo sacro tempore cogitet, nihil appetat, sed sola ei sufficiat redẽptoris præsentia, quæ quàm vberrima, gratissimaq; satietas est. Quidquid nanq; eo tempore nõ absq; graui, molestaq; importunitate, aut ex impulsione dæmonum, aut ex propria fragilitate in corde sacri ministri obortum fuerit, mox sancti desiderij falce amputandum, arcendumq; est, ne sacrosanctum contaminetur Dei sacrificium. Sed prohdolor, quàm longè alia sunt studia nostra? O quoties nostris diuinarum laudũm sacrificijs intersunt rapacissimæ huius aeris caliginosi volucres, vt ea quamplurimis illusionibus defœdent, atque etiam conspurcent? Quas tamen nequaquã abigimus, sed quasi stupidi, nec sanæ mentis essemus compotes, earum suggestionibus aurem præbemus. Multis enim inauditisq; artibus maligni spiritus & obseruant, & insidiantur, vt à diuinæ laudis sancta excitatione psallentium mẽtes, & corda rapiant, & suffurentur. Nunc.n. obscœnorum phantasmatum fœtorem immittunt, vt psalmodiæ suaue sacrificiũ polluant. Nunc verba discindunt, carminaq; intercidũt; nunc oscitantiam; nunc insensibilem somnum inferunt; aliquando etiã omnium membrorum ingerunt lassitudinem, ita vt nullam corporis partem sanam, incolumemq; esse dicas. Quandoque etiam psaltis mẽ

tem

tem terrena negotia, actaq; secularia ingesta distrahunt, & acerbi diuexant, totamq; sacrā modulationem dissipant, & discerpunt. Neque interim tamen id nos aduertimus, aut vel tantillum expendimus; quin potius tāquàm rē nihili negligimus. Sanè non dissimiles sumus garrulis auibus; quippè qui solo assistimus corpore, sineq; interiori sensu verba emittimus. In nos ergo iure torquetur illud Mat. 15. populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. Nam peruagatur mens, cantica sacra nihil degustat, ieiuna prorsus, atque sibi ipsi insipida. Loquitur, sed cui loquatur, ignorat; clamat voce, nec se ipsam intelligit, nec quid dicat, planè percipit. At verò corda etiam, nō tantùm corpora, mentis gustum, non solam vocis pronunciationem animi affectum, non solùm linguæ motum à nobis requirit dominus. Ob id sanctus ille cytharedus psal. 46. nos commonefacit, dicens; Psallite Deo nostro, psallite regi nostro, psallite sapienter. Sapiēter vtique dicit esse psallendum, vt quod ore profertur, mente retineatur; ruminetur, & degustetur. Iuxta illud Pauli 1. ad Cor. 14. Psallam spiritu, psallam & mente. Idq; merito. Nam quicquid in psalmis resonat, quicquid profertur, Spiritus sancti sententia est. Sancti n. prophetæ cœlitus imbuti, diuinitusq; afflati, sancta cantica condiderunt.

4 Habent quoque & ipsa sub velamine literæ, & sub verborum cortice admirandas veritates, iucunda mysteria, arcanaq; sacramēta; quæ quidem meditationibus, ac cogitationibus tanquàm è paleis grana excutienda sunt, & tanquàm suaue vinū de racemis exprimenda. Hac enim arte gratissima fiunt, & mentis palato dulcissima, iuxta illius sententiā. psal. 118. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. Deficiēte verò sanctę modulationis delectatione, nullaq; re suaui animū demulcēte, defatigatur omnino noster psaltes, & mente, corpore, ac voce prorsus languet, aridumq; relinquitur eius cor. Inexaudibiles quoque efficiuntur, quæ in diuinis laudibus aguntur orationes, quā do qui postulant, quid petunt ignorant ob mentis diuerticulum. Vt autem exaudiantur intelligendæ sunt; si ad id facultas adsit, vt verò intelligantur, cogitandum est, cui offeratur. Vt autem cogitatione agnoscatur, cui præces offeruntur, ipsius opera inuestiganda sunt; quæ sua admirabili excellentia creatoris maiestatem prædicant, & manifestāt. In præsentia itaque tantæ maiestatis iucunda, verecunda, ciuilis, modestaq;, & humilis laus exhibenda est; nō segnis, non remissa, non tepida, non frigida. Alioqui enim ab ipsis etiam sanctis Angelis repellenda est, nec excipienda.

5 Nam & superni ciues, sancta quoq; agmina psallentium choris intersunt, canentiumq; laudibus plurimū exultant, si tamen distinctè, & metis

articulatim, si & attentè, si vigilanter, si ardenter, si concorditer, si humiliter decantentur. Discurrunt nanque inter illos, vtpote futuros ipsorum conciues, & consortes regni. Comprimunt etiam malignorum spirituum impetus; nec eos sæuire patiuntur, tanquam fidissimi custodes. Vbiq; verò alacres sunt, vbiq; festiui, vbiq; soliciti, ne diuinæ interrumpantur laudes, ne cœlestia cantica commaculentur. At verò si tepescat cantorum affectus, si distrahatur animus, aut oculus dormitet, succensent oscitantibus, nec inuenientes quid Deo offerant, suam illico præsentiam subtrahunt. Inciuilitati igitur, vitioq; iure vertitur, magna etiã pernicies est, in angelicorum principum conspectu, irreuerenter psallere, verba rescindere, inutiles cogitationes mente euoluere, cordeq; torpere; id quod si corporeis oculis nobis intueri liceret, omnis profectò noster torpor abscederet, omnis etiã ignauia fugaretur. Venustus nanque aspectus, & suauis ipsorum affatus omnem animi depellunt tristitiam, atque ineffabilem intuentibus conferunt iucunditatem. Rutilant enim, & splendent, immortalitatis candore vestiti, nec minus fulgent, Charitatis diademate coronati. Pulchritudine quippe incomparabiles sunt, fortitudineq; inuincibiles; Dei visione fruuntur, Dei delitijs pascuntur, Dei dulcedine inebriantur. Sua etiam diuinarum laudum celebritas nullo clauditur fine, nullo euentu mutatur, nullis momentis rumpitur.

6 Veneremur itaque optimi patres, dum in ecclesia Dei psallimus, diuinisq; occupamur laudibus, ipsos cœli ciues, sanctosq; Angelos. Veneremur (inquam) senatores supernæ Hierusalem, cum ipsisq; animi puritate, & alacritate in corde, & ore dño decantemus; inurbani.n. habebimur, si præsentibus Angelorũ cœtibus, negligenti, aridoq; corde sacra verba promere tẽtauerimus. Ferueat igitur diuinum opus, nosterq; ardeat affectus, personet vox, vigilent oculi, & vita concordet, vt merito vnusquisque nostrum dicat ex psal. 137. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo domine.

7 Quodnam autem sublimius, nobiliusq; in hac peregrinatione munus nobis contingere potest, quam simili cõsortio Angelorum in Dei laudibus totos versari? Quid itẽ dulcius, quidue suauius hic nobis cõdonari potest, quàm eam functionem in terris gerere, quàm sancti cõciues, beataq; cœlorum agmina in cœlis perficiunt, ac peragunt? Ea quidem re à nobis discrepant illi cœlestes spiritus, quòd absque vllo illis interuallo, nobis autem certis tantum temporibus huic tam strenuò, illustriq; operi vacare licet; eo quòd illi reuelata facie, nos autem sub specie per fidem, & in enygmate Dei gloriam contemplamur; illi

etiam

etiam tanquam triumphantis Ecclesiæ honoratissimi duces, puras, ignitas, & perquàm maximas summæ maiestati laudes afferunt; nos autem pusilli, debiles, atque corporis sarcina prægrauati, & à domino peregrinantes, mixtis, interpolatisq; laudibus efferimus conditorem. Cæterum si vnus cum illis sit nobis laudandi scopus, vnaq; mens, par desiderium, æqua voluntas, quamuis dispar sit laus, erimus tamen aliquando nos etiam iuxta domini pollicitationem, sanctis Angelis simi les, cùm dominus Iesus cœlestia præmia est seruis suis largiturus, tunc demum perpetua, perfectaq; decantatione Deum laudaturis. Habemus admirabilem profectò præceptorem Dauidem, quem in hoc laudum exercitio imitemur, à quo psal. 150. admonemur dominum collaudare in omnibus instrumentis musicis, vt intelligeremus, quod nullis modis, nullis denique artibus Deus dignè satis possit laudari. Ex nimia.n. inflammatione cordis gestientis magnificè celebrare dominū, & quasi inebrietate spiritus raptus propheta, considerans nullum esse laudis diuinæ modum, neq; terminum, ipsum in sanctis, in quibus tam mirabilem se, ac gloriosum monstrauit in redemptione, iustificatione, & glorificatione illorum, & in firmamento fortitudinis suæ, & in cœlesti palatio, mansione fortissima, in qua cum sanctis sine fine regnat, & gloriatur, in medio Angelicorū exercituū gloriosè residētē, & inhabitantē iubet, adhibitis omnis generis musicis instrumentis, pro viribus modi humani, quibuscunque fieri possit medijs, collaudare, vt quod agnoscit; neq; corde, neq; ore plenè impleri posse, ad id etiā exteriora corporis mēbra quàntum possint, adiuuēt. Sic.n. inquit; laudate eū in sono tubæ, in psalterio & cythara, i tympano, & choro, in chordis & organo, in cymbalis bene sonantibus, in cymbalis iubilationis.

8 Postremo hic annotandum censui, verba illa psal. 46. psallite sapienter, nequaquā exigere, psalmos ab ijs, qui eos proferunt intelligēdos esse, vt idiomatis latini ignaris contingit. Psallere nāque sapienter, est psallere prudenter, cordate, cum intellectu, siue attenta mente, quod Hieronymus ex Hebræo vertit, erudite, quasi cum prudentia, & bono intellectu. Huic autem opponitur psallere insipienter, vel imprudenter, vel inerudite, & nō attente, absq; intellectu videlicet in attentione eorum, quæ canuntur. Quemadmodum (prohdolor) passim fieri videmus, tam in lectione, quàm in cantionibus diuinorum carminum; in quibus (quantum ad oris operationem, & labiorum motionem) tàm legendis, quàm decantandis totos dies insumunt miseri, nihil prorsus eorum, quæ labijs terunt, intellectu considerātes. Potest tamen fieri, vt quis sapienter psallat, & intelligibiliter, iuxta psalmi monitionem, qui tamen eorum, quæ profert ore, nihil distinctè intelligat; modo Deum

iugiter habeat ante oculos, illiq; tota mentis acie intendat. Sit.n.(verbigratia) simplex aliquis, aut idiota, qui psalmos quidẽ memoriter edidicerit, in quibus maxima cõtinentur summi Dei præconia; nõ intelligit tñ distinctè psalmorum verba, sed tãtum nouit ex doctrina patrũ, huiusmodi cantica altißimas domini laudes, & veneranda continere mysteria. Hanc autem ob causam, quoties Deo laudes magnas dicere gestit, cantica ista recitat, sciens, quoniam in his laudes magnæ cõtineantur, ab illuminatißimis prophetis, & viris Deo plenis compositæ, cuiusmodi ipse intellectu rudis, & hebes, nunquàm posset conficere, aut proferre. Qui autem ista sic recitat, & licet quid dicat, distinctè non intelligat, tota tamen mente Deum spectat, & quasi ante oculos diuinæ maiestatis consistens, eumq; spectatorem, & laudũ harum acceptatorẽ conspiciens, sic illi offert, quæ ore pronuntiat, quasi preciosissima, & ipsi acceptißima dona. Hunc nihil dubito ego, sapiẽter psallere. Quod.n. ore sonat, hoc ipsum in corde habet; nimirũ Deum, & eius præconia, imò nec hoc dubito, huiusmodi psalmorũ, & canticorũ pronunciatores subinde Deo sapiẽtius psallere, quam pleriq; faciant eorum, qui singulos penè psalmorũ apices excusserunt, & intelligunt.

9 Atque hęc res magnæ debet esse consolationi Deo sacratis virginibus, quas ex patrum documentis, & traditione maiorum videmus in sacris conuentibus decantare idiomate latino psalmos, & alia omnia, quæ ad ecclesiasticum spectant officium; cùm pleræque ex eis, ne verbum quidem intelligant eorum quę legunt, ac canunt in templis; asseueramus.n. intelligere eas quod psallunt. Deum enim intelligunt, & in mente habent, cuius laudes se ore proferre cognoscunt, neq; aliud mente tenent, quàm voce sonant, tametsi nõ distinctè intelligãt, quid verba illa sonent. Alioqui.n. quotusquisq; est etiam eorum, qui optimè latinum idioma callent, qui cùm sacros psalmos, & prophetarum oracula, aliaq;, quæ sunt ex sacris libris ecclesiastico officio inserta, ex Ecclesiæ præscripto recitat, distinctè omnia intelligat? Aut quis illud ad prudenter, sapienterq; psallendum putet necessarium? Nam si hoc quis dixerit, nõ video quomodo B. Antonius, quomodo hoc vetustior senex ille Paulus, quomodo alij sancti Eremitæ, & Anachoritæ sapienter potuerint in psalmorum decantatione Deo psallere; quos nequaquàm putamus singula penetrasse, quæ sunt in sacris libris mysteria, licet diuina reuelatione nonnulla loca intellexerint. Non omnia in intelligendo consistunt; Sæpe enim maiorem in eis videre licet pietatis affectum, qui minus intelligunt. Præclarè Aug. de turba scribit, quòd eam non intelligendi viuacitas, verum credendi simplicitas tutißimã facit. Non ergo quantùm intelligas, sed quantùm credas, & quantùm

credendo a mentes, quærit Deus. Fit enim non rarò, vt qui intelligunt, cõtemnant, qui non intelligunt, amplius admirentur, & piè magis ad ea, quæ non intelligunt afficiuntur, vt non sine causa Christus in parabolis loquutus esse turbis legatur. Quòd si qui eo animo, vel ad depromẽda, vel audienda cãtica, & præces ecclesiasticas accedunt, vt suam Deo gloriam, laudem, & honorem præstent, deq; perceptis muneribus illi gratias peragant, simulq; ea, quæ vel præsenti, vel futuræ vitæ conductura sint, ab eo cupiant impetrare, gratissima est hæc Deo in eis animorum affectio. Quam rem elegãter perstrinxit Cardinalis Stanislaus Hosius de sacro vernacule legendo, vbi Originem testem adducit homilia 20. in Iosue, qui appositissimus rationibus, & similitudinibus rẽ propositam enodauit. Hæc autem pro simplicium consolatione sint dicta; minimè tamen ad illorum excusationem, qui sola verba recitare contenti, corde diuagantur per castra, ciuitates, & regna, imò & per vniuersi orbis latissima spatia à Deo, quem ore laudant, corde, & mente plurimum elongati.

De Oeconomo, siue Cellario monasterij. Cap. xiiij.

1 Nsignis est illa Innoc. 3. sentẽtia in cap. cùm ad monasterium. § tales, de stat. Monach. &c. Ad ritè, vt decet, constituẽdos monasterij ministros, vel officiales. Tales aũt, ait ad agenda officia monasterij deputentur, qui fideles fuerint, & discreti. Vbi in Oeconomo, quẽ vulgo monasterij Cellarium vocant, fidelitatem, & discretionem, siue prudentiam exquirit. Iuxta illud euangelicum, quis putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit dominus super familiam suam? fidelem quidem Oeconomũ esse necesse est, ne monasterij bona furtim surripiat; Sitq; tanquàm alter Iudas, qui cùm esset fur, loculos habebat. Oportet etiam eum esse prudentem, vt futura mala prospiciens, commoditatibus monasterij tempore congruo diligenter consulat. Vnde Basilius Magnus in regulis breuiorib. interrog. 104. & 152. Hac de re verba faciẽs, ac explicãs, quæ ratio tenenda sit in officijs fratribus delegãdis, docet, vt adhibito peritorum, expertorumq; consilio, ministros eligat Antistes; non tamen ex solo ipsius arbitrio. Etenim quæ diuina est procuratio, ea ex Deo ijs committi debet, qui manifestè docuerint posse se ex domini voluntate assignatum sibi munus administrare. Oportet enim, vt cui munerum dispertiendorum commissa distributio sit is, habita ratione habilitatis, & virium cuiusq;, ea distribuat. Veruntamen repugnare non debet, cui assignatum est, cùm obedientiam perpetuò retinere vsque ad mortẽ conueniat.

Officium

2 Officium verò recti Oeconomi eleganter descripsit idem Basilius Magnus in regulis fusius disputatis interrog. 33. Primum.n. conuenit Oeconomos monasteriorum eos esse, qui illos possint imitari, de quibus in actis cap. 4. legimus, solitos eos fuisse singulis distribuere, prout vnicuique opus erat. Secundo, diligenter illud circunspiciant, vt faciles se ad omnes, & clementes præbeant. Tertio, neque suspitionem alicui aliquam commoueant maioris alicuius ergà aliquos beneuolentiæ, inclinationisuè animi propensioris, quemadmodum Apost. præcipit. 1. ad Timo. 5. nihil faciens in alteram partem declinando: aut cōtrà simultatis, contentionisq́; Vt ob eam causam, & hijs quibus inferiores sint, necessarias res subtrahant; & illis, in quos animi inclinatione propendeat, amplius quàm sit opus, largiantur: quorum alterum fraterni est odij, alterum amoris vitiosi, quod est vitium maximè infame. Hinc suspitiones prauæ, æmulationesq́; atque obtrectationes clā subrepunt. Quamobrem hac praua animi propensione, ac fauore, studioq́; contentionis, necesse est, se vt liberrimos, atq; expurgatos reddant; qui res intus ad fratrum vsus necessarias distribuunt.

3 Et idem author in regulis breuioribus interrog. 148. & inferius, pauca quædam dubiola inquirit. Primum, quàm potestatem habeat in rebus dispensandis is, cui datum est negotium Cellarij? Respondet; Quòd ad eum pertinet, qui illud dedit, quidquid is adhibita deliberatione designauerit; memoria tamen ipse teneat dominum ipsum de se ipso dixisse, non possum ego à me ipso facere quicquam. Quod verò ad eos attinet, quorum curā suscepit, iuxtà necessitatem vniuscuiusq́; scriptum est. n. diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat. Rursus interrogat; Cui iudicio obnoxius sit Oeconomus, si hoc munere ad gratiam, aut simultatem fungatur? Respondet; Cum nihil faciēdum sit ex animi inclinatione in alterutram partem, & si quis videatur esse contentiosus, contra Ecclesiæ consuetudinem, qui talis est, is vt alienus habeatur ab Ecclesia Dei, quousque se emendauerit.

4 Præstantem profectò Oeconomi formam depinxit S. Benedictus in Regula tit. de Cellario monasterij, dicens: Cellarius monasterij eligatur de congregatione, sapiens, maturus moribus, sobrius, non multum edax, non elatus, non turbulentus, non iniuriosus; non tardus, seditimens Deum, qui omni congregationi sit vt pater. Curā gerat de omnibus, sine iussione Abbatis nihil faciat, quæ iubētur custodiat, fratres non contristet; si quis autem frater ab eo fortè aliquid irrationabiliter postulat, non spernendo eum contristet, sed rationabiliter cum humilitate malè petenti deneget. Animam suam custodiat, memor semper illius Apostolici, quia qui bene ministrauerit, gradum bonum sibi acquirit.

quirit. Infirmorum, infantum, hospitum, pauperumq; cum omni solicitudine curam gerat: sciens sine dubio, quia pro his omnibus in die iudicij rationem redditurus est. Omnia vasa monasterij, cunctamq; substantiam, ac si altaris vasa sacrata cōspiciant: nihil ducat negligendum, neque auaritiæ studeat, neque prodicus sit, aut extirpator substātiæ monasterij: sed omnia mensurate faciat, & secundum iussionē Abbatis. Humilitatē ante omnia habeat, & cui substantia non est quæ tribuatur, sermo responsionis porrigatur bonus, vt scriptum est, sermo bonus super datum optimum. Omnia, quæ ei iniunxerit Abbas, ipse habeat sub cura sua, à quibus eum prohibuerit, non præsumat. Fratribus constitutam annonam sine aliquo typo, vel mora afferat, vt non scandalizentur, memor diuini eloquij, quid mereatur, qui scandalizauerit vnum de pusillis. Si congregatio maior fuerit, solatia ei dentur, à quib. adiutus, & ipse æquo animo impleat officiū sibi cōmissum, horis cōpetentibus dentur, quæ dāda sunt, & petantur: quæ petēda sunt, vt nemo turbetur, neq; cōtristetur in domo Dei. Hactenus D. Benedictus.

5 His etiam addēdum est; ne ab œconomo quacunque etiam tortuosa arte, contractus aliqui ficti, aut dolosi in vtilitatem suam, aut cōsanguineorum, aut amicorū circa monasterij bona fiant, siue nomine ꝓprio, vel procuratorio, siue alieno, in pecunia, pānis, blado, vino, æquis, ouibus, vel animalibus, vel alijs similibus rebus. Caueat etiam idem œconomus, ne mutua fraudulenter cōtrahat, nisi prius vrgente necessitate, facta sibi ad id legitima facultate, post solennes tractatus necessarios in capitulo habendos. Quæ duo mala fictorum contractuum, & mutuorum explanauit, & vetuit Bened. 12. in Const. Canonic. Regularium tit. de fictis, & dolosis contractibus, & tit. de mutuis. Quæ alio loco commodiori inferius à nobis explicabuntur. Et Conci. Oxoniense Anglicanum nu. 44. ait; Districtè etiam inhibemus, ne alicui Monacho, vel Canonico Regulari, qui non sit obedientialis, custodia monasterij cōmittatur, ita quòd ex longa ipsiusmora, vel cōuersatione scādalū oriatur: ꝙ si præsumptum fuerit, per Superiorem emendetur.

6 Docet quoque Bened. 12. loco nuper citato de fictis contractibus, ac Abbates communefacit, ne procurent, per quos ecclesiæ, monasteria, & loco alia Religionis ipsius, quibus præsunt, ac iura, redditus, ac possessiones, seu alia bona ipsorum damnificari, grauari, obligari, vel aliàs impediri, seu deperire valeant quouis modo. Huiusmodi enim deperditos, fallacesq; œconomos, seu procuratores, tāquam pestem, & domus calamitatem fugiendos esse censuit. Elegans profectò est in hanc rem sanctio Bened. 12. in Constit. Monachorum nigrorum S. Bened. cap. 18. cui titulus hic præfigitur. Ne seculares

depu-

deputentur ad victum Monachis ministrandum, nec Monachi alterius monasterij, aut alterius Ordinis, seu Religionis. Cæterum (inquit) vt viam scandalis præcludamus, prohibemus expresse, ne in ecclesijs, vel monasterijs, seu locis alijs conuentualibus eiusdem Ordinis, seu Religionis, Clerici seculares, vel laici, seu alterius monasterij Monachi, vel Religiosi alterius Religionis ad victum Monachis ministrandum de cetero deputentur, Quidquid autem ad victum Monachis ministrandum in cibo, potu, vel pictantia eisdem Monachis ministrandum existit; singulis eorum die qualibet administretur ad congruentem mensuram, prout erit opus iuxta ecclesiarum, monasteriorum, & locorum ipsorum exigentiam facultatum, & quidquid de administratis superererit, eleemosynæ applicetur per illum, qui ad hoc fuerit deputatus, nec aliquis alius per se, vel alium de refectorio, seu infirmitorio, vel alio loco, in quo Monachi comedent, aliquid extrahere, vel alibi deferre, seu alteri vsui applicare præsumat. Quod si fecerit, pro qualibet vice per duos dies, panis & aquæ, solummodo pœnitentiæ subdatur. Perspice, quæ Monachis in victu supersunt, pauperibus eroganda esse. Nec debere Monachos aliquid asportare.

De magistro Nouitiorum Canonicorum. Cap. xv.

1 BEnedictus 12. in Constit. Canonic. Reg. tit. de Canonic. creatione. Paucula quædam de nouitiorum Canonicorum instructore tradit, dicens; Hij verò, qui creati fuerint in Canonicos, infra probationis tempus in loco, in quo saltem septem Canonici resideant, necesse habeant residere: eisq; idoneus, & fidelis deputetur instructor, qui eos instruere valeat in diuinis officijs, & obseruantia regulari. Eadem verba cōscribuntur in Clemētina; ne in agro dominico. de stat. Monach. & Canonicorum Regul. Magni profectò ponderis nouitiorum regimen, & perquàm necessarium, quod proinde non absque rationis delectu cui quàm demandandum est. Nam quemadmodum iter faciens ignotū, ductore eget; ægroto opus est medico, ita adolescenti idiotæ accommodandus est pædagogus, ne Sathanæ fallacijs seducatur, & pereat, proinde eligendus est ad hoc munus rectè obeundum is pater, qui discretione sit prouidus, experiētia probatus, compositus moribus, grauitate maturus, præditus honestate, sanctarum scripturarum nō ignarus, erga se austerus, tyroni compatiens, orationi assiduus, corde mitis, eloquio verax, & in spiritu a'i disciplina prouectus. Magnum sanè est huius magisterij pondus, si pigritia detentus, aut inexpertus, aut parum cordatus suos neglexerit nouitios arguere, corrigere, erudire,

exhor-

exhortari,& nutrire. Hęc enim noua plantatio, vt fructum afferat, solerti est excolenda peritia. Nam si inculta remanserit, dilatat quidem palmites, sed nulla botrorum vbertate fœcundos. Proinde omni sedulitate exercendi sunt in Religione rudes, ne pereffluant, ne torpeāt, ne obdurescant, ne suo innitantur sensui, proprioq; ducantur arbitrio; sed tanquàm diuino oraculo, suo in omnibus credant pedagogo, ipsiusq; in cunctis obtemperent voluntati. Nolint descernere, quare, sed quid præcipiat; illo neminē iudicent sanctiorē, prudentioremq; ipsum sincerè diligant, & venerentur. Aperiant deniq; illi cogitationes suas, intentiones, desideria, delicta, & gesta. Ad eundem frequenter accurrant, veluti ad nutricem infans, vt ab illo doctrinæ, & cōsolationis suscipiant nutrimēta, spiritualiq; lacte pascantur. Ab eo erudiantur, qua ratione orare debeant, quid meditari, quid legere, quid operari, quantum dormire, quantum abstinere liceat. In eo omnino sit eorum velle, & nolle, atque vniuersa (si fieri potest) ad imperiū peragant præceptoris. Ab aliorum Religiosorum consortio sunt segregandi tyrones, nisi pro loco, & personarum delectu ratio aliud monuerit. Facilè quidem labitur, difficileq; eruditur adolescentis animus, qui huc illucq; discurrens, diuersa cum alijs exercet colloquia, & varia percipit documenta virtutum. Nam varij sunt humani cordis affectus, dispariaq; hominū ingenia. Præterea opus est, vt magister benè agnoscat sui discipuli pristinam conuersationem, corporis valetudinem naturalem, & constitutionem, quotidianumq; exercitium. Ipsum etiā latere non debet, quibus tentationum stimulis agitetur, quibusuè orationibus reficiatur, agnoscatq; vniuersos interioris, exteriorisq; hominis actus, gesta, sermones, & affectus, ac si proprij essent. Sunt quidem nouitij in via Dei, tanquàm arbuscularum virgæ tenerrimæ, quæ ad rectoris libitū sponte flectuntur. Sed si semel induruerint, difficilè diriguntur.

2 Cæterū prudēs nouitiorū magister ad suas, vt decet partes agēdas, ea etiam, quæ sequuntur discipulorum instructionē, mente retinebit.

3 Cum nouitius Canonicus Religionem ingressus fuerit, diligenter est à magistro admonendus, vt secum cogitet, vnde exierit, & quo se receperit. Exijt quippe de hoc seculo nequam, & virtutum scholam ingressus est, fugit è medio Babilonis, & seruitute Aegypti, idest de multitudine mundanorum, in quibus abundat confusio vitiorum, de iugo peccati, de ignorantiæ tenebris, atque caligine prauitatis. Discutiat, ac perpendat, in quot vitia, & peccata, in quot errores, & defectus ibi quotidie inciderit, quot mala egerit, quot bona quotidie omiserit; profunda cogitatione intueatur, quanta immanitate animam suā vulnerauerit, idq; tam crebro, vt nec ipse læsiones, ac trucidationes animæ

mæ suæ senserit, quamq; vilem, iniquam, miseram, atque damnabilem vitam, mortalibusq; vitijs plenam in seculo egerit.

4 Nouitius agnoscat Charitatem Dei vitam esse animæ, sine qua nihil est meritorium vitæ æternæ, ne Deo acceptum. Proinde iugiter satagere debet, vt in Charitate sit, atq; gratia, idest in statu salutis, & sine peccato mortali vitã transigat. Id autem efficiet, si diligenter conscientiã examinet apud sacerdotem, in peccatorum sacramentali confessione, vera cõtritione seipsum accuset, defleat, atq; deploret; sacrosanctamq; Eucharistiam adhibita ratione, tremebundus suscipiat.

5 Nouitius mente recondat illud ecclesiastici 2. fili accedens ad seruitutem Dei, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem; Paulus quoq; ait 2. ad Thim. 2. non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Ne igitur à tentatione vincatur, hæc obseruabit documenta. Primum, propriam fragilitatem, & insufficientiam agnoscens, ad Dei auxilium confugiat, ipsum in adiutorem indesinẽter inuocet, proprijs viribus, ac meritis nequaquam superbiat, veramq; animi humilitatem amplectatur, se ipsum despiciens, imò nihili faciens. Secundum, omnipotentis Dei perpetuam præsentiam, iudicium, vindictam, præsertim æternam damnationem prudenter consideret, ac vehementer formidet, & vereatur; intelligens dæmonis machinantis astutas artes, sanctorumq; triumphos, quos aduersus dæmonem, mundum, & carnem, sunt assequuti. Tertium, in principio tentationis, præsertim carnalis, generosè resistat, oculos mentis, & corporis, imaginationem, atque memoriam à venereis rebus diligenter auertens, breuitatemq;, & incertitudinem vitæ præsentis præ oculis habeat. Quartum, ea omnia, quæ mente versantur, & latent, viris cordatis, bonisq;, ac religiosis insinuet, eorumq; consilijs, & doctrinis obtemperet, sic enim fiet, vt fraudes dæmones, & laqueos detegat.

6 Inter omnia autem tentationis remedia, primatum obtinet Iesu Christi domini nostri passionis diligens consideratio. Si.n. ordinis, aut obseruantiarum difficultate, atque rigore compressus, crucem tuã ferre non potes, diligenter considera sanguineum sudorem in agone emissum, tristitiã vsque ad mortem, graue crucis patibulum, proprijs humeris gestatum. Si carnis, aliarumuè voluptatum desiderio tentaris, perspice tenerrimã Christi carnem, ad costarum vsque patefactionem flagellis dilaniatam, manuũ, pedumq; transuerberationem clauis factam, caput spinis coronatum, arundine cæsum. Quòd si te ambitio capiat, aspice Christum propter te abiectionem plebis, opprobriumq; hominum factum, alba veste illusum, purpurea subsanatũ, vultu consputum, & blasphematum, ac tandem vt vilissimum, scelera-

ratis-

ratissimumq; vniuersorum hominum occisum. Si grauis tibi videtur abstinentiæ rigor,& delicatiori cibo tentaris,& potu; memoria repetē, quemadmodū crucifixores in escam suam dederint fel, & in siti sua aceto potauerint. Si motus superbiæ,aut iracundiæ propter illatas tibi iniurias,aut ingruētes aduersitates te inuaserit, superiora cōsidera, quàm patienter Christus pertulerit,& coram Pilato miti corde, silenti ore falso accusatus, nec verbum responderit. Si te inuidæ pulsat stimulus,memineris Xp̄m cruci affixū, mortiq; vicinū pro crucifixorib. suis Deum patrē orasse. Cetera ad hunc modum piè contemplaberis.

7 Canonicus nouitius prudenter curet, vt rationabile, ac discretū sit suum obsequium: nec immoderatis vigilijs,abstinentijs,aut similibus exercitijs citò frangatur. Ita vt iter religiosæ peregrinationis facere, continuareq́; nequeat,sed Religionis onera paulatim ferre, atq; subire discat,& assuescat.

8 Nouitijs in suo nouitiatu non admodum vacat lectioni, ac studio incumbere. Sed ea quæ Ordinis sunt,tenentur diligenter addiscere,vt cantum,psalmodiam,cœremonias,obseruantiasq; regulares. Id quod Bened. 12. in Constit. suis loco citato paucis complexus est, dicens: Eisq; scilicet,nouitijs idoneus,& fidelis deputetur instructor, qui eos instruere valeat in diuinis officijs,& obseruantia regulari. Statutis tamen horis in loco secretiori conscientiæ suæ sint intenti, beneficia Dei recolentes,priora pericula,& peccata horrentes;eaq́; legant, quæ salubria,& suo proposito accommodatiora iudicabuntur. Vt potè ea,quæ compunctionem inducunt,deuotionem, seu pietatem nutriunt,& inflammant,timorem Dei in corde stabiliunt, & quæ ad vitiorum horrorem,ad mundi contemptum,ad sui ipsius aspernationem, & humiliationem vehementius incitant,atque erudiunt. Ea quoq;, quæ efficacius docent ordinem spiritalis profectus, reformationem passionum, remedia, ac triumphum tentationū, & exercitationem internam. Porrò libri his rebus conuenientiores sunt moralia Gregorij, volumina Cassiani,quæ probata fuerint,& Climaci sermones, & tractatus Bernardi,ac quædam moralia Hugonis, & Richardi de S. Victore. In quorum numero iure recensendus est contemptus mundi à Thoma Campensi Canonico Regulari editus. Vulgari etiam idiomate conscripti quidam libelli,huic rei non inepti, circunferuntur; ex quibus omnibus enumeratis paucos quosdam eliges, qui facilius ad manus tibi peruenerint. Ea tamen arte perlegendi sunt,vt non varia percurras,nec plurima folia singulis diebus euoluas;sed quæcunque legeris, ruminabis,excuties,& ad emendationē tui ipsius menti accuratè cōmittes. Sic.n. fiet, vt illud Paulinum 2. ad Thim. 3. verè in te compe-

tat; omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendũ, ad corripiẽdum, & ad erudiendum: vt perfectus sit homo, ad omneq; opus bonum instructus, ac promptus. In hoc argumento vigilanter scripsit Dionysius Carthu. in exortatorio nouitiorum.

9 Negligenda verò non sunt, quæ hac de re Conc. Mediol. par. 3. de Monialibus tit. de Præfectis, paucis immutatis tradidit. Nouitiorũ curam solus magister electus, loco à cæteris Religiosis separato habeat. Alius præterea nullus. Hic nouitios in timore, & cultu Dei, & in obseruatione Religionis erudiat. Coneturq; & vitæ exemplo, quæ nullam habeat ansam reprehensionis, assiduisq; admonitionibus, ita eos instituere in spiritualis, & sanctæ vitæ ratione, vt progrediente, Deo adiutore, perfecti eius famuli possint euadere. Qui autem sibi id temerè assumpserit, vt aliquem ex nouitijs erudiat, ius ei suffragij adimatur: vt neq; eligere, neque eligi possit, quàmdiu Superiori placuerit.

10 Præterea enitendum est, vt iuuenes nec vitijs succumbant, nec increpationibus rebelles sint, ob idq; adolescentibus præsertim fugienda est occasio mali. Petulantem.n. vigorem ætatis non facilè à voluptatum obseruabis incursu. Ait etiam Chrysostomus; Adolescentes à lasciuia seuocare, difficilè bellum. Studiosa igitur nouitiorum iuuenũ educatio enixè curanda est. Lycurgus is, qui Lacedæmonijs leges cõdidit, cùm conaretur ciues suos, à moribus corruptis ad temperantiorem viuendi rationẽ traducere, eosq; virtutis, & honesti studiosos reddere; duos educauit catulos, eodẽ patre, eademq; matre progenitos; quorum alterum passus est domi lautioribus vesci cibis, alterum eductum venationibus exercuit. Deinde cùm ambos produxisset in forũ apud multitudinẽ, posuit illic spinas, simul & escas aliquas delicatiores; mox emisit leporem; cùm vterq; raperetur ad assueta, alter ad escas accurreret, alter leporem inuaderet. An non videtis (inquit) ciues, duos catulos, cùm eiusdem sint generis, tamen ob diuersam educationem admodum dissimiles inter sese euasisse, plusq; ad honestatem momenti habere exercitationem, quàm naturam? Quod autem ille fecit in ciuitate, hoc cuique moderatori in suo grege faciendũ est, res quidem efficax est natura, sed potentior est institutio, quæ malam naturam corrigit, & vertit in bonam.

11 Quicunq; sub tyrocinio adhuc instruitur, hac se institutione præmuniat, vt nunquàm sibi persuadeat, plurimum se in perdiscendis Ordinis documentis profecisse, ac promouisse. Quanto.n. quis amplius in sapientia scrutatur Dei mirabilia, tanto videt sibi plus superesse, quod inquirat adhuc, & inuestiget vlterius. Quantò autem quis sibi plura deesse videt, quæ ad cognitionem sapientiæ spectant, tantò se minus

sapien-

ſapientem reputat. Cùm.n. id quod apprehendit, admodum modicũ, & id quidem tenuiter cognitum, confert ſapiens cum ijs, quæ aduertit nondum ſibi nota eſſe, ſibiq; adhuc cognoſcenda reſtare, iudicat penè nihil eſſe quod nouit comparatione eius, quod ipſum latet. Huius rei, quam tractamus, ad oculum videmus quotidianam experientiam. Cũ quis profeſsionem aliquam ingreſſus fuerit, & paullulũ quid in ea apprehendere cœperit, ſtatim in ſeſe inflatur, & intumeſcit, tanquàm ſi die craſtino ſit accepturus perfectionem vltimam eius profeſsionis, tanquàm qui omnia iam teneat, quæcunq; illa tradit. At verò, vbi poſt longum exercitium profundius omnia perueſtigauerit, & in ſecretiora eius profeſsionis penetrauit, incipiet ſeipſum ridere, qui prius tantam ſibi ſcientiæ, ſapientięq; opinionem vane induerat, tunc intelliget, quàm procul non ſolùm nuper abfuerit, verùm etiam nunc abſit ab illa perfectione, quàm ſe adeptum exiſtimauerat. Sic plerunq; diſcipuli poſt prima accepta profeſsionis initia, multò ſe ſapientiores iudicant, quã ipſi profeſſores. Nimirũ quia ignorant illi, quæ ſibi adhuc deſunt, quòd iſti ꝓbè norunt. Facit.n. (quòd mirabile eſt) ſapiẽtia inſipientiæ exiſtimationẽ: contra verò inſipientia, perſuaſionẽ ſapientiæ.

12 Monendi ſunt etiam Religioſi iuuenes à ſuo præceptore, aut etiam Prælato, vt dum tempus habent ad ſeruiendum Deo opportuniſsimũ, fidelem in Religione ei præſtent famulatum, quà profectò admonitione vehementer opus eſt pleriſq; adoleſcentum, qui Dei timore poſtpoſito, totos ſe dedunt mundo, carni, dæmoni, malo, æſtimantes ætati Deum id condonaturum, quòd in adoleſcentia malè viuant: meliorẽ autem vitã proponunt, vel ſomniant verius ſe acturos, cùm ad ætatẽ venerint prouectiorem, voluptatibus, & mundo abiuratis. Quaſi verò ipſi in manu ſua habeãt curſum vitæ ſuæ, quaſi promiſſo, aut iure iurando certos illos reddiderit Deus, quòd ad ſenectutem ſint peruenturi, aut quaſi poſt omnem vitam in voluptatibus ſine Deo tranſactam, tandem in ſenectute vetera omnia, in quibus cõſenuerũt, facilè ſint abiecturi ex animo, ac Deo tum demum, quòd nunquàm didicerunt, perfectè vacaturi. Hos quidem ſolicitè monendos cẽſuit Eccleſiaſtes cap. 12. vt non vſque in ſenectutem differant ſeruire Deo; ſed iam inde ab adoleſcentia, ſatagãt in conſpectu illius ambulare. Memento (inquit) ò adoleſcens creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, ideſt Deum ante oculos ſemper habeto, & coram illo vias tuas omnes dirigito, & non tantùm vitæ partem aliquam, eamq; prorſus ineptam, & miſeram, qualis ſenectus eſt; ſed totam potius ipſam, quantùmuis longam Deo dedicato; potiſsimum verò eius viuidum florem, qui eſt tempus adoleſcentiæ; ſiquidem opera bona, quibus in adoleſcentia ſtudemus pla-

cere Deo, primitiæ sunt vitæ nostræ. Primitijs autē eximiè semper oblectatū esse Deum sacræ litteræ pluribus in locis testantur; quibus nos filij gratiæ docemur, quòd primitias vitæ nostræ, actionumq; nostrarū à nobis Deus requirat. Quapropter stultissima est illorum sententia dicentium, necessarium esse, vt quilibet hominum semel in vita insaniat, iuxta vulgatum illud; semel insaniuimus omnes. Atque ita boni consulunt, si adolescentes viderint in ætate illa florida perditè viuētes quasi necessitas sit ineuitabilis, partem vitæ malè transigere. Qua sententia quid insanius possit à Christiano proferri? quid magis virtuti aduersum, & toti Christianæ reipublicæ noxium? quid magis scripturæ omni sacræ, atque etiam morali doctrinæ contrarium possit cogitari? Nam vt sacras litteras omittamus, nemini non est nota celebris illa Aristotelis, atque adeò ceterorū omnium Philosophorū, qui de moribus præceperunt sententia; non parum referre, iuuenem à teneris annis sic, aut sic assuefieri. Abeant verò in malam crucem huiusmodi perditores iuuenum, peruersi iudices consiliarij insipientes, innocentis ætatis perditissimi corruptores; suspendatur ijs, qui scandalosa ita docent, mola asinaria ad collum, & in profundum maris submersi pereant. Nam id expedire magis Saluator docuit, quàm vt pusilli scandalizentur in eis. De institutione nouitiorum vtilissimum libellum conscripsit Hugo de S. Victore tom. 2. suorum operum; actuum, locorum, temporum, & personarum rationem obseruandam tradens, disciplinamq; in habitu, gestu, locutione, silentio in mensa, cibo, & potu custodiendam explicans.

De Doctore Canonicorum studentium in monasterio. Cap. xvi.



1 Tilissima sanè est Concilij Coloniensis sub Hermanno 5. Constitutio illa, quæ docet habendū esse in virorum monasterijs virum pium, ac doctum, qui doceat Religiosos ab adolescentia meditari in lege domini die, ac nocte. Ob eam.n. rationem in Clem.ne in agro. §. ad ampliationem, de stat. Monach. vel Can. Reg. constitutum legimus sub his verbis. Rursus vt ipsis Monachis proficiendi scientia via opportuna non desit: in singulis ipsorum monasterijs, quibus ad hoc suppetūt facultates: idoneus teneatur magister, qui eos in primitiuis scientijs instruat diligenter. Vbi glossa inquit, si Abbas hoc non seruans, dicit facultatem non sufficere; Episcopus facta de hoc inquisitione, si inueniat illas sufficere, illum coget ad hoc, vel ponet ibi magistrum. Huius Pontificis Clementis 5. vestigia secutus Bened. 12. in suis Constit. tit. de studentibus in ecclesiis, vel monasterijs, ad hunc modum statuit.

Quoniam per exercitium lectionis, studentes litterarum scientijs imbuuntur, nos cupientes, vt viri Religionis eiusdem in primitiuis, & deinde in diuini, & Canonici iuris scientijs instruantur.

2 Statuimus, q̃ in qualibet ecclesia Cathedrali, monasterio, locoue alio conuentuali, seu collegiato dictæ Religionis, cui ad hoc suppetẽt facultates: habeatur magister, qui canonicos doceat infra septa locorũ, in scientijs primitiuis, videlicet Grãmatica, Logica, & Philosophia.

3 Prouiso attentius, vt scholares instruendi cum ipsis Canonicis docẽdis in eisdem monasterijs, siue locis nullatenus admittantur: In ecclesijs tamẽ Cathedralibus Religionis eiusdem infra super hoc edita obseruentur. Prouideatur autem quotidie dicto magistro, si alius quàm Canonicus eiusdem loci fuerit, sufficienter in pane, & vino, & pitantia per illos, qui talia tenentur in eadem ecclesia, monasterio, siue loco Canonicis ministrare. Eidem quoque magistro pro vestimentis, & calciamentis, ac salario suis, congrua pensio assignetur summã xx. librarum Turonen. paruorum nequaquam excedens, quæ de infrascripta communi contributione soluatur, donec pro ea certi, & perpetui redditus fuerint assignati. Si verò in locis prædictis Canonicus ad huiusmodi institutionem sit idoneus; ipse per Superiorem suum, ad quẽ hoc pertinuerit, deputetur instructor, & ad hoc si necesse fuerit, compellatur. Cui quidem instructori Canonico, vltra victum, & vestitum, pro libris emendis, & alijs necessitatibus suis iuxta dispositionem Superioris sui decem libræ paruorum Turonen. asignentur. Prælati verò, seu alij, ad quos spectauerit, Canonicos instruendos dociles, tam de capite, quàm de mẽbris, cũ consilio seniorum eligere, & de ipsorum certo numero, ac de locis, & tẽporibus, quibus lectionibus, quibusuè diuinis officijs, seu obsequijs alijs opportunis intẽdãt, ordinare purè, & prouidè teneãtur. Si tamen dicti Canonici instruendi teneri, & instrui cõmodè in loco prouinciali nequiuerint, & propter hoc fuerit hactenus consuetum, ipsos instruendos in aliquo de membris ipsius loci teneri, atque instrui, non intendimus circa hoc, dummodo ibidem vigeat obseruantia regularis, aliquid immutare. Possint autem præfatus magister, seu instructor, & instruendi, cum consilio seniorum, prout expediens visum fuerit eis, ad quos pertinuerit, remoueri, & per eos loco eorum, qui remoti fuerint, alij subrogari. Præcipimus insuper cunctis Visitatoribus in prouincialibus Capitulis deputatis, quòd ea quæ sunt de magistro, seu instructore, & personis instruendis, & alijs circa hoc superius ordinata, faciant auctoritate Apostolica, per censuram ecclesiasticã, & alia opportuna remedia, appellatione remota, firmiter obseruari. Et nihilominus ea, quæ super præmissis fecerint, & inuene-

tiui, Præsidentibus Capitulo prouinciali referant, qui etiã auctoritatẽ Apostolica, si eis, vel maiori parti ipsorũ visum fuerit, contra negligentes, vel rebelles in præmissis procedant, sicut viderint expedire:

4 Hac eadem de re sacrum Conc. Trid. sess. 5. cap. 1. sic decernit. In Monasterijs quoq; Monachorum, vbi commodè fieri queat, etiam lectio sacræ scripturæ habeatur; qua in re si Abbates negligẽtes fuerint, Episcopi locorum, in hoc vt Sedis Apost. delegati, eos ad id opportunis remedijs compellant. In Conuentibus verò aliorum regularium, in quibus studia commodè vigere possunt, sacræ scripturæ lectio similiter habeatur. Quæ lectio à Capitulis generalibus, vel prouincialibus assignetur dignioribus magistris. Luculenter profectò rem hanc interpretatur Concilium prouinciale Camaracense sub Maximiano Archiepisc. tit. de lectionibus Theologicis in capitulis, & Monasterijs, sic inquiens.; Clerum rerum sacrarum nõ prorsus imperitum esse necesse est, scilicet vt reliquis dux esse, lucemq; diuini verbi præbere possit: ac maximè, vt diuinarum scripturarum delitijs oblectatus, & imbutus, voluptates, & illecebras carnis oderit, & obijciat; malitq; pane patris familias educari, quàm porcorũ siliquis, & glandibus obrutescere. Quare decretum sess. Trid. Synodi prorsus seruandam S. Synodus denunciat. Præcipit itaque in collegijs, atque monasterijs doctos viros constitui, qui Theologiam doceant; quique in eo præstando eum ordinem teneant, qui maximè auditoribus sit commodus, vt lectionis adminiculo non doctiores tantùm, sed probiores euadant. Curent autem Episcopi cum capitulis, & monasterijs, quacunque ratione commodius fieri queat, proposita, siue pœna, siue præmio, vt frequens sit auditorium. Qua in re plurimum valebit docentis industria, si sit efficax in docẽdo; vt nõ tantum rem exponere, sed auditorẽ dicendo retinere, & oblectare possit. Relinquatur autẽ Episcoporũ, Capitul. & Abbatũ iudicio, qua hora, quibusuè diebus sit prælegendũ.

5 Rursus idem Bened. 12. in tit. de mittendis ad studia generalia (inquit;) Quia verò expedire dignoscitur, vt ijdẽ Canonici postquàm in scietijs primitiuis fuerint eruditi, ad sacræ theologię, vel canonũ transeant facultates; statuimus, vt monasteria ex quolibet vicenario numero Canonicorum vnum Canonicum aptum pro huiusmodi scientijs acquirendis ad generalia, seu solennia studia mittere, & cuilibet mittendorum teneantur de pensione annua prouidere. Huiusmodi autem vicenarium numerum sic volumus cõputari, vt videlicet illi duntaxat Canonici numerum ipsum efficiãt in hoc casu, qui fuerint in ecclesia, vel monasterio, vel loco aliq principali, & in loco alio ei subiecto, habente octo, vel plures Canonicos præter Priorem, seu admini-

ſtratorem loci ſubiecti, & ipſorum cum Canonicis eiuſdem eccleſiæ, monaſterij,& loci alterius principalis, in computatione, ac miſsione huiuſmodi coniungantur. Quod ſi forſan vltra dictum numerum vicenarium aliqui ſupereſſent, qui tamen vicenarium alium non complerent,non tamen propter hoc arctentur aliquem mittere ad ſtudia prælibata. Eligantur autem ipſi Canonici mittendi, prout ad ſacras Theologiæ,vel iuris canonici ſcientias,ſeu magis ad vnam, quàm ad alterã,aptiores, qui poterunt inueniri. Sic tamen, quòd ſi tot apti reperiantur pro ipſius Theologiæ ſtudio,ad minus medietas mittendorũ pro ipſo Theologiæ ſtudio deſignētur. Et qui electus fuerit ad vnã de his ſcientijs,ad aliam proprio arbitrio nequeat ſe transferre: quòd ſi fecerit,de ſtudio reuocetur.Hæc Bened.12.reliqua verò ob nimiam prolixitatem reſecamus. Eadem de re egit idem Bened. 12. in Conſtitut. Monachorum nigrorum cap.6. 7.& 8. electio autem ſtudentiũ, ad Prælatum,& Capitulum ſimul pertinent certo electorum numero ab vtraq; parte aſsignatò. Scientiæ ergo Religioni conuenientes ſunt Theologia,& iuris Canonici peritia.Sunt enim pietatis ſcientiæ.

6 Primum igitur notandum,audiendos non eſſe eos, qui ſcientiarum cognitionem à religioſorum clauſtro depellunt:vt.n. inquit Panor. in cap. non magnopere,ne Clerici,vel Monachi ſecularibus negotijs ſe immiſceant,nu.7. Ex ſcientia bene percepta, multa, & infinita bona proueniunt Eccleſiæ,etiam vniuerſali,quæ ad ſuum regimen viris litteratis maximè indiget:vt aſſerit tex.in cap.cùm ex eo,de elect. lib.6. Dixit quoq; per prophetam Deus:quia tu ſcientiam repuliſti,& ego te repellam,ne fungaris ſacerdotio.Et Hieronymus ad Ruſticum Monachum inquit; ſi clericatus titillat deſiderium,dicas quòd poſsis docere: ne ſis miles, antequàm tyro:ne prius magiſter antequàm diſcipulus. Mihi placet, vt ſanctorũ doctorũ habeas cõtubernium. Nec ipſe te doceas,& abſq; doctore ingrediaris viã, quã nunquã ingreſſus es.

7 Iudicio tamen meo plurimi facienda eſt ſapientis viri, Io. Andreæ ſententia,quam Panor. ibidem citat aduerſus quoſdam litteratos ſuperbos, quibus vtilius multo fuiſſet, ſi humilitate ornati, in clauſtro permanſiſſent. Nam cùm ex ſcientiarum cognitione profundiorẽ humilitatem addiſcere debuiſſent,ſcientijs intumeſcunt, & litteris alioqui pijs,& ſanctis turgidi, ſuperbiæ ſupercilio aſſumpto,abiecta ſacra humilitate,impie euanuerunt:Ex horum ſuperborum numero ſunt, qui contra proprios Abbates,alioſq; Prælatos inſurgunt, & tragædias excitant. Obedientiam prorſus ignorant;difficiles, vt ab alijs gubernentur exiſtunt,atque rebelles,gubernari oderunt,gubernaculum vero vehementer appetunt; Prælatos,eorumq; miniſtros facilè contem-

nuit. Vnde monasterii non mediocria damna sibi contraxerunt, quid enim vtilitatis monasterio accedit, si superbis, superciliosisq; doctoribus sit plenum, qui rectam monasterij gubernationem impediant, quàm promouere debuissent?

8 Memoria igitur semper ab honestis litteratis Canonicis retinenda est Paulina sententia 1 ad Cor. 8. scientia inflat, Charitas verò ædificat. Vbi Chrysostomus sic philosophatur; Ambitiosa anima cum aliquo gloriatur, & si alios in eo lædat, maiorem id in modum amplectitur, propter inanis gloriæ nimiam cupiditatem. Nam qui aliquid magnum, bonumuè habent, cùm id soli habent, magis efferuntur. Hac igitur clausula eorum contundit superbiam, ostendens, nō modo imperfectum esse, sed valdè imperfectum: neque hoc tātum, sed & noxium, nisi ei aliud sit coniunctum. Itaque cum Charitate non munitur, vertitur in stultitiam. Nam qui scientiam habet, Charitatem verò minimè, non modo nihil consequetur scientia, sed quā habet, amittit, & sæpenumero in dementiam vertitur. Itaque non hoc prohibeo (inquit) vt perfectam sciētiam habeamus, sed cum Charitate habendam præcipio: quoniam ipsa sola nullum lucrum affert, sed detrimentum. Ex quo & seditiosi homines fiūt, & superbi, & cæteris affectibus obnoxij. Hæc Chrysostomus. Igitur qui scientijs incumbunt, sic eruditionem amplectantur, vt humilitatem, quæ Religionis firmum est fundamentum, non exuant; sed Charitatem foueant, quippe qui alijs in eruditis, tanquàm lucerna in Religionis candelabro constituti, imò vt fulgens sol, relucere tenentur.

De Priore claustrali, vel Subpriore. Cap. xvij.



1 IN exordio huius capitis præmonendum est eum, qui in monasterio Canonicorum Regularium Prælati vicem gerit, de quo in præsentia sermo habetur, vbi Prælatus est Abbas, Priorem claustralem vulgo nuncupari; vbi verò Prælatus monasterij est Prior, & qui Prior conuentualis ad differentiā Prioris claustralis iure appellatur, Subpriorē dici. Quam rem Concilium Tridentinum sessione 25. de Regularibus cap. 20. explicauit, dicēs; Priores claustrales, aut in Prioratibus conuētum habentibus, Subpriores, qui correctiones, & spirituale regimen exercent, in monasterijs commendatis, à Capitulis generalibus, vel ipsorum Ordinum Visitatoribus instituendos esse.

2 Quibus autē virtutibus, qualitatibusq; ornatū esse oporteat Priorem Claustralem, vel Subpriorem, explicat Innocentius 3. in cap. cùm ad monasterium. §. Prior autem. de stat. Monach. his verbis. Prior

autem

autem præ cæteris post Abbatem potens sit in opere, & sermone: vt exéplo vitæ, verboq; doctrinę fratres suos, & instruere possit in bono, & à malo etiã reuocare: Zelũ Religionis habens secundũ cõscientiã, vt delinquentes corripiat, & castiget: Obedientes foueat, & confortet.

3 Vberius verò idipsum locupletauit Bened. 12. in Constit. Canon. Reg. tit. de Priore claustrali constituendo, dicens: Vt autem dicta Religio salubriter in omnibus dirigatur, in Ecclesia, seu monasterio, locoq; alio collegiato, seu conuentuali religionis eiusdem Superiorem dictæ Religionis non habente, ac etiam in quolibet collegio, seu conuentuali loco duodecimum, vel maiorem numerum Canonicorũ habẽte, etiam si Superiorem in ipsa Religione habeat, necnõ in loco alio etiam minorem duodenario numerum habẽte, in quo Prior claustralis esse consueuerit, constituatur huiusmodi Prior claustralis. Dictaq; Prioris constitutio fiat per illum, seu illos, ad quem, vel ad quos pertinuerit, cum consilio aliquorum seniorum illius loci, in quo constituetur; attentius prouidendo, quòd persona, quæ zelum Religionis ordinatum habeat, quæuè existat idonea ad exercendum Prioris claustralis officium in loco, in quo constituta fuerit, assumatur.

4 Dictus verò Prior, cùm eum abesse, vel sic impediri cõtigerit, quòd incumbens sibi officium per se nequeat exercere; teneatur aliquẽ ex Canonicis dicti loci ad hoc idoneum deputare, qui huiusmodi absentia, vel impedimento durante, vices ipsius gerat, nisi alicui ex priuilegio, seu statuto, vel consuetudine ratione dignitatis, personatus, vel alterius beneficij præmissis casibus gerere vices huiusmodi competere nosceretur, vel nisi dicti Prioris Superior aliquẽ ad hoc pro ipso Priore duxerit deputãdum. In loco autem, in quo secundũ præmissa Prior claustralis minimè fuerit statuendus, Præsides tali loco cũ ipsum impediri, vel abesse cõtigerit, vt de Priore claustrali præmittitur, teneatur aliquem loco sui, quo ad ea, quæ ad officiũ Prioris claustralis pertinent deputare.

5 Per hoc autem quòd volumus constitutionem dicti Prioris fieri de consilio seniorum non intendimus circa amotionem ipsius de pristina obseruantia aliquid immutare.

6 Eadem de re Basilius magnus in regulis fusius disputatis interrog. 45. sic definit. Verùm .n. quoniam incidit sępenumero, vt vel ob valetudinis imbecillitatem, vel peregrinãdi necessitatem, vel aliã quãuis ob causam abesse à reliquorũ fratrũ conuentu necessariò Antistes cogatur; alius etiã esse præter ipsum debet, qui cùm ipsius, tũ ceterorũ etiam fratrum diligenti animaduersione, circunspectioneq; adhibitis, ad hoc delectus sit, vt absente illo curam in se conuentus recipiat.

7 Vt & qui remanserint, vnius cõsilio gubernẽtur; neque absente magistro, ad formã quandam popularis reipublicæ status familia traducatur, atque eo modo regula, & traditæ disciplinæ seueritas imminuatur. Sed quæ de communi omnium sentẽtia adscita, à cuncto collegio instituta fuerint, ad Dei gloriam conseruentur.

8 Vt sit, qui accedentibus ad nos hospitibus prudenter sciat respondere: quo videlicet, & qui aliquid audire à nobis desiderant, pro propositi argumenti dignitate ædificentur, & commune fratrum collegiũ neutiquam dedecoretur.

9 Ne omnes sine vllo discrimine, absẽnte Antistite, ad dicẽdum prosiliant. Nam præterquàm quòd tumultus causa est, etiam signum est perturbatæ disciplinæ. Sed hoc substituti Prioris claustralis intersit: etenim si vbi de corporũ curatione agitur, non temerè quemuis medicamento, ferramentouè vti videmus: sed illos tantummodo qui medendi artẽ teneant, quàm & à peritis ante didicerint, ac doctrice multiplici experiẽtia, & assidua meditatione expoliuerint; quæ ratio permittit, vt ad curationem spiritualem temerè quiuis, qui velit, assiliat? Cautio igitur habenda est, vt munus hoc peculiare sit alicuius, qui melius id ipse præstare possit, quàm ceteri.

10 Quòd si etiam incidat, vt substitutus quidpiam ignoret, illudq; alteri occurrat, non propterea tamen cui illud occurrerit, is confestim prosilire, ac palã arguere illũ debet. Sed seorsum arbitris semotis, qđ sibi occurrerit de eo ipsum admonere. Quòd si hoc non ita fiat, qui inferiores sunt, ij elatiores fieri aduersum Superiores solent. Quapropter esto commodè aliquis responderit, tamen si responsio ad illũ non pertinebat, pœnis is tenetur obnoxius violatæ disciplinæ. Nam conseruandæ disciplinæ causa tenere silentium debet.

11 Postremò notandum ex glossa in verbo Prioratus, in extrauagãti, execrabilis quorundam, quæ est inter communes (sub tit.) de præb. Subprioratus, siuè Prioratus claustralis, vt communiter nullas administrationes, seu temporales prouẽtus habet; sed solummodò spiritualem iurisdictionẽ, seu officiũ in personas Monachorũ, Abbatibus dũtaxat absentibus, & in eorum defectu: & sic potest dici officium sine administratione. Item non sunt perpetui, imò de die in diem omnes isti remouentur pro nutu, cum causa, vel sine causa. Præterea Subprior non est Prælatus, Priore nec mortuo, nec amoto. Nec Vicarius Prioris; quia non habet iurisdictionem ordinariam. Hæc docet Siluester in verbo Prælatus. §. 2. & 4.

De munere Prælatorum Canonici ordinis. *Cap. xviij.*

1 Grauissimum quidem esse, ac difficillimum Abbatum, aliorumq; huiusmodi Prælatorum Canonici ordinis, quocunq; nomine censeantur, munus,& regimen,quis vel ignarus,stupidusq; homo non videat? maximè verò si quis nostra hæc calamitosa, corruptaq; tempora contempletur; in quibus nõnulla monasteria conspiciet, vbi regularis disciplina, aut ferè abolita,aut etiam semisepulta iaceat, nec vestigiũ Religionis vix appareat; oues verò Abbatibus cõmissæ, eius sunt generis,vt non corruptibilibus auro,& argento,sed pretioso suo sanguine à domino nostro Christo Iesu sint coemptæ: quas proinde idẽ Dominus in die iudicij è manibus Prælatorum est exquisiturus; huius rei eos Gregorius admonet homilia in Euangelium boni pastoris Ioannis 10. dicens: Audistis fratres charissimi ex lectione Euangelica eruditionem vestram,audistis & periculum nostrum. Christus.n. suæ bonitatis formam,quam nos imitemur, adiunxit,dicens: Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis;fecit quod monuit,ostẽdit quod iussit. Et paucis interiectis subdit. Mercenarius quippe est, qui locum quidem pastoris tenet,sed lucra animarum non quærit. Terrenis cõmodis inhiat,honore prælationis gaudet, tẽporalibus lucris pascitur, impensa sibi ab hominibus reuerentia lætatur. At verò quamuis Abbatem vigilantissimum esse oportere non diffiteamur, & varijs periculis,intricatisq; laqueis implicatum esse agnoscamus, & vt Conciliũ Triden. sess. 25. cap. 1. de Episcopis ait; Non ad propria cõmoda, nõ ad diuitias,aut luxum, sed ad labores, & solicitudines pro Dei gloria vocatum esse intelligamus; Quàm plurima tamen bona,cõpiosissimaq; in cœlis merces vigilantem Prælatum manent, si in suo obeundo munere pro humanarum virium tenuitate diligentem pastorem, vti decet, Dei auxilio adiutum, se præstiterit, & custodiendis, gubernandisq; ouibus debitam operam non denegauerit. In cuius rei difficultate, anxietateq; non mediocre solatium subministrat cõsideratio ea,quâm D. Bened. in sua Regula,boni Abbatis qualitates exquirẽs, sapienter conscripsit,dicens; Tantum iterum liber erit, videlicet Abbas,vt si inquieto,vel inobediẽti gregi pastoris fuerit omnis diligẽtia attributa,morbidis earum actibus vniuersa fuerit exhibita,pastor earum in iudicio domini absolutus,dicat cum propheta Domino: Iustitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam, & salutare tuum dixi;ipsi autem contemnentes spreuerunt me;& tunc demũ inobedientib. curæ suæ ouibus pœna sit eis præualens ipsa mors. Heroico

igitur, intrepido, constantiq; animo probus, eruditusq; Abbas, seu quiuis alius Prælatus pro suis viribus enixe studeat, atq; laboret: vt ex pecunia donorum diuinorum à domino Iesu accepta, quinque talenta eidem domino superlucretur. Ei enim Dominus dicturus est: Euge serue bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui.

2 Vt iam igitur vlterius pedem promoueamus, à D. Basilio magno exordiamur, qui in regulis fusius disputatis interrog. 30. 31. & 43. strenuum, peritumq; huius magisterij præceptorem se nobis exhibet. Primum itaque documentum egregij Abbatis sit, vt neutiquam ipse dignitate illa prælationis extollatur, superbiatq;. Ne ipse quoq; à beatitudine illa excidat; quæ promissa est humilibus; vel etiam inflatus incidat in iudicium diaboli, est.n. planè minister. Vt igitur saucijs multis ministrat, & saniem de singulis eorum vulneribus abstergit, & pro natura vniuscuiusque mali remedia ei adhibet accommodatà, munere illo non ad animorum elationem vti consueuit, sed ad demissionē potius, & solicitudinem, ac maiorem curam: itidem ac multo etiam magis, is cui totius fratrum societatis sanandæ prouincia est delegata, perinde, vt qui omnium minister sit, & rationem de vnoquoque illorum redditurus, sic secum agitare animo, & contendere anxie debet, iuxta illud euangelicum Marc. 9. Si quis vult esse inter vos primus, erit omnium nouissimus, & omnium minister. Etenim Christianæ vitæ limes eo tendit, vt Christum imiteris; ipsi duces opera sua imbecilliores adhuc deducere ad Christi assimilationem debent suis operibus, non fucatæ humilitatis exemplum subditis præstantes: ait enim magister Dominus Matth. 11. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Morum igitur mansuetudo, & humilitas cordis; hæc præcipuè Antistitis veluti insignia sunto. Dominus enim discipulis suis, dum eorum pedes lauit, ministrare non erubuit.

3 Tum clementem esse ipsum Abbatem oportet, & ob rerum inexperientiam delinquentes, leniter sufferat, non tamen ad peccata obmutescat; sed immorigeros, ac imperij detractores clementer tolleret, & ipsis maxima lenitate, moderationeq; medicinam adhibeat. Sit itaque ipse Abbas idoneus, qui accommodata eorum morbis remedia comminiscatur, & excogitet; non sit atrociter obiurgans, sed in mansuetudine monens, clementerq; corripiens: in rebus administrandis peruigilem, & attentum, in futuris prospiciendis sagacem, & cum potentibus certare valentem se præbeat. Præterea fratribus ipse ordinem disciplinæ præscribat, quem sequantur: operaq; dispartiatur in vnum quemlibet, prout viderit expedire.

Attenta

4 Attenta animi consideratione Prælatus discat terribile Dei iudiciũ, quod ipsi imminet, si fratres delinquentes non arguat, vt Basilius magnus loco citato interrogatione 25. planè commonstrat. Quamobrē cui communis totius regendæ societatis data prouincia est, is ita esse animo affectus debet, quasi intelligat reddendam sibi de vnoquoq; rationem. Illudq; sibi persuadeat, si frater quisquam in peccatum inciderit, quem prius ipse de iudicio Dei nō præmonuerit, vel si iam lapsus, in eo perstiterit, nec docuerit rationem, qua sanari possit; certo futurum esse, vt sanguis eius requiratur de manibus ipsius Ezech. 3. præsertim si non ex iustitia, sed ex assentatione, quod se demittēs, ad cuiusq; vitia se accommodet, exactam sibi credite reipublicæ disciplinam dissoluerit. Paulus quidem 1. ad Thess. 2. ait; Neque.n. aliquando fuimus in sermone adulationis, neq; in occasione auaritiæ, nec quærentes ab hominibus gloriam; Itaque qui neque humanos honores sectatur, neque pro deuitanda delinquentium offensione, laborat, vt iucundus apud illos, gratiosusq; sit: prorsus hic sincerè, vereq; Dei verbum tractabit, neque ob rem vllam animum inducet, vt veritatem adulteret. Ingens enim malum illud est, pro recto itinere, erroris cuipiam fratrum ducem esse.

5 Caueat prudens Abbas, ne in illorum Prælatorum numero computetur, quos Humbertus in Regulam Augustini, cap. 164. acriter notauit, dicens: Contingit interdum, vt Prælati transgressiones aliquas non corrigant, aut ex pusillanimitate cordis, aut ex humilitate superstitiosa, aut diffidentia proficiendi, aut ex ignorantia, quod fratrum culpas ignorent, sed nec curam ad eas cognoscendas adhibeant: aut rursus propter pacem propriã, quam turbare nolunt; aut propter verecundiam; conscientia.n. eos accusante, alios corrigere non audent; aut propter timorē odij, verentes, ne in subditorum indignationē incurrant: aut propter Prælationis amorē, & desideriũ, quã amittere formident, subditos contra se correctionibus huiusmodi prouocãtes; aut ob defectũ zeli; aut deniq; ex negligentia, quæ in Prælationis statu vehemēter damnãda est. Rectè quidem Bernardus in Regula admonet, dicēs: Nō dissimulet Abbas peccata; sed mox vt oriri cœperint, ea radicitus amputet, memor filij Heli sacerdotis. Hic tandē non absque vtilitate mente retinenda est Basilij magni interrogatio. 106. dicētis. Cuiusmodi animaduersionibus, & pœnis in fratrum familia vtendum sit, ad reuocandos in rectam viam, qui peccant? Responsio; Pro iudicio suo Antistites tempus, modumq; considerabunt, ratione habita cùm ætatis, & corporis, tum animi habitus, & dissimilitudinis peccati, quod si quis mores habeat turbulentos, ac feroces, hic præ ceteris à prælato

corripiendus, puniendusq; est, ne totam fratrum domum conturbet, & modicum fermentum totam massam corrumpat.

6 Ex D. Antonino 3. par. tit. 19. capit. 11. §. 6. Magna quidem discretio, atque prudentia in corrigendo habenda est. Aliquando enim subditorum vitia prudenter dissimulanda sunt, suo tamẽ tempore iudicanda: vt videlicet delinquẽs deprehensus, toleratus tamen, augere culpas erubescat, seq;, se iudice, puniat. Nonnulla verò apertè cognità, maturè toleranda sunt, vt congrua opportunitate corrigantur. Quædam verò occulta subtiliter sunt perscrutanda, vt quibusdam signis erumpentibus, Rector quod in subditorum mente clausum latet, inueniat, & ex minimis maiora cognoscat. Seruatis tamẽ in omnibus secreti contegendi iure & ratione, quam periti Theologi tradiderunt. Nonnulla tandem sunt leniter arguenda. Nam cùm non malitia, sed sola ignorantia, vel infirmitate peccatur, magno moderamine delicti correctio temperetur: vbi autem morbi grauitas correctionis asperitatem, postulat, ea non denegetur. Imò & cauterium apponendum esse constat.

De eadem Abbatum, aliorumq; Prælatorum functione. Cap. xix.

1 SVperiori capite de Prælatorum munere in genere disseruimus, nunc verò quę specialiora sunt, in compendium succingemus. Primum igitur, Abbatis præsentia in monasterio est pernecessaria. Quemadmodum.n. vt Aristotelis exemplo vtamur, præsentia naucleri, ipsius nauis salutis, incolumitatisq; vera causa existit, eiusdem verò absentia nauis submersionem adfert: ad eundem etiam modum præsentia pastoris multas ouibus commoditates adducit; contra verò, eiusdem absentia multa mala est illatura. Quare Conradus Archiepiscopus Coloniensis tit. de Regularibus nu. 10. in suo Concilio prouin. peruetusto ait: Statuimus, & quòd Abbates in conuentu cum fratribus sedeant, & diuinis frequentius intersint lectionibus, maximè vigilijs, capitulo, collationi, & alijs diuinis officijs cũ eisdem, nisi causa necessaria, vtili, vel honesta fuerint præpediti. Rursus Conciliũ prouin. Colonien. sub Adulpho Archiep. par. 3. sic inquit; Mandamus quoque, & præcipimus, vt Abbates quorũlibet monasteriorũ, nõ nisi intra monasteriorũ septa, cùm fratribus habitent, nec moram longam extra ea trahant.

2 Diligẽter cauendum est, ne supra monasterij facultates Canonicorum numerus excrescat, & augeatur; Id quod in Conc. Arelatensi sub Imperatore Carolo Magno cap. 8. iure cautum est: vt non (inquit) amplius suscipiantur in monasterio Canonicorum, atque Monachorũ, seu

etiam

etiam puellarum, nisi quantum ratio permittit, & in eodem monasterio absq; necessariarum rerũ penuria degere possint. Id ipsum in Concilio Turonensi tempore Caroli Magni cap. 31. legimus his verbis cõscriptum; Vt in monasterijs Canonicorum Monachorum, seu puellarum maior hominum numerus non admittatur, quàm facultas monasterij possit sufferre. Ratio verò horum Conciliorum ea profectò est, ne Canonici rerum egestate compressi, paupertatē causantes, in proprietatis peccatum prolabantur, aut indecore vagari cogantur. Quam rem sacrum Conc. Trid. sess. 25. de Regularibus. cap. 3. perspiciēs, sic statuit. In prædictis autem monasterijs, & domibus tàm virorũ, quàm mulierum bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tã tum numerus cõstituatur, ac in posterum conseruetur; qui vel ex redditibus proprijs monasteriorum, vel ex cõsuetis eleemosynis commodè possit sustentari, nec de cętero similia loca erigantur sine Episcopi, in cuius diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta. At verò contra etiam, oculatè consideret Abbas, an pro monasterij facultate sit exiguus, imminutusq; Canonicorum numerus? Contingere.n. aliquãdo posset, vt honorifica, opulẽtaq; Canonicorum monasteria per paucos alat, sustineatq; Canonicos; idq; non absque auaritiæ suspitione, diuini cultus iactura, & populi offensione. Quod quidem non contemnendum incommodum repellere volens Bened. 12. in Constit. suis sæpè citatis, tit. quod antiquus Canonicorum numerus teneatur, sic statuit. Cùm sit consonum rationi, vt obtinentes beneficia, ipsorum onera debeant supportare; Statuimus, quòd in monasterijs, prioratibus, & alijs beneficijs quibuscunque Religionis eiusdem, personis quibuslibet extra præfatam Religionem cuiuscunque sint dignitatis, gradus, seu pręeminentiæ, etiam si fuerint S. R. Eccl. Cardinales, collatis vel commendatis, seu de cetero conferendis, vel commendandis, tot Canonici teneãtur, quot in eis tenerentur, si per Canonicos regulares monasteria, prioratus, & beneficia huiusmodi regerentur. Cęterum quoniã hic de solis monasterijs à cõmendatarijs gubernatis agit, idcirco idẽ Pontifex constitutiones Canon. Reg. ab ipso editas, quibusdam Abbatibus mittens, sic eis præcipit. Deinde, inquit, ad ecclesias cathedrales, & monasteria eiusdem Ordinis, seu Religionis infra eandem prouinciam existentia, coniunctim, vel diuisim per diuersas partes, prout adinuicem conueneritis, præsentialiter accedentes, de ipsorum, necnõ membrorum suorum facultatibus, ac quot Canonici esse consueuerint in eisdem, quot etiam de dictis facultatibus, incumbentibus eis, supportatis oneribus, cõmodè valeant sustentari, diligenter inquirere: vosq; de præmissis per diligentem, & fidelem relationem plenariè

informare

informare curetis: vt consideratis facultatibus, & oneribus supradictis, certum in eis Canonicorum numerum statuere valeamus. Ergo Abbas ipse magno studio curaturus est: vt non deficientem, sed pro monasterij viribus decentem Canonicorum numerum domi teneat, & alat, atque conseruet.

3 Superioribus consonant, quæ in visitationum formulis traduntur, vt ab Antonino Flor. 3. par. tit. 20. cap. 6. §. 2. Primo, inquit, Visitator quærat à maioribus, quot sunt Monachi in monasterio, vel Canonici Regulares, vel Moniales, & quot esse debent, & si numerus est ibi constitutus. Itidē ab Hermāno 5. Archiep. Coloniensi in sua formula nu. 13. Deinde an cōuentus certū numerū habeat, an illi suppetat victus. Et ab Adulpho 3. Archiep. Colonie. Quærendū quoq; an certus sit in monasterijs numerus psonarū, aut incertus, an suppetat victus.

4 Diligentem curam adhibiturus est Abbas, vt singulis annis ab officiarijs computationes sumptuū, siue ratiocinia reddātur; vt olim Cōradus Archiep. Coloniensis in suis statutis prouincialibus, tit. de Regularibus nu. 25. decreuit; Statuimus (inquit) & quòd Monachi officiarij ad minus semel in anno in præsentia Abbatis, & seniorum computationem, vel legitimam rationem faciant. Et si quid vltra suorum officiorum administrationem superfuerit, de hoc nihil per ipsos Monachos, sed per Abbatem, & Superiores sui conuentus ad sui monasterij vtilitatem ordinetur. Ad eundem modum statuit Adulphus 3. Archiepiscopus Coloniensis in suo Concilio prouinciali par. 6. dicens; Accepimus in quibusdam collegijs thesaurarios, fabricæ præfectos, & alios rerum administratores, vel officia spiritualia habentes, rarò, aut nunquam dare administrationum suarū rationem, nō sine suspitione infidelitatis; cui permagna datur occasio, vnde res ecclesiarum diffluū, & quæ à maioribus ad ornatum ecclesiarum magnis studijs congesta sunt, negligētia, & fraude posteritatis turpiter dilabuntur. Idcirco statuimus, & ordinamus, vt collegiorū, & monasteriorū officiarij, quibus cura administrandorum, & dispensandorum bonorum ecclesiasticorū cōmittitur, iureiurādo promittāt, se velle ea fideliter conseruare, tractare, & administrare, ac quotiescunque petuntur, dare rationem, & ea quæ ratione consectari debent. Diem autem certum computandi Decanus, & Capitulum eis præfigant, sub pœna suspensionis ab officio, & emolumentorum perceptione.

5 Prudens Abbas accuratè inuigilet in dignoscendis fictis, & dolosis cōtractibus, qui plerūq; ab administratoribus, & officiarijs in magnū monasteriorum detrimentum fieri cōsueuerunt; quos extricate, aperteq; enodauit Bened. 12. in Constit. Canon. Reg. tit. de fictis, & dolo-

sis

ſis contractibus,dicens: Hoc cōſultiſsimo prohibemus edicto,ne Abbates, Præpoſiti,& Priores,vel quiuis Adminiſtratores,& alij Canonici,ſeu couerſi Religionis eiuſdem, prætextu adminiſtrationum,vel negotiorum,quæ gerunt:fraudulentos,vel doloſos,aut ſimulatos, vel fictos contractus inire,vel mutua,ſimulata,vel ficta ſuſcipere, ſiue proprio,ſiue fideiuſſorio,vel quouis alio nomine alieno,neuè, etiam confiteri in inſtrumentis publicis, vel authenticis, alijsuè ſcripturis, ſe à
4 patre,fratre,nepote,vel cōſanguineo,ſeu quolibet alio coniuncto,affine,familiari,ſeruitore,amico,ſeu mercatore recepiſſe mutuo, vel alias pecuniā,pannos,bladum,vinum,equos,boues, ſiue animalia, vel res, ſeu alia bona,eaq; in vtilitatem locorum,quibus præſident,vel adminiſtrationum, quas gerunt, fuiſſe conuerſa. Cum tamen nec pro ſe, ſeu locis eorum, neque pro adminiſtrationibus ſuis ipſa receperint,
5 quoquo modo præſumant. Similiter etiam prohibemus, ne fingant, ſeu ponant,vel ſcribant ſe fore principales debitores, neuè vt tales ſe obligent:vbi re vera non principales, ſed fideiuſſores exiſtant:neuè in talibus contractibus,vt præfertur,ſimulatè conceptis ſe, ac alios, ſeu nomine,locaq; ipſa,poſſeſsiones,redditus,prouentus,bona, & iura locorum ipſorū obligent, vel ſimulent, neq; in fraudem,ſeu doloſè cōfiteantur,vel alios, præſertim debitores eorum, faciant confiteri, ſeu etiā obligari,vel ſuper his inſtrumenta, vel authenticas, ſeu alias ſcripturas in fraudem confici,continentia,quod iura,redditus, poſſeſsiones,animalia, blada,pecuniam,ſeu alia bona ad ipſos, vel monaſteria, ſeu quæuis alia loca Religionis ipſius pertinentia, ſeu debita fuerint, ſunt,vel eſſe debent patris,matris,ſeu fratris eorum, vel aliarum perſonarū prædictarum, & ad ipſas perſonas pertinere, vel debitas eis fore,vel alios quoſcunque contractus ſimiles fraudulenter, & doloſè cōfingi faciant,& fieri,ne procurent per quos eccleſiæ,monaſteria, & loca alia Religionis ipſius,quibus præſunt,ac iura, redditus,ac poſſeſſiones,ſeu alia bona ipſorū dānificari,grauari,obligari,vel alias impediri,ſeu deperire valeant quouis modo. Subiungit deinde, infra duorū menſiū ſpacium damnorū reſartionem,ac reſtitutionem eſſe faciendam, ſub excommunicationis ſententia,eo ipſo incurrenda.

6 In contrahendis etiam mutuis varię committuntur fraudes in monaſterij bonorum dilapidationem,quas manifeſtè detegit Bened. 12. in Conſtit. eiſdem tit. de mutuis, pręcipitq;,vt in faciendo mutuo hęc ſolennitas obſeruetur. Primum, vt vltra ſummam communi prouidentia per annuale capitulum, ſeu maiorem partem ipſius taxandam,contractus,ſiue tractatus ad minus duorū dierum nō continuatorum,ſed interpollatorum cum capitulo, ſeu conuentu diligens ha-

beatur, & maturus; & cum consensu dicti capituli, vel conuentus mutuum huiusmodi recipiatur. Secundo, quòd nihilominus in vtroque licentia, seu auctoritas interueniat sui superioris, quocunque nomine censeatur. isq; sit de omnibus plenè certificatus. Tertio, quòd in eo tractatu agatur, & clarè liqueat, ob quam causam, cuiusuè summę, & si fieri potest, à quibus creditoribus, & sub quibus conditionibus, & obligationibus, quibusuè terminis soluendum suscipiatur mutuum supradictum. Quarto, quòd de his authentica conficiatur scriptura, in qua omnia nomina eorũ, qui interfuerint in tractatu, ac etiam consentientium, recipientium, & authorizantium sigilla apponantur. Quintum, quòd pecunia mutuo recepta non remaneat in solius Abbatis, vel alterius potestate, sed tribus prouidis, & discretis viris, iureiurando astrictis committatur ad vtilitates, seu necessitates prædictas conuertenda. Adiuncta infra certum tempus suspensionis pœna, & aduersus contumaces excommunicationis sententia lata.

7 Prælati tenẽtur bona, & patrimonium Ecclesiæ repetere ab iniquis possessoribus, & ea illæsa conseruare. Alioqui enim mortaliter peccant: ex canone in canonibus, verbo, iniquum 16.q.1.& glossa in cap. ea, de officio Archid. Huius est sentẽtiæ Didacus Couarrubias, insignis Episcopus Segobiensis in regula peccatum, par.1.nu.6.§.9. Eidẽ sententiæ suffragatur D. Tho.2.2.q.43.art.8. in corpore, & ad secundum argumentum, dicens: Bona ecclesiæ committuntur Prælatis, & talium conseruatio imminet his ex necessitate. Et ideo propter eos, qui scandala ex malitia, quæ dicuntur Phariseorum, cõcitant, nõ sunt tẽporalia dimittenda. Quia hoc, & noceret bono cõmuni; daretur.n. malis rapiendi occasio, & noceret ipsis rapientibus. Qui retinẽdo aliena in peccato remanerent. Et, vt ait Gregorius, tales prohibendi sunt, non sola cura, ne nostra subtrahantur; sed ne rapientes non sua, semetipsos perdãt. Nam si passim permitteretur malis, vt aliena raperent, vergeret hoc in detrimentum veritatis, vitæ, & iustitiæ.

8 Prælatum plurimum decet, vt in refectorio cum reliquis Canonicis nonnunquam cibum sumat, iuxta pręmonitum Cõcilij prouincialis Cameracensis sub Maximiliano Archiepiscopo tit. de monasterijs cap.5.& inferius dicens: Monet quoque S. Synodus vniuersos Regularium Rectores, vt vnà cum suis subditis corporis in conuentu nonnunquam sumant refectionem; nisi per occupationes legitimas, aut hospitum multitudinem penitus impediãtur. Hortatur insuper S. Synodus, vt quando commodè fieri poterit, initio mensæ ipsorum Superiorũ sacræ scripturæ, aut cuiuspiã pij, & catholici doctoris prælectio habeatur; vt vnà cũ corpore sumat quoque & mens cibũ. Porrò explета

ta huiuſmodi ſancta prælectione, nulli ſermones irreligioſi ibidem miſceãtur; ſed qui boni ſint, & honeſti. Omni diligentia curent, vt mẽſa ſit frugalis, vitenturq; exceſſus; neque ipſi quenquam ad largius, ac immoderatius bibendum inuitent: imò ne patiantur quidem, quo ad eius commodè fieri poteſt; ne Prophetæ cõminatio in eos: eorumuè conuiuas meritò poſsit competere: væ qui potentes eſtis ad bibendũ, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem.

9 Attenta conſideratione expendendum eſt decretum eiuſdem Cõcilij prouin. Cameracẽſis ſub Max. Archiepiſ. tit. de monaſterijs. cap. 16. Cæterum (inquit) monet S. Synodus Abbates, Abbatiſſas, & alios monaſteriorum Præfectos, & Præfectas, vt ſui meminerint officij, ſeq; non eſſe dominos bonorum monaſterij, imò ne fructuum quidem; ſed tantum diſpenſatores, & adminiſtratores: neq; ſe pro libito diſpenſare poſſe, ſed ſecundum intentionem Eccleſiæ, & piorum fundatorũ. Proinde valdè reprehenſibile eſſe eorũ factũ, qui ex bonis, vel etiam fructibus monaſterij ſui ditãt propinquos, vel amicos ſuos. Itemq; eorũ, qui ſuperfluum, & nimis faſtuoſum habent famulitium, & comitatum, & nimium equorum numerum; quique nimiũ ſplendidè, & ſumptuoſè ædificant, præſertim ædificia non ſacra. Cętera verò, quæ ad Prælatorum munus ſpectant, in toto hoc opere ſparſim continentur.

De annuali Capitulo celebrando. Cap. xx.

1 Oſt magnum Canonici ſtatus detrimentum acceptum, ſero quęrimur & collachrymamur, Capitula annualia, ac etiam prouincialia, vel intermiſſa, vel nõ rectè hactenus fuiſſe celebrata. Quæ tamen non ſolùm maximè idonea ſunt ad bonorũ morum plantationem, & extirpationem malorum, verum etiam ad inueniendà media, & vias, quibus vetus ille perfectæ Religionis ſplendor aureus reſtituatur. Siquidẽ in eis redintegratur vnitas, ſtudetur corpori in ſua integritate cõſeruando; Vbi ea quæ in viſitatione non dabatur exequi, executionẽ ſtudijs communibus aſſequuntur: vbi de capite, & membris, de religione, & cultu diuino, de moribus, de diſciplina, de obedientia, de indicijs, & rebus omnibus ad benè, Chriſtianeq;, ac religiosè viuẽdũ, commodis vel neceſſarijs, tractatur, atq; ſtatuitur, vt veriſsimè eorum celebratio dicatur ſalus Religionis, terror hoſtium eius, & diſciplinæ regularis ſtabilimentum. Imò etiam Canonici Ordinis neruum rectiſſimè dixeris: neglectis enim Capitulis, non aliter Regularis Ordo diffluit, quàm ſi corpus humanum neruis ſoluatur. Adde etiam ex Concilio Triden. ſeſſ. 24. cap. 2. pro moderandis moribus, corrigendis

excessibus, controuersijs componendis vtilissimam esse huiusmodi Capitulorum celebrationem:vt.n. annualia capitula diœcesanas Synodos Episcoporum referunt;sic & prouincialia Capitula Conciliorũ prouincialium imaginem quandam præ se ferunt. Hæc igitur annualia Capitula singulis annis celebrari præcepit Bened. 12. in Constit. Can. Reg. tit. de Capitulis annualibus faciendis. In singulis quoque, inquit,ecclesijs cathedralibus,monasterijs,atque locis collegiatis,seu conuentualibus Religionis præfatę principalibus,non ab alijs dependentibus,etiam si in eis alias non fuerit consuetum, & in singulis alijs locis Religionis eiusdem habentibus membra sibi subiecta, aut si inibi solitum est capitulũ celebrari;annis singulis Capitulum celebretur, die videlicet ad hoc statuto, vel per ipsum Capitulum annis singulis statuendo,in loco scilicet principali,& non alibi, nisi euidens necessitas suaderet huiusmodi Capitulum alibi celebrandum.

2 Prælatus autem loci principalis in loco,in quo celebrabitur ipsum Capitulum,eidem Capitulo omnino studeat personaliter interesse,cui etiam præesse debebit. Quòd si eum tunc ab eodem Capitulo abesse contigerit,teneatur alicui idoneo loci, & Religionis eiusdem committere vices suas,qui intersit,& Præsit Capitulo memorato,nisi ex priuilegio,statuto,vel consuetudine alteri hoc cõpetere nosceretur. Ad huiusmodi autem Capitulum,Abbates,Præpositi,Priores,& Administratores eidem loco principali immediatè subiecti,necnon vbi fuerit cõsuetum,etiam Canonici administrationem non habentes,extra ecclesias,monasteria,& loca prædicta,morãtes,personaliter conuenire impedimento cessante legitimo,aut impedimento huiusmodi subsistente, Abbates,Prępositi, Priores,& Administratores præfati procuratorem idoneum sufficienter instructum cum mãdato legitimo, causam, seu causas impedimenti huiusmodi,& expresè iurandi in animas ipsorum cõstituentium,causas huiusmodi fore veras, & reddendi rationem infrascriptam,& alia faciendi,quæ facere possent,si essent præsentes,potestatem continente,ad ipsum Capitulum dirigere teneantur. Is verò,qui tunc præerit dicto Capitulo cum quattuor senioribus per ipsum Capitulũ,aut maiorem partem ipsius eligẽdis; an causæ huiusmodi sufficientes fuerint, arbitrari,vel eis non venientibus, aut nullũ talem procuratorem mittentibus,vel causas minus sufficientes prætendentibus, de pœna condigna ob hæc talibus infligenda, habent extimare. Quam ipse solus Præsidens infligendi, & aliàs contra ipsos absentes, si opus fuerit auctoritate Apostolica, prout iustitia, & regularia instituta suaserint,procedendi habeat facultatem.

3 Conuenientes autem ad dictum Capitulum, vitam ducant commune,

munem,& faciant proportionaliter simul omnes expensas, nisi forte ex consuetudine,vel statuto,aut alia ordinatione rationabili incumberet alij, seu alijs onus expensas huiusmodi faciendi. Quos tamen si ex hoc quòd singulis annis fieri volumus Capitulum memoratum, vel ex alijs supra,vel infra statutis,ampliores expensas fieri contigerit,nolumus in expensis plus solito onerari, sed tunc huiusmodi ampliores expensæ fiant per omnes proportionaliter,vt præfertur.

4 Quòd si forsan aliquis ex locis pdictis, in quibus,vt præfertur,debeat dictum Capitulum celebrari,membra habeat adeo sibi remota, quod administratores principales dictorum membrorum, nequeant annis singulis ad ipsum Capitulum absque notabili dispendio conuenire;tunc dictum Capitulum teneatur ordinare, quãdo dicti administratores ad huiusmodi Capitulum debeant conuenire.

5 In huiusmodi autem Capitulo tractetur præcipuè de reformatione morum,& obseruantia regulari, ac corrigantur,& reformentur in eo, quæ super spiritualibus,& temporalibus Religionis eiusdem corrigenda fuerint, & etiam reformanda. Ipsoq; Capitulo perdurante, Abbates,Prępositi,& Archidiaconi,cæteriq; administrationem habẽtes in Religione prædicta,quouis nomine censeantur, de suis administrationibus eidem Capitulo teneãtur offerre,& in scriptis tradere rationẽ,declarando videlicet,si ipsæ administrationes, aliquibus & quãtis,& ex quibus causis quibusuè personis, & qualibus obligationibus, & an sub vsuris sint debitis obligatæ,& an ipsa debita possint de reb. extantibus, mobilibusq; persolui, aliaq; onera sibi, suisq; administrationibus incumbentia supportari sine debitorum augumento; & generaliter an administrationes ipsæ in casu desolationis, & quare, vel in statu prosperitatis existant.

6 Huiusmodi autem rationum scripturæ, continentes administrationum ipsarum,tam onera,quàm augmenta in loco principali,cuius tenetur Capitulum,sub fida custodia fideliter conseruentur,eorũ,à quibus ratio reddita fuerit,proprijs subscriptionibus communitæ.

7 Volumus autem,quod in casu vbi Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Archidiaconis, & alijs administrationem habentibus minimè videretur expediens,sed periculosum esset, reuelare in dicto Capitulo cõmoda,seu augmẽta,quæ de administratione huiusmodi superessent; quattuor eligendis de dicto Capitulo,duobus per ipsum Abbatẽ,seu Priorem,vel Præpositum, seu Archidiaconum, vel quemuis aliũ administrationem habentem,& duobus alijs per Capitulum, vel maiorem partem ipsius; qui quattuor huiusmodi officium in virtute obediẽtiæ recipere teneãtur reuelare pdicta,quę supersunt,in quibuscunq;

rebus persistant, fideliter teneantur, eisdẽ quattuor sic electis iuramẽtum, in præsentia dicti Capituli præstaturis, quòd nõ reuelabunt pdicta, nisi cedentibus, vel decedentibus his, qui redd iderint rationem.

8 Formula autem celebrandi Capitulum ea seruanda est, quam tradit Concilium Toletanũ 11. cap. 1. habeturq; 5. q. 4. cap. in loco benedictionis. In loco (inquit) benedictionis confidentes domini sacerdotes, nullis debent, aut indiscretis vocibus perstrepere, aut quibuslibet tumultibus perturbare: nullis etiam vanis fabulis, vel risibus agi, & quòd deterius est, obstinatis discrepationibus tumultuosas voces effundere. Si quis .n. vt Apost. Iacobus cap. 1. ait, putat se Religiosum esse, non refrenans linguã suã, sed seducens cor suũ, huius vana est Religio. Cultum .n. suũ iustitia perdit, quando silentium perit, & iudiciũ obstrepentium turba confundit, dicente propheta Is. 32. Erit cultus iustitiæ silentium. Debet ergo quidquid, aut consultationibus confidẽtium agitur, aut ab accusantium parte proponitur, sic mitissima verborum relatione proferri, vt nec contentiosis vocibus sensus audientium turbent, nec iudicum vigorem de tumultu eneruent; quicunque ergo in Conuentu Concilij hæc, quæ præmissa sunt, violanda crediderit, & contra hæc interdicta, aut tumultu, aut contumelijs, vel risibus Concilium conturbauerit: iuxta diuinæ legis edictum, quo præcipitur: Prouerb. 22. Eijce derisorem, & exibit cum eo iurgium, cessabuntq; causæ & contumeliæ; cum omni dedecore, de consessione abstractus, à communi cœtu secedat, & trium dierum excommunicationis sententiam perferat.

9 Quam quidem regulam hinc mutuata est Synodus Trid. sess. 2. dicens; In sentẽtijs verò dicendis, iuxta Toletani Concilij statutũ in loco benedictionis cõsidẽtibus dñi sacerdotibus, nullus debeat, aut immodestis vocibus perstrepere, aut tumultibus perturbare, nullis etiam falsis, vanisuè, aut obstinatis disceptationibus cõtendere: sed quidquid dicatur, sic mitissima verborũ prolatione temperetur, vt nec audiẽtes offendantur, nec recti iudicij acies perturbato animo inflectatur.

De rixis, & litibus Canonicorum. Cap. xxi.

1 
Voniam superiori capite explicatum fuit, in Cõcilio annuali agendum esse de reformatione morum, obseruantia regulari, & correctione, conueniens rerum ordo exigere videtur, vt de potioribus Canonicorum criminibus, eorumq; pœnis nunc agamus. Prius tamen prælu dia quædam iaciamus oportet. Primum Abbati incũbit, vt aptum, firmumq; carcerem cõstituat. Vbi reos, præsertim flagitiosos custoditos conti-

contineat,cùm criminis qualitas postulauerit. Sic.n.admonet Conradus Archiepí.in suo Conc. prouin. Coloniensi tit.de Regularibus nu. 18. dicés; Statuimus etiam, quòd quodlibet monasteriũ suum carcerem habeat,in quo delinquentes regulariter puniantur.

2 Vituperandum tamen est, vt sapientes asserunt, si Canonici incarcerati à carcere absoluantur precibus aliquorum extraneorũ, quibus regularis disciplina incognita est. Itẽ & illud vitio vertitur,si carceres regulares magis ad ebrietates,luxus, & contumatias augendas per abusionem conuertantur, quàm ad canonicam coercionem multum conducant. Tunc enim disciplina, quæ restituenda erat, in ludibrium abit, vt Adulphus 3.Archiepiscopus Coloniensis in sua diœcesana Synodo testatur.

3 Accipienda,laudandaq; est Dominici Soti erudita sententia lib.5. de Iustitia,& iure q.6.art.3.Ad rectam monasterij gubernationẽ perquam sancte(inquit)ex religionibus abigitur appellandi vsus. Nam & si fortasse aliquando accidere posſit,vt Monachus aliquis iniuria lęsus affligatur. Tamẽ ex alia parte talia damna,quæ rariſsimè contingũt, pace,& quiete compensantur. Neruus.n. & decus Religionis in hoc maximè consistit,vt altiſsimo inter se silentio,omnia veluti inter fratres,quæ sua est professio,planè tractent, & transigant,neque se seculo prodant.Etenim vbi primũ Religionum causæ claustrorum metas exierint,actum de illis est. Quo circa institutiones ipsas sic Pontifices confirmarunt,vt appellationes prohiberent.Non quòd per hoc Summis ipsis Pontificibus obedientiæ quicquam sit ademptum. Quicunque enim quantumuis inclusus Monachus ad ipsum appellauerit, iure id faciet; verùm quòd sic consultum est Religionum incolumitati. Hanc Soti doctrinam plurimum laudat,& omnino approbat Couarrubias Episcopus Segouiẽsis in practicis quæstionibus, cap.23. nu.6.§. 8. cuius etiam rationes adducit,& recipit. Eandem sententiam amplectitur Siluester in verbo appellatio nu.9.q.7. cum reliquis summistis. Nec appellat(inquit) etiam Religiosus à correctione suorũ Prælatorum si fiat secundũ statuta Regulæ,vel Ordinis, aut ad effugiendam ecclesiasticam disciplinam. Ex cap. ad nostram, & cap. reprehensibilis,& cap. cum speciale,de appellationibus. Nisi Prælatus modum excesserit in corrigendo. Vnde Alexander tertius in cap. ad nostram, iam citato Abbatem Sancti Petri sic alloquitur. Quia verò remedium appellationis non ideò est inuentum, vt alicui à Religionis,& Ordinis obseruantia exorbitãti, debeat in sua nequitia patrocinium exhibere, mandamus, quatenus si quando quilibet subditorum tuorum ad remedium appellationis conuolauerit, non ideò mi-

nus eum, iuxta tenorem mandati, quod in prædicta Regula continetur, & institutionem Ordinis corrigas, & castiges.

4 Rectè igitur sensit glossa quædam in verbo Abbates, in extrauagãti. Vas electionis. §. in castellę, de censibus, inter communes. In huiusmodi (inquit) actibus regularibus nõ sunt subtilitates, neq; glossæ exquirendæ, neque appellationes admittendæ, sed simpliciter sunt omnia expedienda. Et rursus glossa in cap. olim, de accusationibus docet, ordinem iudiciarium nõ esse vsquequaque seruandum circa Regulares. In negotijs igitur Religiosorum, siue inter Religiosos, de plano, & absque iudiciorum strepitu procedendum est, cum talibus non deceat Dei seruos inuolui. Vt ait Gregorius 9. in cap. olim, de accusationib.

5 Rigor tamen in corrigendo aliquantula misericordia temperãdus est, nec. n. passim sunt Canonici corrigendi, nec more latronũ in grauem carcerem detrudendi; sed consilio seniorum capituli est correctio temperanda. Quin potius criminales causæ Canonicorũ in loco publico tractandæ non sunt, quemadmodum Bened. 12. in Const. tit. de criminalibus causis Canonicorum, vbi agitentur, ait; In fauorem Religionis præfatæ prohibemus, ne Antistites, & alij ecclesiastici iudices trahant professores Religionis eiusdem in causis criminalibus ad eorum consistorium, seu iudiciale tribunal, vbi causæ communiter audiuntur, sed alibi audiant dictas causas, nisi fortè criminis manifesti enormitas aliud suaserit faciendum.

6 Sed iam tandem primo loco de litibus cauendis, & dirimendis, nobis agendum est. August. autem in regula ait. Lites aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis. Quod quidem præceptum illi consonat, Sol non occidat super iracundiam vestram. Nisi. n. lites citissimè terminentur, in corde sequitur odium, quod excæcat animam. In ore malum verbum, quod offendit proximum. In opere percussio. Quare iure optimo in formula visitationis Coloniensis sub Hermanno 5. Archiepiscopo, cùm monasterium visitatur, interrogatio fit, an pacem, tranquillitatem, & concordiam inter omnes sibi subiectos seruent Prælati, ac nutriant. Adulphus etiam 3. Archiepiscopus Colo. in sua visitãdi formula, quo ad monasteria inquirit. An pax inter fratres, inter laicos identidem, qui conuersi vocãtur, vel deuoti, totamq; monasterij familiam efflóreat? Num clanculum mutuo inuideant? Num contentionibus, rixis, & dissidijs conflictentur? An humilitatem insinuent, mutuum ament, & petientes sint, inuicem libenter condonantes, si quis aduersus alium habet querelam?

7 De litibus verò dirimendis hunc ordinem, & methodum præscribit Basilius Magnus in regulis fusius disputatis interrog. 49. De controuersijs

uersijs autem, quæ inter fratres interdum oriuntur, illud statuendum est: quoties aliqui inter se de re aliqua collidunt, dissidentes, & corrixantes, eos nequaquam inter se pugnaciter nimis contendere debere, sed controuersiæ decisionem Superioribus suis reseruare; verùm nequis disciplinæ ordo violetur, neuè futilibus, & inanibus quæstiunculis, aut nugacitati detur locus, certum quendam communium omniũ sententia electum esse oportet iudicem; qui controuersiam exortam omnibus disceptandam proponat, aut eam seorsum cũ magistro conuentus communicet. Quemadmodum.n. instrumentorũ cuiusque artis tractationẽ nemo imperitis cõmitteret; multo potius litis tractatio potioribus concedi debet, qui quidem cum loco, tum temporis, tum modi, commodè habere delectum sciant; quique prudenter inquirãt, & auscultent, litisq; explicationem, suo loco enarrent.

8 Sed idem author in regulis breuioribus interrog. 29. inquirit, quomodo poterit aliquis non irasci? Respondet, nempe si illud existimet, Deum quæ agat omnia animaduertere, eamq; assiduè ob oculos habeat, & tanquàm in speculo contempletur. Quis est enim alterius potestati subiectus, qui in oculis principis sui aliquid ausurus sit eorum, quæ ipsi non placent? Et præterea si ita se comparauerit, vt in aliorum ipse officio sit, omnesq; seipso superiores existimet. Si enim vtilitatis suæ causa obedientiã requirit, intelligere debet, verba dñi illud præcipere, vt quilibet ministret alteri. Si verò violatũ Dei pceptũ vindicat, sciat nõ esse opus iracũdia, sed misericordia, & lenitate: & imitãdũ esse illũ, qui dixit, quis infirmatur, & ego nõ infirmor? 2. ad Corinth. 11.

9 Vltimo loco notandum; deprehensa veritate, agnitaq; iustitia, nihil moretur Prælatus, quibus debet, ius reddere: quæ res in causa esse solet, si retardetur, vt non solùm plerosque in annos, sed in integram ferme hominum ætatem lites protrahantur, fatigetq; interdum etiã primam, atque alteram sobolem, exhauriantur bona; rabiæ, veluti igni incendãtur hominũ odia; manus excitentur ad cædem, pereatq; salus ipsa cum rebus. Addamus, quibus interim curis, molestijs, ãnxietatibus vitam agunt, qui lites gerunt; nihil sanè miserabilius, nihil infœlicius, nihil calamitosius istorũ mẽtibus continuè laceratis, & diro mucrone cõfossis. Hos nulla requies, nulla oblectatio iuuat: nullaq; vel amœnitas, vel illecebra mouet; pleno quidem suis malis, & sæuis cruciatibus laniatos. Sed his toruus semper aspectus, caput minax, ceruix demissa, ora pallentia, gemitus, planctus, stridor, furor, blasphemia, atque desperatio, tanquam ad perpetuam ærumnam infœliciter raptis. Quorum malorum cùm Rector est causa, potest ne quicquam cogitari scelestius, atq; immanius? cùm is, qui debuit his omni-

:32 bus

bus mederi malis, atque periculis: is quidem sit, qui medicamenta differat? Qui.n. cùm potest, oppressum non subleuat, tam est in scelere, quàm qui opprimit, & iniuriam infert. Quare qui bonus esse, aut etiam videri cupit, primum illud curabit, re bene, de qua contenditur, percepta, agnitaq; subtilius, compugnatores quanta industria, virtute, auctoritateq; omnino poterit, ad pacem componere, & vltimum locum liti concedere.

Ad Canonicos collitigátes, et dissidijs implicitos, vtilis admonitio. Cap. xxij.

1 QVi litibus, dissensionibusq; capiūtur, & occupātur, à præcipuo quodā Christi Iesu instituto se longè abhorrere, certo certius intelligant. Noster.n. Seruator non schismate, nō iurgijs, nō denique turbulentis corrixationibus, sed dulcissima animorū concordia, gentes Iudæis; Iudæosq; gentibus coniunxit, vnumq; fecit ad salutem, tam temporalem, quàm æternam; vnde quemadmodum Christus ab ea salutem nostram exorsus est, ita ipsam in omni re, atque tēpore; maximè verò in Religiosorum congregatione primatum obtinere voluit. Huic verò ex diametro aduersantur, & obsunt vniuersi illi Canonici, qui litigatorū, & nomine, & turbulento munere gaudent; sed quid est concordia? Est vnus, idemq; mutuus multorum, licet alioqui sint gradu diuersi, in vita moribusq; animus. Qualis fuit priscis illis Christianis in Ecclesiæ primordijs Act. 4. Multitudinis.n. credentiū erat cor vnum, & anima vna. Id quod olim pollicitus fuerat se daturū Deus, Hier. 32. dicens; Dabo eis cor vnum, & viam vnam, vt timeant me vniuersis diebus, & benè sit eis, & filijs eorum post eos.

2 Ad hanc igitur animorum consensionem, litibus omnibus profligatis, non mediocris nos hortatur vtilitas, vtpotè quòd concordibus, & eorum filijs Deus benè velit. Id quoque nostra nos natura docet, cùm omnes ex vno patre simus fratres, quos decet esse sibi consentiētes. Intueamur insuper vniuersa inanimata suo quidē genere concordiam tenere, qualia sunt sydera, elementa, & Angelicæ creaturæ, quæ vtique Deus ad concordiam, absolutamq; consonantiā produxit, singula suis officijs destinata, commensurationem admirabilem obseruantia, quam Salomon Sap. cap. 11. insinuauit, dicens; Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti; & Baldath Suites dixit Iob 25. Potestas, & terror apud eum, qui facit concordiam in sublimibus suis. Est quoq; hæc multarū mentium concordia Deo nostro quàm gratissima, teste Salomone. Eccl. 25. in tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata corā Deo & hominibus; cōcordia fratrum, & amor proximorum, & vir, & mulier sibi benè consentiētes.

3 Status quoque noster, qui Christianus esse debet, & nos Christiani sumus, id est Christi Iesu discipuli, & filij, præsertim Religiosi, ad eandem animorum tranquillitatem nos adhortatur. Ea autem ex concordia, quæ nutrit amorem, oritur; quam rem Christus Ioan. 13. pectoribus nostris inserit, dum ait; In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis; si dilectionem habueritis adinuicem. Hoc.n. quasi certissimo signo dignosci poterit ob omnibus, quòd verè Christi discipuli sitis, si fraternam charitatem erga vos inuicem colueritis, eamq; non verbo tantū, aut lingua, sed opere, & veritate ostenderitis. Nec enim aliud est signum certius, nec alia distinctionis in Religiosorum domo nota manifestior. Hæc ex ore domini suauissimo audire placeat tibi, qui contētionibus totus intendis, totusq; absorberis, neque te in animi serenitate continere vales. Ea propter Christus cœlestem patrem orauit Ioan. 17. inquiens; rogo pater, &c. Vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus, vt sint consumati in vnum. Quasi dixerit, authore Chrysostomo, nihil ita omnibus offendiculum subministrat, vt mentium dissectio, & concordiæ amissio. Si enim discipuli mei altercantur, non dicentur pacifici magistri esse discipuli; me verò non existente pacifico, non confitebuntur à Deo missum.

4 Sed neque Paulus ab hac ratione dissidet. Nam ad Philip. 2. ait; Implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eandem Charitatem habentes, vnanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate Superiores sibi inuicem arbitrātes, non quæ sua sunt, singuli considerantes, sed & ea quæ aliorum. Audi Paulum in hunc ferè modum concionātem. Si mihi vllum vultis solatium, atque refrigerium charitatis præstare in tribulationibus meis; si vlla mihi spiritus societate vultis coniungi; si demum mihi viscera miserationis ostendere desideratis; non aliud à vobis postulo, nisi vt impleatis, perficiatisq; gaudium meum, quod de vestris bonis principijs iam pridem concepi, hoc autem est, vt idem sentiatis absque dissensionibus, mutuam Charitatē exercentes, vnius animi, atque affectus. Nihil prorsus agatis ex contentione, siue ambitione, neque ex inani gloria; sed contra, omnia agite in humilitate, tamq; subiecti inuicem, proximos semper, vt Superiores reuerentes. Non considerantes singuli propria commoda tantùm, aut quæ in vobis ipsis sunt bona, sed magis etiā quæ aliorum sunt. Sic.n. & Humilitas fouetur; & Charitas. Viuite igitur in perfecta, & omnimoda humilitate, in mansuetudine, & animi lenitate, tolerantes vos inuicem, studiosè curantes intertenere vnitatem spiritualem per pacem, quæ est vinculum spiritualis vnionis. Per pacem enim veram est vnio spiritualis, sicuti per discordiam di-

uisi

uisio cõtrahitur. Qua.n.ratione nõ vigilanter ſtudebitis, ingentéq; nauabitis operã, vt in vnitate pacis permaneatis, cũ oẽs ſitis vnũ corpus, vnũ caput habentes Chriſtum, & vnus ſit ſpiritus, quo oẽs potati eſtis.

5 Ad hæc ſi rem maturo conſilio expendere velis, vel neceſsitate cõpulſi, lites, & diſſenſiones repellere conſtringimur, nihil.n. ſibi abſq; concordia conſtare, aut perdurare poteſt, vt enim concordia paruæ res creſcunt, ſic diſcordia maximæ dilabuntur: non exercitus, neq; theſauri, præſidia ſunt regni, verùm amicitia, & animorum tranquillitas. Quis autem amicior, quam contubernalis contubernali? Aut quem alienum fidum inuenies, ſi tuis hoſtis fueris? Tuum quidem regnum firmum futurum eſt, ſi bonus fueris, ſi malus, imbecillum; vt verè liceat affirmare, ſine conſenſione, & pace ad bene, beateq; viuendum, nullam, vel quamlibet exiguam Religioſorum rempublicam incolumem permanere poſſe.

6 Omne quidem regnum in ſe diuiſum deſolabitur, & omnis ciuitas, vel domus contra ſe diuiſa, non ſtabit. Quòd vti à ſumma dictum eſt veritate, ita veriſsimum eſt, & quidem innumeris penè exemplis exploratiſsimum. Nonne (quæſo) diſcordia duorum fratrum Cayni, & Abelis cauſa fuit, vt adauctis deinde hominum ſceleribus, aquarum inundatio auctores culpæ, & qui auctoribus acceſſere, cũ vniuerſa terra obruerit, Gen. 4. cap. Nonne patris Noe ira, qua adegit Cham filium in exilium, in cauſa fuit, Gen. 9. vt nunquàm iam inde humanum genus ſemel immerſum erroribus, à ſeipſo diſsidere deſtiterit? Nonne Salomon reliquit filio Roboæ magnum, & opulentum regnũ? Cæterum domeſtica diſcordia diuiſum, iam inde in peius abijt, grauibusq; & inteſtinis cladibus conſciſum eo tandem peruenit, vt finitimis, viciniſq; omnibus ludibrio fuerit. Nonne & Dauit rex 2. Reg. 17. à filio, regio ſolio, vrbeq; deiectus, coactus eſt cum ſuis hoſtiliter dimicare, regnumq; ignominioſa fuga, & Abſolonis cæde deformatum, nõ tam humana, quàm cœli prouidentia recepit? Nonne filij Ariſtobuli Iudæorum regis, & fratris Hyrcani, dum inter ſe de regno diſceptant, regnum, & vrbem perdiderunt? Et quod maximum eſt, auguſtiſsimũ templum, quod in orbe extitit, bello prophanatum eſt, magnaq; ex parte dirutum? Nec eo bello, quo Hieroſolyma orientis olim clariſsima, exciſa eſt æquè aliud funeſtum illi fuit, quam Eleazari, & cæterorũ Ducum diſcordia, quorum diſsidium non minus obſeſſam multitudinem intus afflixit, quàm foris Romanus hoſtis. Sentẽtia igitur eſt aurea, non vtiq; de Phœbi, ſed de Chriſti Ieſu ſummæ Dei patris ſapientiæ tripode prolata, non ſolùm atramẽto, ſed ſpiritu Dei viui, vt Apoſtoli verbo vtar, non modo in talibus lapideis, ſed & in tabulis cordis

carnei

carnei scribenda, sed & legenda, & relegenda; nimirum qua tota veræ pacis, vnde sumus filij Dei, doctrina continetur; nempè quæ docet, quomodo fœliciter maneat, ac perseueret in fœlici statu regio, ciuitas, oppidum, villa, domus, ipsa deniq; hominis anima. Quo vnico documento fit per quam manifestum, omnia in mūdo existentia, atq; adeo ipsum mundum, solo amoris vinculo, & concordia constare, & conseruari; contra verò diuturnum esse non posse quod odio, quod discordiæ sit obnoxium, quippe quæ sit omnium malorum, & miseriarū dux, & causa. Proinde alieno periculo cauti, si qua sunt intra nostros parietes priuata, ac domestica odia, diligenter repellamus; memores alioqui, & de nostro honore, domestico solo nomine, & de omni deniq; tàm tēporali, quàm æterna beatitudine, actum esse.

7 Eandem nostram sententiam nō parū construit vulgatus ille Apologus Menenij Agrippæ, qui orta Romæ sæuissima inter patres, & plebem seditione, missus ad plebem furibundam orator, prisco illo dicendi, & horrido modo nihil aliud quàm hoc narrasse fertur; Tēpore quo in homine, non vt nunc, omnia in vnum consentiebant, sed singulis mēbris suum cuique consiliū, suus sermo fuerat, indignatas reliquas partes, sua cura, suo labore, ac ministerio ventri omnia quæri, & ventrem in medio quietum, nihil aliud quàm datis voluptatibus frui; conspirasse inde, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datū, nec dētes contererent, hac ira dum fame ventrem domare vellent, ipsa simul membra, totumq; corpus ad extremam tabem venisse; inde apparuisse, ventris quoque haud segne ministerium esse; nec magis ali, quam alere eum; retinere in omnes corporis partes hunc, quo viuimus, vigemusq;, diuisum pariter in venas, maturum confecto cibo sanguinem. Sic quidem similē esse intestinæ corporis seditioni, iram plebis in patres; nec fieri posse illam rectè facturam quicquam, nisi locum daret concordiæ, cuius ductu omnes æque viuerent, tàm diuites, quàm pauperes, nec inutiles esse magistratus, vtcunque viderentur superflui, & ocio deditи, nempè quibus omninò ad rempublicam fœliciter regendam opus foret. Flexisse hoc modo mentes hominum. Agi deinde de concordia cœptum; cessumq; in conditiones, vt plebi sui magistratus essent sacrosancti. Quid obsecro ab ethnico viro in lumine naturæ vel pulchrius, vel verius dici potuit? Quo is euidenter arguit, quàm malè cedat inter membra corporis discordia, & quàm bene omnia gerātur, duce cōcordia. Qua propter Paulus ait. 1. ad Cor. 1. Obsecro vos fratres per nomen domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Sitis autem perfecti in eodē sensu, & in eadē sententia. Videlicet, sine sectis, & diuisionibus, sitisq; vnum cor-

pus

pus integrum, & continuum, in quo nullus sit hiatus, nulla diuisio.

8 Quæ omnia cùm perspicuam veritatem contineant, quis nõ ex animo discere cupiat, quæ concordiam veram accersant, litesq; è domo depellãt, si modo se, & suos fœlici vẽto gubernari cupiat Si igitur veram habere voluerimus, serenamq; concordiã, Deum in primis colamus, illum timeamus, omnia illi adscribamus, feramusq; acceptum illi quicquid sumus, & quicquid habemus; nostra nõ quæramus, sed quę sunt Iesu Christi, & quæ omnium sunt. Nemo nostrum alteri, perinde, atq; viliori se præferat, sed potius cogitet, nos omnes esse sub Christo vero domin o, qui nostrum sit caput, & ipsi eius in vno corpore membra. Nec.n. conuenit, vt alter alterum superbe spernat, quasi melior existat, sed vnusquisque sit eo loco & statu contentus, in quo dominus non absque ordine ipsum instituit, nec quisquam arbitretur, minus inferiusq; membrum propterea despectui esse, quòd non alio excellentiori ministerio fungatur. Sed potius meminerit, omnes nos esse vnius corporis membra, quorum singula Deus in corpore pro suo arbitratu collocauit, vnicuiq; suam demandans, attribuensq; vtilem functionem; singulaq; membra aliorum ministerio, & munere indigere voluit, ita vt non possit oculus manuî dicere, opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus, non estis mihi necessarij. Idemq; ipse Deus sic corpus temperauit, vt infirmiori membro abundantiorem largiretur honorem, vt non sit schisma in corpore, sed in idipsum pro se inuicem solicita sint membra. Hæc omnia aperta luce Paulus docuit. 1. ad Cor. 12. & ad Rom. 12.

9 Deinde Superiores, quos seruator noster adeo voluit pro salute reipublicæ religiosorum esse concordes, vt ille se eis indiuiduæ concordiæ exemplum præbuerit; sibi caueant, ne à prauis hominibus iniquis artibus in dissensionem trahãtur. Huiusmodi.n. conturbatores, nocentissimi sunt congregationis hostes. Id autem Superiores effecerint, cùm malos amore paterno correxerint, bonos ornauerint, rebellesq; suppresserint. Postremò inferiores probe suas agent partes, si à Superioribus disciplinam suscipiant, iussa capessant, & amari malint à Superioribus, quàm odio haberi; meminerintq; præcepti Apostolici ad Rom. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Meminerint eos esse, qui peruigilant, quasi rationem pro animabus eorum reddituri Meminerint (inquam) obedientiam Deo, quam victimam esse gratiorem. Vnde & ipse Christus dominus noster, licet Deus esset, idemq; rex regũ parentibus subditus fuit Luc. 2. Conentur igitur, vt suos Superiores amore prosequantur, & ipsi ab eis diligantur. Hæc sunt, quæ ad parandam

randam, tuendamq; animorum concordiam vtilissima esse diximus.

10 Verùm enimuerò omnis Canonicorum domus, in qua fuerit dissidium, ita vt vna pars aduersus alteram insurgat, inuicemq; se collaborent perdere diuisæ partes, cito dissipabitur, & facilè conteretur, quo enim modo dum vna pars alteri se opponit, stabilis permanebit? Certè corruet proprijs vulneribus confecta. Audi ergo salubre admodū Christi consilium Math. 5. si quis nanque te velit in ius trahere, ac iudicio tecum pro rebus ciuilibus contendere, & quidpiam tibi iudicio auferre, animo sis parato pro Dei gloria, & proximorum vtilitate, etiā plura illi quàm exigit, relinquere, potius quàm vllum scandalum generare, aut proximis officere, aut Dei gloriam tua contentione imminuere: videlicet vt si tunicam aduersarius tibi voluerit auferre, paratus sis dimittere cùm tunica etiam pallium, potius quàm cum detrimento tuæ animæ, aut gloriæ Dei defendas tunicam. Itaq; per tunicæ ablationem damnum quodcunq; temporale intellige; ita vt potius feras duplum damnum, quàm amittas pacem cordis, quæ per nimium temporalium studium amittitur, vtq; potius & externum, & internū vestimentum relinquas, quàm cum altercatione, ac litigatione, Christianæq; Charitatis detrimento repetas, quod amisisti. Neque tamen hic prohibetur pacifica rei perditę repetitio, sed ea quę veræ Charitati obsistit, vt si fiat cū scādalo, & contentione. Deinde Christus vult, vt omnes sic pacem ament, sicq; mandatis suis simpliciter obtemperent, vt potius velint quæcunque habent perdere, & quæuis aduersa perferre, quàm litigiosi fieri; vnde & seipsos, & ceteros inquietent, commoueant, atque conturbent.

11 Porrò ad oculum nobis depingit Iacob. cap. 4. quomodo ex concupiscentijs oriantur lites, & iurgia. Dicite. n. mihi, vnde lites, & pugnæ, siue verborum, siue verberum, nisi ex carnalibus cōcupiscentijs, quas in membris sinitis regnare, non subiugatas rationis imperio? Primum enim propter carnis affectum insatiabilem concupiscitis superflua, quæ non habetis. Atque inde odio affici incipitis, & inuidere ijs, qui habent, neque sic tamen potestis adipisci. Deinde iniustas lites, contētiones, pugnasq;, & priuatim rixosas, & publicè iudiciarias, atq; forenses, suscitatis adinuicem. Quod si in mansuetudine, quę vobis desunt, postularetis à domino, acciperetis vtique, quæ essent necessaria. Nunc autem nō habetis, quia à Deo omnium largitore nō petitis, sed per iniustitiam vultis vestræ auaritiæ satisfacere; vel certè quod malè petatis, non ad satisfaciendum naturali necessitati, sed ad impendendum carnalibus desiderijs, eisq; satisfaciendum in voluptatibus.

12 Vigilanti ergo mēte intelligamus, quòd quemadmodum cùm irasci-

scimur, & contendimus, & confligimus inuicem, diabolus gaudet, atque regnat, Angelici verò spiritus contristantur, & dolent; sic nobis in Charitate,& pace viuentibus, & iram regentibus, mœrore contrahitur diabolus, abiectusq; redditur, quippe qui sit pacis hostis, & concordiæ inimicus,ac inuidentiæ pater; Angelici verò spiritus exultant, ac nobis præsto sunt . Nam licet plurima sint, que Angelis placent, & quæ in nobis inuenire gaudent, & delectantur, vt est sobrietas, castitas,iustitia, crebri in cœlum gemitus, & orationes cum lachrymis, & cordis intentione; attamen,asseuerante Bernardo,super hæc omnia vnitatem, & pacem à nobis exigunt Angeli pacis. Sed quid ni maximè delectentur in his,quæ formam quādam ciuitatis suæ cœlestis represent ant in nobis,vt mirentur Hierusalem nouam in terra? E diuerso verò nihil æquè offendit,& ad indignationem prouocat eos,vt dissensiones,& scandala,ac iurgia,si fortè inueniantur in nobis. Iurgiorū igitur,& litium amatores, vel ipsis Angelis cœlestibus aduersantur,& supra modum displicent. Quare si ea,quæ Dei sunt,sapimus lites:& omne dissidiorum genus omnino effugiemus.

13 Postremò aduersus lites,atque dissidia generoso animo mansuetudo dimicat.Sunt autem mansueti, & mites, qui læsi,facilè condonant iniuriam, qui malunt rei iacturam perpeti, quàm contendere,qui pluris faciunt concordiam, & animi tranquillitatem, quibus optabilior est quieta paupertas, quā rixosæ diuitiæ. Hæc profectò splendida virtus quàm plurimos nobilitauit; è quorum numero Patriarchæ fuere, qui perquam multas iniurias hac vna mansuetudine vicerunt. Qui solùm patrium,& gentem relinquentes, & suorum gratiam contemnentes,comite mansuetudine peregrinati sunt. Ad hunc sanè modum se habuit sanctus Moyses, qui non vno,aut altero modo opprobrijs populi sui amaricatus,& sæpè exasperatus, pro eo tamen sæpius Deum orauit,proptereaq; nu. 12.& Exod.32.mitissimus appellatur.Huic perquam similis fuit Dauid rex,qui cæteris virtutibus tacitis,de sola mā-suetudine gloriatur,dicens psal. 131. Memento domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Ob idq; hi sanctissimi commemorati viri cū eiusdem mansuetudinis cultoribus possident nunc terrā illam,de qua psal. 141. dicitur; Portio mea domine in terra viuentiū. Nostros ergo affectus compescere,ac mitigare satagamus,vt nō irascamur, aut irati non peccemus. Pulcherrimum quidem est, cohibere, temperareq; iracundiam. Sic sanè mitissimus fuit Christus, qui psal. 37.ait. Ego tanquam surdus non audiebam,& sicut mutus,non aperiens os suum. Et factus sum,sicut homo nō audiens,& non habens in ore suo redargutiones. De eoq; Isaias cap. 53.ait; Sicut ouis ad occisionem ducetur,&

tur,& quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. Mites etiam fuerunt Apostoli, qui apud Paulum dicunt, Maledicimur,& benedicimus; blasphemamur, & obsecramus.

De Canonico incorrigibili. Cap. xxiij.

1 
Erversi difficilè corriguntur, clamat Eccl. 1. cap. Tot, tantisq; mundus scatet vitijs, vt ad integrum sui pristini status splendorem vix redire possit. Nec multis, periculosisq; animę malis vulneratus homo potest suā illibatam integritatem, & pristinam dignitatem facilè recuperare. Nec possunt homines plus mille assueti vitijs, absque diuina ope, à sua fœda consuetudine, & inueteratis sordibus diuelli. Scite, & apposite quidam dixit; malum tanquàm herbam irriguam succrescere. Proinde incorrigibilitas eorum, qui mala admittunt, vehementer auget in corde rectoris dolorem, cùm mala auferre conatur, nihil tamen se proficere videt. Quàm ergo illud sit verum, nimium euidenter cernit quisquis mētis oculos habet apertos, ij maxime, quibus à Deo est commissum, aliorū saluti intendere, qui speculatores dati sunt domui Israel. Benè illud experiebatur Moyses nu. 11. dicens; Cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me; quia grauis est mihi. Id verò ex peruersorum incorrigibilitate proueniebat.

2 Præterea & id tonat Eccl. c. 7. Cōsidera opera Dei, quòd nemo possit corrigere, quem Deus despexerit. Est hoc in operibus Dei dignum profunda consideratione, quòd solus Deus, cor hominis in manu sua habet, vt possit illud ad virtutem inflectere suo motu interno. Nemo autem hominum sine speciali Dei auxilio cor hominis potest immutare, vnde fit, vt quem Deus despexerit, aut à se abiecerit, siue reprobauerit, nemo possit corrigere, sic vt Deo subtrahente, aut non infundente homini suam gratiam, nemo illud possit ad rectitudinem adducere. Frustra. n. laborat conatus hominis, vbi nō cooperatur manus Dei, quæ debet in omni opere potissimum eo, quod ad animæ salutem spectat esse præcipua, quemadmodum Paulus 1. ad Cor. 3. ait; Dei adiutores sumus. Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit; sed neque qui plātat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Huius rei exemplum habemus de reprobato Saule 1. reg. 15. Quem lugebat Samuel, non poterat tamen corrigere illum, tot suis lachrymis, tantus, tamq; Deo acceptissimus propheta, quoniam despexerat illum Deus, sic. n. ad illum ait dominus; Quare tu luges Saul, cū ego proiecerim illum à facie meā, ne regnet super Israel? Dicitur autem despicere Deus hominem, non quòd ani-

mam bonam à se creatam contẽnat,& quia reprobat hominẽ,& abijcit, propter peccata, quatenus illi suam gratiam, & auxilium subtrahit, sine qua ad salutem non potest pertingere. Quid enim causæ est, vt nullis hominum monitis, & precibus, ab improba consuetudine ille obduratus reuocetur? Superbia sanè,& mens in vitijs obstinatissima. Deus tamen ex se, suaque misericordia paratus est omnibus lapsis suũ præbere subsidium. Vtrumq;.n. legimus, conuerte nos domine & cõuertemur;& rursus, conuertimini ad me,& ego conuertar ad vos, consule sacrum Concilium Tridentinum sess. 6.

3 Ex quibus omnibus ille discat, qui aliorum saluti inuigilat, & incũbit, vt semper plus Deo tribuat, quã suæ vel diligentiæ, vel industriæ, præcipuumq; fructum ex illius operatione expectet, illumq; studiose, & sedulò roget, vt simul cooperari velit: neq; præsumat suis laborib. aut solicitudine, aut sermonis efficacia posse corrigere eum, quem despexerit Deus. Propterea.n. Paulus post multa in singulis suis epistolis tradita salutis monita,& exhortationes validissimas, penè semper in oratione ad Deum finit sermonem, sciens nimirum, quòd nemo potest corrigere, quos ille despexerit.

4 Propter illa verò, quæ hactenus à nobis in medium allata sunt, non licebit Prælato, correctione deposita, ocio torpere. Vulgato, & vero verbo dicitur; Humanum est peccare, diabolicũ perseuerare. Vix.n. vita præsens sine peccato transigitur, nisi si quem specialis Dei gratia singulari priuilegio custodiat. Idcirco peccare dicitur esse humanum, quia teste scriptura Gen. 8. sensus,& cogitatio hominis prona sunt ad malum ab adolescentia sua. Vnde fit, vt iuxta Ioannis verbũ, si quis dixerit peccatum se non habere, seipsum seducat, & mẽdax sit. At verò in peccato perseuerare, non humanum est, sed diabolicũ, diabolus nãque in malo est obstinatus,& sic adeo reprobatus est, vt à malo resurgere, atq; ad statum rectitudinis reparari non possit. Non sic autẽ homo peccator, donec in vita ista agit, adeo reprobatus est, quin possit, si velit, per Dei gratiam, à lapsu quantumlibet graui resurgere. Pœnitentiam.n. habet, secundam post naufragium tabulam, in qua possit submersionis periculum euadere, quæ dæmonibus non conceditur. Si nãque confiteamur peccata nostra, fidelis est,& iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate 1. Ioan 1. cap. Sed qua ratione in tanto rerum discrimine erga incorrigibiles Prælatus se gerere debeat, nunc vtcumq; docebimus.

5 Quattuor sunt incorrigibilitatis species annotandæ, vt periti tradiderunt. Prima, cùm correctus reuertitur ad priora delicta, vel in illis

6 perseuerat, vel alia committit delicta, etiam si non sint similia, quam-

uis fuerint minora. Secunda species est, si correctus nõ vult egere pœnitentiã; vel nõ vult pœnã delicti persoluere, vel nõ permittit se capi à iudice suo. Vt si detruderetur in monasteriũ ad pœnitẽtiã peragendã, eaq; nõ peracta fugã arriperet, & se occultaret; vel alia via facto impediret, ne eũ iudex arctare posset, licet in nouo delicto non reperiretur. Tertia species est, cùm correctus, tertiò admonitus, nõ desistit, vel alia delicta cõmittit, iudexq; ecclesiasticus debet eũ incorrigibilem declarare; ipso tamen non citato, ne fugiat. Quarta species est, cùm in modo confitẽdi crimen, talia verba reus profert, vt ex eis appareat, eum esse incorrigibilem. Qui ostendit non solùm delicti cõmissi se nõ pœnitere, sed dolere, quòd delictum non fuerit ita plenè perpetratum, & consumatum, sicuti ipse attentauit, & committere intendebat. Hæc omnia desumũtur ex Panorm. in c. cũ nõ ab homine, de iudicijs. Et ex practica criminali Bernardi Diaz de Luco, Episc. Calagurritani ca. 13.

6 Adnotandum ex Alphonso Castro lib. 2. de Iusta. hæret. punit. cap. 1. Eum esse censendum incorrigibilem, non qui corrigi non possit; nã liberum arbitrium vertibile est, & ex hoc in illud mutabile, sed eum, qui legitimè admonitus, corrigi non vult. Qualis autem sit censenda legitima admonitio, non satis exploratum est. Et vt rei propositæ cõuenit, contemnenda non est Antonij opinio, qui sentit, trinam admonitionem debere necessariò præcedere, vt quis dicatur incorrigibilis. Hæ tamen tres admonitiones non sunt nimia celeritate, vna post alteram sine interuallo adhibendæ. Tunc. n. non duæ, sed potius vna merito existimaretur. Interualla siquidẽ temporis, & spacia, quando non sunt punctim præfixa, in materia morali non tam rigide, vt in Logica, aut Philosophia accipienda sunt. Quin potius & Ecclesia ipsa in puniẽdis criminibus solita est præfigere terminum, nec tamen breuem; infra quẽ reus resipiscere valeat. Hæc tamen tam prolixa, tamq; exacta admonitio nemini molesta esse videatur, ne propter officiũ negligenter administratum incorrecti hominis anima pereat. Multa. n. toleranda sunt, vt vel vnam animam ex inferni faucibus eripiat pastor, & rector. Filius. n. Dei, vt nos à dæmonis eriperet potẽstate, carnem nostrã cum omnibus ferè illius miserijs assumere voluit iuxta S. Tho. doct. 3. par. q. 15. art. 1. & mortem in illa pati dignatus est; subeat igitur pastor labores pro illius anima tuenda, pro qua Christus filius Dei mortem subire nõ recusauit. Hanc trinam, atque frequentem admonitionem, vt legitimam in eodem negotio tradidit D. Basilius Magnus in regulis fusius disputatis nu. 28. vt statim sumus explicaturi.

7 Præterea vt notauit Humbertus cap. 99. in regulam Augustini, vitium eorum, qui culpas committunt, & pœnitentiam recusant, dicitur

incorrigibilitas. Quæ quidem grauissimum est peccatum. Diaboli.n. naturam imitatur, qui postquàm peccauit, nunquàm pœnitere voluit. Huius etiam peccati periculum ex eo cognoscitur, quod remediũ repudiet, & recuset. Adde etiam quòd totam Religionem euertit. Obediẽtiæ enim obsistit, & reluctatur; in qua tota Religionis virtus sita est, sua quoq; contagione reliquos inficit. Demum finali impœnitentiæ, in Spiritum Sãctum aduersæ annexa est, quam propterea omnes execrantur. Ea sanè de causa August. in regula aduersus hominem incorrigibilem exurgit, dicens: Conuictus verò secundum Præpositi, vel Presbyteri, ad cuius dispensationem pertinet arbitrium, debet emendatoriam subire vindictam. Quam si ferre recusauerit, etiam si ipse nõ abscesserit, de vestra societate proijciatur; ne contagione pestifera plurimos perdat. Quæ autẽ pœna grauior excogitari potest, quàm à Religiosorum societate expelli? Quo in loco obiter adnotandum, hanc expulsionem iuxta quorundam interpretationem, quoddam esse excommunicationis genus, vt quando fratri interdicitur, ne cum alijs in Choro, vel Refectorio, conueniat; aut quòd nullus eum alloquatur, & similia. Alij asseruerunt quandam esse sequestrationem, qua in aliquo loco, quasi in carcere quispiam includitur. Alij tandem eiectionem ab Ordine, ablato habitu esse, explanauerunt. At verò commodior, prudentiorq; illa est sentẽtia, vt dicamus; Iuxta diuersas personæ, culpęq; circunstantias nunc primum, interdum secundum, quandoque tertiũ esse factitandum. Eo tamen pacto, vt semper mitior pœna eligatur, si verisimile fuerit eam satis esse medicinalem, scandalumq; aliorum, & iustitiæ conseruatio aliud non suaserint.

8 Dubiolum autem hic oritur; an illi Prælati peccent, qui Religiosos graues, tædiososq; propter eorum importabilitatem, ac feroces, difficilesq; mores, aut è monasterio expellunt, aut si egrediantur, dissimulant? Respondeo; postquàm iam professi sunt Religionem, pro culpisq; semper satisfacere parati, nisi damnum rebus monasterij inferant, & nocumentum vt fures; vel personis, vt percussores; vel alios peccatis inficiant, vt hæretici, & discordias seminantes, & solicitantes alios ad apostatandum, & ijs similes; nulla ratione propter quodcunque onus, aut tædium repellendi sunt, sed tolerãdi, & æquo animo ferendi, tãquàm qui fortè à Deo sunt dati ad patientiam, fraternamq; Charitatem, & excitandam, & exercitandam. Nec quidẽ absq; graui peccato qui eorũ curã gerũt, illorũ apostasiã iure dissimulare poterũt.

9 Graue etiam peccatum in Religione furtum esse censetur, & vt incorrigibilis, ita quoque fur expulsionis pœna punitur. Quod si contra obieceris, qua ratione propter furtum, quod duntaxat damnum est tẽ-

porale

porale,abijciendus ſit frater,propter quem Chriſtus mortem pertulit? Reſpondeo primùm, quòd fures in Religione non ſolùm rebus temporalibus,ſed etiam ſpiritualibus nocent. Deinde, & ſanctam cōgregationem conturbant,bonumq; aliorum ſpirituale impediunt.Eſt quoque & altera ratio in ipſorum furum vtilitatem, vt cùm expulſos ſe intueantur,confuſione,tribulationeq; perculſi, ad cor reuertantur. Quare propter ipſorum, aliorumq; ſpirituale bonum, tanquàm iuſta huiuſmodi pœna eis infligetur.

10 Inter ea verò, quæ à nobis in hoc argumento allata ſunt, non infimum profectò locum obtinet D. Baſilij magni perpulchra philoſophia in regulis diſputatis,interrog.28.aduerſus contumacē, ſiue inobedientem. Qui ita.n.animo affectus ſit,vt ad exequēda Domini mādata cunctabundus ſit,atque lenteſcat,erga eum primò miſericordia agendum eſt, ipſeq; Antiſtes priuatis admonitionibus operam det, vt morbum illum ab eo depellat: permanentem autem in obſtinatione, neque ſe emendantem, acriùs coram cunctis fratribus redarguat,eiq; medicinam ſumma cum lenitate,& verborū exhortatione adhibeat. Porrò is ſi poſtquàm admonitus ſępius fuerit, inuerecundè tamen in vitio perſeuerat, hunc perinde,vt ſui ipſius corruptorem, non ſine lachrymis,lamentationibuſq;,vt membrum penitus vitiatum, ac inutile,medicorum more,à reliquo corpore præcidere conuenit. Et ne vitium latius proſerpat,neuè ex contage ſe diffundente contiguas partes corrumpat,illud ſecandum,eruendumq; eſt Matth.enim 5.cap.ſic legimus.Si oculus tuus dexter ſcandalizat te,erue eum, & proijce abs te. Quandoquidem clementia illa,qua quis aduerſum iſtiuſmodi homines vtitur,ſtultæ illi Heli indulgētiæ facilitati aſsimilis eſt, qua præter Dei voluntatem erga filios ſuos ille vſus fuiſſe animaduertitur. Sic Paulus 1. ad Corinth.5. Cur non magis luctum habuiſtis, vt tolleretur de medio veſtrum,qui hoc opus fecit? nam & modicum fermentū totam maſſam corrumpit. Peccantes autem, inquit Apoſt. 1. ad Timoth.5. coram omnibus argue,cuius rei cauſam confeſtim adiungit, vt & ceteri timorem habeant. Et idem author in regulis breuioribus interrog.9.ſic inquirit. Aduerſus eum,qui obſtinate pergat peccare, quo modo erimus animati? Reſpondet; Eo nempe,quo Dominus iuſſit,cùm dixit; Si autem Eccleſia non audierit,ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus Matth.18. Et vt Apoſtolus 2. ad Theſ.3. docuit: vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non ſecundum traditionem, quàm accepiſtis à nobis.

11 Eadem de re ſapienter philoſophatur D. Benedictus in regula; Si quis,inquit, frater frequenter correptus pro qualibet culpa, etiam ſi

excommunicatus non emendauerit, acrior ei accedat correctio; idest, vt verberum vindicta in eum procedat. Quòd si nec ita se correxerit, aut fortè, quod absit, in superbiam elatus, etiam defendere voluerit opera sua; Tunc Abbas faciat quod sapiens medicus. Si exhibuit fomenta: si vnguenta adhortationum: si medicamina diuinarum scripturarum: si ad vltimum vstionem excommunicationis, vel plagas virgarum, & si iam viderit nihil suam prçualere industriã: adhibeat etiã, quod maius est, suam & omnium fratrum pro eo orationem: vt Dominus, qui omnia potest, operetur salutem circa infirmũ fratrem. Quod si nec isto modo sanatus fuerit, tunc iam Abbas vtatur ferro abscisionis, vt ait Apost. Auferte malum ex vobis; & iterum, Infidelis si discedit discedat. Ne vna ouis morbida omnem gregem contaminet.

12 Ceterum de eo, qui propter incorrigibilitatem à monasterio exclusus est, quispiam ambiget, sit ne tutus in conscientia, posteaquàm vi expulsus est, & abiectus? Respondet Dom. Sotus lib. 7. de iustitia, & iure, art. 1. in solutione ad 3. quod quamdiu per ipsum steterit, quo minus recipiatur, non est tutus. Sed tenetur emendare sese, & in viam redire, quoniam cùm ex culpa sua fuerit exclusus, quamdiu in illa perseuerauerit, versabitur in periculo. Si autem, correcta vita, ad claustra rediens, non admittatur, tutus manet in seculo. Quòd si vlterius scisciteris, an teneatur in seculo Religionis vota seruare? Respondet idem Sotus. A voto quidem obedientiæ absolutus manet, postquàm Prælatus eum reiecit: ac subinde à voto paupertatis; quandoquidem conuentus eum non alit: ac perinde à persoluendo officio diuino, nisi fuerit in sacris, atque à ieiunijs, & alijs annexis Religioni. Si quidẽ illorũ non fecit votũ expressum, neque ad illa tenebatur, nisi ratione Religionis, à qua expellitur. Sed tamẽ à voto castitatis non eximitur: eo quòd expresse emisit illud, nec Prælatus potuit ab eo illum liberare.

13 Demum in calce illud adiungemus, quod Simon Casſianus lib. 15. de gestis Saluatoris cap. 10. acri iudicio perstringit: in eorum videlicet numero qui incorrigibiles censentur, à bonorumq; hominum amicitia, & consortio deuitandi sunt, non infimas tenere partes feros, crudelesq; homines more enim ferarum, motu omni ratione priuato feruntur: ferus sanè ille est, qui ab omnibus animo, & moribus dissidet, quin potius contradicit. Proinde Ismael Gen. 16. appellatus est ferus homo, quia manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum; feri sunt omnes homines, qui efferato animo viuunt. Ferus animus indulgere nõ nouit; sæpè fingit pacem, vt exosum incautum faciliùs trucidet: ferus non placatur muneribus, acquiescere precibus nescit, fuso hominum sanguine gaudet, noua semper machinatur mala, animo nũ

quam non ferit, sine causa litem inquirit. Secundo, feri hominis animus est, non solùm se periculis obicem, sed prauium etiam sponte offerre, & quasi dæmonis sit socius, mœret, si ab homine mala caueantur, malorumq; cõsiliorum est auctor: benignus erga crudeles existit, pijs autem, & mansuetis sua crudelitate nocet. Generis verò propinquitatem nõ agnoscit, & ob suam animi pertinaciam, & immanitatẽ morum subijcitur nemini: libentioriq; animo ad mala perpetranda, quàm ad conuiuia pergit, ad turpia, quàm ad escas euolat. Sanguisuga insatiabilis est, ex sanguineq; procul odoratur bellum, quasi nouus dæmon. At verò proborum hominum amicitia perhorret truces, nec assistit animis ferocioribus. Habet etiam viscera amore, mansuetudineq; plena, & mores possidet iure tractabiles. Tertio, ferò homini persimilis est homo pessimus. Pessimus autem est qui ascendit turrim nequitię, qui attingit apicem mali, quique pro viribus suis nullum malum inhaustum dimisit. Pessimus profectò est, qui rerũ nouitates adinuenit. Vnde populus Dei comminationem accepit à Moyse in deserto, quòd propterea in peccatis propter adinuẽtiones esset perdendus. Pessimus nanque ad extrema vitiorũ propè accedit, cui si ad aliquod malum agendũ aliquando facultas desit, ad nullum tamen iniqua deest voluntas, facilè spondet fidem, vt maiorem inferat fraudem: de quibus Prouerb. 2. cap. Salomon ait, qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrosas. Qui lætantur, cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis. Quapropter huiusmodi incorrigibilia monstra foras propellenda sunt.

64 Percunctatur autem D. Th. 2. sent. dist. 11. q. 1. art. 4. ad 6. possit ne quispiam præsenti statu esse simpliciter obstinatus in suo peccato? huic ambiguitati respondet, nullus in statu viæ est adeò obstinatus, quin possit simpliciter per pœnitentiam conuerti. Idcirco Isydorus lib. de synonimis incorrigibilẽ, & obstinatum sic exhortatur. Pone peccatis tuis finem, habeat culpa tua modum, habeat iniquitas tua terminũ Culpas tuas, vel verberatus agnosce. Comperies etiã non pauca huius rei exempla in sacris eloquijs. Imò sæpius ita vsu venit, vt qui natura erant quasi incorrigibili, indomita, & inepta, studiosiores fuerint, & perfectiorem sint adepti vitam, quàm qui natura quieti, & bene compositi, ac sedati erant: sæpius nanque istius modi ob studium, strenuitatem, & feruentem amorem suum erga Deum, incorrigibilitatẽ suam vsque adeo ponderant, seseq; vilipendunt, ac dedignantur, vt vix ferre se valeant; Exiguamq; culpam interdũ magis exaggerant, magisq; æstimant, quàm alius, licet bonus, etiam peccatum mortiferum; atque inde fit, vt tãto sint ad cauendas etiam leues culpas vigilãtiores; quòd

profectò non parum eis ad obtinendam firmam in Religione stabilitatem adminiculatur, conducitq; . Ea enim in re potius Dei honorē, quàm seipsos considerant. Quodcunque enim quantumuis tenuissimum, quod Deo in ipsis displicere queat, pluris faciunt, quàm qualecunque aliud detrimentum, vel iacturam. Quantò autem Dei amorem studiosius colunt, tantò fiunt sanctiores, propensioresq; , & stabiliores erga eum, quem diligunt.

De Canonicis, absque licentia, è monasterio exeuntibus. Cap. xxiiij.

1 Lemens 5. in Clemen. ne in agro dominico, de stat. Monach. vel Canonic. Regul. reprobis ausibus obuiare volens, inquit: Hoc edicto perpetuò prohibemus, ne Monachi, aut Regulares Canonici administrationem aliquam non habentes, ad curias principum absque speciali Prælatorum suorum licentia, se conferre præsumant, &c. Et paulò inferius subiungit; Prælatis eorum districtè nihilominus iniungentes: vt ipsos à prædictarum curiarum accessu, & alijs quibuslibet vagationibus, & discursu, diligenter compescere, ac super hoc non parentes eisdem, se verè corrigere non omittant.

2 His accedit salubre Conc. Trid. decretum sess. 24. de Regularibus cap. 4. his verbis; Prohibet S. Synodus, ne quis regularis, sine sui Superioris licentia, prædicationis, vel lectionis, aut cuiusuis pij operis prætextu, subijciat se obsequio alicuius Prælati, Principis, vel Vniuersitatis, vel Communitatis, aut alterius cuiuscunque personæ, seu loci: neque ei aliquod priuilegium, aut facultas, ab alijs super ijs obtenta, suffragetur. Quòd si contra fecerit, tanquàm inobediens arbitrio Superioris puniatur. Nec liceat Regularibus à suis conuentibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. Qui verò sine prædictò mandato in scriptis obtēto, repertus fuerit, ab ordinarijs locorū, tāquā desertor sui instituti puniatur. Illi autē, qui studiorū causa ad vniuersitates mittuntur, in conuētibus tantū habitent, alioquin ab ordinarijs contra eos procedatur.

3 Ad eundem modum, & Bened. 12. in Constit. Canon. Regu. tit. de petenda licentia à volentibus extra ecclesiam, vel monasterium progredi, vel exire, sic statuit; Vt in Religione prædicta euitetur dissolutio, & obedientia teneatur, districtius inhibemus, ne quis Canonicus dictæ Religionis de ecclesia, monasterio, vel loco suo cōuentuali exeat, nisi primitus obtenta licentia ab illo, qui eam valeat impartiri, quauis consuetudine contraria non obstante; quodq; causam sui exitus veraciter, & absq; fictione exponat ei, à quo erit licentia obtinēda. Qui ve-

rò huiusmodi licentiam concesserit; Canonicis Claustralibus nullam administrationem, vel beneficium obtinentibus, terminum redeundi, quanto eo conuenientius poterit breuiorē assignet eisdem. Sanè administratoribus, & beneficiatis, qui habeant residere in claustro, possit dari licentia sine præfixione termini, si hoc concedenti visum fuerit expedire. Si quis autem exierit extra ecclesiam, monasterium, seu locum alium conuentualem sine licentia, vel in termino assignato, iusta causa cessante, non redierit, pœna quæ in tali casu per statuta, vel consuetudines eiusdem ecclesiæ, monasterij, seu alterius loci infligenda fuerit, infligatur eidem. Et si super hoc statutum, vel consuetudo aliqua non existat, pœna, quæ sequitur infligatur. Videlicet quòd ille, qui infra nouem dies post exitum, seu terminum prædictos redierit, vltimus stet in choro; ac secunda, & quarta, & sexta ferijs eiusdem septimanæ in pane, & aqua ieiunet.

4 Illi verò, qui infra huiusmodi nouem dies non redierint, pœna, quæ sequitur imponatur. Videlicet quòd à porta regulari, parlatorio, seu alio loco decenti per claustrum cum magistro nouitiorum, vel alio ad hoc deputato, ad Capitulum veniant, camisiam, fœmoralia, & caligas tantum habentes; superpelliceum in brachijs, ac ferulam, seu virgam in manibus suis ferētes; cum quibus in dicto Capitulo, venia prius recepta, & recognita culpa sua, coram omnibus verberetur. Et nihilominus alia pœnitentia, siue pœna pro qualitate delicti imponatur eidem secundum arbitrium imponētis, quòd si sine scandalo huiusmodi pęna imponi non possit, in pęnam aliam secundum sui Prælati arbitrium de proborum, & seniorum conuentus consilio commutetur, quàm in dicti conuentus præsentia facere teneatur. Prouisò attentius, quòd mensuram peccati correctionis inflictio non excedat. Simili quoque, vel alia cōdigna pęna puniantur Canonici in prioratibus, seu administrationibus alijs externis assignati, qui sine licentia Priorum, seu Administratorū eorundē, de ipsis Prioratibus, seu Administrationibus recedentes, fuerint euagati, vel in termino non redierint assignato. Si autē de dictis Prioratibus, seu Administrationib. ad claustrū, seu ad Prælatū suū à suis Prioribus, seu Administratoribus licentia nō petita, vel petita, & nō obtēta, veniunt, eidē Prælato, seu Superiori suo causam sui aduētus statim exponāt, qui Prælatus, seu Superior, an causa huiusmodi rationabilis, & vera fuerit, arbitret. Et si causam minus rationabilē, vel falsam esse repererit, vel si huiusmodi venientes nullā causam ei exposuerint, aut licentiā non petierint, per Prælatum, aut Superiorē eorum, prout his visum fuerit expediens, puniatur. Nullus quoq; Canonicus, pernoctaturus extra ecclesiam, monasterium, vel alium locū

suum

suum abire sine breuiario permittatur, in quo pensum seruitutis suæ dicendo horas canonicas, posSit soluere creatori. Tandem ferè legem præscripsit idem Benedic. 12. aliquantulo tamen rigidiorem in Constitutionibus Monachorum nigrorum Sancti Benedicti cap. 24. Item in Capitulo Prouinciali apud S. Petrũ in cælo aureo Papiensem celebrato anno 1340 die vltimo mensis Augusti, Canonici illius prouinciæ statuerunt in hunc modum; Porrò vt cunctis Canonicis dicti Ordinis prouinciæ prædictæ vagandi materia præcludatur, statuerunt, & ordinauerunt, quòd nullus Canonicus monasteriorum, & locorum prædictorum exeat septa ipsorum monasteriorum, atq; locorum, in quibus residere tenentur, absq; licentia sui proprij Prælati. Et quòd tempore huiusmodi licentiæ obtinẽdæ, causam sui exitus verè, & clarè exprimat, & ad quem locum iturus est. Et si cogente necessitate, vel suadente honestate, ad alium locum, ipsum ire contingeret; ꝙ quàm citius reuersus fuerit ad suum monasterium, locum prædictũ, & causam sui itineris suo Prælato exprimere teneatur. Conradus etiã Archiepiscopus Coloniensis sæpè citatus de Monachis cap. 9. inquit. Itẽ præcipimus districtius, ne Monachis detur frequens licẽtia exeundi: sed si sine licentia Superioris districtum, siue portas claustri, aliquis eorum exire præsumpserit; pœnam inde sustineat regularem. Rursus cap. 16. Statuimus item (inquit) quòd Monachis nullatenus detur licentia ante primam exeundi, & similiter post completoriũ, nisi ex causa valdè rationabili, & necessaria, vtpotè si contingat, ipsum extra monasterium suum in aliquo loco diuinum officium celebrare, vel in obitu parentũ, fratrum, vel sororũ. Eadem de re Conciliũ Oxoniense Anglicanũ sub Stephano Archiepisc. de Canonicis Regularib. disserens, sic ait; Nec viris, aut mulieribus Religiosis absque Superioris licentia egredi liceat septa domus, nec sine certa, & honesta causa egrediendi eis licentia concedatur: ita tamen, quòd nulli claustralium causa orationis, aut visitãdi parentes, pateat aditus exeundi; nisi talis fortè fuerit, de quo nihil sinistrũ posSit quis, aut debeat meritò suspicari; qui sẽper habeat collegam, & quoties aliter licentia exeundi indulgeatur, certus dies eidem præfigatur, in quo redeat. Itẽ Cardinalis Nicolaus Cussanus in confirmatione statutorum prouincialium, & Synodalium Archiepiscoporum Coloniensium Conradi, & Sifridi, de Regulari obseruantia tractans, idq; ad Prælatos, & Canonicos Regulares, & alios quoslibet Religiosos extendens, ait. Nos autem pro clariori intellectu eiusdem, volumus excommunicationis pœnas intelligi, in eas personas ferri, quæ aut cõmunem vitam, aut paupertatem, aut obedientiam, aut stabilitatem in monasterio, nisi licentia interueniat, aut quæ

habitum

habitum Religionis non deferunt, aut administrando, sua auctoritate cõtractus faciunt, cuiuscunque etiã Religionis fuerint. Vbi obiter adnotabis, ꝙ in solenni professione stabilitatem loci promissam, sic eam intelligas, Religioso non licere è monasterio egredi, nisi licẽtia interueniat, vt hic Cardinalis interpretatur: ad eundem modum ipsam exponit in explicatione regulę D. Benedicti. Antoninus 3. parte tit. 16. cap. 1. §. 7. dicens: Stabilitatem intelligitur nouitius vouere, ita scilicet, quod non apostatabit à Religione.

6 Qualis autem personarum delectus habendus sit in concedenda foras egrediendi facultate, quænam etiam itineris ratio à redeuntibus poscenda sit, luculenter, abundeq; docuit Basilius magnus in regulis fusius disputatis interrog. 44. Nam peregrinandi quidem potestatem ei permittito, qui in peregrinatione sine animæ suæ detrimento, & cũ vtilitate eorum, quibus cum congrediatur, posit versari: alioqui enim longè est præstabilius, summam rerum necessariarum penuriam perpeti, atque egestatem, quàm subleuandæ necessitatis corporis causa, perspicuum, & omnibus confessum animæ detrimentum negligere, quanquam huic incommodo medetur lex Charitatis. Nam cùm persona deest ad iter faciendũ idonea, alijs exterioribus negotium amãdari potest. Quod quidem multo ante prouidere debet is, cui procuratio necessariorũ concredita est: ne in ipso necessitatis articulo, rebus iã in summas angustias adductis, remediũ ipsi ex tẽpore quærendũ sit.

7 Cæterum vbi qui emissus fuerit domum iam se ex peregrinatione receperit, eum diligenter percunctaberis, quid absens interim egerit, in quorum hominum congressus inciderit, cũ illis, quos sermones cõtulerit, in cuiusmodiuè secum ipse cogitationibus sit versatus: num assiduè die, noctuq; in Dei timore permanserit, nam recta semita interdum aberrarit, & à communi decreto aliquid innouarit, idq; terrore perculsus externarum calamitatum, an propria socordia lapsus?

8 Et quòd rectè ab ipso factum audieris, approbatione confirmato: ꝙ autẽ contra vitiosè, leui cura, prudẽtiq; admonitione corrigito. Ita enim attentiores esse assuescent, qui itineribus se dabunt, si de reddẽda ratione soliciti sint: & nos quamdiu abiuncti illi à nobis permaneant, neutiquam videbimur illorum vitæ curam negligere.

9 Porrò hanc consuetudinem ex actorum historia accepimus, solitam fuisse à veteribus sanctis viris vsurpari. Siquidem & Petrus cap. 11. cum se Hierosolymam recepisset, ijs, qui tunc in ea ciuitate erant, rationem reddidit eius societatis, quæ sibi cum gentibus fuisset. Paulus quoque, & Bernabas ibidem. cap. 13. reuersi ex peregrinatione, congregatæ ab ipsis Ecclesiæ renunciauerunt omnia, quæcunq; Deus

fecisset cum illis, & Act. 15. Siluit omnis multitudo, & audiebant Barnabam, & Paulum narrantes, quæcúq; fecisset per illos Deus.

10 Illud tñ hoc loco intelligédũ est, nũdinationes, & quæstus illos oẽs, qui caupones attingunt, fratrũ conuentus longissimè fugere debere.

11 At inquires, quidnam agendum sit, si amici, aut cognati nos horten tur, vt eos inuisamus? Respondeo, si hoc propter ædificationem fidei fit, qui adire hoc modo potest, is data venia mittatur. Si verò propter officium humanum, audiat quid Dominus respondeat ei, qui Lucæ 9. dixerat, permitte mihi ire, & renunciare his, quæ domi sunt: ait enim nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Quòd si de eo, qui renunciare tantum voluerat, tale iuditium est, quid de hoc dicendum erit?

12 Præterea pauca documenta hac in re accipienda sunt. Primum, illud tenendum est, vt nequaquam quouis prætextu visendorum, conueniendorumuè fratrum crebro è monasterio velimus egredi. Siquidem diaboli est istud commentum, qui hoc artificio vtitur ad disciplinæ nostræ stabilitatem, ordinemq; religiosæ vitæ, labefactandũ, ac peruertendum; vt voluptatibus, illecebrisq;, ac prauis cogitationibus obnoxios nos faciat. Sed in eo potius cuiq; elaborandum est, vt animi sui vitia diligenter perpendat, & corrigat, & ad virtutum culmen contédat. Secundum, sedata animi constitutio virtutis est argumentũ certissimum: qui enim huc, illucq; continenti peregrinatione discurrit, neque stabilis certo vllo in loco diu consistit, is animum suum ad prauas affectiones assiduè instigat. Quod cum ita sit amplectanda nobis quies est, & in suo cuiq; assignato loco perdurandũ, quo animi sui stabilitatem testatam faciat. Tertium, neq; verò propterea perpetuò est tanquam in custodia permanendum, sed quandocunq; & res poscit, & conscientia non reprehendit, liberè est, fidenterq; prodeundum: & de fratribus probatissimis quiq;, & propter insignem vitæ sanctitatem maximè vtiles inuisendi, & ex fructuoso illorũ congressu, virtutũ exépla capienda: ita tamen, vt in prodeundo modus teneatur, & praua omnis suspitio euitetur. Adde etiam, quòd sæpenumero animi tædium suscepta peregrinatio excutit, & refocillato animo vires præstat, alacrioremq; ad capescenda de integro pietatis certamina facit. Quartũ si quis semel in animo honestatem cõstabiliuerit, ob diuturnam exercitationem, & iam edomitas libidines, ob eam causam è monasterio prodire frequentius velit, vt fratres ædificet, visitetq; hunc ratio ad prodeundum impellit, quo posita super candelabro lucerna, cunctis præclaræ doctrinæ suæ lumen largiter impartiatur, alijsq; velut virtutum schola futurus. Et

Nec

13 Ne verò absque magna vtilitate discemus & illud, videlicet quòd ille, qui simel religiosam vitam ingressus sit, is neutiquam illorum sectari familiaritates debet, qui in cõmuni vita versantur: neque de rebus ipsorum solicitudinem omnino vllam suscipere: à propinquis autem amicis, parẽtibusuè, animi affectione nos tàm longè oportet esse disiunctos, quàm longè eos, qui iam sint vita defuncti, à viuis videmus distare. Qui enim ad virtutis certamina se exuerit, mundoq; ac rebus mundanis renunciauerit, imò ipsi mundo seipsum crucifixerit; is mundo, & omnibus, qui in mundo sunt, mortuus est: siue illi parẽtes sint, siue fratres, siue tertiũ, quartumuè, aut quemuis deinceps cognationis gradum obtineant. Siquidem verissimus pater est, primus quidem, qui communis omnium est pater: secundum illum verò deinceps is, penes quem spiritualis viuẽdi ritus moderatio est. Qui autem secularium hominum, & colloquijs, & amicitia delectatur, is prauas eorum affectiones in animum facilè insinuauerit, & vitæ prioris vomitum resorbebit, atq; saucius, & misere ab hoste confixus, tandem concidet. Quo circa danda nobis opera est, vt propinquis optima optemus, iustitiam dico, ac pietatẽ ad Deum, & ea quæ magni nos æstimauimus. Nec curare debemus eorum lucra, & fortunas, casus, & inimicitias, alioqui.n. fiet, vt veluti statua sit Monachus, quæ solam Monachi figuram circunferat; nimirum quæ nũsquàm virtutibus sit animata. Quin accidit plerũq; vt Monachus propinquorum inopiæ succurrere volẽs, sacrilegij scelere obstringere se non dubitet. Sic enim Christus, ne id quidem vnum illi discipulo permisit, vt res suas cum propinquis suis componeret. Alteri, vt ne cadauer quidem mortui patris humo superiniecta contegeret. Cùm tamen vtrũque rationi consentaneum, & iustissimum esse videretur.

14 Si verò dixeris, quomodo sacra scriptura præcipiat, habendam esse curam propinquorum, maximè domesticorum? Respõdetur, illud secularibus, & diuitibus dictum esse, qui propinquorum inopiæ poterant subuenire. Similiter viuis illud dictum est, non mortuis; nam hi ab huiusmodi debito liberi sunt. Tu autem mortuus es, & toti mundo crucifixus. Reiectis enim diuitijs summam paupertatem cumplexus es: cum teipsum Deo dedicasti, in peculiarem Deo thesaurum adscitus es; iam nihil habes, quod largiaris.

15 Postremò autem loco illud non absque amplissimo commodo annotabis. Quemadmodũ passer, donec in nido manet, periculũ nõ patitur à sagittante, sed vbi in sublimè auolauerit, patet illius sagittis; ita vir Religiosus donec in eo sacro loco, in quo nidum suum fixit, permanserit; donec dicit, in Deo speraui, nõ emigrabo, non mouebor amplius;

plius; donec passer in domo, quam inuenit permanet; donec turtur nidum quem inuenit, non deserit, donec columba in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, vbi nidificauit, perseuerauerit, non patebit, nec expositus erit inimicorum sagittis, nō.n. facilè potest illuc malum accedere, neque flagellum, aut nocumentum vllum huic nido valet appropinquare. Hoc verò probè scientes dæmones, primum suggerunt, & operosè suadent, vt emigremus in montem, & nido, domoq; derelictis: in alta auolemus, forasq; progrediamur, & obambulemus, ita demum sperantes suis sagittis efficere, quod concupiscunt, id autem est, morte vulnerare animas nostras. Similis ferè & piscatorum ars inuenitur, qui cum piscibus insidiantur, illis maximè, qui ad ripas in cauernis, aut in profundiori cœno inhabitant, primum baculo eos perturbant, vt è suis locis egrediantur, egressi verò, mox in expansa incidant retia, sicq; venundentur morti. Nos proinde huiusmodi artium conscij, si sagittatorū istorum perniciosorum mortiferas sagittas euadere volumus, caueamus, quātumuis inuitemur, à monasterij emigratione, vt nidum monasticum, quem elegimus, diligenter custodiamus; vt simus passeres solitarij in tecto, non vagi in montibus seculi huius. A monte verò modis omnibus caueamus; quoniam nequit in monte hoc salus inueniri, quemadmodum, & dilectus Domini discipulus, sagittas huiusmodi spiritu illuminato conspiciēs, solicite suos sic præmonebat; Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo sunt. Omne.n. quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscētia oculorum, aut superbia vitæ. Idest, nolite transmigrare in mundi mōtem, quoniam omne quod in monte est, noxium est. Ad quem sensum non ineptè accipiemus quod dicebat Gen. 10. ille, qui iam incendia Sodomæ, & Gomorræ euaserat. Quæso (inquit) domine mi, non possum in monte saluari, ne forte apprehendat me malum, & moriar? in ciuitate tamen, quæ adiacebat, licet parua, sperabat, & salutem. Atque hinc rursum, cùm relicta iā ciuitatula, in qua salus ei fuerat à Domino constituta, in montem emigrasset, timore perterritus, in turpem fœditatem cecidit. Illic.n. & inebriatum legimus duabus vicibus, secundo cum proprijs filiabus concubuisse. Quamobrem cauendū est, ne in montem emigremus huius seculi; sed in nostræ sacræ domus ciuitatula potius permanendum ijs, qui salutem desiderant. Fac pie Iesu, in te semper hæreat nostra fiducia, sicque nos intra te te conclude, vt in montem istum cum animæ detrimento, nunquàm sinas quantūuis solicitatos transmigrare. Qua in re vel aues ipsas nobis imitandas proponamus, quæ quidem in lignis cāporum, atque cedris nidos suos construūt; Aliæ quidem in altioribus arboribus, aliæ in humilioribus,
prout

prout vnicuique natura indidit,& naturæ auctor instituit. Præ cęteris autem,nidus Erodij dux est, ac velut princeps aliarũ auium, eo quod amplior,& altior sit nidus eius nidis auium cæterarum, quoniam præ cæteris altius ædificat Erodius, in magna altitudine,simul, & in magna amplitudine,supra multas auium species ponit nidũ suum,vt merito nidus eius dicatur præcellere, vel anteire cæteras aues,nimirũ amplior,& excelsior. Ordinata quoque sunt à Deo diuersis animalium speciebus diuersa confugia,in quibus à periculis eripiătur, atque saluentur,dum alta sua celeritate,alia petendo se à persequentibus tuentur; quemadmodum cerui cùm persecutionem sentiunt, celeri cursu ad montes confugiunt;alia intra loca arcta, & inaccessibilia suam tutantur salutem, vitamq́; custodiunt, quemadmodum Herinacij, siue hericij in angustis petrarum latibulis se occultant,quoties periculum metuunt,quòd fuga celeri sibi non possint consulere. Tu quoq; ò Religiose altissimũ in Religionis cedro nidum elegisti, hericiorum latibula tibi semel arriserunt,proinde oportet, vt in tuo sanctissimo nido te contineas,domi pedem figens; in cauernis sanctorum Religiosorũ te ferre semper latitare expedientissimum iudicato si modò animæ tuæ salutem incolumem, tutamque custodire,cõseruareq́; velis. Alioqui profectò plusquàm mille peccatorum sagittis confodieris.

De apostatis, eiectis, & fugitiuis. Cap. xxv.

1 

Apientissimus Salomon Prouer. cap. 6. miræ suis coloribus apostatam,seu schismaticum depinxit,dicens;Homo apostata, vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis,terit pede,digito loquitur,prauo corde machinatur malum,& omni tempore iurgia seminat. Huic extẽplo veniet perditio sua,& subito cõteretur,nec habebit vltra medicinam. Ille autem censetur apostata,qui à Deo,vel à fide, aut à Religione, quam professus est,recedit. Angeli mali primum apostauerunt à Deo cum diabolo principe suo; qui primum hominem per inuidiam serpentina fraude decepit, vt August. scripsit lib. 15. de ciuit. Dei cap. 23. & prius quispiam auersione mentis discedit à Deo, quàm alios seducat,& inter fratres iurgia seminet. Nisi.n. more superbientis angeli à conspectu cõditoris prius intus cadat, foras postmodum vsque ad serenda dissidia non veniet. Vir profectò est inutilis, quia sibi,& alijs nocet,graditur ore peruerso, vitiosa siquidẽ, & inhonesta verba profert,vt alios suis vitijs inuoluat;annuit oculis,nam superbis oculis, & elati suam prodit apostasiam, & vanos nutus visu ostendit. Terit pede,quia cõposito gressu ex elatione procedit,digito loquitur,eo quod

loquendo digitum petulãter extendit, & agitat, & hoc à Domino reprehenditur Esa.58.dicente; Si desieris digitum extendere, tum orietur in tenebris lux tua. Aliquando tamen sapientes loquendo digitũ extendunt, & manum ad excitandam audientium attentionem. Prauo corde machinatur malum, quia dedita opera, & certa malitia cogitat, ad quem modum alijs nocumentum inferre valeat; omni tempore seminat lites, quòd sanè grauissimum est peccatum, charitati, & paci omnino contrarium. Sed quæ seminauerit, hæc & metet, & cõfestim suam persentiet damnationem, & repentina morte sublatus, post eam non habiturus medicinam, idest, pœnitentiam salutarem: quod si in hoc mundo eum tandem pęniteat, non tamen facilè, quia durum est illi assueta relinquere. Nec ab hac Salomonis sententia diuersum est illud Es.3. cap. pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorũ ibant, & plaudebant, & ambulabant, & pedibus suis composito gradu incedebãt, decaluabit dominus verticem filiarum Sion, & crimen earum nudabit, & pro ornamento erit ignominia. Sed & Ezech.cap.2.ait; Mitto ego te ad filios Israel, ad gẽtes apostatrices, quę recesserunt à me: apostatam autem Latine dici refugam, & recedentem à veritate, eruditissimi viri declararunt.

2 Apostatam verò à Religione apud graues doctores bifariam accipi comperio. Nã laxiori significatione, eo ipso quod Religiosus à monasterio recedit, & non est sub obedientia Prælati, apostata esse affirmatur à Panor. cap.finali, de Regularibus, &c. isq; à Conc. Trid.sess.25. de Regularibus cap.4. si absque sui Superioris mãdato in scriptis obtento extra monasterium repertus fuerit, tanquàm desertor sui instituti, puniri iubetur: quo in loco id considerandum est, quòd in Regularem sui Superioris facultate non minutum, egressumq;, & vagantẽ, pœnas apostatarum pronunciat. Quasi velit huiusmodi hominẽ apostatam iudicare. Apostatam.n. instituti desertorem interpretamur. In eis autem pęnis excõmunicatio etiam ipso facto incurrenda iure canonico statuitur, & vulgo connumeratur ex cap.vt periculosa, ne Clerici, vel Monachi, &c. in 6. Idcirco & Armilla aureã, in verbo Religio.nu. 16. asserit, eum, qui sub obedientia Prælati non est, non solùm fugitiuũ esse, sed apostatam: nisi aliud monasterium ingrediatur.

3 At verò si rigidiorem, strictioremq; apostatæ significationem perspexeris, non facilè quemuis, apostatã iudicabis: nã Cardinalis Caiet. in S. Thom. 2.2.q.12.art.1. in hunc modum litem dirimit. Dubium, inquit, occurrit de apostasia à Religione. An Religiosus inconsulto suo Prælato, à cœnobio recedens, & non subijciens se alterius obedientiæ; sit propriè apostata? Nam quod is verè sit, Innocentij tertij auctorita-

ctoritas in cap. fin. de renunciatione, & in cap. intelleximus. De ætate & quali. ordi. suadere videtur.

4 Cæterum si apostasiæ ratio fuerit diligenter expensa, distinctione opus est. Siquidem bifariam contingit, vt Religiosus habitum retinẽs, sine licẽtia tamẽ, & absque alterius Prælati obedientia, foris maneat. Primum quidem, eo animo, & intentione, vt Religiosus amplius non sit. Et hic planè est verus apostata; nec excusatur ab apostasia, & censuris ei annexis, eo quod habitum deferat: sed ijs omnibus pœnis, quibus apostatæ deposito habitu tenentur, ipse religatur.

5 Altero etiam modo idipsum cõtingit, vt si Religiosus nec recedat, nec vagetur extra monasterij septum animo retrocedẽdi à Religione; sed vel propter Prælatorum rigorem, aut certè propter vagandi libidinem, aut demum ob quidpiam simile. Talis ergo, apostata iudicandus non est, sed fugitiuus, & vagus. Incurrit tamen peccatum inobedientiæ, & rebellionis, dum cõtra præceptum Prælati foras exierit. Quemadmodum si in claustro existens, Prælato aliquid iustè præcipiẽti obedire pertinaciter noluerit, rebellis est, non apostata. Quo fit, vt priori, laxioriq; sensu, Innocentius citatus, sit intelligendus. Iuxta eandẽ doctrinam Cardinalis Turrecremata dist. 23. cap. Si quis ex clericis, astruit, quod apostata ab Ordine suo, deserendo habitum, vel insignia ordinis sui, ipso iure est excommunicatus. Quia in cap. vt periculosa. Ne clerici vel Monachi, in 6. dicitur, quod si quis qualemcunque Religionẽ tacitè, vel expressè professus in scholis, vel alibi temerè habitũ Religionis suæ dimiserit, excommunicationis sentẽtiã incurrat ipso facto.

6 Præterea Gregorius 9. in cap. ne religiosi, de Regularibus; fugitiuorum vtilitatem, & regimen sic decernit. Ne Religiosi vagandi occasionem habentes, salutis propriæ detrimentum incurrant, & sanguis eorum de Prælatorum manibus requiratur. Statuimus, vt Præsidentes Capitulis celebrandis secundum statutum Concilij generalis, seu patres Abbates, seu Priores, fugitiuos suos, & eiectos de Ordine suo, requirant solicitè annuatim. Qui si in monasterijs suis recipi possunt secundum Ordinem regularem, Abbates, seu Priores eorum monitione præuia, per censuram ecclesiasticam compellantur ad receptionem ipsorum, salua Ordinis disciplina. Quod si hoc regularis Ordo non patitur: auctoritate nostra prouideant, vt apud eadem monasteria in locis competentibus, si absque graui scandalo fieri poterit: alioquin in alijs Religiosis domibus eiusdem Ordinis ad agendam ibi pœnitẽtiam talibus vitæ necessaria ministrentur.

7 Si verò huiusmodi fugitiuos, vel eiectos inobedientes inuenerint: eos excommunicent, & tandiu faciant ab ecclesiarum Prælatis excõ-

T municato

municatos publicè nunciari, donec ad mandatum ipsorum humiliter reuertantur. Glossa autem ibidem ea verba,salua Ordinis disciplina explicat, hoc est,imposita eis pęnitentia, secundum quòd Regula illius Ordinis requirit,& præcipit. Hic etiam annotauit Panor. nu. 2. ꝙ Abbas potest excommunicare Monachum,& quod plus est,potest facere denunciari excommunicatum ab ecclesiarum Pręlatis,si est fugitiuus,& remanet extra monasterium. Hanc decretalem his verbis explanat Humbertus in regulam Augustini cap.99. Si culpæ incorrigibilitatis, propter quas iustè eiecti sunt,adhuc durant,non tenetur eiectores eos recipere. Imò ex eisdem causis,ob quas iustè eiecti sunt,iustè possunt à receptione repelli,etiam si ipsi eiecti recipi petant. Nec obstat decretalis, quæ dicit fugitiuos esse requirendos. Quia hoc intelligitur,quando sunt tales,qui cum vtilitate congregationis tolerari possunt, aliter non. Sicut ouis morbida non solet reduci ad ouile, sed potius relinquitur ipsis lupis deuoranda.Si verò probabiliter credatur,eos à criminibus suis correctos,& in posterum cessaturos.Tunc eiectores non solùm eos recipere, salua Ordinis disciplina, sed etiam pro loco,& tempore inquirere tenentur.

8 Huc tendit Bened.12. in Cōstit. Canonic. Reg. tit. de fugitiuis, & eiectis,dicens;Ne Canonici Religionis præfatæ vagandi occasionem habentes, salutis propriæ detrimentum incurrant; Statuimus, vt Præsidentes prouincialibus Capitulis,necnon Abbates, Præpositi, Priores,& alij,ad quos id pertinuerit,fugitiuos, & eiectos de Ordine suo, requirant solicitè annuatim, qui si in ecclesijs,seu monasterijs suis recipi poterunt secundum Ordinem regularem,recipiantur in eis salua Ordinis disciplina. Quòd si disciplinati,incorrigibiles apparuerint,auctoritate nostra prouideant Præsidentes,& alij prædicti,vt apud easdē ecclesias,seu monasteria in locis competentibus à communi fratrum consortio segregati ponantur,ad agendā pœnitentiam; ibidq; vitæ necessaria ministrentur eisdem; nec pateat alijs fratribus, aut cuiquam alteri recessus ad eos,nisi prius à Superiore petita super hoc licentia, & obtenta. Si verò huiusmodi fugitiuos,vel eiectos, inobedientes inuenerint,eos excommunicent,& tandiu faciant ab ecclesiarum Prælatis excommunicatos publicè nunciari, donec ad mandatum ipsorum humiliter reuertantur. Insuper statuimus,quòd Prælati,& alij,ad quos pertinuerit in ipsa Religione correctiones facere regulares, quotiens, & quādo pro grauioribus culpis habebūt pœnitentias iniungere; hoc faciāt cū aliquorū proborū cōsilio, & tractatu præhabito cum eisdem. Per præmissa verò iurisdictioni ordinariorū nō intendimus derogare.

9 Sed iam Cōcilia prouincialia aduersus Religiosos fugitiuos, & apo

ſtatas audiamus; Conradus n. ſæpè citatus Archiepiſcopus Colonienſis tit. de Monachis ſic ait; Statuimus etiam, quòd Monachi fugitiui, & apoſtatæ, per ſuos Abbates ad ſua Monaſteria reuocentur, ſalua Ordinis diſciplina, niſi toties inobedienter, & ex talibus cauſis receſſerint, quòd ſecundum regulam non debeant in eorum monaſterio tolerari.

10 Vtiliſsima autem ſunt, quæ Adolphus 3. Archiepiſcop. Colonienſis in Conc. prouin. anno 1549. celebrato in cenſuris abuſuum edidit contra fugitiuos,& apoſtatas. Qui cap. 1. ſic ait; Magna ſeueritate opus eſt, vt flagitioſiſsimum hoc genus hominum reprimatur, atque ab eccleſia fidelium, videlicet, ne plures eorum contagione inficiantur,& pereant, ſubmoueatur. Proinde eius innixi auctoritate, qui dixit: quidquid ligaueritis ſuper terram, erit ligatum & in cęlis. Sancimus vnanimi totius Concilij conſenſu, iudicio, ac ſententia, & præcipimus, ne quis cuiuſcunque ſtatus, vel conditionis fuerit, poſt hac Monachus, vel Monachas fugitiuos, & extra Superiorum ſuorum obedientiam vagantes, quos nouerit veridica aliorum relatione, aut Superiorũ teſtimonio, vel alio quouis modo eſſe tales, recipere, fouere, aut ad ſacramenta, vel eccleſiaſtica miniſteria admittere auſit, ſub excommunicationis, quam ipſo facto incurrãt pœna, qua & ſacri canones feriunt eos, qui huiuſcemodi fugitiuis, apoſtatis, atq; excõmunicatis cõmunicant. Huius autem rei cauſam reddiderat, quòd profugi Monachi abſque omni freno ad quæuis flagitiorum genera, vbi arctum, ſanctumq; inſtitutum ſemel abiecerint, prouoluuntur. His. n. auctoribus naſcũtur hæreſes, ſacrilegia, inceſtuoſa connubia, & ſacrorũ omniũ ꝓfanatio, ab eiſdemq; hæc omnia mala defenduntur, & promouẽtur.

11 Idem quoque Adolphus de requirendis apoſtatis, vt reſipiſcant, & vt ad inſtituta ſua reuertantur cap. 6. ſic diſſerit: Iam licet apoſtatarum, & eorum, qui miſſa ad aratrum manu, retroſpexerunt ad ſeculũ, & ſe ineptos reddiderunt regno Dei, alius alio grauius impegerit: & quidam humanitate propter errorem communem, & eorum qui cùm prohibere hunc curſum potuiſſent, officium neglexerunt, conniuentiam. Alij ſeuera vltione, ob maleuolentiam, & impietatem digni videantur: in hoc tamẽ ſunt omnes pares, quod Religionis ſuæ vota illa ſolennia, quibus ſe Deo præ ceteris mortalibus nuncuparunt, timore Dei, & æterna animæ ſalute poſtpoſitis, perfidè ſoluerunt. Quæ profectò magna eſt impietas. Enimuerò propheta Baruch, Deos Gentium falſos à Deo vero, hoc veluti ſigno proprio diſcernit: quòd falſi illi votum, quo ſe quis obligauerit, nec tamen reddiderit, non requirant: Deus autem verus requirit: vnde perſpicuum eſt, ſecuros illos votifra-

gos, apostatas, qui sibi persuadent, Deũ vota non requirere habere sibi persuasum Dei n esse falsum, quales sunt dij gentium, quod vel cogitasse horrendum idolatriæ scelus est. Petrus quoque in Actis Apostolorum testatur eos, qui communem vitæ societatem, qualis olim inter Apostolos erat, & nunc apud Religiosos conseruari debet, semel receptam deserunt, tentare Spiritum sanctum, & mentiri non hominibus, sed Deo. Idcirco duximus eos omnes salutis, de qua periclitantur, grauiter admonẽdos, & vno nomine requirẽdos, quibus & præsentis Synodi auctoritate inuocato Christi nomine, quẽ sceleratis suis factis abnegarũt, Mãdamus, & præcipimus, vt relictis falsis coniugibus, & cõcubinis, si quibus adhærent, postpositisq; negotijs, quibus se implicuerunt, habitũ Religionis suæ resumãt, & ad suum quiq; monasterium reuertantur, vbi pœnitentiam salutarem ad diuinam vltionem auertendam, veniamq; erratorum impetrandam, humiliter agant.

12 Et cap. 10. inquit, Quòd si qui apostatæ, & Ordinis sui desertores fascino diabolico, & vitiorum amore excæcati, atque illaqueati, nõ patiantur se inuitari ad vitæ emendationem, aut ad ecclesiæ sinum benignè adduci, eos decernimus, post spretam beneuolẽtiam nostram paternam, vi cogendos per Dei ministros illos, qui gladiũ tenent ad vindictam malorum, & laudem bonorum, vt intrare, vel inuiti compellãtur, qui spontè reuerti nolebant.

13 Et cap. 11. de apostatis, qui sub prætextu dispensationum Apostolicarum, vota, Religionisq; suæ instituta deseruerunt, sic sanciuit idem Adolphus, dicens: Apostatæ quidam extra monasteria sua degunt, Superioribus rebelles, & ad rebellionem alios solicitantes: tantò nocentiores in Ecclesia, quantò hostis domesticus externo perniciosior est; Qui nequitiam suam velant dispensationũ Apostolicarum prætextu, quas plerunq; vel in curia, vel à pœnitentiarijs Summi Pontificis, aut Legatis, & Nuncijs Apostolicis, subreptitiæ, vel allegatione causarum falsarum impetrant. Et si causæ iuri innixæ bullis obtentis interserantur, tales tamen petunt sibi dari, atq; impetrant earum examinatores, & iudices, Summo Pontifici, Legatis, Nuncijs, & dispensatoribus ignotos; qui neque causas allegatas examinẽt, nec partibus legitimè vocatis de earum veritate inquirant, sed simpliciter eorum libidini patrocinentur: aut si dantur iudices incorrupti, & probitatis amantes, ijs bullas suas non exhibent cognoscendas, & nihilominus secum dispẽsatum esse iactant, vtunturq; dispensationibus obtentis, haud aliter quàm si causas illas legitimè verificassent. Vnde non infrequẽter plus malorum, & scandalorum, quàm à notorijs apostatis accipitur. Nostrum verò nõ est sustinere in Ecclesia tantã imposturam, tamq; licẽtiosam

tiosam votorum violationem. Proinde statuimus, & ordinamus, vt qui dispensationes tales obtinuerunt, in habitu, & obedientia suæ Religionis, quam professi sunt, coram nobis, aut reuerēdis Comprouincialibus nostris Coepiscopis, compareant, atque ita dispensationes suas exhibeant examinandas, & vocatis eorum Superioribus, ac quorum intererit discutiendas; aut si iam habitum temerè, & absque præuia bullarum examinatione deposuerunt, eum reassumant, & eo vsque in monasterio, ac sub obedientia se contineant, donec dispensationibus nobis ad examinandum oblatis inueniantur, non etiam Summū Pontificem, & eius Legatos, vel alios dispēsatores fefellisse, aut sinistrè aliquid impetrasse. Quòd si dispensationibus obtentis, aliter, atque iā statutum est, voluerint vti, eos pro notorijs apostatis habendos, vitandos, à magistratu capiendos, & Superioribus cū rebus omnibus, quas habent, expensis tamen monasteriorum, tradendos ad eundem omnino modum, quo de apostatis iam decretum, & statutum est, totius Concilij sententia decernimus, & approbamus.

14 Præterea Paulus 4. in bulla contra apostatas anno 1558. 13. Kalēdas Augusti edita, quæ incipit. Postquàm diuina bonitas, Apostasiæ morbo per amplius mederi intendens, multa quidem annotatu digna sanciuit, licet post eum Pius 4. anno 1560. 3. nonas Aprilis ad formā iuris, & sacrarum constitutionum reduxerit. Primum igitur Paulus 4. voluit, & sanciuit, quòd quæuis tam ecclesiasticæ, quàm seculares personæ cuiuscūque status, aliquem apostatarū receptare, seu nutrire, vel illis quo minus ad eorum monasterium redirent, fauorem, auxilium, seu consilium præstarent, & ab ordinario loci commoniti non desisterent, sentētiam excommunicationis eo ipso incurrerent. Secundum, quòd si patroni beneficiorum aliquem ex apostatis ad beneficium vacans presentarent, præsentationes huiusmodi essent eo ipso nullæ, irritæ, & inanes. Tertium, quòd superiores apostatarū, & ordinarij locorū tàm coniunctim, quàm diuisim eosdem apostatas, vt ad monasteria redirent, Charitatiuè requirerent, quòd si different, vel recusarent, monitione præuia per censuras ecclesiasticas, & penas etiam corporis afflictiuas ad redeundum cogere, & compellere possent, inuocato etiam ad id, si opus foret, auxilio brachij secularis. Quòd si regularis Ordo id non pateretur, auctoritate sua prouidere valerent, vt talibus apud eadē monasteria in locis competentibus, si absque graui scandalo fieri posset, alioquin in alijs religiosis domibus eiusdē Ordinis, ad agēdum inibi penitentiā, vitæ necessaria ministrarentur. Qui si adhuc inobedientes essent, Apostolica auctoritate maioris excommunicationis sententia innodarentur, & Superiores sui eos excōmunicatos esse de-

clararent,ac vt tales publicari facerent. Quartum,quòd omnes,& ſingulæ translationes Apoſtatarũ ad alium Ordinem iam factæ, & quas deinceps fieri contingeret,niſi ad arctiorem,vel parem ordinẽ factæ, & ad monaſteria,in quibus regularis obſeruantia vigeret, & in eis ipſi tranſlati actu manerent,nullæ eſſent,& irritæ. Quintum, vniuerſa, & cuiuſcunque generis apoſtatarum bona ſuis monaſterijs applicata eſſe, decreuit, & declarauit.

15 Sed iam tandem ſacrum Concilium Tridentinum ſeſſ.25. de Regularibus cap.19.hac in re ſic ſtatuit; Nemo etiam Regularis cuiuſcunque facultatis,vigore transferatur ad laxiorem Religionem, nec detur licẽtia cuiquam Regulare occultè ferendi habitũ ſuæ Religionis.

16 Egregium autem Baſilius documentum ab Abbate obſeruandum eſſe ducimus,quod tradit in Cõſtitntionibus Monaſticis cap.34. videlicet,ne Prælatus ſuis Religioſis facultatẽ faciat alloquendi apoſtatas; primum quidem,vt ipſi hoc modo auerſos à ſe omnes videant,& omnibus inuiſos,& execrabiles factos eſſe ſe contueãtur, & reſipiſcant,& ad ſuũ ſe gregem recipiant, & à ſuo paſtore paſcantur. Deinde nõ abſurdè nos ratio impellit,vt apoſtatas ſpiritualis diſciplinæ violatores à congreſsione bonorum ſecludamus,fit.n. ſæpenumero, vt contagio iſta latius ſerpens,eos etiam,qui in recto itinere ſunt, aberrare faciat.

17 Si verò perutiles,ac eruditas exhortationes ad apoſtatas in officio continendos deſideras,perlege eundem Baſilium in regulis fuſius diſputatis interrog. 14. Vbi agit de ijs, qui religioſam vitam profeſsi: deinde profeſsionem illam conantur reſcindere,ac reddere irritam:& in Cõſtitutionibus Monaſticis cap.22. vbi docet, quòd neutiquã quis à ſpirituali ſe fratrum cętu debet abſcindere.

18 Item Ambroſius in pſal.36.ait; Nonne etiam de his pulchrè dicitur,quia effuſi ſunt proceſſus eorũ,quorum ſpes lapſæ, in vanum effuſus labor, vota ſunt deſtituta? Conſidera.n. aliquem per aliquot annos habuiſſe ſtudium probitatis,caſtitatis cuſtodiam, vitæ attentioris affectum,piæ propoſitũ ſeruĩtutis,ſedulæ obſeruationis officium, ſubitoq; eum eſſe mutatum,diſceſsiſſe de monaſterio, vale dixiſſe ieiunijs,continentiæ renunciaſſe,indulgere delitijs, ſtudere luxuriæ. Dudũ de monaſterijs exierunt,& nunc luxuriæ ſunt magiſtri, diſſeminatores incontinẽtiæ,incentores petulantiæ,obtrectatores pudoris,nõne de his pulchrè dixeris,effuſi ſunt greſſus eorum, quos bene vixiſſe pęnituit? Ecce tibi depinximus vitam à monaſterijs diſcendentium.

19 Valde etiam metuit ſponſa Cantic.1.& optimo quidem iure Religioſi anima metuit, ne forte poſt corruptorum hominum infœlices greges vagari incipiat. Nimis.n. periculoſa,& abhorrenda iſta eſt vagatio,

gatio,per quam à Religione abberratur,& ſempiterna ſalus deperditur. Vagantur autem miſero hoc,& infęlici errore,omnes qui alienorum ducum, neglecto Prælato,doctrinam,& viam ſectantur, qui non permanẽt in vnitate Religionis in ijs,quæ ad mores monaſticos pertinent. Vagantur ſanè, quia à recto itinere longè abſunt, quod ad finem optatum ſolùm poteſt perducere;per deuia enim incedunt, per errores,inquam,& vitia. De his pſaltes dixit pſal. 106. Errauerunt in ſolitudine in inaquoſo:viã ciuitatis habitaculi non inuenerunt, & pſal. 11. In circuitu impij ambulãt. Ambulant enim in circuitu omnes, qui rectam virtutis viam viuendo non tenent. Quàm autem ſit formidandum omnibus ab hoc errore,ſiue vagatione miſerabili,ex minoribus erroribus facilè quilibet apud ſeſe æſtimabit. Si enim permoleſtè ferimus, cùm ad ciuitatem aliquam pergimus,vel modicum errorem: ſi vel paullulum vagari,magnum nobis gignit faſtidium, ita vt amplius fatigemur ad dimidiæ horæ ſpatium aberrantes, & vagantes per deuia,quàm per horas duas recto ambulantes itinere; ſi tam moleſtum eſt vagari in corporali profectione, vbi facilè poſt modicum fit in viã rectam regreſſus:quanti eſt periculi,quanti debet eſſe faſtidij, à recta ſalutis via aberrare,& per incerta,ac deuia vagari, per quæ ad æternã ſalutem perueniri non poteſt,imò per quæ ad ſempiternum ſine effugio perducemur cruciatum.

De Canonicis, Religionis habitum dimittentibus, aut occultantibus. Cap. xxvi.

1 Via verò,& habitus nõ facit Monachum,oportet tamen Canonicum Regularem ſuæ Religionis inſigne, & habitum ſemper deferre,congruis etiam pęnis plectendi ſunt illi,qui habitu Religioſi haberi, & nominari verẽtes, proprium Religionis habitum, aut omnino dimittunt,aut certè occultant,id quod iura Canonica plurimum deteſtantur. Vt autem ſermonis obſcuritatẽ fugiamus, ille à doctoribus Religionis habitus iudicatur, qui ſuperior,aut exterior eſt, quo Religioſus quiſque non ſolùm Religioſus eſſe cognoſcitur, ſed etiam cuius ſit Religionis,ab alijſq; Religionibus dignoſcitur. Quare in Ordine Canonicorum Regularium, vt iam in ſuperioribus cõmoſtrauimus,proprius habitus eſt linea toga,idcirco.n. Concilium prouinciale Senonenſe par. 2. ca. 22. ait; Statuimus,quòd Canonici Regulares de cetero, ſuper veſte exteriori togam lineam,tam intra,quàm extra monaſterium, ferre omnino teneantur.

2 His præmonitis, ſtatuitur Prima concluſio,Canonici Regulares, vt

ceteri etiam Religiosi,semper atque patenter togam lineam deferre tenentur sub pęna peccati mortalis.In primis hoc sentire videtur duo illi Canones 20.q.1.cap. vidua.vbi Conc. Toletanum 10.ait: Tũ accepta à sacerdote,vel ministro apta Religionis professioni veste, seu in lectulo quiescẽs,siue in quocunque loco consistens, constanter vtatur,& 23.dist. cap. sanctimonialis. Sanctimonialis virgo cùm ad consecrationẽ suo Episcopo offertur,in talibus vestibus applicetur,qualibus semper vsura est,professioni, & sanctimoniæ aptis. Adeo.n. Religionis habitus est Monachorum ossibus annexus, vt eo semper vti teneantur. Hanc conclusionem in genere constitutam statuit Siluester in verbo,habitus.nu.3 pęnam autem peccati mortalis subiungit Armilla aurea in verbo habitus,nu.2. idẽ docet Siluester in verbo,excõmunicatio 9.q.24.nu.52.& Anton.Flo.3.pat.tit.16.cap.6.

3 Secunda conclusio; dimissio habitus in varijs casibus absque peccato mortali fieri potest;vt quando fit ex iusta,& rationabili causa. Vt asserunt Io. Andreas in cap.Deus qui, de vita & honest. cler. & Siluester loco nunc citato: & Petrus Paludanus 4.sent.dist.18.q.3.vt si Religiosus dimiserit habitum suũ timore insidiarum,vel medicinę causa. Cuius rei multò plura exẽpla inferius adducemus. Quòd diximus de dimissione habitus,idem de eiusdem habitus occultatione sentimus.

4 Tertia conclusio,Canonicus Regularis,sicuti & quicũque alius Religiosus, temere togam lineam dimittens,excommunicationis sententia ipso facto innodatur. Hæc cõclusio fit manifesta ex cap. vt periculosa, ne Clerici,vel Monachi,&c. lib.6. vbi Bonif.8.sic ait:Vt periculosa Religiosis euagãdi materia subtrahatur,districtius inhibemus,ne de cetero aliquis quamcunque Religionem tacitè, vel expressè professus,in scholis,vel alibi,temerè habitũ suæ Religionis dimittat,&c. Siquis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis sententiam incurrat ipso facto. Quo in loco primo notandum, temerè dimitti habitum, si absque rationabili causa deponatur, ea autem causa rationabilis esse, viri boni arbitrio diiudicabitur, vt Siluester ait. Secundo, ait Caietanus in verbo Excommunicatio, cap. 61. ad incurrendum hunc Canonem duas conditiones requiri. Prima est,quòd dimittatur habitus suæ Religionis. Secunda,quòd dimissio fiat temerè,quib.& tertia addi posse videtur, quòd dimissio habitus sit materia vagandi. Hæc.n. huius Canonis ratio assignatur, ne scilicet Religiosi vagarentur inuerecundè, per proprium habitum non cogniti. Tertio,non eo amaro sensu accipienda est Bonifacij.8. aliorumq; Summorum Pontificum mens, quasi velint omni tempore,omniq; locorum articulo hæc esse obseruanda; sed pro semper,

per, ideſt tempore, & loco conuenienti, & debito. Illud enim iure fieri dicitur ſemper, quod horis debitis, & ſtatutis, ac congruis efficitur. Quin potius nonnunquam debitum eſt honeſtatis, non verò neceſsitatis. Quarto, non incidet in hunc Canonem, qui non temerè habitum dimiſerit, ſed fortè vtilitatis cauſa ad vitandum ſcandalum, videlicet infidelium, vel aliorum. Cuius rei exemplum extat in cap. Deus: de vita, & honeſt. cleric. vel ſi iocoſæ leuitatis cauſa id fiat ad ludum aliquē exercendum, vel ad expiſcandum, vel ad proijciendū lapides, vel denique ad ſcindenda ligna, vel etiam cùm habitus dimittitur delitioſæ voluptatis cauſa præter peccatum, vt ad dormiendum, vel vt facilius iter faciat, dummodo citò fuerit reſumptus. Itaque conſtitutio noſtra ſuam intentionem aſſumpſit ratione temeritatis, doli, & malitiæ. Quæ proinde præcipuum locum habet, apertumq́; ſenſum, cùm Religioſi dimiſſo, depoſitoq́; ſuæ Religionis habitu, ſe conſpectibus hominum exhibent, ac ſi laici, vel Clerici ſeculares exiſterēt, idq́;, vt diximus, ſine iuſta, & rationabili cauſa. Quinto conſidera rem hāc ex pœnis, quæ hic inferuntur, eſſent. n. irrationabiles, vt Silueſter ait, ſi in eas incideret, qui extra monaſterium in hoſpitio nocte, atque ſecretò, ex cauſa non rationabili, nempe ex laſciuia, & illicita ſenſualitate ad quietius dormiendum, vel ob quid ſimile, etiam cum peccato mortali habitum dimitteret. Quis enim æqua ratione ſibi perſuadebit, huiuſmodi hominem incurrere omnes pœnas apoſtatarum; quodq́; eligi nō poſſit in Abbatem, etiam ſi poſtea efficiatur vir bonæ famæ, atque exiſtimationis, adde etiam, quòd iam electus deijciatur. Sexto, eadem noſtra aſſertio conſtat, quoniam iura non inferunt excommunicationis ſententiam, niſi propter peccatum mortale, cuiuſmodi non eſt omnis temeraria dimiſsio habitus. Nullo. n. in loco hoc præcipitur; licet nanque ſemper, habitu vti Monachi debeant, hoc tamē debitum ſæpè honeſtatis eſt, non neceſsitatis, vt Io. And. & Archid. locis citatis aſſeruerunt. Septimo, ſi Religioſus etiam intra monaſterium conſpectui ſecularium, & abſque rationabili cauſa ſe offerat, præſentemq́; ſe exhibeat depoſito habitu, eiſdem pœnis tenebitur. Octauo, notandū ex Caiet. quòd dimittens habitum ad horam ex leuitate, vel etiam per totum diem, domi tamen permanens, non eſt excommunicatus. Tum quia propriè loquendo non eſt temeraria dimiſsio, tum quia ceſſat legis ratio expreſſa, videlicet materia euagationis.

5 Quarta concluſio; Canonicus Regularis, & quicunque alius Religioſus ſuæ Religionis habitum cooperiens, atq; abſcondens temerariè, & ſine iuſta cauſa, ipſo iure excommunicationis ſentētia irretitur. Ex iuris Canonici præceptoribus hoc loco. Primum cōprobatur con-

clusio ratione. Nam habitus coopertus, siue occultus, non dicitur habitus quo ad signi, vel significationis effectum. Ea enim ipsius habitus natura est, vt rem signatam in apparentem, manifestamq; cognitionem venire faciat, vt vna Religio ab alia dignoscatur. Secunda ratio, nam Monachus monachalem habitum cooperiens, videtur solùm amplecti verba, non mentem legis, idcircò legis pęnam non effugiet; siquidem amplectens verba, mentem offendit; ratio.n. qua Monachus suæ Religionis vestē dimittere prohibetur, præter alias, illa est, vt Monachus à non Monacho distinguatur, & differat. Habitus.n. vestis superior est. Tertia ratio, mēs, intentioq; nostri textus est, vt propter retentum habitum, & non dimissum, ipsis Monachis auferatur libera vagatio, & lubricitas; sed habitus occultus hæc incommoda non excludit. Igitur occultans Religionis habitum excommunicationis pœna planè percutitur. Quòd si dixeris in nostro textu sermonem fieri de dimittente, non autem de occultante habitum, pęnasq; non laxādas, sed restringendas esse, perspicuè respōdeo, illā vagationem, quæ textus ratio traditur, ita contingere, si habitus occultetur, quemadmodū si dimittatur. Est quoque, & alia vrgens ratio, nam vbicunque dispositio pęnalis facilè illuderetur, nisi extensio fieret, semper permittitur extensio. Exempli gratia. Clement. 1. de sepulturis, verba facit de his, qui in cœmiterio tempore interdicti nonnullos interdictos sepeliunt; idem tamen iudiciū ferendū est de sepelientibus in ecclesia; eodemq; modo incidunt in excommunicationis sententiam. Quæ tamen dispositio pœnalis est, extenditurq;, vel vt verius loquar, non dicitur propriè illa extensio, sed tacita inclusio.

6 Quinta conclusio, ex Caie. quæ superiorem quartam conclusionem limitat, atque corrigit, habitus Religionis sic à Religioso occultatus, non quidem omnino, sed quòd à conuersantibus cum eo, quamuis nō ab omnibus prætereuntibus, videatur esse Religiosus eius Religionis, cuius re vera est, non inducit excommunicationem huius Canonis: quia re vera nec materialiter dimittit habitū; sed neq; formaliter relinquit, cū iuxta rationē expositā, cuius sit Religionis vtcunq; dignoscitur, quāuis secundū quid ratione aliqua dimittere censeri possit. Itaq; sat est, si à conuersantibus cum eo Religiosus esse cognoscatur.

7 Sexta conclusio; Canonici Regulares Ordinum militarium in veste superiori crucem deferentes, non incidunt in huius Canonis excommunicationem, quales sunt Commendatarij Sancti Iacobi; cuius rei ratio suggeritur, quia foris, extrinsecusq; ostentant crucem, quæ suæ Religionis insigne est manifestumq; signaculum, quo cuius sint religionis, omnes intelligunt. Cuius sententiæ est Martinus

Azpilcueta Nauarrus in Manuali,cap. 27. num.132. Ex superioribus facilè intelliges, quàm sit laudabilis, iureq; seruanda Concilij Trid. sententia,sess.25. de Regularibus cap. 19. quæ sic habet:nec detur licẽtia cuiquam Regulari occultè ferrendi habitum suæ Religionis.

De conspiratoribus,calumniatoribus,armatis,et venatoribus. Cap. xxvij.

1 Onspiratores, siue coniuratores dicuntur scelesti quidã homines, qui adinuicem fide præstita, aut exhibito iuramento, conueniunt ad malum aliquod perpetrandũ, vel ad se tuendum contra potestatem publicam, vel ad non obediendum in aliqua re licita; quorum quidem peccatum,vt plurimum,mortale est,& scandalosum. Quia contra bonum publicum,vel alicuius priuati hominis,ex Caiet. in summa, verbo coniuratio. Tales autem homines grauibus legum pœnis puniuntur.Nec immeritò, cùm fraudulentam confœderationem in alicuius personæ,vel dignitatis præiudicium exerceant. Vnde vt quidam opinantur,huiusmodi in Episcopum coniuratores,infames sunt, & exilio traduntur,imò etiã curiæ seculari. Qua de re consule Bernardum Lucũ Episcopum Calagurritanũ in pract.criminali Canonica cap.109.

2 Synodus autem Calcedonensis sub Leone 1. celebrata can. 18.haberurq; 11.q.1.cap. coniurationum,ad huius criminis animaduersionem sic stabiliuit;Cõiurationũ, & conspirationum crimen,quod apud Græcos dicitur fratrea;publicis etiam legibus certum est penitus inhiberi; hoc multò magis in sancta Dei Ecclesia,ne fiat,conuenit abdicari.Si qui verò Clerici,vel Monachi inuenti fuerint coniurantes, aut fratreas,vel factiones componentes aliquas suis Episcopis, aut alijs Clericis,omnino cadant de proprio gradu.

3 Cæterum multo luculentius hanc rem definiuit Bened.12.in Constit. Canon. Regul.tit.de conspiratoribus,dicens: Cùm ex conspirationis,& coniurationis crimine,si fortè trãseat impunitum,multa mala,& scandala possint exoriri: statuimus,quòd conspiratores, & coniuratores,si qui Religionis eiusdem de crimine huiusmodi legitimè cõuicti fuerint,vel cõfessi,præter alias pœnas talibus à iure,vel aliquo quouis modo inflictas,eo ipso beneficijs, & administrationibus quibuslibet,quæ obtinuerint,sint priuati.Si verò beneficiati non fuerint, eo ipso reddantur inhabiles ad quæuis beneficia, seu administrationes ecclesiasticas,quomodolibet obtinenda. Contra cõspiratores autem, & coniuratores occultos, quorum notitia non habetur, per Superiorem,aut Visitatores etiam pœnæ aliæ,prout expedire videbitur, generaliter statuantur. Si verò aliquis de prædictis ad cor reductus,

illi, vel illis, qui tanguntur ex eis, ipſas patefacerit tali tempore, quòd poſsint huiuſmodi factionibus obuiare, dignus abſolutione, & venia habeatur. Item Capitulum prouinciale Papienſe apud S. Petrũ in cœlo aureo celebratum anno 1340. menſæ Auguſto, ſic decreuit de Canonicis conſpiratoribus. Statuerunt etiam, & ordinauerunt, quòd nullus ſubditus conſpirationem aliquam faciat contra ſuum Prælatum; quam ſi fecerit, & eam non reuelauerit infra triduum dicto ſuo Prælato, quo triduo elapſo, ſit excõmunicationis vinculo innodatus. Idipsũ decreuit Bened. 12. in Conſtit. Monachorum Nigrorum cap. 38.

4 Præterea Aluarus Pelagius lib. 2. de planctu Eccl. art. 24. inter grauia Monachorum ſcelera, hoc primum omnium refert, dicens; Contra Abbatem conſpirant volentem eos corrigere, & eum deponi procurant, & alium ſibi inſtitui ſecundum mores eorum: cui nulla poteſtas ſit reliqua, dum Monachis incipit ſubiacere 18. q. 1. cap. coniurationum, & cap. conſpirationum. Item non ſolùm conſpirant ad depoſitionem, ſed ad extinctionem eius, vel detruncationem. Sicut illi, qui in necem Diui Benedicti nequiter coniurarunt, talesq́; ſunt infames, nec ad teſtimonium admittendi.

5 De calumniatoribus nunc pauca dicenda ſunt; de quibus agit D. Thomas. 2. 2. q. 68. & Dominicus Sotus lib. 5. de Iuſtitia, & iure q. 5. Calumniator autem eſt, qui falſum crimen imponit; & etiam qui occultum, quod iure probari non poteſt, in iudicio propalat. Nam iure quidquid idoneis teſtibus, vel inſtrumentis innoteſcere nequit, falſum reputatur. Calumnia verò, eſt ſubdola rei vexatio per fraudem. Et calumniari, eſt falſa crimina ſcienter intendere.

6 Quoniam verò Prælati mille ſubditorum calumnijs obnoxij ſunt, quibus perteriti à recto monaſterij regimine omnino retrahuntur, aut certè impediuntur, & retardantur, idcirco 2. quæſt. 7. ſubditi prohibentur, niſi in certis caſibus Prælatos accuſare. Idq́; etiam propter honeſtatem, quia accuſatio præſefert neſcio quid odij, quod aduerſus Superiores dedecus eſt.

7 Ad vindicandos igitur à falſis ſubditorum accuſationibus Prælatos, & Paſtores, Bened. 12. in Conſtit. Canonicorũ tit. de delatoribus ſic ſtatuit; Quia nonnulli Canonici dictæ Religionis contra Prælatos, vel Superiores ſuos frequenter multa proponunt: nõ vt omnia per eos propoſita probent, quia nec facere poſſent: ſed vt infament de omnibus. Et probatis forſan illorum aliquibus, finem conſequantur optatum: diſtrictius inhibemus, ne quis Canonicus Religionis eiuſdem cõtra ſuum Prælatũ, vel Superiorem ſuper crimine, vel criminibus deinceps quomodolibet admittatur: niſi prius ſe obligauerit ad pœnam congruam

congruam, si in probatione propositorum, vel alicuius eorum defecerit, per eum irremissibiliter subeundam. Hoc autem in loco animaduertendũ est varias, & graues pœnas calumniatoribus imponi solitas esse. Nam 2.q.3. inquit Damasus; Calumniator si in probatione defecerit, talionem recipit; & Adrianus. Qui non probauerit, quod obiecit, pœnam quam ipse intulit, patiatur. Idem prorsus decretum sanciuit ipse Bened. 12. in Constit. nuper citatis cap. 37. de delatoribus. Attamẽ vt Sotus loco citato art. 4. ait; Lex talionis sẽper fuit; vt trux, duraq; existimata. Satis enim est, vt qui occidit, occidatur. Qui verò occidere procurauit, non subinde, nisi summo iure, reus sit tanti criminis, eo pſertim, quòd tunc plus nimio ab accusandi munere homines absterrerẽtur. Ideoq; talionis pęna indesuetudinẽ abijt, nisi cùm testis industria, atque studio in causa capitali testimonium falsum dixit; Idq; maximè quando illius causa innocens interficitur. Sunt tamen nihilominus iniqui delatores acri supplicio plectendi. Vnde Bernardus Lucus in pract. crim. cap. 59. de calumniatoribus asserit, calumniatorem regulariter, si succumbit in causa, puniri eadem pœna, qua erat puniendus accusatus. Clericum verò calumniatorem priuari officio, & verberatum publicè, in exilium mitti, vt in cap. 1. de calumniatoribus, subditq; hanc non esse ordinariam pœnam Clerici calumniatoris, sed illam eandem, qua puniendus erat accusatus; Clericum tamen denunciatorem criminis, & in probatione deficientem, ab officio, & beneficio suspẽdi, donec innocentiam suam purget; vt in cap. finali eodem titulo. Et procedit dicta suspensionis pœna, etiam si denũcians intenderet pœnitentiam tantum, & non pœnam imponẽdam esse, vt Abbas in eodem cap. finali testatur.

8 Toto sanè errãt cœlo impij coniuratores, calumniatoresq;, si quidpiam contra Deum, eiusq; veritatem recto consilio tentari posse, sibi persuadent; siquidem frustratoria omnis illa est machinatio, & ad perpetrandũ maleficium cruentus ille conatus. Dei quidẽ maximi voluntas nulla violentia, nullauè potestate infringetur vnquam, qui de se ipso contra sibi repugnantes ait Esai. 46. Ego sum Deus, & non est vltra Deus. Cõsilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Id quod factitasse cernitur in Pharaone Exo. 14. in Senacherib. 2. Parali. 32. in Holopherne Iudit 13. in Nabuchodonosore Dan. 4. in Saulo Act. 9. quem satis, superq; arguit, dicens; Durum est tibi contra stimulum recalcitrare. Hinc scriptura Prouerb. 21. Nõ est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra dominum; quod olim sentiens celebris ille legis doctor Gamaliel, contra eos, qui Euangelij veritatem in occidendis Apostolis extirpare moliebantur Act. 5. dixit, & nunc ita-

que dico vobis, discedite ab hominibus istis,& sinite illos. Quoniā si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissoluetur; si verò ex Deo est,non poteritis dissoluere,ne fortè,& Deo repugnare videamini.

9 Item addiscamus,plerunque eum,qui dolo, & mendacio alteri,dū peruersè machinatur,nocere cupit,sibiipsi demum esse exitio. Sic cacodæmon,qui primum hominem Genes.3. in ligno deperdere conatus est,in ligno in æternum est deperditus,Christo victore. Sic Aman, qui Hester 6.& 7.dolo,sanguineaq; fraude Mardocheo crucem parauerat,ipse adfixus est cruci,dolo ab Assuero comperto.Seniores quoque illi nequissimi Dan. 13.qui capitalem noxam insonti Susannæ adstruxerant,sui sceleris cōuicti,in se capitale suppliciū verterunt.Planè igitur constat,mala consilia sæpè in auctoris perniciem fuisse conuersa,quodq; vnde fraus egrediebatur,illuc sit non absque ingenti damno reuersa. Hinc Propheta psal.7.ait; Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foueam,quam fecit.Conuertetur dolor eius in caput eius: & in verticem ipsius iniquitas eius descendet. Agendum enim est non dolo,sed laudata dexteritate.

10 Insuper, & illud edisserendum est, nihil inuidia,& iracundia duce, rectè, fœliciterq; geri posse;quoniam qui inuidi sunt,& iracundi,veritatis sunt hostes acerrimi,atque adeo obcæcantur, vt videre nequeāt, quid facto sit opus,fitq;,vt ipsi tandem sibiipsis nocumento sint, sibiipsis cruciatum,& pestem inferant. Ad quem sanè modum Dathan,& Abyron inuidia incensi,atque perusti, sacerdotiū Aroni adimere conati sunt Nu. 16. seq; & suos subita numinis vltione perdiderunt. Sic olim Pontifices,& Pharisæi, sola ob veritatē inuidia excæcati, & præcipites,quia eum, quem colere,quemq; venerari debuissent, acriter persequuti,morti tandem tradiderunt; ob idq; in se tantam suo tempore vltionem,& iacturam sunt experti, quantam nulla vnquàm vidit ætas vnum in locum,in vnamq; gentem coaceruatam, vt Luc. 19. & 23. Christus ipse prædixit,cum perpetuò etiam posteritatis supplicio, quanquam idipsum præ cauere arbitrati sunt, dicentes,si dimittimus eum sic, &c.

11 Præterea ex superioribus luce meridiana manifestius efficitur, iure optimo huiusmodi impios,vafrosq; homines acribus pœnis esse extirpādos,& è medio tollendos,ne ij qui pij sunt, atque probi à mōstruosis istis hominibus,vt triticum nociuis zizanijs,prorsus supprimantur. Quādoquidem 1.ad Cor.5. Paulus ait; Modicum fermentum totam massam corrumpit. Auferte malum ex vobis ipsis. Ideoq; ille voluit huiusmodi hominē Sathanæ in interitū carnis tradi, vt spiritus saluus esset in die domini nostri Iesu Christi. Huius rei argumento olim dominus

minus ſchiſmaticos, Choren, Dathan, & Abyron, qui, vt paulò antè referebamus,ſchiſmati operam dabant,viuos in infernum detruſit. Nam terra ſub pedibus eorum dirupta,aperuit os ſuum, eoſq; deuorauit cum tabernaculis,& vniuerſa eorum ſubſtantia, deſcenderuntq; viui in infernum,operti humo,è medioq; multitudinis deperierunt. Explicuit autem Dauid pſal. 105. Dathanis, & Abyronis flagitioſum ſchiſma; qui terribili murmuratione contra Moyſen in caſtris male locuti ſunt,& contra Aaron, quem ſibi per Moyſen dominus iam in ſacerdotem vnxerat, atque ſanctificauerat in ſuum miniſterium;ſeditionem ſuſcitauerunt cõtra Moyſen,& Aaron,quaſi ipſi ſibi vſurparẽt dominium in populũ domini. In vltionem autẽ huius tranſgreſsionis terra noua miraculo aperta eſt,abſorbuitq; Dathanem, huius ſeditionis præcipuũ auctorem, item & Abyronem complicẽ cũ omnibus ſibi adhærentibus deglutiuit,& ſuper iſtos ſic abſorptos clauſit os ſuum.

12 Aduerſus hos Dathanicos homines terrificũ vę in ſua epiſtola protulit Iudas Apoſtolus,propterea quòd Cayn peſsima exempla ſequũtur,in inuidia,& odio,ac homicidio viuẽtes;& quia errorem auari Balaam inſequuntur auiditate mercedis,effuſi ad illicita, animaſq; ſuas perdiderunt, imitantes exempla contradictionis Chore, qui Moyſi, à Deo filijs Iſrael præfecto ſubeſſe recuſauit,hi ſunt conuiuijs ſuis fœtidiſsimæ maculæ,qui non ſolùm ſeipſos,ſed vniuerſos etiam cum ipſis conuerſantes ſua fœditate commaculant, & conuiciantes, ac delitijs incũbentes,omni timore poſtpoſito, ſuam cutem egregiè curantes. Nubes ſunt etiam in altis quidem ambulantes, & magna à longè pollicentes,ſed ſine aqua,in quibus nihil eſt verè ſapientiæ:nubes(inquã) leues,& ſteriles,quæ proinde ab omni motu concupiſcentiæ,facilè circumagitantur,atque mouentur. Similes ſunt arboribus autumnalibus,quæ fructum nullum ferunt, virore, & vigore perdito. Quoniam poſt ſuſceptam ſpiritus gratiam,denuò in priſtinos redierũt factioſos errores;qui extra radicem ſunt Charitatis,& timorem Dei (qui eſt radix,& initium veræ ſapientiæ) prorſus perdiderunt. Sunt etiam ſimiles fluctibus,& procellis feri maris,qui modo in altum ſe efferunt,modo in infima rurſum decidunt, mox iterum ſe erecturi; qui cùm ſuas blaſphemias,multaq; maledicta proferunt,nihil niſi ſuas confuſiones euomunt, quæ cordis eorũ immunditiã teſtantur,quemadmodũ mare per ſuos fluctus ſpumam eiiciens,ſuam amarã atteſtatur ſalſedinẽ. Sydera quoque ſunt volantia,ſiue errantia, quæ loco certo nullo conſiſtunt,nullamq; loci habent ſtabilitatem;quibus tempeſtas tenebrarum infernalium ſeruatur;quàm ſunt in æternum experturi, cum diabolo,& angelis eius.Hos profectò Dauid pſal. 67. incutit dicẽs; Exur-

gat

gat.Deus,& dissipentur inimici eius,quia dissipauerunt legē suam.

13 De Clerico autem venatore titulus extat in iure Canonico: vbi in 1.cap. Concilium Aurelianense sic docet; Episcopum, presbyterum, aut diaconum, canes,aut accipitres,aut huiusmodi ad venandum habere,non licet.Quòd si quis talium personarū in hac voluptate sæpius detētus fuerit,si Episcopus est,tribus mēsibus à cōmunione:si presbyter,duobus:si diaconus omni officio suspendatur. Rursus cap.2. omnibus seruis Dei venationes,& syluaticas fatigationes cum canibus,& accipitres,aut falcones habere interdicimus.

14 Ad quæ loca interpretanda Bernardus Lucus in pract.cap.61.cautè animaduertit, expendens verba illa,sæpius detētus,& cum Panor. ibidem ait,quòd si rarissimè causa sanitatis,recreationis, vel recuperandi appetitū, venationibus vteretur Clericus, id nequaquam esset ei prohibitum,nec etiam quando necessitatis causa hoc fecisset,nempe pro carnibus,vel pellibus habendis,quas facili negotio habere nō posset,vel quando fructus sui cōsisterent in venationibus,vt in Callia. Est etiā necessitatis causa illa iudicanda:si apri,vrsi,vel aliæ feræ segetes Clericorum,aut vineas vastarent;licebit etiam recreationis gratia laqueos,& retia sine strepitu,clamore,& canibus intendere. In dubio tamen venatio recreationis causa facta fuisse est interpretanda.

15 Huc etiam pertinet Clement.ne in agro Dominico,de statu Monachorum,vel Canon. Regul.§. porrò.Sic statuens. Porrò à venationib. & aucupationibus omnes semper abstineant, nec eis interesse,aut canes, vel aues venaticas per se,vel alios tenere præsumant, nec à familiaribus secum morantibus teneri permittant,nisi saltus,viuaria,vel garenas proprias, vel ius venandi in alienis haberent: in quibus cuniculi,vel feræ aliæ forsan essent,quo casu hoc eis permittitur: dum tñ infra monasteria,seu domos,quas inhabitāt,aut eorū clausuras, venaticos canes nō teneant.Nec venationi præsentiā personalē exhibeant.

16 Sententia quoque excommunicationis eo ipso incurrenda imponitur Religiosis arma tenentibus,in eadem Clem. ne in agro.§. quia verò, sub his verbis.Præfatæ quoque sententiæ, Monachos infra septa monasteriorum sine licentia Abbatum suorum arma tenentes decernimus subiacere:siue sint inuasiua, siue defensiua, vt doctores exponunt. Quem tamen locum quidā cum glossa, de Monachis tàm albis, quàm nigris,Canonicos Regulares eximentes, nō ineptè intelligunt.

At verò ad maiorem vtriusque negotij, videlicet venationis, & armorum elucidationem, Bened.12. audiamus in Constit. Canonicorū Regul.tit. de venatoribus, & armis.Porrò (inquit) à venationibus, & aucupationibus Canonici dictæ Religionis abstineāt;nec eis interesse,

aut

aut canes ad opus venandi, vel aues venaticas per se, vel per alios tenere præsumãt, nec à familiaribus, secũ morantibus teneri pemittant, nisi saltus, viuaria, vel garenas proprias, vel ius venandi in alienis haberent; quo casu hoc eis permittitur: dum tñ infra monasteriũ, seu domos, quas inhabitant, aut eorũ clausuras, venaticos canes nõ teneant, nec venationi præsentiam exhibeant personalem. Si qui verò eorum venationi, aut aucupationi clamosæ, vel alias cum canibus, vel auibus ex proposito interfuerint; si quidem Abbas fuerit, vel Prior, seu Præpositus, aut alius administrator quicunque, non habens Superiorem eiusdẽ Religionis, per annum se nouerit à collatione beneficiorum suspensum, quo casu ius collationis huiusmodi eo modo, quo sibi cõpetebat, ad Priorem Claustralem, cum consilio, & assensu conuentus, vel maioris partis ipsius, durante suspensione huiusmodi, deuoluatur. Si verò alius fuerit, ab administratione, quam obtinet, sit per annum suspensus. Quòd si nullam administrationem habet, eo ipso per annum reddatur inhabilis ad administrationem, seu aliud officium ecclesiasticum obtinendum.

18 Dicti quoque Canonici infra septa suarum ecclesiarum, seu monasteriorum arma nullatenus teneant, sine licentia suorum Prælatorum; tenentes verò absque dicta licentia per Superiorem suum taliter puniantur, quòd ipsorũ pœna cedat alijs in exemplum. Super inhabilitate tamen, suspensione prædictis Præsidentes, & eorum quilibet cum Prælatis: & Prælati cum eorum subditis posſint, si eis expediens visum fuerit, dispensare. Iniuncta transgressoribus pœnitentia salutari. Demum Concilium Tridẽtinum, seſſ. 24. cap. 12. docens ea. quæ Clerici fugere debeant (inquit) Vestitu insuper decenti, tam in ecclesia, quàm extra aſsiduè vtãtur: ab illicitisq; venationibus, aucupijs, choreis, tabernis, lusibusq; abstineant: atque ea morum integritate polleant, vt merito Ecclesiæ senatus dici poſsit.

De contemptoribus Prælatorũ, & legum monasticarũ. Cap. xxviij.

1 QVi prauo quodam, corruptoq; animo, suos Superiores contemptibiles iudicant, sacrasq; ordinis leges aspernantur, molestiſsimi omnibus esse solent, suntq; tranquillæ gubernationis maximi conturbatores. Horum criminis grauitatem explanare placuit, vt & ipsi à sua prauitate resipiscant, & aliquando conquiescant, & à suis Superioribus digna animaduersione plectãtur. Dictio hæc. Contemptus, varios habet significatus, vt docuit Guillelmus Altisiodorensis lib. 2. summæ Theologiæ tract. 19. & 20. Primum. n. rem ille dicitur contemnere,

qui eam non iuxta illius valorem,& meritum æstimat; ve luti cùm superbus quispiam alios nihili faciens,contemnit. Secundo, cōtemptus vsurpatur pro simplici transgresione præcepti. Vt Leuit. cap. 26. inquit dominus: si nō audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, & iudicia mea contempseritis, vt non faciatis ea, quæ à me constituta sunt. Quibus quidem verbis Deus asserit, omnes peccatores contemnere leges suas, quia eis non obediunt. Tertio, contemptus accipitur, prout est causa peccati. Consueuimus enim vulgo dicere, hunc ex cōtemptu peccare, alterum ex ignorantia, alium verò ex infirmitate.

2 His præmonitis aduertendum est, quibusdam recentioribus Theologis difficilē explicatu nodum visum esse, genuinam contemptus naturam extricare. Sed D. Tho. 2.2.q.186.art. 9.ad.3. significantissime rem attigit,& exposuit, dicens: Tunc committit aliquis, vel transgreditur ex contemptu, quando voluntas eius renuit subijci ordinationi legis, vel regulæ. Et ex eo procedit ad faciendum contra legem, vel regulam; quando autem èconuerso propter aliquam particularem causam, puta concupiscentiam, vel iram inducitur ad aliquid faciendum cōtra statuta legis, vel regulæ, nō peccat ex cōtēptu, sed ex aliqua alia causa, etiam si frequēter ex eadem causa, vel alia simili peccatum iteret. Frequentia tamen peccati dispositiuè inducit ad contemptum, secundum illud Prou. 18. Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contēnit. Hæc S. Tho. quem locum Caiet. ibidem sic exponit. Peccare ex cōtemptu importat duo, videlicet actū peccati, & causam peccati. Sicuti nolle ire ad chorum, vel frangere silentium ex contemptu, dicit duo. Primo, ipsum actum frangendi silentiū, seu ipsam omissionem eundi ad chorum,& hic vocatur actus peccati. Secundo, ipsam causam peccati, scilicet ex contemptu; & hoc significat actum voluntatis refutantis subijci legi, seu regulæ.

3 Ad peccandum igitur ex contemptu non sufficit, etiam si esset perpetua, & millies reuoluta, & deliberata consuetudo peccandi in tali cōmissione, vel omissione, sed exigitur, quòd quis peccet ex tali causa, nimirum ex hoc, quòd non vult subijci legi, seu Regulæ, vel Prælato. Nam Prælatus lex est animata. Quandiu igitur quispiam subiectionē ad Regulam in sua voluntate retinet, idest quandiu vult, vt subditus suæ Regulæ viuere quamuis ex minus bona,& indeuota voluntate intendat transgredi eandem Regulam, nunquàm peccat ex cōtemptu. Et idē Caiet. 2.2.q.104. art. 2. inquit, q̃ siquis ideo aliquid facit, vel omittit, quantumcunq; minimum vt contra Superioris mandatum faciat, contemptor dicitur,& est. Qui enim frangeret silentiū hac intētione, vt faceret contra voluntatē indicentis illud: hic verè contemneret,

ret,& mortaliter peccaret.Sine huiusmodi autē intētione, videlicet vt faciat cōtra Superioris voluntatē,seu mandatū, nunquā est cōtēptus.

4 Quibus in hunc modum elucidatis constituitur prima conclusio. Prælatum,quatenus Prælatus est contemnere, ex suo genere peccatū mortale est,siue illum minus quàm oporteat,apprecies, & æstimes; siue illi indigneris,aut conuitia inferas. Dixi,quatenus Prælatus est,ad indicandum,talem contemptum dirigi ad ipsam Prælationis dignitatem,vel Superioritatem,& non ad Prælati personam. Vbi ad ostendendam huius peccati grauitatem obiter annotabis, quòd Caietanus in summa,verbo Contemptus,sentit dicens: Hæc autem maxima peccata rarò accidunt,nisi pessimè dispositis,seu habituatis: in tantum vt ex odio legum,& legislatorum operentur: contemptus enim formaliter contra superioritatem legis, vel legislatoris directè tendit. Hæc igitur nostra cōclusio ex Luc. 10. comprobatur; Qui vos spernit,me spernit. Quæ verba non de Prælatorum personis,sed de ipsa prælatione,& superioritate intelligenda sunt. Quoniam cùm illa prælatio, ex Paulo ad Rom. 13. sit à Deo instituta,quisquis illam contēpserit,Deū illius institutorem contemnere videbitur. Idcirco sanè Christus seruator noster Cayphæ,quantumuis pessimo Pontifici,& Pilato præsidi iniquo,& idolatræ,reuerenter loquutus est propter solam Prælationis, quam tenebant dignitatē.Qua in re exemplo suo nos docuit,vt Præpositis nostris iustam exhiberemus reuerentiam. Talis autem contēptus ex leuitate,venialis culpa existimari poterit. Secundo idem probatur, nam contra dilectionem Dei, vel proximi est, nolle subijci,cui oportet subijci. Cōtra dilectionem quidem Dei est,nolle subijci Deo, seu præceptis,& mandatis,& consilijs eius, quibus oportet subijci; & contra dilectionem proximi est si oportet illi subijci, nolle ei hoc debitum exhibere, quod est subijci illi. Talis ergo contemptor peccatū mortale committit. Verissime quidem ait D. Tho. 2.2.q. 105. art. 1. Ideò inobedientem esse diuinis præceptis,est peccatū mortale, quasi diuinæ dilectioni cōtrariū. In præceptis autē diuinis cōtinetur, quòd etiā superiorib. obediatur. Quo fit vt etiā inobediētia,qua quis inobediens est præceptis Superiorū,est peccatū mortale,quasi diuinæ dilectioni contrariū,iuxta illud ad Ro. 13. qui potestati resistit,Dei ordinationi resistit,cōtrariatur insuper dilectioni proximi,inquantū Superiori proximo subtrahit obediētiā,quam ei debet. His adde, quòd nec illud Prælati præceptū contemnendum est, quod inutile iure existimari posset nullā prorsus vtilitatem adferēs. Veluti si subdito Prælatus iubeat,amphorā decies implere aqua,& iterū,aquā in terrā sine vlla vtilitate effūdere.Id qđ Scot. i 4.sent.dist.3.q.4.ar.1.asseuerauit.

5 In hos igitur morosos Superiorum, legumq; contemptores, rectè competit Esaiæ 5. cap. admonitū; væ, qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobis metipsis prudentes. Qui legem iustam increpat. illam esse malam proferens, sapiens est in oculis suis: cùm plus sibi, quàm legislatori tribuat, què verisimile est etiam si res ambigua fuisset, nihil tamen sine iudicio, & absque matura deliberatione fecisse. Maiori igitur, validioriq; ratione cùm res est manifestè bona, vtpote ab omnibus comprobata, isti permolesti, fastidiosiq; contemptores suam leuem opinionem, sapientissimorum, sanctissimorumq; virorū sententiæ, & iudicio postponere tenentur; id quod libenti animo sunt præstaturi, si audierint Paulum 1. ad Thes. 4. qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum. Admonitū etiam illud ab arte militari desumptum, nō modicum erit adiumentum. Qui enim in exercitum aliquem adscriptus est miles, neutiquam is operam dat, vt reliquos ad consuetudinem suam traducat: sed ipse se contra ad Ordinis disciplinam, ac morem accommodat. Eam ob rem conuenit etiam, vt qui in spiritualem societatem adlectus sit, nequaquam illos ad morem suum velit detorquere: sed contra ipse morem suum debet aliorum fratrum moribus, institutisq; conformare. Hos quidem superbos homines Basilius Magnus increpat in prohemio regularum fusius disputatarū, dicens; Siquidem graue est hoc arrogantiæ genus, velle nos legislatoris iudices assidere, & delatis ab eo legibus pro arbitrio nostro alias asciscere, & approbare, alias repudiare. His nostris contemptoribus assimilantur illi, in quos inuehitur Stephanus Act. 7. cap. quòd cùm Israelitæ esse gloriarentur, dura tamen ceruice essent, Spiritui Sancto resistentes. Perpulchra quidem est illa metaphora sumpta à bobus, iugum recusantibus. Iugum subiectionem denotat, & seruitutem, vt tollite iugum meum Matth. 11. idest, subijcimini mihi. Item Deut. 28. Iugum ferreum ponam super ceruicem tuam, hoc est durum dominium. Itaque significat, eos nunquàm perfectè Deo subditos fuisse, nec sustinuisse legem, aut legis iugum, nec suaue iugum Christi. Idcirco eis dicitur, durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ærea. Esaia 48. Item Ezech. 3. omnis domus Israel attrita fronte est, & Deuter. 9. Cùm sis populus dure ceruicis. Religiosi est hominis colla submittere diuinis mādatis, & legibus monasticis, ac iuxta Petri admonitionem, humiliari sub potenti manu Dei, ac dicere illud psal. Paratum cor meum Deus. Item illud Pauli; Domine, quid vis me facere? Nostri autem contemptores extento collo contra Deum ambulant.

6 Secunda conclusio; Contemnere Prælatum, quatenus priuata persona est, & proximus, etiam peccatum mortale est. Vt asserit Caietanus

nus in summa, verbo contēptus. Quoniam actus est ille iniuriosus proximo, lædens, quantū in se est, notabiliter proximū. Cōtemnere enim proximum, importat affectum deprimentem, & deijciētem proximū à sua honorifica, bonaq; existimatione: opponitur siquidem contemptus proximi æstimationi illius. Et quantum bonum est homini æstimari, tantùm malum ei infert contemni Constat autem hominem à multorum bonorum consequutione impediri, ex eo quod despicitur, & parui fit: admodumq; se sentit offensum, quicunque sentit se despici: id quod apertè testantur iræ, rixæ, pugnæ, schismata, bella, & innumera mala quæ homo committit, propterea quòd despici non suffert. Quia igitur notabilis proximo irrogatur iniuria, eo quod despicitur, manifestum fit, contemptum proximi peccatum esse mortale, nisi propter actus imperfectionem, aut materiæ leuitatem, peccatum veniale esse iudicetur.

7 Hinc duo inferuntur ex D. Tho. loco citato. Primum, non peccat ex contemptu ille, qui propter aliquam particularem causam, nempe concupiscentiam, vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra statuta, aut regulam: non autem ex ea causa, quod nolit subijci legis ordinationi. Secundum, frequens legis transgresio non censetur contemptus, nec ex huiusmodi actuum frequētia licet inferre contemptū. Nam fieri potest illa actuū iteratio ex alijs causis iam dictis, scilicet ex ira, vel concupiscentia. Ipsa tamen actuum similium frequentia viam sternit, atque disponit ad ipsum contemptum; ob idq; maximè periculosa est, quia dispositiue inducit ad contemptum. Nam impius in profundo submersus, contemnit.

8 Hanc rem exactisimè pertractarunt Alphonsus Castrus de potestate legis pœnalis lib. 1. cap. 5. docu. 6. & Didacus Couarruuias in cōmentarijs super constitutionem Bonifacij 8. Alma mater. de senten. excommun, par. 1. §. 7. num. 6.

9 Hos igitur Prælatorum aspernatores acerrimè damnat, & punit D. Basilius Magnus in regulis fusius disputatis interrog. 47. cuius titulus est de his, qui nolunt admittere, quæ per Antistitem præscripta sunt, ac designata, dicens: Verùm is, qui nolit admittere, quæ Antistes perficiēda iusserit, debet apertè quidem, sed semotis arbitris interrogari, cur dicto morem gerere nolit, allata, si quam habet, ratione, sacris litteris consentanea: alioqui quod imperatum est, silentio exequatur. Quòd si hoc facere pudore retractus non ausit, alios ad eam rem arbitros adiungat. Quòd si aliena fortè à sacrosanctis litteris illa Antistitis iussio sit, ipse & seipsum, & reliquos fratres à noxa eximat. Si verò constiterit, eam rectè fuisse, ac ratione factam, à vana, ac periculosa

disceptatione seipsum liberet. Ne simpliciores exemplo suo ad abijciendam obedientiam instiget, ac veluti procliuiores efficiat. Expedit.n. inquit dominus Matth. 18. vt suspēdatur mola asinaria circa collum eius,& proijciatur in mare, quàm vt scandalizet vnum de pusillis his. Quòd si qui diutius in contumacia hæserint aduersus Antistitem, clam queruli, nec in apertum voluerint sui mæroris causam prodere; hi perinde, ac disceptationis inter fratres exortę auctores, aut qui certissimam auctoritatem colliserint, & labefactarint eius, quæ maiorum debetur præceptis obedientiæ, ac veluti rebellionis, & inobedientiæ magistri, prorsus à reliqua fratrum familia exigantur. Eijce.n.è Concilio pestilentem, inquit Sapiens Prou. 22. & exibit cum eo iurgium. Præterea qui Prælatos spernere perstant, D. Tho. 2. 2.q. 102. art. 1. & 2. diligenter legere curent. Docet.n. nos generosam quandam virtutem moralem; nempe Obseruantiam; per quam cultum, & honorem exhibemus personis in dignitate constitutis. In eo.n. qui est in dignitate constitutus, duo considerare præcipit excellentiam status cũ quadam potestate in subditos; Ipsum quoq; gubernationis officiũ. Ratione igitur excellentiæ debetur ei honor, qui est quędam recognitio excellẽtiæ alicuius. Ratione autem officij gubernationis, debetur ei cultus, qui in quodam obsequio consistit: dum videlicet quispiam eius obtemperat imperio, & vicem beneficijs eius suo mõdo rependit.

10 Sic nos S. Tho. instituere pergit; duplex.n.est debitũ, alterum quidẽ legale, ad quod reddendum homo lege compellitur. Hac sanè ratione quicunque homo honorem, & cultum his debet, qui sunt in dignitate constituti: si prælationem super ipsum habeant. Alterum verò est debitum morale, quòd ex quadam honestate debetur. Hac autem consideratione debemus cultum, & honorem his, qui sunt in dignitate cõstituti, etiam si non simus eis subiecti.

11 Etiam adijcit idem author excellentiæ eorum, qui sunt in dignitate constituti, debetur honor, ratione sublimioris gradus; timor autem etiã debetur ratione potestatis, quã habent ad coercendũ. Officio verò gubernationis ipsorum debetur obedientia, per quam subditi mouentur ad imperium præsidentium; debẽtur quoque tributa, quæ sunt quædam stipendia laboris ipsorum. Quæ omnia Paulus insinuauit, ad Rom. 13. Reddite, inquit, omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorẽ: cui honorem, honorem. Et ad Heb. 13. Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis.

12 Eosdem tandem contemptores maximopere comprimit, atque damnat, quartus ille Angelus Apoc. cap. 16. qui effudit phialam suam in solem, & datum est illi æstu affligere homines, & igni, & blasphemauerunt

uerunt nomen Dei. Quo in loco Rupertus Abbas nostrorum contemptorum ingenia, & calamitates enarrat. Cùm.n. æstu disciplinæ correpti, non corriguntur, iustum erit, vt gehennę tradantur, quoniam rebelles, & contemptores extiterunt. Blasphemare autem Dei nomen asseruntur eiusmodi superbi, elati, procaces, detractores, voluptatum amatores, doctrinæ sanctæ neglectores, quorum omnes duces fuerũt Dathan, & Abyron, & ceteri carne, & nõ fide filij Israel nu. 16. quorũ corpora in deserto diuersis modis prostrata sunt. Eiusmodi nanq; homines si pro suis criminibus corripiãtur, æstu magno calescunt, irascẽtes, contradicentes, contentionis, rixę, & implicabilis odij flammam contra rectores suos impia conspiratione excitantes; iuxta formã Dathan, & Abyron, aliorũq;, qui cõsurrexerũt aduersus Mosen, & Aaron. Eorum autem amaritudo, verbaq; ex fellis abundantia prolata, quãti sint criminis, illud insinuat, quod subiungitur, & blasphemauerunt nomen Dei. Quidquid enim aduersus Prælatos, & patres insaniunt, id totum in ipsum Deum proijcitur, quemadmodum Moses, & Aaron attestabantur, dũ aiunt; Nos enim quid sumus, quia murmuratis contra nos? Neq; enim contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. Quòd.n. Prælati disciplinæ causa faciunt, aut iudicant, nõ sua, sed Dei potestate, vel auctoritate faciunt. Rectè igitur rebellio cõtra disciplinam, blasphemia in Deum reputatur. Hinc est, quod ad Saul, Samuel illud protulerit 1. Reg. 15. Quoniam quasi peccatũ ariolandi est, nolle auscultare; & quasi idololatriæ scelus nolle adquiescere.

De abusionibus claustri. *Cap. xxix.*

1 
Nsignis glossa in Clem. ne in agro dominico. §. quia verò, in verbo Curias principum, de statu Monach. citat Hugonẽ de Follieto lib. 2. de animæ Claustro, dicentẽ; Duodecim sunt abusiones claustri, quib. tota Religionis massa corrumpitur. Prælatus negligens, discipulus inobedi s, iuuenis ociosus, senex obstinatus, Monachus Curialis, Monachus causidicus, habitus ꝑtiosus, cib. exquisitus, rumor in claustro, lis in capitulo, dissolutio in choro, irreuerẽtia circa altare. Refert quoqne eadẽ glossa ex Cypriano totidẽ seculi abusiones, quæ vtcunq; Religiosis aptare possunt, nempe. Sapiens sine operibus, senex sine religione, adolescens sine obedientia, diues sine eleemosyna, fœmina sine pudicitia, dominus sine virtute, Christianus contẽtiosus, pauper superbus, rex iniquus, Episcopus negligens, plebs sine disciplina, populus sine lege. Subditq; sic suffocari iustitiam. Vtraque igitur abusionum tabella à viro religioso asiduè ob oculos habenda est. Priores

 illas

illas duodecim abusiones claustri, longa oratione, exhortationeq; pia explicat Hugo de sancto Victore lib. secundo de claustro animæ à cap. 12. ad finem libri, tom. 2.

2 Sunt & aliæ claustri abusiones, quas D. Basilius Magnus luculenter tradidit. Prima autem est contra id, quod neutiquam temerè cũ quibusuis hominibus consuetudinem habere Monachus debet. Quã mirum in modum discutit in Constitutionibus monasticis cap. 7. dicens; Iam ne illud quidẽ decere iudicandum est, temerè seipsum quibusuis credere denudareuè, aut aperire animi sui arcanum. Si quidem multi parati esse insidiatores solent, qui in eum studiosè, quid agat, inquirũt: quocirca danda omnino nobis opera est, vt nisi magna adhibita circunspectione in cõgressum, cum extrarijs hominibus veniamus. Si.n. ipse liberator noster, Ioan. 12. omnibus seipsum non credebat, qui tamen purus, & labe omni carens; ille qui quantuscunq; erat, nihil nisi virtus erat: qui fieri poterit, vt nos, qui peccatores sumus, ad lapsum procliues, ab recto itinere identidem aberramus, ob naturalem, nostram imbecillitatem, & propter eum, qui bello nos improbè, & acriter persequitur, vt si curiosis hominibus vitam nostram inspiciendam exposuerimus, non & prauas in nos calumnias conflemus, & ipsi nobismetipsis scandala statuamus?

3 Deinde extrarij homines, & maleuoli, ea quæ rectè fiunt, plerũque, in crimen vocare non dubitant: Et leuissimas etiam offensiunculas maledictis insectantur: vitandum igitur est temeritatis vitium. Tertio, extranei ipsi etiam apud se cogitant, Religiosos, eo quod viuendi institutum mutarunt, non consilium mutasse, sed diuersam planè ab humana induisse naturam; neque de Religiosis iudicant, tanquàm de ijs, qui cùm in ijsdem affectionibus versentur, eas tamẽ animi virtute, & voluptatibus à segregandis, rationis imperio subijciant, sed illud existimant, naturales ex illorum corporibus omnes funditus affectus esse sublatos. Hinc fiunt in Religiosos acerbissimi accusatores. Quarto, vulgares quidem homines quandocunque in pietatis cultorum vitam inquirunt, cùm Religiosus post longinquam esuriem esca corpus fulsit suũ, ne ruat: veluti si omnino corporis, ac materiæ expers esset, aut nullum prorsus, aut quàm minimum cibum assumere illum volũt. Et si animaduerterint quempiam, qui non vsquequaque inclementer corpus tractet, ac tantillũ illius necessitati subueniat, hunc conuitijs, calũnijsq; proscindunt, deriuataq; ab vno in cunctos proteruia, & petulantia, vniuersos pariter lurcones quosdam, & helluones appellant. Quamuis ipsi laici bis, terq; quotidie pinguissimis cibis suffarcinentur, & ingentem vini vim ingurgitẽt. Nequaquam igitur conuenit, vt

libertas

libertas noſtra ab alia conſcientia iudicetur. Veruntamen ſiquis ex his hominib. forte ſit, cuius perſpecta nobis & animi prudentia, & vitę innocētia ſint, & diſciplinā noſtrā in reuerētia habeat, hunc menſa noſtra communicari, ſi id vſus poſcat, à ratione neuticam alienū fuerit.

4 Secunda abuſio clauſtri eſt contra id, videlicet quòd priuata auctoritate nihil negotiorum exercere debeat Monachus. Poteſtatem verò ſuiipſius, ne ad punctum quidem temporis habere Monachus debet, per quam in priuatis ipſe negotijs ſuis verſetur. Quemadmódum.n. abſente artifice, inſtrumentum ſua ſponte non mouetur, neque membrum, vel ab breuiſsimum tempus à corpore ſeparari, moueriuè poteſt, ſine opificis, ac moderatoris voluntate: ſic nec Religioſo aliquid agere, exequiuè ſine Antiſtitis ſui ſententia licet. Quòd ſi cauſam afferat, ſe præ imbecillitate corporis exequendis imperatis parē eſſe non poſſe, infirmitatem ſuam Antiſtiti iudicandam permittet, ſcripturam ſacram audiens, & ſecum reputans: nondum.n. vſque ad ſanguinem reſtitiſtis, aduerſus peccatum repugnantes. Et rurſus, propter quod remiſſas manus, & ſoluta genua erigite.

5 Tertia abuſio ea eſt contra id, quod nequaquam facetias, ſcurrilemuè vrbanitatem conſectari Monachus debet. Vitandæ autem omnes omnino in ſermone facetiæ, & ſcurrilis dicacitas ſunt. Siquidē fieri ſolet plerunq;, vt qui ſeſe in rebus iſtiuſmodi occupant, ij rectā rationem deſerāt: quippe cùm ex eo illud fiat, vt animus ad ridicula diffundatur, & in tacita ſecū cogitatione grauitatis, ſeueritatisq; neruos omnes elidat. Secundo, quin incidit ſæpenumero, cùm iſtiuſmodi cōtagio ſenſim proſerpens, poſtremò ad uerborum turpitudinem, & abſurdam, atq; extremam obſcœnitatem delabatur. Ex quo ſanè colligitur, peruigilem, & attentam animi excubationem cum facetiarum diffuſione ſimul cohærere non poſſe. Tertio, ceterum ſi vſus etiam inciderit aliquando, vt remittende aliquantulum triſtitiæ cauſa, ſermone ad hilaritatem excitemur, danda omnino opera eſt, vt ſpirituali lepore referta ſit oratio noſtra, & euangelico ſale condita, vt rectæ, quæ interius ſit ſapientiæ gratum foras odorem aſpiret, dupliciterq; auditorē, & animi relaxatione, & intelligentis feſtiuitate delectet.

6 Quarta abuſio eſt contra id, quod in riſu etiam continentiam adhibere conueniat. Atque illud etiam, quod à pleriſque negligitur, nō mediocriter caueri ab ijs debet, qui colendæ pietati ſtudent, ne in riſum videlicet præter modum effuſi ſint, quandoquidem non abeſſe à ſe intemperantiam ſignificatis, qui profuſò nimis, petulantiq; riſu teneatur, ſeſeq; animi ſui motus nequaquam ſedatos, eiuſq; mollitiem, ac veluti laxitatem nequaquā ratione ſeuera habere compreſſam declarat.

clarat. Verùm enim modicè rictum deducere, eoq; modo animi sui diffusionem leniter significare, non est contra decorem, quatenus illud tantum indicetur, quod scriptum est: Cor gaudens exhilarat faciem. Illud autem in immanes cachinos prorumpere, & corpore cõtra animi voluntatem, sussultare, nequaquam est eius, qui animo composito sit, aut planè probo, & compote suiipsius. Porrò hoc ita esse, vir sapiẽtissimus Salomon confirmat his verbis. Eccles. 21. Fatuus in risu exaltat vocem suam, vir autem sapiens vix tacitè ridebit. Huiusmodi genus risus etiam Ecclesiastes damnans, tanquam rem animi cõstantiæ, & grauitati maximè contrariam, sic dicit; Risum reputaui errorem. Et item: sicut sonitus spinarũ ardentium sub olla, sic risus stulti. Atque hoc ipsum etiam ita esse, dominus ostendit, qui susceptis ceteris, quæ necessariò corpus sequuntur, affectionibus, iisq; omnibus, quæcunque virtutis testificationem habent, veluti lassitudine, & misericordia aduersus calamitosos, risu, quantum Euangeliorum historia cognosci potest, vsus nunquam sit; contraq; omnes, quotquot ab eo tenerentur, miseros appellauerit. Neque verò vocabuli nos ambiguitas fallat: quandoquidem familiare est scripturæ sæpenumero lætitiam, & festiuitatem illam, quæ ex rebus bonis in animo exoritur, risum appellare, vt Gen. 21. Risum fecit mihi Deus. & Luc. 6. Beati qui fletis, quoniam ridebitis. Siquidẽ omnibus his in locis vocabulum hoc pro hilaritate, quæ ex prorumpente animi gaudio nascitur, vsurpatum est.

7 Quinta abusio aduersus vociferatores notatur, prorsus. n. vocis modum audiẽtium necessitas ipsa definit. Quocirca ea si summissior sit, tanquam segnior, propè ad susurrum accedit, ac propterea damnanda est. Si verò etiam sit altior, quàm res desideret, cũ is qui audit, etiã summissius loquentem posset audire, tum clamor existit, qui damnatus est ab Apostolo ad Ephe. 4. Hoc excepto, nisi vbi lentitudo audiẽtis tanta sit, vt necessariò cogamur vti clamore, quo hunc ex somno veluti excitamus: Nam hoc Dominus etiam fecisse memoratur, vt est apud Ioan. 12. Iesus enim clamauit, & dixit, Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me.

8 Sexta abusio ea fertur; nequaquam permittendum esse, vt in conuentu virorum Religiosorum, duorum triumuè fratrum seorsum sodalitas conspiret. Siquidem Charitatem habere inter se mutuam fratres debent, non ita tamen vt duo, tresuè seorsum à ceteris sodalitatem inter se coeant Quandoquidem hoc non Charitas est, sed seditio, & diuisio: & eorum qui sic coeunt, improbitatis indicium. Primũ enim si communis decus disciplinæ charum haberent, absque dubio communem, æqualemq; erga omnes Charitatẽ tenerent. Si verò ipsi à reli-

à reliquis ſua ſponte abſciſsi, diſiunctiq; in cœtu cœtum efficiant, vitioſa huiuſmodi amicitiæ conciliatio eſt, & diuerſam quandam à cõmunibus inſtitutis rem eſſe oportet, quę hos inter ipſos cõciliet. Quare nihil eſt aliud hæc ſingularis amicitia, quàm cõtra veterem diſciplinæ ſtabilitatem, conſtantiamq; inuocatio. Quocirca danda ſtudioſè opera eſt, ne vllus omnino iſtis peculiaribus ſodalitatibus locus detur. Secundo, quòd ſi quis hanc diſciplinam labefactare contendat, hic primo ab aliquo ſano ſecreto admonendus eſt; deinde adhibendi de fratribus teſtes erunt. Quod ſine ipſis quidem auſcultauerit, tũ demum ad Antiſtitem ipſum morbum deferre oportebit. Si verò ne Antiſtitem quidem audire voluerit; perinde vt gentilis, & publicanus habendus eſt: & vt ouis peſtilentia contracta ab reliquo ouili ſegregandus, ne in reliquos quoque morbi contagionem transfundat. Tertio, ſi verò nullus ſit omnino, qui exempli peruerſitate deterior fiat, tunc tantummodo lenitas aduerſus ipſum locum habebit, ſpe videlicet ipſum ſe aliquando ad meliorem frugem recepturũ: lenitas autem ex ea parte, vt ne præcidatur, non autem vt ab admonitionibus, legitimiſq; mulctarum impoſitionibus deſiſtatur.

9 Septima abuſio eſt contra id, quod Monachos locum mutantes, & vagabundos vitemus. Atq; illi etiã deuitandi ſunt, qui inſtabiles idẽtidem locum demutant, & modo ad hos, modo ad illos fratres ſe cõferunt, & irrequieto acti impetu ſe in circunluſtrandis aſsiduè monaſterijs occupant, & per ſimulationem ſpiritualis Charitatis, carnis libidinibus obſequuntur: in quorum animis nihil firmitatis, nihil ſolidi, nihil quod diſciplinæ conueniat ordinis, nihil deniq; prudentiæ ineſt, aut grauitatis: contraq; ſumma curioſitas, morum peruerſitas, leuitas, inconſiderantia, dolus, hypocriſis, mendacis, & veteratoriæ orationis pleniſsima aſſentatio in iſtis redundat. Hi.n. & lingua rudes, & ventre intemperantes ſunt. Horum volucris animus continenter flabris veluti quibuſdã pulſatur; horum conſilia aſsimilia veſpertilionum volatibus ſunt, quippe qui in directum nunquã feruntur, ſed tortuoſo, & incerto maximè volatu huc, illucq; temerè pererrant, & circunuagantur. Hi cùm in ſpeciem ſtatim aliud facturi videantur, poſtea præter omnium opinionem ad illud quippiam longè diuerſum ſubita mentis leuitate feruntur. Hi multum ſerpunt, & nihil promouent.

10 Iumentis quidem illis aſsimiles ſunt, quæ ad molas deligata, eodẽ in ſpatio ſemper reperiuntur, & fracto laboribus corpore, ipſa tamen vltra exigui loci fines progreſſa non ſunt. Sic iſti quoque cùm aſsiduè in corporis libidinibus intricentur, in hiſq; depreſsi inhæreſcant, ad ſpiritus faſtigium nunquam euadunt, ſed inexhauſto curſu in orbem

perpe-

perpetuò incitati feruntur, nempe voluptatibus agitati, rotatiq́;, in eundem locum denuò referuntur.

11 Hi cùm ouis speciem, veluti escam quandam externe intuentium se oculis obijciant, gulosam, vafram, & astutam interne vulpem celãt, multosq́; ab recta viuendi via ad suum vitiorum genus conantur abducere. Illudq́; rectum existimãt, quodcunque quis ipsis, vel rectè, vel probabiliter consuaserit. Aliorumq́; peruersionem, excusationẽ suam esse arbitrantur. Proinde hi omni ratione cauen di sunt, idq́; ea re ne & pestis contagione ceteros inficiant, & ipsi cùm se odiosos, & ab aliorum communione summotos animaduertant, à prauitate resipiscant, & se ad meliorem frugem recipiant. Nam & Paulus de otiosis, curiosisq́; hominibus 2. Thes. 3. ad agens, inquit; hunc notate, & ne cõmisceamini cum illo, vt confundatur.

De Canonicorum vestium honestate. *Cap. xxx.*

1 
MVlta quidem, vtiliaq́; aduersus vestium inhonestarum vsum, quibus Clerici, ac Religiosi illicitè vtebantur, statuerat Clemens 5. sub grauibus pœnis in Clem. Quoniam qui. de vita, & honest. Cler. Sed quæ iam longo tẽporis discursu intellectu sint difficilia ob vestium continuam mutationem, quoniam certa vestium ratio difficilè haberi potest. Propterea Bened. 12. in Constit. Canonic. Regul. tit. de forma, & honestate habitus, & vestimentorum, prudenter instituit; vt quam formam honestam vestium, & calciamentorum Prælati ordinauerint, disposuerint, atq; præscripserint, eam vniuersi Canonici, quin & ipsi Prelati tenere, ac seruare cogerentur, vestesq́; prohibitæ ab eis auferentur pauperibus erogandæ, contumaciaq́; crescente, beneficiorum suspensiones, ad eaq́; obtinenda inhabilitates, aliæq́; grauiores pœne transgressoribus imponuntur, vt superius retulimus.

2 Quin etiam Conc. Trid. sess. 14. cap. 6. iuxta Episcoporum ordinationem honestum habitum clericalem dijudicandum reliquit, Idq́; in genere tãtùm explicuit, quòd & si habitus nõ facit Monachum, oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre, vt per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant: Vt etiam Clemens 5. loco citato eisdem verbis præmonuerat. Negligenda tamen non sunt, quæ peculiaria quædam Cõcilia, descripserunt. Nam Conc. Senonense sub Antonio Archiep. par. 2. de moribus cap. 23. & 24. sic ait: Insuper (inquit) professionẽ suã probent habitu. Vestitus ergo Clericorum non sit expectoratus, sed à collo desuper vndique clausus à manicis, lateribus, & retro. Cumq́;

elationis

elationis habeat calumniam,quidquid propter venuſtatem, non propter neceſsitatem accipitur:& ne bona Eccleſiæ,quæ pauperum ſunt, in faſtum,& corporis ornatum,qui à ſacrato Ordine alienus eſſe debet,conuertantur : inhibemus omnibus: ne veſtimentis exterioribus, & ſagis oblongis ſericeis in publicum,aut domeſticè vtantur, ſub pœnis arbitrio Diœceſanorum imponendis. Exceptis tamen Eccleſiaſticis ex ſanguine regio,aut ducali ortis,quos tamen hortamur,vt in ſuis veſtimentis decentiam eccleſiaſticam obſeruent. Veſtes ſint talares, non fronciatæ,aut partitæ,nec nimia amplitudine ſuperfluæ, nec plus æquo conſtrictę. Non pannoſi ſint Clerici,aut in veſtibus laceri;neque enim affectatæ ſordes,aut exquiſitæ delitiæ laudem pariunt. Non caligas partitas aſſumant,neq; circa genu diſſutaś.Non lunatis,ſeu cornutis,ac nimis feneſtratis calceis vtantur. Non anulos in digitis deferant,niſi quibus id ad decorē ſuarum dignitatum permittitur. Deniq; iuxta Conc. Lateran. pannis rubeis,aut viridibus non vtantur.

3 Concilium quoque Mediol. ſub Card. Borrhomæo part. 2. tit. de Clericorum veſtitu,ſic decernit.Nec in habitu Clericali,aut ſtudioſius exquiſita cultus elegantia, aut nimis abiecta negligentia, & affectatæ ſordes appareant. In omni veſtitu,color tantum niger adhibeatur,niſi fortaſſe alium colorem requirat dignitatis gradus.Omnem habitus & ornamenti nouitatem Clerici fugiant.Ne ſerico veſtimento,aut ornamēto domi,aut foris vtantur. Externa veſtis ſimplex,ac talaris erit, quæ neque à ceruicibus in tergum reflectatur:ſed apto ad collum nodo decentiſsime annexa ſit: turgidis caligis, & diſſectis abſtineant, calceos, & crepidas ad elegantiam non incidant. Torques, armillas, ac monilia reſpuant;anulum non induant, niſi quibus propter officij munus, aut honoris gradum ſit iure conceſſus. Quo loco, & vnico, nec magni prætij contenti ſint.

4 Præterea,quæ hactenus de veſtium ratione à nobis tradita ſunt,nō ab re fuerit,& Baſilium Magnum, tanquam æquum cenſorem in medium adducere,qui quod veſtimentorū,calceamentorumuè delectionem ſectari pietatis cultor nō debeat,rectè docuit in Conſtit. Monaſticis cap. 31.dicens.Iam de veſtimentis, calciamentiſuè nō ea exquirenda nobis ſunt,quæ ſunt elegantiora,ſed quæ viliora,ea deligenda. Vt in hac re etiam animi noſtri humilitatem ſignificemus, neque opinionem nimis elegantium,aut noſmetipſos amantium,& à fraterna charitate abhorrentium incurramus. Quando is ſatis ſe à charitate,humilitateq; diſiunctum declarat,qui primas deſiderat.

5 Idem author in regulis breuioribus interrog. 210. inquirit; Quis eſt ille,qui traditus eſt ab Apoſtolo habitus ornatus? Reſpondet, nē-

pè

pè vsus ad propositum cuiusque finem accommodatus cum decoro, ac dignitate, habita ratione temporis, loci, personæ, vtilitatisq; : neque enim vestimenta eadem ratio admittit, & tempore hyemis, & æstatis; neque eundem esse conuenientem putandum est, habitum eius, qui laboret, & eius qui quiescat : ministrantis, & eius, cui ministretur : militis, & priuati; viri, & fœminæ.

6 Explicemus etiam, qua animi affectione sumere oporteat vestimẽtum, calciamentumuè, qualecunque illud sit. Nam si arctius sit, aut laxius, quàm vt ætati eius conueniat, cui detur, aperiat is suam necessitatẽ, adhibita tamen modestia. Si verò propterea mouetur, quòd aut vile sit, aut non nouum : seipsum diligenter exquirat, num ex dignitate mandatorũ Dei opus aliquod effecerit. Ita.n. fiet, vt nõ aliud inquisiturus sit, si ꝙ datum fuerit, tãquam immeritissimo datũ sit, intelligat.

7 Sed rursus quæres, nunquid liceat vnicuique vetus vestimentũ suũ, calciamentumuè dare cui velit? Respondeo, dare, aut accipere etiam secundum mandatum non est cuiuslibet: sed eius, cui de communi sententia, adhibita circunspectione, delatum est munus dispẽsandi. Proinde hic erit, qui siue vetus, siue nouum habita ratione temporis cuiusque, & dabit ipse, & accipiet.

8 Vberiori etiã sermone idem differamus; Dices, qui vestitus conueniens sit homini Christiano? respondeo, prorsus & humilitatem, & in victu, cultuq; tenuitatem, & omnibus in rebus frugalitatem, ac parsimoniam necessarias esse demonstratũ est, si multitudinẽ velimus occupationum præcidere, quibus dum necessitatibus corporis famulatur, varijs modis distrahi animus consueuit.

9 Nimirum ad eosdem quoque fines dirigendum nobis est, quidquid ad vestitum etiam pertinet. Si.n. in eo studendum est nobis, vt omnium infimi simus, sine dubio, & quod in hoc genere indumentorũ infimum est, id summopere nobis est amplectendum. Vt.n. qui studiosi gloriæ sunt, ex amictu etiam vestimentorum, gloriam sibi soliti sunt aucupari; nempe qui ex illorum magnificentia, splendoreq́; spectabiles se, & in admiratione esse cupiãt: sic videlicet, qui ob vitæ humilitatem in infimum seipsum abiecerit, in his quoque, quod omnium infimum est, consectari debet. Quare exquirat seipsum quisque, vtrinè magis assimilem esse Christiano homini conueniat, ijs ne, qui habitãt in aulis regum, & mollibus vestiuntur; an nuncio, & præconi aduẽtus dñi, quo in natis mulierum nullus surrexit maior? De Ioãne loquor filio Zachariæ, cuius vestimentum ex setis camelorum erat. Quin & veteres sancti illi viri circumibant in melotis, & pellibus caprinis.

10 Vtilis etiam in hoc peculiaris amictus ratio est, ꝙ ea, qualis sit vnusquisque

quisque, ante indicat, & vitæ, quæ ex Deo est, professionem veluti testificatur: quæ res facit, vt ab ijs, qui nos viderint, actiones etiam isti professioni consentaneæ requirantur. Id autem fiet, si communis omnium nostrum inter nos in vestitu ornatus sit, & veluti insignis quædam, ac peculiaris ex ipso amictu concolori impressa sit nota.

11 Vt igitur peculiaris quidam in vestitu est ornatus militis, alius senatoris, itemq; aliorum alius; vnde, vt plurimum de dignitate illorum cuiusque capitur coniectura: sic decorum quoque esse, ac consentaneum videtur, hominem Christianum in vestitu etiam præcipuum aliquid à ceteris seruare oportere. Eadem mihi quoq; in calciamentis ratio est, vt videlicet, quòd quàm minimum præferat curiositatis, minimoq; sumptu parari possit, & ad necessarium modo vitæ vsum sit satis. Hic canon perpetuò tenore seruetur.

12 Iam zonæ vsum necessarium esse, & qui ætate nobis superiores fuerunt, sancti viri declarant, Ioannes quidem, qui zona pellicea solitus esset præcingere lumbos suos, Matth. 3. & Marc. 1. & ante ipsum etiam Helias 4. Reg. 1. quando de eius peculiari quodam insigni, scriptũ est illud. Vir pilosus, & zona pellicea circa renes eius. Quin Paulo etiam zona ostenditur fuisse, quando ei angelus Act. 12. dictum est. Virum enim, cuius zona hæc, sic alligabunt in Hierusalem. Et discipulis domini interdictum est, ne æs haberent in zonis.

13 Alioqui cùm necesse sit, vt qui per se ipse aliquod est opus tractaturus, succinctus sit, & ad omnes corporis motiones expeditus, ei necessaria sit zona, qua tunica restringatur, & corpori præssius adhęrescat. Quin etiã ea in sinus collecta, complicataq; naturalem calorem impedio magis fouebit, tolletq; quidquid naturales corporis motus posset impedire, quando etiam dominus Ioannis 13. quo tempore parabat se, vt discipulis ministraret, sumpto linteo præcinxit se.

14 De multitudine autem vestimẽtorum, nihil sanè nunc attinet dicere, si rerum omnium possessio abijcienda est. Etenim si qui dua s tunicas habet, is ei qui nullã habeat, alteram iubetur impartiri, hu ic plurium retentio interdicta est. Quòd si ita est, quibus habere tunicas duas vetitum est, his quid attinet, de illarum vsu legem sancire?

De exercitatione monastica. Cap. xxxi.

1 ORe quidem aureo, suauiq; sermone magnus ille pater Basilius in sermone de Ascesi, idest de cultu Religionis, compendiolum nobis scriptum reliquit, nunquam è manibus demittendum; quo omnia ferè ad Religionis methodum spectantia mirificè complectitur, sic exordiens; Monachum oportet, cùm primis nihil in

vita, quod iuris sui proprium sit posidere, corpus quietum, habitũ nõ sordentem, sed honestum, vocem moderatam, sermonem compositũ habere, in cibo potioneq; minime turbulentum esse, sedatumq; potius, & grauem, coram natu se maioribus silere, prudentiores se auscultare, erga æquales Charitatem tenere, minoribus consilium cũ Charitate dare: ab hominibus se nequam, & carni deditis, curiosis, & nimio plus cupidis rerum gerẽdarum abducere, multa intelligere, pauca loqui: in sermone non præsidentem, aut temerarium esse, neque in colloquijs nimium, non esse ad risum procliuem, verecundia sese commendare, oculos habere ad terram deiectos, animum ad cœlum erectum: non Superiorum imperio repugnare, sed alacri, ac libẽti animo obtemperare; manibus laborare, asiduè nouisimorum meminisse, spe gaudere, in tribulatione patientiam adhibere, cõtinenter orare, in omnibus gratias agere, aduersus homines humilitatem tenere, odisse arrogantiam, sobrium esse, peruigilem, & attentum, & cor à prauis cogitationibus castum custodire: in cœlo sibi per mandatorum obseruationem thesauros recõdere, quotidianas suas, & cogitationes, & actiones omnes dilgẽter examinare, neutiquam se vitæ huius negotijs, aut superuacaneis sermonibus immiscere, non curiosius in desidium vitã inquirere, sanctorumq; solum patrum viuendi statuta imitari, si quos rectè, aut cum virtute aliquid facientes viderit, illis gratulari, non itẽ inuidere; eisdem in aduersis socium meroris esse, & lachrimarum, & qui in eo statu sint, eorum vicem magnopere misereri, non etiam condemnare, à peccato resipiscentem probris non insectari, seipsum nunquam iustificare, peccatoremq; se in primis, & coram Deo, & coram hominibus appellare, ordinem deserentes admonere, pusillanimes cõsolari, ministrare infirmis, pedes sanctorũ lauare, in hospitalitate, amoreq; fraterno diligentem esse, cum consortibus, & domesticis fidei pacem tenere, hæreticum hominem auersari, ac deuitare, approbatos libros lectitare, apochriphos ne attingere quidẽ omnino. De Patre, & Filio, & Spiritu Sancto cum nemine disputare. Sed Trinitatem increatã, & coessentialem firmè, libereq; & credere, & confiteri, & se percunctantibns sic respõdere: oportere nos, sicut traditũ accepimus, baptizari: Credere autem eo modo, quo baptizati sumus; glorificare verò, quemadmodum credidimus, in negocijs, & sermonibus honestis versari: prorsus ab omni se iureiurando abstinere, pecuniam ad vsuram non dare, non frumentum, non vinúm, non oleum, vt maiore sibi mensura reddantur: à crapula, se, & ebrietate, & caducæ vitæ huius solicitudinibus tẽperare, nihil in consuetudine cùm alijs per dolũ agere, nihil omnino de aliquo secus loqui, nemini detrahere, neq; detrahen-

trahentem alium libenter audire, non facilem esse ad ea credēda, quæ de altero secus dicantur: iracundiam sibi dominari non sinere: nō prætua cupiditate vlla vinctū detineri, non temerè proximo succensere, conceptæ aduersus aliquem iræ tenacior ne sis, non malum pro malo reddere: maledictis incessi potius, quàm incessere, pulsari, quàm pulsare, iniuriam accipere, quàm facere, fraudari, quàm fraudare.

2 Potissimū autem debet se Monachus à congressione mulierū abstinere. Itemq; à vini vsu, quia vinū, & mulieres apostatare faciunt sapientes: & in præceptis domini pro viribus exequendis, nequaquam animum despondere, tedio anxiè affici, sed laborum suorum præmiū, laudemq; à domino expectare, & sempiternæ vitæ optare fruitionem, & Dauid verba illa assiduè ante oculos habere, ac dicere: prouidebam dominum in conspectu meo semper, quoniā à dextris est mihi, ne cōmouear. Et si filium quidē addecet toto corde, totaq; fortitudine, mēteq; tota, ac viribus Deū diligere: vt seruū verò reuereri, ac metuere, obedireq;, & cū timore, ac tremore animæ suæ salutē operari, spiritu feruere, indutū esse omnimodā armaturam Spiritus Sancti, & currere non in incertum, & pugnare, non tanquam aerem verberet, & in corporis infirmitate, & animi mendicitate, aduersariū superare: omnia sibi assignata, & ex ordine præscripta munera exequi, & se inutilē appellare, gratias agere sancto, & glorioso, ac metuendo Deo: nihil per contentionem, aut inanis gloriæ studium facere, sed Dei causa tantūmodo, vt placeat Deo. Quoniam dissipauit Deus ossa eorum, qui placere hominibus student, prorsus nunquàm gloriari, neque suimetipsius laudes prædicare, neque prædicandi alteri aures libenter prabere, in occultoq; non aucupandæ laudis causa humanæ, omnia facientem seruire, ac solam quæ à Deo est, laudem quærere: deq; horrifico, gloriosoq; eius aduentu cogitare, de migratione ex hac vita, de repositis ijs, qui rectè vixerint bonis, similiterq; de parato igne diabolo, & Angelis eius.

3 Et præter hæc omnia, Apostoli verba illa in memoria habere, non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: & illud vnà cum Dauid dicere: custodientibus mādata eius retributio multa. Merces nimirum illa copiosa est, & coronæ iustitiæ æterna tabernacula, vita finem nunquàm habitura, gaudium inerrabile, perpetua mansio apud Patrem, & Filium, & Spiritū Sanctum, qui est verus in cœlo Deus, faciei ad faciem manifestatio, choreæ cum angelis, cum Patribus, cum Patriarchis, cum Prophetis, cū Apostolis, cum Martyribus, cū Cōfessoribus, cum omnibus deniq;, qui ab æterno placuerunt Deo, in quorum numero studiose (quæso)

operam demus, vt nos quoque censeri possimus, & inueniri, gratia domini nostri Iesu Christi.
4 Animaduertenda quoq; sunt, quæ in hoc argumento traduntur à Conc. Coloniensi sub Hermanno 5. Archiepis.par.10.cap.15.dicente. Et vt reuertamur ad Monachorum vitam, haud ignorare debent; Concilio Calcedonensi cautum Monachos oportere quieti operā dare, ieiunia, & orationes obseruare in his locis, in quib. se semel Deo deuouerūt, remanere: nullas ecclesiasticas, seu seculares actiones tractare, nunquàm sua monasteria relinquere, nisi forsan ob ingentes necessitates id facere à suo Episcopo iubeantur, ne nomen domini blasphemetur. Quare libertas illa peregrinandi, seu exeundi, prætextu inuisendi parētes, moderanda, seu penitus tollenda erit. Itē cap. 16. Monachus, & Monacha amare debēt scripturam sciētiam, & carnis vitia non amare: psalterij librum de manu, aut oculis nunquàm deponere, semper orare, sensu vigilare, vanis cogitationibus aditum præcludere, corpore pariter, & animo in Deum tendere, iram patientia vincere. Breuiter, nullis animi perturbationibus (quæ si insederint, ad delictum maximum inducunt) locum dare, semper aliquid operis facere, vt eos diabolus semper inueniat occupatos. Et vt nulla sint, quę manibus operari liceat, libros tamen sacros describere ipsis maximè conueniret, vt & manus operetur cibos, & lectione anima saturetur. Porrò Aegyptiorū monasteria hunc morem seruasse leguntur, vt nullum Monachū absque opere, & labore susciperent: Non tàm propter victus necessaria, quàm propter animæ salutem, ne perniciosis cogitationibus vagarentur, neuè instar fornicantis Israel Hiere.3.cap. omni transeunti diuaricarēt pedes suos. Et idem Concilium ibidem, cap. 6. inquit. Habendus est in virorum monasterijs vir pius, ac doctus, qui doceat Monachos ab adolescentia meditari in lege domini die, ac nocte, ad quod munus in monasterijs Monialium sanctimonialis, ceteris vita, & doctrina præstantior deligatur. Debet autem qui monasterio præest, summa discretione vti, maximè erga eos, quos compererit diuinis litteris intentos, aut contemplationi deditos, vt scilicet tales à sordidioribus officijs sinat esse immunes. Et cap. 6. sequenti addit. In monasterijs, quoque verbi prædicator erit, pius quidem, ac eruditus. Nā nulla armatura fortior ad resistendum diabolicis insidijs, ac iaculis, quàm gladius ille spiritus, quòd est verbum Dei, quo Matth. 4. Christus in deserto solitarius, ieiunijs, & orationibus vacans, & nihilo secius tentationibus diabolicis expositus, retulit omnem diaboli fraudem, ac nequitiam, nihil quoque potentius illo ad deijciendos, ac vicissim consolandos animos nostros: nihil efficacius ad concitandum

dum mentem in amorem Dei, contemptum mundi, ac omnium, quæ in mundo pulchra, ac ſpecioſa apparent.

5 i. De colloquijs opportunis, honeſtiſq; hæc tradit idẽ Baſilius in Cõſtit. monaſticis cap. 12. quòd maturitas temporis ad loquendum, & verborum, habita vtilitatis ratione, prolatio ſeruentur. Verborum autem ea vtilitas fuerit, ſi aut de virtute in loco diſſeratur, aut ſi rei alicuius, quæ facienda inſtet, vrgeatq; vſum, ſermo accommodetur: aut etiã ad audientiũ ædificationem referatur. Qui autem in alio quouis genere ſermones verſentur, ij reijci tanquã ſuperuacanei, ac inutiles debẽt.

6 Sed profectò non infimas in exercitatione monaſtica partes illa cõſideratio tenet, ſi viliora etiam officia, ſiue opera, magna cum animi alacritate Religioſus conſectetur. Nam etiam intelligendum illud eſt, debere pietatis cultorem viliora etiam munera magno cũ ſtudio, magnaq; cum animi alacritate ſuſcipere; ſcientẽ nihil minutũ eſſe, quod Dei cauſa fiat, ſed grãde, & ſpirituale, & eiuſmodi, quod zelum nobis, & præmia cæleſtia conciliat. Quamobrem licet communibus vtilitatibus inſeruientia ſarcinaria ſequi iumenta oporteat, recuſare tamen non debet. Siquidem venire in mentem debet, quàm alacriter Apoſtoli Domino paruerunt, quando ipſis mandauit, vt ad ſe pullum adducerent: cogitareq;, & illos quoque, quorum cauſa iumentorum curam ſuſcipiat, fratres domini eſſe, & tributam ipſis beneuolentiam ſtudiumq; in ipſum Saluatorem redundare, qui dixit Matth. 25. Quatenus feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Quin ſumma potius animi attentione munire ſeipſum debet, vt cum ſibi, tum ceteris, in quoſcunque eum caſus detulerit, pariat vtilitatẽ. Porro ſi de muneribus abiectis aliquid exercendum ſit, ſcire cõuenit, Saluatorem quoque ipſum diſcipulis miniſtraſſe, & abiectiora opera facere non recuſaſſe; magnumq; homini eſſe, ſi Dei imitator exiſtat. Cùm per hæc, quæ humilia ſunt, ad altitudinem illam, quòd illum eſt imitatus, aſcendat. Quanquam quis iam humile auſit quippiam appellare, quod Deus ipſe attingere non recuſauit?

7 Præterea, qui Regularẽ militiam aggreſſus, propriæ ſalutis, gratięq; ſibi cœlitus datæ ſtudioſus eſt cuſtos, ſummopere caueat, ne repẽte ad exteriora negotia ſe transferat, neuè terrenis negotijs totus extra ſe rapiatur. Forſitan. n. vſu ſibi eueniet, vt amiſſa ob hanc cauſam morum honeſtate, mẽtiſq; grauitate deperdita, ad ſe, vt expedit, redire non admodum curet. Comperies. n. non paucos, qui quadam ſpiritus leuitate concitati, inordinatoq; feruore ſub Charitatis prætextu ſeducti, adeò imprudenter exterioribus actionibus implicantur, vt ſui curam depoſuiſſe omnino videantur, imò ſuiipſorũ prorſus obli-

tos esse dicas. Diem nanque totum his rebus externis tractandis cōterunt, mentem dilaniant, corpus atterunt, spiritusq; studia negligentes, sola quæ temporaria sunt, atq; caduca, cogitatione versant. Istorũ autem infelix exitus acta probat. In Exodo quidem cap. 18. Moses cùm ex Aegypto egressus esset, causasq; populi litigiosas diiudicaret, à Ietro acriter increpatus est, quòd stulto labore consumaretur; Cùm minora negotia maioribus anteferret, externisq; rebus plus iusto se dederet, diuinarum rerum cura vtcunq; aut reiecta, aut certè remissa. Quis autem Mose sanctior? Quisue feruentior? qui à Deo populi Israelitici dux est electus, & constitutus? Qui omnium illius ætatis hominum mitissimus erat, qui lites populi ardenti Charitatis zelo iudicabat? Vt ausus sit absque vllo animi detrimento, illi rei totus intendere, in cuius exercitatione sanctus Propheta citra increpationē incolumis perseuerare non potuit. Quin viri gentilis consilio salubri acquiescēs, bonam negotiorum multitudinis partem in selectorum hominum humeros coniecit, vt ijs, quæ Dei erant, negotijs maiori animi sui quiete, congruo tempore vacaret. Huius sanè exempli consideratione erudimur, vt vtilibus semper pareamus consilij, sanctisq; admonitis obtēperemus; illud probè intelligentes, vt operibus exterioribus spiritualia pietatis exercitia intermisceamus, terrenisq; curis spiritus gaudia quandoque interponamus. Hinc enim fiet, vt & ipsa exteriora negotia, quasi spiritus resumptis viribus, corroborataq; mente, maiori cũ vtilitate, & iucunditate geramus.

18 Sæpè quidem cernimus iumenta ipsa post longos labores, post vrgentes diei æstus duci ad præsepia, cibarijs sibi congruentibus refici, vt pristinis viribus restitutis, in exercendis laboribus persistant. Naues quoque post diutinam nauigationem in portum ducuntur, super litus trahuntur, resarciũtur, renouātur, vt denuò æquora petāt. Hominum etiam corpora post exactam diei negotiationem cibis enutriuntur, recreanturq;, cubili nocte quiescunt, somnum capiunt, membra componunt, vt vires recipiāt in assuetumq; laborem redeāt. Solus verò rationalis spiritus temporarijs curis attritus, innumeris cogitationibus dilaceratus, carnis onere cōpressus suo incorporeo pabulo destitutus, manebit ieiunus? egentnè exteriora ista ocio, & restauratione, non autem multò magis humanus spiritus? Nunquid iumentis, & corporibus morituris tanta sedulitate, quæ sibi necessaria sunt, à nobis subministrantur; animæ vero salus, atque profectus cum tanta incommoditate negligetur? Nonne pluris est anima, quàm corpus Matth. 6. Nam etsi in corporum vtilitatem, arbores, pisces, volueres, vniuersaq; animantia, quæ terra, aere, mariq; continentur, cōdita sunt;

Ipsa tamen corpora, cœlumq; ipsum, ac quicquid in cœlo fulget, nec in terris mouetur, in animarum commodum potissimum creata sunt, atque producta, vt in ipsis tanquam in speculo maiestatem, & gloriam agnosceremus conditoris.

9 Quicunque igitur suæ mentis compos est, ac futura bona præsentiū periturarum rerum precio emere, compararéq; desiderat, prudenter præscriptum teneat modum in ijs rebus gerendis, quæ foris sunt. Ne his impedimentis obstrictus, & religatus, internis, quę maioris sunt prætij, bonis priuetur. Quid autem potest homini, vt Christus Matth. 16. ait; Si lucretur vniuersum mundum, animæ verò suæ detrimentū patiatur? Parum quippe proderit in mortis articulo, iudicijq; die, monasterij redditus, atq; bona auxisse, animarū verò neglexisse profectus. De operibus pietatis, de munditia cordis, de virtutum perfectione, non de quæstuosis manuum operibus præcipua fiet discussio. Non terrenas opes, sed hominum animas requirit omnipotens.

10 Quamuis autem Dei famuli ad hanc vitam trāsigendam corporeis rebus indigeant; (Nam spiritualia sine temporalibus diu cōsistere nō possunt, vt vulgo iactatur.) Propterea tamen diuinarum laudum celebratio prætermittenda non est, nec regularis obseruantia frangenda, nec pedibus conculcanda. Sic corporalibus rebus vacandum est, vt spiritus omnino non contemnatur. Vt corporalia, sic spiritualia lucra quærenda sunt. Nam iuxta domini sententiam Matth. 23. conscriptā. Hæc oportet facere, & illa non omittere. Vtrisque exercitijs propria tempora coaptanda sunt. Neque enim ita spiritualia exercitia extollenda sunt, vt corporalia damnentur, aut exteriora negotia sic laudanda, vt spiritualibus detrahatur. In eadem profectò domo cum Iesu duas interfuisse sorores, legimus; Marthā videlicet, & Mariā. Vtraque fuit Christo grata, commendataq;, vtraque dominū in eodem suscepit hospitio. Hanc ipsam rem nos Christus opere docuit. Die nanque prædicationi incūbebat, pernoctabat autē in oratione Dei. Ad eundē etiā modum Religionis cultores temporis partem Deo, partem etiam exterioribus actionibus conferant, atque collocent.

11 In ipsa autem rerum externarū exercitatione prudenti circunspectione opus est, vigilantiq; custodia. Solet.n. interdum illic animus effrenari, & lingua, dum quomodo, aut quid agatur minimè expenditur; facilè tunc ea proferuntur verba, quæ nullo sapiētiæ sale condita, audientium corda amaritudinis iaculo feriant, totamq; dissipent Charitatis dulcedinem. Nunquam non lingua ipsa tanquam indomitum animal gubernaculo indiget, semper quidē sub rationis imperio coercenda est, & retinenda, potissimum verò in exterioribus actionibus; in

quibus (vt plurimum) silentij claustra rumpere conatur. Idcirco sanctis cogitationib. occupanda mēs est, cùm corporale exercetur opus, vt simul cordis, & corporis gratum altißimo offeratur holocaustum. Quòd si hoc fieri nequit, sermo saltem ædificationis habeatur, vel vocalis oratio non prætermittatur. Licitum tamen est interdum, idq; rarò, cùm communia fiunt exercitia, nonnulla quædam humana, iocosaq; verba proferre, ad propriam, fratrisq; subleuandam fragilitatem, deprimendamq; tristitiam. Paucorum quidem est, rigorem vbique seruare silentij. Vnde ne malarum cogitationum turba mentem inuadat, verba honesta audire licet, non disceptationis, aut superbiæ, aut murmurationis, sed Charitatis, & pacis, quæ auditorem recocillare, ædificareq; poßint.

12 Cùm autem quidpiam operis à Superiore iniungitur, magna cordis alacritate suscipiēdum est, ac diligenti solicitudine perficiendum. Nihil huic iniuncto operi anteferre licet, non orationem, non lectionē, non corporis quietem, nulla prorsus ratione frangatur, nullisq; persuasionibus omittatur, nisi fortè, quod absit, Dei præceptis aduersaretur. Quod alio loco discußimus. In cunctis autem actionibus, præsertim verò in ijs, quæ circa corporalia, vel spiritualia proximorū cōmoda sunt, omnis adhibenda diligentia, & maxima promptitudo. Ipse nanque dominus Matth. 25. dixit; Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Maximum.n. gaudium, copiosam mercedem, perquamdulceq; laborum præmium hinc nobis comparabimus, comportabimusq; In ipsis enim egestate compreßis proximis ipse pascitur Christus, potatur, induitur, sepelitur, atque similem in reliquis ferendum iudicium.

13 Sed alia nobis restat dilucidius explicanda, iugis aduersus dæmones exercitatio; perpetuò.n. in agone contendimus, gnauiterq; agimus ad consequendam victoriam, incorruptibilemq; coronam. Fortis ergo esto Christi athleta. Quoniam te exercitatum, strenuum, pugnandiq; dexteritate militem, ne à dæmone deuoreris, necesse est. Vt autem id faciliori negotio discas, aduerte in sacro eloquio per ceruos rectè intelligi, & figurari homines spirituales, quemadmodū equo, & mulo carnales homines significari solent. Vt ergo equos, mulos, & asinos, qui in humana sunt seruitute, & ignobilioris sunt conditionis, venatores non persequuntur, sed ceruos maximè, qui extra humanam sunt seruitutem, tanquam libertate à natura donati, nimirum in vastitate, & virore syluarum geniti; quorum etiam caro ad edendū est delicatior alijs domesticis, & seruilibus mancipijs, ita simili quoque modo sunt in hominum numero nonnulli, tanquàm equi, & muli, quos

diabolus velut quieta possidet seruitute, homines terreni animales, intricati,& disperati in concupiscentijs suis: atque hos quoniam pro sua voluntate secure possidet impius venator, non opus habet eos venatione persequi. Ceterum qui nobiliori animo, ac meliori corde, in libertate sunt progeniti filiorum Dei, qui sui generis, & originis nobilitatem attendentes, & libertatem (in qua à Deo per spiritualem regenerationem sunt constituti, vt filij Dei esse mereantur) semper habentes ante oculos, ab impia, & vtilissima diaboli seruitute quàm maximè abhorrent, cupientes, in ea ad quam generati sunt libertate persistere, hi nimirum ceruis sese assimilare student, quales profectò sunt non pauci Religiosorum cultores. Nam, vt cerui venatorum cornu expauescunt, ita & hi semper sunt bene pauidi, & ad omnem sonitũ mali salubriter sibi prospiciunt, quantocius q; ad mõtes conscendunt cursu velocissimo, & admirandis saltibus, cuncta obuiantia mira agilitate transiliunt. Quo sanè cursu rapidissimo, & mirabilibus saltibus, fit plerunque, vt venatorum, atque insequentium canum ora effugiãt, nisi longa fatigatione deficiant. Huiusmodi autem ceruos, impij venatores nocte, ac die persequi non desinunt, vt interficiant, ac deuorent, & cùm fortassis aliquem venatione ceperint, quasi festum agũt diem; & multò gratior illis est esus carnium istorum, quàm priorum illorum, quibus in pace fruuntur pro suo libitu. Nam cùm vnum aliquem ex Religiosis spiritualibus hominibus, post multum laborẽ dentibus apprehendere, ac deuorare contigerit impios dæmones, tanquã magnas nacti delitias gaudent, & oblectantur moltò amplius, quàm super perditionem hominum secularium, & carnalium, qui illis sunt velut cibus quotidianus, ac proinde vilior. Illorum verò eius, & perditio, tantò est impijssimis his venatoribus gratior cibus, quãtò minus expectatus, & quantò maioribus partus laboribus. Quemadmodum enim Seruatore nostro omnium ceruorum progenitore attestãte Luc. 15. maius est gaudium Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia: ita ex aduerso credendum est, maius esse gaudium Angelis diaboli super vno iusto, & perfectò in peccatum cadente, idest super vno ceruo venatione capto, quàm super nonaginta nouem peccatoribus, qui ferè nunquàm fuerunt in iustitia; idest, quàm super nonaginta nouem porcis, equis, aut mulis, qui semper fuerunt in pœnitentia detenti.

14 Ardentibus igitur orationibus, atq; suspirijs Deum exorato, vt te ab istorum venantium laqueis, in exercitatione monastica persistentẽ eripere velit. Sunt.n. obfirmatissimi, & vigilantissimi hostes nostri ma

ligni dæmones. Quòd si eos nostrarum animarum venatores astutissimos esse, non facilè credas, audi obsecro, quàm optimè illis venatorũ conditiones conueniant. Nã sicut venatores summa diligẽtia, & assiduitate ferã sectantur, interdũ per plures dies neq; cibũ, neq; somnũ vllum commodè capientes, frigora, & caumata patienter tolerantes, insuper currendo, cornu sonando, & canes insequendo, mirum in modum sese fatigantes, nullis parcentes laboribus, non à cursu, & persecutione cessantes, donec vlla est feræ adipiscendæ spes reliqua; ita per omnia nostri isti aduersarij, summa diligentia, & vigilãtia nostrarum animarum quærunt perditionem, nihil æque optantes, ac perimere nostras animas. Cuius etiam gratia vt 1. Pet. 5. legitur, tanquã leones rugientes, perpetuò nos circueuntes, quęrunt quem deuorẽt; qui eo quod carnem, & sanguinem non habent, nulla cibi necessitate, nulla somni indigentia, à tentatione, & persecutione auelluntur; sed in sua malitia æque semper vigiles, & alacres persistunt. Insuper venatores videmus non tã ipsa carne delectari ferarũ, quas persequũtur, neq; tàm pretiũ requirere, quàm ipsam animantium interfectionem (neque.n. solent venatores admodum auari inueniri, neq; multũ in esu ferinarum carnium consueuerunt oblectari) sed præcipuũ gaudium, quod ex venatione accipiunt, tùm habent, cùm hasta sua venatoria bestiam cõfoderint. Ibi videlicet serio triumphant; ibi voluptas est præcipua, quàm requirunt. Et cùm feram contigerit sua velocitate illorum manus effugere, vehemẽtissimè sibi indignãtur, non quod pellis, aut carnis iacturam fecerint, non causa cibi, aut lucri perditi. Sed hoc tantum, quod bestiam nõ peremerint, quæ illis nihil nocuit. Atque ita profectò nostri isti hostes peruersissimi, non aliud quærunt, quàm nostram perditionem. Neque.n. suum bonum quærunt, dum nos persequuntur, sed tantùm nostrum malum; neque vllum ipsi lucrum ex nostra interfectione norunt, sed nostra ipsa mors est illis voluptati, & mirum in modum ad hoc anhelant, vt nos valeant morte perimere. Neque id sanè mirum. Cùm.n. contrarij sint hi impijssimi diaboli, optimo, & clementissimo dño Deo nostro, consequitur, vt quomodo ipse nostri est amantissimus, & nihil æque optat, ac nostram salutem, & vitam, omnino nolens mortem peccatoris, neq; delectationem accipiens in perditione viuorum; ita illi nobis inimicissimi nihil tam concupiscunt, quàm perditionem, & mortem animarũ nostrarũ; neq; maior illis potest contingere delectatio, quàm in morte hominum, & perditione viuorum. Ad Deum igitur in tua exercitatione religiosa conuersus, humili corde dicito illi. Tu quidem, optimè Deus, defensor meus es, cuius protectioni in cunctis mihi obue-

nientibus malis volo inniti; tu quoq; meum es securum refugium, & quasi arx valida, quasi locus munitus, ad quē semper in omnibus periculis volo confugere, quasi ad asylum,& salutis locum. Tu ergo qui me tibi fidentem hactenus liberasti,libera quoq; obsecro in posterum de laqueis, & insidijs omnium inimicorum meorum, qui ad modum venatorum pauperculam animam meam summo studio, & sedulitate maxima persequuntur, vt eam interimant, laqueos.n.mihi extendūt, foueas effodiunt, aliasq; insidias struere non verentur; tu ergo facito vt verè concinam, laqueus contritus est, & nos liberati sumus.

De refellendis Canonici ordinis deformatoribus. Cap. xxxij.



1 Vemadmodum superioribus seculis non defuerunt;qui hunc Canonicum Ordinem euerterint, ita & his infœlicioribus temporibus quidam pugnacissimi deformatores suscitantur, qui monasterij, vel etiā Ordinis reformationem, instaurationemq; vehementer oderunt; quique vt suam iniquam opinionē valido marte tueantur, acuta quædam argumentorum iacula comminiscuntur: quocirca non ab re fuerit eorum argumenta retundere.

Verùm enimuerò intueberis hoc loco conflictum veritatis, & falsitatis. Conflictus hic semper fuit, est, & erit. In paradiso vnum verbū dixerat Deus,& statim affuit serpens impugnans. Moses in Aegyptum missus, inuenit magos resistentes, Prophetæ semper habuerunt pseudoprophetas oppositos, Christus in mundum veniens, reperit aduersarios. Idem contigit Apostolis. Nam proconsul Sergius Paulus vir prudens Act. 13. accersitis Barnaba, & Saulo, desiderabat audire verbum Dei. Resistebat autem illis Elymas Magus, quærens auertere proconsulem à fide. Non igitur turbemur, etiam si nunc dissentientes à nostro instituto, & omnia controuertentes reperiamus; nec ob id negligenda sunt pia consilia, quin potius hoc sedulò agendum. Primo, vt Deum inuocemus, cum Regio Propheta dicente; Vias tuas domine demonstra mihi: & semitas tuas edoce me. Deinde, vt doctrinas diligenter conferamus,& quas viderimus fortius, à mundo ad Deum, à carne ad spiritum, à malo ad bonum, ab ignauia ad verum Dei cultum ducere, eas securè manibus, pedibusq; amplectamur, nihil curantes aliorū oppugnationes. Semper diabolus hoc agit, vt opera Dei annihilentur, ne homines salui fiant, & eos in discrimen,& dubitationem adducat. Obseruandum quidem, quasnam conditiones habeant peruersores. Primo resistunt Deo, quod summum peccatum est. Deinde, alios auertunt à Religione colenda, quæ potissimum plā

tanda erat. Sic & in alijs summa, & execranda piacula sunt, blasphemia, & scandalum proximi. Maius.n.damnum inferunt, cùm à Deo quemquam auertunt, quàm cùm externè lædunt in corpore, fama, bonis, aut coniunctis.

3 Primum igitur Ordinis reformationi obijciunt humanarum viriũ imbecillitatem, qua iam nostris seculis humanum genus laborat. Potentibus.n.primorum hominum ante diluuium existentiũ viribus destitutum esse experimur. Quare rigidum illud regulæ, statutorumq; onus nemo est, qui cum animi alacritate ferre posit. Igitur antiquo nostrorum patrum rigore prætermisso; relaxatione, dispensationeq; mitius agendum est.

4 Sed his sic respondendum erit. Primum, Ordinis cuiuslibet approbati viuendi modus, & infirmo,& sano, nostræ etiam corporis constitutioni, vt plurimum accommodatus est. Vt eleganti stilo Helynandus de reparatione lapsi ad Galterum apostatã attestatur, Quid (inquit) duritiæ intollerabilis ordinem accusas? Non Ordinis, sed accusantis profectò est vitium: neque .n. Ordo ipse durus est, aut contra naturam inaccessibilis; sed tu fluidus es. Præterea quid magis naturæ nostræ consonantius, quàm Ordine, & Regula vitam agere? At nulla vita, quàm nostra ordinatior existit, in qua cibus, & quies, & somnus ad sufficientiam naturalem indulgentur. Ibi.n.omnia in numero, pondere, & mẽsura disponuntur. Ieiunia verò, labores,& vigiliæ nemini vltra vires imponuntur; sed omnia iuxta mensuram fiunt. Neq; illud tacẽdum est, nihil esse ad sanitatem conseruandam efficacius medicamentum, quàm cibi, potusq; identitatem conseruatam, Varia.n.fercula, quoniam variarum sunt qualitatum, & naturarum, varios quoq; morbos ingenerãt, sibi inuicem repugnantibus humoribus congeneratis. Huic consonat Macrobius 2.Saturnal. Vbi disputat, an cibus simplex digestibilior sit, quàm multiplex,& compositus? Respondetq; & experimento, & ratione constare, simplicem cibum facilioris esse concoctionis, quàm compositum.

5 Secundo respondetur; aut Religiosus ægritudine laborat, aut sanus est; si infirmus existat, facilè quidem castitatẽ,& voluntariã paupertatem obseruare poterit, si omnia habentur communia. Nã quod ad abstinentiam, ieiunium, & cæremonias attinet, infirmi necessitati dispensationis remedio Prælatus subuenire potest. Si verò Religiosus prospera valetudine gaudeat, nulla se iusta excusatione tueri valet. Primum quidem, quòd natura humana non adeò debilitata est, quin multa posit, etiam in abstinentijs, quas tepidi homines causantur. Quod quidem verum esse comperies, si longam incarceratorum,

ægrotorumq; hominum, obsessorumq; militum inediam considera-ueris. Si igitur pro acquirendis diuitijs, aut honoribus, corporis sanitate tuenda, aut comparãda, aut fœdis delectationibus, in mulier-cularum obsequia exhibitis, tã ingentes labores filij seculi æquo animo sustinent, cur pro gloria cœlesti obtinenda, pœnisq; æternis euadendis corpora nostra religiosis laborib. nõ sumus exercitaturi? Delicatulos quidem homines, non constantes Religiosos nos esse libenter agnoscamus. Cernimus quidem plurimos nunc in proijciendo lapidem, nunc in cursibus, & luctis, hastiludijsq; præ exercitamenta ad vires tentandas factitare; paucissimos verò videas, qui in virtutum exercitio, & Religionis cultura, quas corporis vires habeant, experiri velint. Nam validæ latent vires in humano corpore, quas nisi expertus, cognosces nunquam. Vera igitur est D. Bernardi sententia. Ignosce (inquit) domine, ignosce: dissimulamus, tergiuersamur, & in his, quæ ad te pertinent, vix est, qui velit experiri, quid possit.

6 Dei assistentia pio, & religioso viro non mediocres corporis vires est largitura. Audi Paulum ad Philip. 4. omnia possum in eo, qui me confortat. Egregia quidem est D.Tho. doctrina. 2.2. q.vlt.art.vlt. Si cõsideretur (inquit) Religionis ingressus per comparationem ad vires illius, qui est Religionem ingressurus, nihil cunctandum. Qui.n. Religionem ingrediuntur, non sua virtute, sed Dei auxilio se subsistere posse confidant, iuxta illud Es. 40. Qui sperant in domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut Aquilæ; current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient. Humanæ quoque complexionis fortitudo eandem rem confirmat. Fatemur quidẽ nunc ad diuturnam illam, longamq; priscorum hominum vitam complexionem nostram non extendi, vt ante diluuium contingebat: diffitemur tamen ad ferendos magnos labores, si velimus, viribus omnino extenuatam esse, id quod D.Tho.3.sent.dist.32.art.3.& 4.docuit, dicens: Alias pœnalitates, vt passibilitatem, mortalitatemq;, & similia non esse, nunc maiores, quàm olim fuerunt à tempore diluuij. Nam & Dauid de sui temporis hominibus dixit, dies annorum nostrorũ in ipsis septuaginta anni Psal. 89. Illud tamen verum est, ante diluuium homines diutius vixisse, virtute id diuina præstante, ad generis humani multiplicationem. Huic consentit Vlricus Argentinus in summa lib. 6.tract. 1.c.vlt. Nec est (inquit) verum, quod quidam asserunt, naturam humanam secundum temporum successionem magis magisque deficere. Circa mundi quidem originem, Dei ope, homines diuturniori vita conseruati fuerunt, ad genus humanum propagandum, ad scientias, & artes longo rerum vsu, & experimento inueniendas; ea

tamen causa cessante, à multis retroactis seculis inuenitur humanæ vitæ, quasi præfinitus terminus iuxta Dauidis citatum versiculũ. Ergo humanæ vires non omnino ad difficilia, pulchraq; opera languent, vt aduersarij segnes concesserunt.

7 Secundum aduersariorũ argumentum à consuetudine sumitur, aiũt enim se talem consuetudinem reperisse domi custoditam. Quare illã non esse remouendam, sed retinendam asserunt; illud addentes, se non teneri, nisi ad modum viuendi, quem suæ professionis tempore domi inuenerunt.

8 Vt dilucidius autem eis respondeamus, annotandum est ex S. Tho. 1.2.q. 97. art. 7. & ex Dom. Soto lib. 1. de Iust. & iure q. 7. art. 2. & ex Episcopo Couarruuia lib. 3. Variarum Resolutionum, cap. 13. nu. 4. ex cap. cùm tantò, de consuetudine; Nunquam consuetudinem iuri humano præiudiciũ generare, nisi fuerit rationabilis, & legitimè præscripta, & à consensu Principis dimanauerit. Nec quæcũque inueterata consuetudo legem abrogat. Quandiu.n. vsus contra legem non aliundè, quàm ex negligentia Principis oritur, aut ex eo quod potens non est ad sumendam de malefactoribus vindictam, nunquàm contra legem præscribit: sed tunc penitus quãdo, & potens est, abusum cohibere, & nõ ex vecordia, sed ex oculata dissimulatione illum permittit. Quando autem dicimus dissimulationem Prælati in causa esse, vt consuetudo lex fiat, intelligitur de illo Prælato, qui est legislator: nam, & si Prælatus conuentus, aut prouinciæ dissimulet legum transgressiones, eiusmodi consuetudo nunquàm vires legis consequitur: quia non est signum voluntatis supremi Prælati, qui est legislator. Cùm igitur deformati monasterij consuetudo, supremi Prælati, Regulæ, triũ votorum, atque constitutionum conditoris permissu, dissimulatione, aut consensu introducta non fuerit, veteres, sanctasq; Religionis leges abrogare minimè potest.

9 Secundo respondeo ex eisdem, longe esse aliam rationem legum naturalium, aut diuinarum, quàm humanarum. Illæ enim à voluntate diuina statutæ sunt; cui nulla humana voluntas, aut consuetudo obsistere valet. Imò verò quantò consuetudo contra diuinam legem, & naturalem fuerit inueteratior, tantò grauioris peccati est causa: tantũ abest, vt consuetudo huiusmodi legibus quippiam vigoris detrahere valeat. Ergo consuetudo transgrediendi votum castitatis, paupertatis, & obedientiæ, & aliorum præceptorum, quæ sub voto emisso cõtinentur, nunquàm legem facere potest, quæ peccatum excuset; sed potius quæ noxam augeat: nec consuetudo, sed corruptela dicenda est. Talis.n. consuetudo contra legem diuinam est, quæ ait, Vouete, &

reddite

reddite domino Deo vestro. psal. 75. est etiam contra legem naturalem, quæ promissa non solum hominibus, imò potiori iure Deo facta, ad vnguem explere præcipit. Huius sententiæ fuit Aug. ad quæstiones Ianuarij:& Humbertus in prologo cõstitutionum Ordinis Prædicatorum:& Ioannes de Neapoli lib. de quæstionibus statum Religiosorum concernentibus 1. par. q. 97. alioqui. n. quid valerent visitationes, correctiones, emendationes, & reformationes; quæ super statu Religiosorum fiunt in Capitulis generalibus, & prouincialibus iuxta cap. in singulis, de stat. Monach. &c. Nec ille, qui dissolutionis tempore monasterium ingressus est aliqua in re, nec tantillum grauatur, si compellitur obseruare promissionem emissam de Regula obseruanda, deq; alijs custodiendis, quæ sub emisso voto continentur, quin potius pro virili laborare debet, vt monasterij deformitas aliquando ad formam debitam restituatur, & ad bonam frugem redeat.

10 Tertium aduersæ partis argumentum contra reformationem est, quòd Prælati, qui reformationem exequuntur, malo animo, prauaq; voluntate in subditos affecti, eos reformare conãtur; vindictæ potius, quàm animarum salutis causa. Plerique. n. Prælati peculiares, domos colunt secularia loca frequentant, lautioribus cibis fruuntur, aliaq; id genus mala perpetrare cernuntur. Qui tamen ceruicosos, rebellesq; subditos Religionis prætextu, reformare volunt.

11 Huic argumento sic est satisfaciendum hac verissima conclusione. Prælatis, etiam corruptis reformationem exequentibus, vniuersi subditi Regulares obtemperare tenentur. Primum, quia rem bonam, subditoq; perutilem imponunt. Videlicet vitam rectam, & studiosam, quæ nulli obest, sed cuique prodest. Fœlix autem necessitas, quæ ad meliora compellit: ecquis vir prudens famis egestate compressus, ab iracundo pistore gratis bonum panem non reciperet? Multi quidem sunt sutores, malos calceos portantes, qui tamen alijs optimos conficiunt. Quid ad te Prælati vita corrupta? Tu illum audito, eiusq; mandatis obtemperato, teneris enim.

12 Hanc conclusionem Christus redemptor noster Matth. 23. validissimè fulciuit, dicens: Super cathedram Moysi sederunt scribæ, & pharisei. Omnia ergo quęcunque dixerint vobis, seruate, & facite, secundum verò opera illorum nolite facere; dicunt, & non faciunt. Alligãt enim onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeris hominũ, digito autem suo nolunt ea mouere. Legimus etiã ad Heb. 13. obedite Præpositis vestris, etiã discolis. 1. Pet. 2. s. difficilioribus, & morosis.

13 Præterea Hugo de Follieto in duodecim abusionibus claustralium rem hanc explicatissimam fecit. Tres, inquit, sunt negligentium Prælatorum

latorum species. Quidam.n. malè viuunt, sed subiectos benè viuere cogunt. Quidam cùm ipsi malè viuant, subiectos quoque malè viuere volunt. Quidam tandem, ipsi quidem bene viuunt, sed subiectos malè viuere permittunt. Isti sanè exēplo præcedunt, sed cùm non increpent, delinquunt. Et si enim benè viuant, de grege tamen sibi commisso, gregis domino rationem sunt reddituri. At verò qui malè viuūt, & subiectos benè viuere cogunt, iussu certè verborum, errantes in viā rectam reuocant. Qui autem malè viuentes, subditos corruptè viuere volunt, gregem etiam sibi commissum vnà secum interimunt. Prælati ergo perperam viuentes, subiectosq; ad piam religiosamq; vitam compellentes, hunc saltem actum debitum ouibus impendunt: nempe quod verbo, & forsan temporali subsidio, licet non studiosæ vitæ exemplo oues pascuntur. Hæc autem ea lege dicta sint, cùm malum esse Prælatum, apertè constiterit.

14 Iniqua tamen, malitiosaq; interpretatione Prælati mens contorquetur, & rapitur ab eis, qui quòd ipse subditos reformare contendat, eum maleuolum, ac vindicatorem interpretātur. Vereorq;, ne temerarij iudicij piaculum incurrant. Iesus noster. Matth. 7. concionatur: nolite iudicare, & nō iudicabimini. Quo in loco Aug. ait. Nihil aliud illic præcipi, nisi vt ea facta, quæ dubia sunt, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. De factis.n. medijs, quæ bono, maloq; animo fieri possunt, temerarium est iudicium condemnationis.

15 Subditi quoque, sępenumero falsa crimina suis Prælatis imponunt, sibiq; sōmnia fingunt, correctionis flagello perculsi, aut emolumenti, lucriq; iactura læsi.

16 Postremò nihil querimoniarum ex reformatione à Prælato exercita, subditi iure sumere possunt; propterea quòd Prælatus siue bonus, siue malus existat, licitè iure suo vtitur, cum subditis districtè præcipit, vt Regulæ, constitutionumq; emissa vota strenuè, diligenterq; obseruent. Et quamuis clamoribus orbem repleant, subditorum interest, Prælatis suis obtemperare.

17 Quarto argumēto nouitatis, & singularitatis suos Prælatos subditi insimulant, quasi rerum nouatores eos existimantes.

18 Ad hunc dissoluendum nodum aduertendum est, nouitatem in sacra pagina non semper in malā, sed sępè in bonam accipi partem. Quo circa Religiosi summo studio curare debent, vt spiritu innouentur. Sic ad Rom. 7. seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate litteræ. Primum itaque sacra scriptura docet assumere nouitatem cordium, dum nos vitæ maleactæ pœnitet. Quam nouitatem Ezech. 36. promisit Deus: dabo vobis cor nouum. Nouitatem quoque conuer-

ſationis prædicat Paulus 1. ad Cor. 5. Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio; nouitatem etiam vitæ manifeſtat idem Paulus ad Hebræ. 10. habentes itaque fiduciam in ſanguine Chriſti, quam initiauit nobis viam nouam.

19 Quapropter reformationis hoſtes non ignorent, nouitatem à ſanctis viris vituperatam eam eſſe, quæ aliquid importat, quod nec à ſacris ſcripturis eſt approbatũ, nec ab Eccleſiæ ſanctę vſibus receptum. Ceterũ ea morũ reformatio, quæ iuxta Regulam, ſtatutaq; ab Eccleſia iam diu approbata, fit, nihil mali, ſed maiorem viuendi perfectionem importare dignoſcitur.. Non ergo nouũ exiſtimandum eſt, quod à trecentis, & plus mille annis à ſanctis Patribus, imò & Eccleſiæ Pōtificibus traditum eſt, & vſitatum; quos tota vbique in vita, & doctrina vniuerſalis Eccleſia colit.

20 Similis huic illa calumnia eſt, quæ à ſingularitate ſuſcipitur. Nã vt ex Bernardo, S. Thom. 2. 2. q. 162. art. 4. ad. 4. docet, ſingularitas, quæ vitium eſt, quidam eſt gradus ſuperbiæ. Quintus enim humilitatis gradus eſt, tenere quod communis Regula monaſterij habet, cui opponitur ſingularitas, qua videlicet quiſpiam ſanctior alijs vult apparere. Nec vult tenere, quod communis tenet Regula monaſterij. Perpende verba, qui non vult tenere, quod communis tenet Regula monaſterij. Non enim dixit, quod communis tenet vita monaſterij, ſed Regula. In monaſterio.n. ſæpenumero multitudo non ſequitur Regulam, quam profitetur; ſed potius vitam imitatur mundanam. Ad ſingularitatem etiam exigitur, vt quiſquam ſanctior apparere velit, quàm exiſtat, quod quidem vitium eſt hypocriſis, ſuperbiæ, aut inanis gloriæ. Seruare autem Regulam, & ſtatuta à ſanctis Patribus confirmata, approbata, vſitata, hoc quidem non eſt ſingularitatis incurrere vitium, ſed ſub voto reddere Deo promiſſum.

21 Hoc autem loco illud etiam admonendum eſt ex eodẽ S. Thoma, Religioſum illum non eſſe ſingularitatis vitio notandũ, qui ſuper alios opera ſupererogationis in victu, vel amictu exercet. Niſi ea faceret propter iactantiam, vel ſuperbiam, vt ceteris præferretur. Si autem ea fecerit propter carnis macerationem, vel ad humiliationem ſpiritus, ad virtutem temperantiæ pertinet. Religionis igitur reformatores, nec ſingulares, nec nouitatum inuentores ſunt iudicandi; ſed ipſi Religioſi deformati ſunt ſingulares appellandi, qui ſanctorum patrum ſancita vetera contẽpſerunt, & è ſuis domibus abiecerunt. Audiantq; Caſsianum de inſtitutis Monac. lib. 1. dicentem: Generali omnium conſtitutioni, paucorum non debet præponi, nec præiudicare ſententia. Illis enim tenemur inſtitutis, ac regulis indubitatam fidem, & in-

diſcuſſam

diſcuſſam obedientiam per omnia commodare; non quas paucorū voluntas intulit, ſed quas vetuſtas tantorum tēporum, & innumeræ ſanctorum Patrum conſcriptæ ſententiæ concordi definitione in poſteros propagarunt, & tranſtulerunt.

Rurſus de alijs quibuſdā aduerſariorū argumentis diſſoluendis. Cap. xxxiij.

1 INcorrectorum, imperfectorumq; hominum iſtud ingenium eſt, ne virtutis iter ſuſcipiant, offendicula in via inijcere, impedimētaq; præſtare, vt reformationem ꝓpulſent: ob idq; quinto loco argutantes, conqueruntur, cur potius ab eis, quàm ab alijs, qui eiuſdem ſunt profeſsionis, ſit reformationis rigor inchoandus? Vt igitur æqua ratio in omnibus Religioſis ſeruetur, iure optimo differendam eſſe Ordinis reſtaurationem vſque ad generalem Eccleſiæ reformationem affirmant.

2 His tamen reſpondebimus, eos qui tunc reformari volunt, quando alij omnes reformantur, nunquàm velle reformari, niſi in valle Ioſaphat, extremi iudicij tempore. Tunc.n.omnes quidem reſurgemus, ſed vt ait Apoſt. 1. ad Corinth. 15. non omnes immutabimur. Expende igitur iſtorum calliditatem. Nam iuxta parabolam Euangelicam in ſagena Eccleſiæ, ante iudicium boni, & mali congregantur. Tunc autem Angeli colligent omnia ſcandala, ideſt eos, qui faciunt iniquitatem, in caminum ignis mittendos; Iuſtis tamen vt Sole lucidiſsimo fulgentibus. Interim verò per Hieremiam cap. 1. ſic Deus Prælatum commonefacit. Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, diſsipes; ædifices, & plantes. Nunquid Prælatus ſemper mala in agro dominico ſuccreſcere ſinet? Si aliquando reformādus eſt Religionis ager, cur non modo? Ne poſteriora prioribus deteriora fiant. Credendum.n.eſt, iam perueniſſe tempus beneplaciti tui, ò Deus. Cur etiā non ibi fœlix ſumetur exordium, vbi Superiores, quibus eſt diſpenſatio concredita, exordiendū eſſe cenſuerint? Obſequantur Prælatis iuxta obedientiam voto præſtitam ſubditi. Sunt.n.à Deo miſsi. De quibus Chriſtus ait, Luc. 10. Qui vos audit, me audit: Qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui me miſit. Extremæ quidem dementiæ eſt, ſi cœlum ingredi nolis, niſi & alij omnes vnà tecum illuc ingrediantur.

3 Demum ſacra ſynodus Trid. ſeſſ. 25. decr. de Regula. à fronte ad calcem quid aliud, niſi Religioſorum reformationem vociferatur, ꝑſonat, atque præcipit? Non ignorans, quantū ex monaſterijs piè inſtitutis, & rectè adminiſtratis, in Eccleſia Dei ſplendoris, atque vtilitatis

tatis oriatur; proindeq; omnem curam, & diligentiam à Superiorib. circa obſeruantiam regularem adhibendam eſſe. Et cap. 8. declarat, cõgregationis Viſitatores, reformationi incumbere teneri. Et cap. 22. ſancta ſynodus deſiderat, vt omnia, & ſingula, quæ pro reformatione decreuerat, quamprimùm executioni demandarentur, tantum abeſt, vt reformationẽ vlterius differendã eſſe ſentiat; quin potius iſtud negotium à Prælatis ſtatim abſoluendum eſſe præcipit. Quos etiã maximè vrget Pius 4. in Bulla confirmationis eiuſdẽ Concilij Tridentini.

4 Sed adhuc 6. loco aduerſarij argumentari pergunt, dicentes ſe reformationem eo recuſare, quo ex ea multa mala, atque incommoda oriantur. Videlicet odia, rixæ, vilipendia, & confuſiones. Nam Religioſi non reformati, comparatione reformatorum vilipenduntur, calumnijs, & opprobrijs afficiuntur, & velut ethnici, & publicani vulgo reputantur. Ob idq; nemo admiretur, ſi ipſi ſuos reformatores, peccata eorum improperantes, & diffamantes, odio proſequãtur, eoſq; ad videndum graues exiſtiment.

5 Reſpondendum eſt tamen, ſi ipſi deformati ea ſeruent, quæ in ſuo ordine de neceſsitate ſalutis ſeruanda traduntur, immeritò profectò, & abſque iure vllo publicani, & ethnici reputantur. Arctari tamen iure poſſunt ad obſeruandum ea, quæ ſunt profeſsi, & ſine quibus tria ſubſtantialia diu conſiſtere nequeunt. Nec ethnici iudicantur à viris prudentibus, quorum ſolùm iudicium conſiderandum, & magnifaciendum eſt. Nam & optimi viri plerunque à prauis hominibus mali iudicantur. Sciunt quoque viri boni, in quocunque ſtatu, Religione, & Ordine non omnes eſſe perfectos. Quòd ſi Religioſi in monaſterijs nõ reformatis ea, quæ de neceſsitate ſalutis ſunt, non ſeruauerint: nec mirentur, ſi à cunctis miſerabiles, ac perditi exiſtimati fuerint. Poſtremo cõfuſio Ordinis nulla profectò ex reformatione eſt oritura, vbi vnus, idẽq; ſpecialis finis, & ſcopus in Regula, cõſtitutionibusq; pręſcriptus accurate & quæritur, & obtinetur. Quare apud reformatos vnus reſuſcitatur Ordo: apud deformatos verò nullus manet ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.

6 Septimo quidem loco ſuorùm Superiorum patrum auctoritate ſe propugnare conantur, quorum viuendi normam imitantur, qui & litteris, & morum grauitate ſuperiori ſeculo claruerũt.

7 Hos tamen deformationis propugnatores rogare vellim, de quibuſnam eorum patribus verba faciant. Si enim primos ſui ordinis inſtitutores, & patres intelligant, id quod non facilè crediderim, optarim quidem, ne in nos illud Chriſti verbum verè contorqueretur. Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite, Ioan. 8. vt enim il-

lic Sanctus Thom. asserit, signum veræ filiationis est, si quisquā assimiletur ei, cuius est filius. Nos autem à primis nostris in Christo progenitoribus plurimum degenerauimus.

8 Si verò in suum patrocinium patres recentiorum temporum adducunt, qui substantialia Religionis vota, & præcepta transgresßi sunt; hic cautè respondendum est, mortuorum iudicium, quorum vitia manifesta non sunt, cordiū cognitori committendū esse: de viuis quidē censendū cautius, de mortuis reuerētius, qui sunt iam ab inuidiæ malo exempti, & redditi suo iudici: eamq; subierunt censuram, quæ omnes manet: Idq; potissimum de illorum vita, & moribus: nam de eruditione paulo licebit liberius iudicare. Nec temerè à nobis viuētibus definiendum, quo animo pleraq; regulæ constitutionumq; præcepta non custodierint. Verisimili.n.coniectura credendum est, plerosq; eorum promptum animum habuisse ad ea seruanda, si Prælati serio præcepissent, fratrumq; multitudo earum rerum praxim exercuisset, nec vitæ communitati restitisset. Nouimus quosdam, his etiam nostris tēporibus, qui pijs conscientiarum scrupulis concusßi, summo studio Ordinis reformationem optauerint; quin, & ab eis tētata sunt multa, sed calamitate nostri temporis impediente, effectū est nihil. Quid enim viro Religioso faciendum existimes, vbi rerum communitas omnino sublata est, ædificiorum structura seruandæ Religioni non est idonea, & vt reliqua taceamus, vix vllum Religionis vestigium apparet? Probi igitur propinquiores Ordinis patres tria substantialia vota modis, vijsq;, quoad fieri potuit commodioribus, vt coniectura colligere licet, seruauerunt; ne cùm vniuersa fratrum turba manus consererent, intestinoq; bello quotidie dimicarent.

9 Si vero tandem eos huc patres accersant, qui & Regulæ, & piarum sanctionum transgressores extiterunt, suisq; Prælatis rebelles effecti, vt decebat, non obtemperauerunt, quale ipsi à nobis responsum expectabunt? Absurdo vno dato, vt inquit ille, multa sequuntur. Exiguusq; error in principio, si vlterius perrexerit, in fine maximus est futurus. Ipsi igitur cum Hieremia Trenor 5. suam miseriam deplorent, dicentes; Væ nobis, quia peccauimus. Peccauimus cum patribus nostris, iniuste egimus, iniquitatem fecimus psal. 105. & rursus. Hierem. cap. 31. & Ezech. cap. 18. Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorū obstupescunt.

10 Octauo, prædictæ reformationi suorum Prælatorum in Regula, & patrū constitutionibus, aut expressam, aut tacitam dispensationem opponunt; Quibus & nos opponemus præclaram D. Thomæ sententiā 1.2.q.97. art.4.& 2.2.q. 88. art. 10. & Dominici Soti egregiam doctrinam

ctrinā. lib. 1. de Iuſt. & iure. art. 3. Et Didaci Couarruuiæ lib. 1. Variarum Reſolutionum cap. 17. ex quorum lectione hæc concluſio colligitur. Quando cauſa non occurrit rationi conſentanea, atque in bonū commune relata, tunc Prælatus pro ſuo libito citra peccatum diſpenſare non poteſt; quod quidē eſt, aut infidelitatis, aut imprudentiæ peccatum. Infidelitatis, inquam, dum bono communi non proſpicit, ſed ſuo, aut alterius priuatæ perſonæ: imprudentiæ autem, ſi zelum, quo affectus eſt, boni publici, prudentia non exornat: antequàm exploratā habeat cauſam, contra legē diſpenſet. Quamobrem Chriſtus redemptor noſter. Luc. 12. difficilè arbitrabatur, vt ambę virtutes in diſpenſatore coniungerentur. Aiebat. n. quis puta eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit dominus ſuper familiam ſuam?

11 Cauſas verò ad diſpenſandum explicant decreta 1. q. 7. quæ ſunt tēpus, vtilitas, perſona, qualitas. In ſumma, vt cunctas ſimul complectamur, diſpenſatio fieri non debet, niſi in commune bonum cedat, pro quo lex omnis conſtituitur. Nam quantum periculi communitati cōfletur, cùm legum diſpenſatio alijs priuatis reſpectibus, & ſilēdis cauſis fieri cœpit, locus in quo Religionis ſtatus iacet, apertiſsimo documento eſt; omnis igitur diſpenſatio facienda eſt ad honorem Chriſti, vel ad Eccleſiæ vtilitatem, ac in bonum commune. Quo circa tā qui eiuſmodi diſpenſationes alijs procurant, quàm ipſi, qui petunt, graui peccato mortali irretiūtur. Diſpenſator verò grauioris peccati vinculo retinetur. Sed hac de re plura ſuperius tractauimus, cùm de cōſuetudine, & proprietate ageremus. Attulimusq; Conc. Trid. dicens. Ea quæ ad ſubſtantiam Regularis vitæ pertinent, à Superioribus relaxari non poſſe. & in cap. cùm ad monaſterium, Inno. 3. inquit. Nec æſtimet Abbas, &c. Quod ſæpè retulimus.

12 Legitimam verò diſpenſandi methodum eleganter explicuit idem Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 18. dicens. Sicuti publicè expedit, legis vinculū quandoq; relaxare, vt plenius eueniētibus caſibus, & neceſsitatibus pro communi vtilitate ſatisfiat: ſic frequentius legem ſoluere, exemploq; potius, quàm certo perſonarum, rerumq; delectu, petentibus indulgere, nihil aliud eſt, quàm vnicuique ad leges tranſgrediendas aditum aperire, &c. Et paulò inferius ſubdit, quòd ſi vrgens, iuſtaq; ratio, & maior quandoque vtilitas poſtulauerint, cum aliquibus diſpēſandū eſſe, id cauſa cognita, ac ſumma maturitate, atque gratis à quibuſcunque, ad quos diſpenſatio pertinebit, erit præſtandum, &c.

13 Quòd verò nono loco aduerſus reformationem defectus victus, & veſtitus adducatur, quaſi reformatio, & recta bonorum temporalium adminiſtratio inopiam, & rerum omnium egeſtatem, & carentiam in-

ferat, nihil hoc loco curandum est, in superioribus enim cùm de Canonicorum constituendo numero, & de proprietate ageremus, rem hanc ex Concilij Tridentini decreto, & quibusdam rationibus explicatissimam fecimus.

14 Infirmum etiam est, & vndecimũ aduersę partis argumentũ, videlicet, quòd si reformatio admissa fuerit, exiguus erit Religiosorũ numerus. Vix enim reperietur quisquam, qui Religionem ingredi velit. Respondendum tamen, quòd quamuis in exordio reformationis illud ita contingeret, successu tamen temporis, experimento comprobatũ est, maiorem Religiosorum numerum ad monasterium reformatum accurrere, & indies paulatim succrescere. Solent.n. monasteria reformata ditissimæ esse sagenæ ad ipsum Ordinem augẽdum, locupletandum, & nobilitandum, sanctimonia, bonaq; eorum fama id præstantibus. At verò quamuis maior esset deformatorum turba, & multitudo, cultui tamen diuino, domui, & Religioni multò conducibilius est, paucos bonos, reformatosq;, quàm corruptos plurimos habere. Salomon.n. Ecclesiastici 16. ait. Ne iocunderis in filijs impijs, si multiplicentur; nec oblecteris super ipsos; si non est timor Dei cum illis, ne credas vitæ eorum, & ne respexeris in labores illorũ. Melior est vnus timens Deum, quàm mille filij impij.

15 Vndecimo aduersarij reformationem propellere conãtur, eo quod ex ea fratrum communis pax omnino conturbetur, dùm quidã sponte, alij eam coactè suscipiant: quin aliquãdo omnes cœnobitæ vno cõsensu eam respuunt, & detestãtur. Quòd si recentes aliundè deductos recipere, priores verò expellere niti volueris, tunc planè ingẽs murmur, oritur, totaq; domus trãquillitas abigitur, & fugatur. Ex quo fit, vt alij ad monasteria corruptiora se cõferant, alij apostatare cogant.

16 Respondendum est: Primum, nunquam cum vitijs esse pacem habendam, sed perpetuum gerendum esse bellum, vt in sancta pace viuatur. Est.n. & pax bona, & mala. Diligendi quidem sunt homines, eorum verò errores odio sunt prosequendi. Christus.n. Matth. 10. inquit; Nolite arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram, non veni pacem mittere, sed gladium, &c. Sunt quidem apud deformatos tria potissimum vitia, nempe auaritia, luxuria, & superbia, siue inobedientia. Aduersus ea reformationis gladio dimicandum est. Tametsi verò pro loco, & tempore correctionem, reformationemq; intermittere, quandoq; expediat; nõ tñ semper magnopere curandũ est, si reformationis tẽpore inter malos discordia nascatur. Verè quidẽ Gregorius ait in Pastorali; Si peruersorum nequitia in pace iungatur, eorum profectò malis actib. robur augetur. Fiunt.n. ad affligẽdos bonos robustiores.

Porrò

17 Porrò cum S. Thom. 2. 2. q. 43. aſſeuerandum eſt, ea quæ ſunt de neceſsitate ſalutis facienda, qualia ſunt præcepta; propter ſcandalum in alio vitandū prætermittenda non eſſe: eradicanda.n.eſt omnis plātatio, quam pater ille cœleſtis non plantauerit. Exploratiſsimum autem eſt, Religioſos tunc phariſaico ſcandalo laborare, quando reformationis tempore, quæ per Viſitatores, aut Prælatos in votis tribus, & Regula, alijsq; conſtitutionibus facienda eſt, cauſantur ſibi fieri iniuriam; Superioribus maledicunt, & detrahunt; ſeculares vexant, & eccleſiaſticos conturbant; homicidia, & verbera ſæpè minantur, nonnunquam etiam opere complent. Ex ſuperioribus igitur fit manifeſtum, magnum Prælatis imminere periculum, ſi cùm poſsint ſua deformata monaſteria reformare neglexerint: Vel certè opportunitate capta, Religioſi vel inuiti ſunt reformandi, in quibus tranſgreſsiones ſuorum votorum frequentes comperiuntur. Hic.n. celebris Gregorij ſententia in Ezechielem locum habet: vtilius ſcandalum naſci permittitur, quàm veritas relinquatur. Quam quidem regulam intelligē dam eſſe cenſemus, de veritate, quæ eſt ad ſalutem neceſſaria, ſiue illa ſit veritas vitæ, ſiue iuſtitiæ, ſiue doctrinæ. Ex Alphonſo Caſtro lib. 2. de poteſtate legis pœnalis cap. 11. littera. C.

18 Quod autem ad apoſtatandi periculum attinet, cum D. Thom. ſatisfaciamus, qui 2. 2. q. 33. art. 6. quærit; vtrum aliquis debeat à correctione ceſſare propter timorem, ne ille fiat deterior. Reſpondet; correctio pertinens ad Prælatos, quæ ordinatur ad bonum commune, & habet vim coactiuam, non eſt dimittenda propter turbationē eius, qui corripitur. Tum quia ſi propria ſponte emendari non velit, corrigendus eſt per pœnas, vt peccare deſiſtat. Cùm etiam quia ſi incorrigibilis ſit, per hoc prouidetur bono communi, dum ſeruatur ordo iuſtitiæ, & vnius exemplo alij deterrentur. Vnde iudex non prætermittit condēnationis ferre ſententiam in peccantem propter timorē turbationis eius, vel etiā amicorum ipſius; Prælatus.n. non ſolùm admonere, ſed etiam cogēdo punire tenetur. Alia quidem eſſet ratio habēda in correctione fraterna, cuius finis eſt emendatio delinquentis, non habens coactionē, ſed ſimplicē admonitionē. Hæc Tho. Coactione igitur in apoſtatas agendum eſſet; Nec propter eos reformatio eſt omittēda, præſertim cùm plurimorū ſalutis ſpes veriſimilis concipitur.

19 Duodecimo aduerſarij reformationem recuſant, eo quod ex diſpēſationibus, & modis viuendi hactenus à longinquo retentis, facilius, vt ipſi dicunt, procurantur res Religioni neceſſariæ. Vt libri plurimi, & in monaſterijs multæ ad habitandum domunculæ, & aulæ magnæ, quę vix, aut nunquàm de bonis cōmunibus procurarentur, ſed ex appro-

priatis fratrum pecunijs. Vt picturas, sanctorumq; imagines,& tabellas eadem arte comparatas silentio prætereamus. Respondetur; in primis inficiamur, monasteriorum bona hac iniqua via melius comparari, augeri,& procurari: id quod experientia apertè testatur. Nam in monasterijs reformatis indies librorum numerus coaceruatur, ruinosa ædificia reficiuntur, quæ apud deformatos corruunt. Item fauor populi,& in Religiosos pietas accrescit, personarū augetur numerus, & sacrarum vestium decor multiplicatur; Religioq; principum, potētumq;,& diuitum virorum muneribus,& donis locupletatur.

30 Secundo, quanuis ea, quæ ab aduersarijs annumerata sunt, vera essent, cùm tamen temporalia sint, contemnenda sunt, si ea cum vberrimis sacræ reformationis fructibus contuleris, quos suo loco inferius referemus. Vera quidem illa sententia est, pecuniam in loco negligere, interdum maximum est lucrum. Ea profectò commoda, maxima incommoda secum adferunt, ad destructionem enim,& monasteriorum corruptionem plurimum conferunt,& viam sternunt. Hinc enim proprietatum patefactum est pelagus.

31 Quòd autem peculiares domunculas ad inhabitandum se erexisse gloriantur, illud quidem vitio potius, quàm laudi vertendum est. Nā in habitaculis priuatis non exigua occasio dari posset,& locus comessationibus,& rerum communitatis dispendijs, detractionibus,& in Prælatos discordijs,& conspirationibus, vt alia incommoda taceamus. His quidem domunculis semel constructis, & dormitorium euacuatur, & refectorium deseritur.

32 Alias quoque huiusmodi technas reformationis hostes confingere solent; nam vt ineptos, inordinatosq; reformandi modos, vt ipsi iudicant, accusent, reformatores ipsos tanquàm prouinciæ, lociq; consuetudinum ignaros, ac prorsus inscios damnant, seculares contra clerū plus solito per reformationem concitandos esse vaticinantur: sed hæ frigidæ sunt argutiæ,& tanquàm nullius ponderis negligendæ.

33 Ceterum vniuersos reformationis impugnatores hic admonitos esse velim, sanctissimū, summumq; Rom. Pontificē consueuisse acrius animaduertere in huiusmodi contumaces emendatioris vitæ impeditores; id quod sanctissimus noster Papa Pius V. in extinctione cuiusdā Ordinis extra Hispaniam constituti, nunc præstitit. Nam quemadmodum solicitus pater, quem vnice charum educauit filium, via salutis egressum reuocare cupiens, primum hortatur, indulget, prætermittit, increpat, alia præterea, atque alia tētare non desinit, dum quod expetit, modo aliquo consequatur; omnia denique expertus, cùm nihil iam proficere intelligit, desperata prorsus salute, omnem de illo parentis animum

animum eijcit, domo expellit, indignum existimans, qui parta hæreditate fruatur. Sic Rom. Pontifex, sicubi quampiam sacrarum congregationum à Regula, & vitæ præscriptione aberrare percipit, modò admonendo, modò concedendo, modò corripiendo connititur eã, vel primis institutis restituere, vel certè quoquo pacto emendatam in aliquo statu illis magis cohærenti continere; omnibus tandem ad illius sanitatem conquisitis, vbi salutaria remedia fastidire, & viam iniquitatis obstinatius procedere, atque adeò in prauum indurescere animaduertit, vt potius confringi, quàm corrigi possit, omni curatione reiecta, de ipsa remouenda decernit, ne inueterati, atq; indomiti mali vis, in alias surgat, eisq; exitio sit futura. Præsertim cum experimento discitur, Religiosos in malum iam pridem effusos esse, multa de ratione cultus diuini, de obedientia, & vita communi, deq; modo recipiendorum, & educandorum Religiosorum, prouida statuta, ceteraq; omnia Regulæ suæ instituta omnino aspernari, vitamq; voluptatum varietate confertam ducere, ac Præpositos, & qui rerum administrationem habent, bonã, magnamq; fructuum partem in vanitatibus mũdanis, profundere, emendationem abhorrere, nefarias protestationes facere aduersus reformationem, necessarios suos, & alios potentiores laicos ad intestinas seditiones cõcitare, aliasq; huiusmodi artes ad impediendam Religionis emendationem exercere. Tunc profectò reliquum est, vt huiusmodi Religionem, tanquàm impœnitentem, atque incorrigibilẽ Romanus Põtifex agnoscat, ipsamq; tandem tanquàm malam arborem, excindat, extinguat, & aboleat. Si verò viris sapientibus fidem habere apud te constituas, dulce profectò est, frui periculo alieno, alienoq; capite percusso, ictum cum piscatore sapere. Has.n. enarratas causas in suo euulgato diplomate secunda die mensis Martij præsentis anni 1571. sui Pontificatus anno 6. Summus Romanus Pontifex recenset, quibus ductus illum ordinem extinxit.

Quibus sit armis muniendus ipse Prælatus contra calumnias, & res aduersas. Cap. xxxiiij.



Erisima profectò est Conc. Triden. sess. 25. cap. 1. sententia, quam sæpè repetam, Præpositos ipsos ad labores, & solicitudines, quin etiàm ad afflictiones, pro Dei gloria esse vocatos. Quis.n. tanta mentis cæcitate tenetur, qui non videat, vniuersos Ordinum Prælatos innumeris, crebris, ingentibusq; periculis esse expositissimos; fera rerum aduersitate circuncingi, varijsq; subditorum obmurmurationibus, calumnijs, accusationibus etiam conturbari, & comprimi? Quis etiã

Religiosorum moderator sit omni ex parte beatus? Quis omnia errata caueat? Quis demum & si non parum circunspectus, & prudens in terris agens, omnino impuram beatorum vitam ducat, in quo næuos nullos, nullas maculas inuenire queas? Quare sibi cauerit Abbas, diligenterq; prospexerit, ne propter turbulentiarum, afflictionumq;, & magnitudinem, & multitudinem, animo despondeat, aut quapiam pusillanimitate percussus, quæ suæ sint partes, omittat, demissoq; animo turbulentam, insuauem, tristemq; vitam agat: sed lenitati seueritatem admiscens, cùm rectã gubernandi ratio id postulauerit suo munere lætus, intrepidusq; fungatur. Nec minis perterreatur, nec rerũ difficultate frangatur. Videas, fateor, inauditis sæpè machinis ipsum inuadi, potestate, multitudine, & arietibus Rectoris animum concuti, vt mirum sit, eum non statim corruere. In periculosissimo quidẽ statu sunt sæpenumero Prelati, tot enim artibus impetũtur, vt nisi gratia, & timore Dei suffulti sint, difficilè sit, vt non aliquando à iustitia, rectaq; gubernaculi ratione deflectant. Aliquando.n. amore, aliquãdo timore, aliquãdo cupiditate, aliquãdo ira, nisi eis Deus adsit, vincũtur. Gratia igitur, & Dei timor illis sunt arma imprimis maximè necessaria.

2 Aduertat Præsul, aduersa pati non semper esse virtutis; alij.n. patiũtur, vel propter temeritatem, & vt suum propositum malum perficiãt: alij ex pusillanimitate non audentes resistere. Christiana autem patiẽtia coniunctam habet animi fortitudinem. Quàm rem nos Paulus docuit Act. 23. cùm princeps sacerdotum Ananias os eius percutere iussit. Tunc enim Paulus dixit; Percutiet te Deus, paries dealbate. Non enim existimandus est hæc Paulus dixisse ex quadam impatientia, sed ex præstanti animi fortitudine, ostendens impio vitium suum, nempe hipocrisim; qua etiam ratione cum prouerbiali figura parietem dealbatum nuncupauit; Deinde prædixit ei sui criminis pœnam futuram, quicunque verò illam formidabilem, quam Paulus sustinuit, persequutionem audierit, forte posset à pietate absterreri, nisi & illud adderet, quàm fideliter dominus suis assistat in aduersis. Videmus.n. in Paulo impletum, quod in Iob legimus; Beatus, qui corripitur à domino, in sex tribulationibus liberabit te, cap. 5. Quem igitur terret pij, iustiq; hominis passio, attendat quoq; quantis consolationibus eius animum dominus corroborare soleat. Paulus solus erat ab omnibus destitutus, insuper & vinctus, in veritate tamen plures erant cum illo, quàm cum accusatoribus. Qui enim iustã habet causam, huic & Deus, & Angeli assistunt, vt in Helisæo 4. Reg. 6. compertissimũ est. Cùm.n. orasset Heliseus, aperuit dñs oculos pueri, & vidit, & ecce mos plenus equorũ, & curruum igneorũ in circuitu Helisæi, hostibus cæcutientibus.

3 At ſcio, dices, quis æquo animo calumniatorem ferat? Nihil enim magis iuſtum hominem mordet, quàm huiuſmodi calumniæ, & infamationes. Hoc quidem in pio videmus Iob, qui externarum rerum damna, imò & ipſius corporis dolores patientiſsimè pertulit; tamen ad amicorum ſuorum verba, & conuitia primum ingemuit. Ceterum Pauli norma eſt nobis ſequenda, qui nihil horum curat. Non.n. latuit eum illud Chriſti, Si patrem familias vocarunt Beelzebub, quantò magis domeſticos eius. Matth. 10. Si.n. Chriſtus, qui de ſeipſo dicit Ioan. 14. Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam, dictus eſt tamē peccatorū ſocius, potator vini, dęmoniacus, & inſanus Matth. 5. & 11. Si inquā, is qui nihil habebat, quod verè ei obijci poſſet, talia tamen audiuit; quantò magis nos, qui etſi in hoc innocētes ſumus, quod nunc obijcitur, habemus tamē aliud, quod dignè in nobis flagellatur. Item ſciebat & illud Paulus; Beati eſtis, cùm maledixerint vobis homines, & dixerint omne malū aduerſum vos, mentientes propter me. Quo magis ab impijs infamamur, eo magis creſcet laus noſtra. Hinc Paulus, Maledicimur, & benedicimus; Chriſtianus homo infamatores ſuos nō verbis, ſed operib. virtutū ſplēdorē ornatis, cōfundere laboret.

4 Obijciens adhuc, varia eſſe arma, quibus impij pios Prælatos impetant. Primo enim, omnes impij ſua quærunt in omnibus, quantuncumq; externè aliud ſimulent. Secundo, ſemper impietati ſæuæ aliquā ſpeciē bonam prætexunt. Tertio, omnium maximè ſeditionibus confidunt, & tumultu res ſuas nō iudicio, aut iure expedire conantur. Radices omnium malorū ſunt inordinatus amor ſui, & auaritia inſatiabilis. Nihil enim adeo diuinā charitatem, honoremq; Dei impugnat, nihil adeò à bono remoratur, & ad omnia mala promouet, vt amor ſui inordinatus. Ob id Aug. eum amorem omnium malorum fontem dicit. Igitur Prælato neceſſarium eſt, vt hunc amorem gladio verbi Dei iugulet: fortius nanque eſt verbum Dei, ſi cor penetrauerit; hominem quoq; à ſeipſo diuidit. Ea igitur animi magnitudine Prælatus ſit præditus, vt cum Paulo dicere poſsit. Ego non ſolùm ligari, ſed & mori paratus ſum. Inſigne huius rei teſtimonium legimus Act. 7. cap. dū Deus Moyſen alloquitur; Vidēs vidi afflictionem populi mei, & gemitum eorum audiui, & deſcendi liberare eos. Videt Deus nō ſolùm crucem, & afflictionem ſuorum, verùm etiam aduerſariorum ſæuitiam; audit gemitus eorum, & clamorem, quod quidem maximè conſolatoriū eſt; Exemplis plena eſt ſcriptura ſacra. Duo autem hic dicit; Vidi, audiui, quæ ſicut pios conſolantur mirum in modum; ita prorſus impios meritò, & miſerè exterrere debent. Primo dicit, videns vidi, quod vehementiam, & certitudinem, & celeritatem ſignificat, quaſi diceret,

vidi,& certò,& seriò,ita vt amplius tacere non possim, sed adiuuare decreuerim. Scienter dixit,vidi afflictionem.Ipse.n. est,qui laborem, & dolorem considerat Psal.9. Non autem quorumlibet afflictionem ita videt,vt eripere velit,ideo addit,populi mei: itaq; si vis,vt Deus videat videndo afflictionem tuam,cura vt sis populus Dei; & ora, & ingemisce,quemadmodum Israelitæ fecerunt;quos Deus agnoscit,licet magnis,& varijs tribulationibus obruti essent;non igitur neglectus es à Deo,si aduersa tibi contingunt, cognoscit Deus suos etiam sub cruce. Obseruandum autem,quod vbi Deus dicitur descendere semper magnum aliquid sequitur.Sic descendisse legitur in turris Babylonicæ ædificationem,& quàmprimum secuta est linguarum confusio: descẽdit insuper in Sodomam, & secuta est protinus ciuitatis perditio. Sic hunc descensum secuta est mirabilis populi liberatio, & horrenda Aegyptiorum punitio. Vbi planè duo iudicia Dei nobis ob oculos ponuntur. Iudicium misericordiæ quidem erga Israelitas, & iudiciũ iræ diuinæ erga Aegyptios:vtrunq; iam definierat, hos scilicet perdere, illos autem liberare; tamen neutri hoc sciebant. Sic nobis contingit, pijs enim nihil tale cogitantibus,Deus cogitat cogitationes pacis;cõtra autem impijs securè agentibus,præparat mala,quibus afficientur.

5 Res admodum pauida est,animus malè sibi cõscius,difficilè est crimen non prodere vultu. Contra mentis innocentia, etiam in vultu relucet eius,qui bene sibi conscius est,& hæc tandem virum fortẽ reddunt,nihil cõscire sibi, nulla pallescere culpa. Attenta consideratione intuere protomartyris Stephani faciem Act.6.cap. Intuentes eum omnes,qui sedebant in concilio,viderunt faciem eius, tanquam faciẽ Angeli.Intuebantur eum,& obseruabant, qua fronte crimen obiectũ exciperet. videbant illum adeo non deijci, aut exanimari, aut metu expallescere,vt facies illius quiddam homine maius,& angelicã quãdam alacritatẽ simul,ac maiestatem præ se ferre videretur: Meminisse quidem poterant claritatis illius,quæ apparebat olim in vultu Mosis, ex eaq; conijcere,quid de Stephano sentiendũ; verum sic eos inuidia excæcarat,vt videntes,nihil viderent; & audientes,nihil intelligerẽt.

6 Constãtia frontis in Stephano,arguit calumniatorum impudentiã, Christianus Præsul angelicam, & faciem,& vitam ostendat in medio nationis prauæ; Christiani conuincant eos, qui ipsis infamiam inurere student;non verbis, non conuitijs,sed vitæ sanctitate. Sic Petrus 1. Pet.2. Conuersationem habentes bonam,vt in eo quod detractant de vobis,tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerãtes, glorificent Deum in die visitationis. Prælatus non grauetur,neq; ægreferat,si à malis infamatur cùm & Christus, & Stephanus,imò, & omnes

omnes pij,id perpesi sint.Infamatur à malis innocens Christus, omnisq; peccati expers; ne tu igitur, qui peccatis sæpenumero commacularis, & plerunq; à peccati labe non existis purus, ac immunis,graueris à peruersis infamis reddi. Nam si in viridi ligno hęc videmus fieri,in arido quid obsecro,fiet? Præterea discamus,Dominũ tunc adesse nobis à dextris, cum tribulatione concutimur. Sic enim pollicetur, cum ipso sum in tribulatione; eripiam eum, & glorificabo eum. Gloriam enim hic cœlestem vident in facie Stephani, & faciem eius tanquam faciem Angeli, cùm ipsi in Concilium rapiant, & damnent; tanquam blasphemum, & hæreticũ, adeo non conuenit iudicio prauorum cum iudicio Dei. Aduerte denique,quòd nulla re quantumuis præclara permouentur inuidorum mentes.

7 Bonus pastor sibi persuadeat,nihil ita magnificum apud homines geri, quod non expositum sit inuidentiæ, & calumniæ multorum; & quo magis magna fuerint,quę gesserit,quo magis videbuntur gloriosa,eo magis omnia inuidię patebunt,ac deinde obtrectationibus,atq; calumnijs. Vide ipsum magnificentissimi domini nostri exemplũ: vir potens fuit ipse,tàm in opere,quàm sermone, & adeo potens, vt eius similis nunquam apparuerit in Israel,ingenuè id confitentibus turbis Matth.9. testanturq; idipsum Ioan.7. Iudæorum ministri, ad Christũ comprehendendum missi, vacuisq; manibus redeuntes, nunquã sic locutus est homo(aiunt) sicut hic loquitur.Ecce quã magnificus hic fuit, tàm in verbo, quàm in opere,inuidiam tamẽ,& obtrectationem adeo non euasit, vt etiam vini potor dictus sit, & publicanorũ amicus,magus, pactum habens cum dæmonijs,seductor populi,blasphemus,seditiosus, tantamq; passus est aduersus semetipsum contradictionem, vt in crucem quoq; adactus fuerit.Quòd si regũ,& principum magnificentiam consideres,quis non eorũ multos habet hostes, & æmulos? Cùm igitur omne opus quantumuis sit industrium, atq; magnificum pariat ipsi auctori inuidiã,nonne rectè dixisse tibi videbitur Salomon Eccles. cap.4. dicens; Rursum contemplatus sum,omnes labores hominũ, & industrias animaduerti patere inuidiæ proximi. Quare admirari hominum calumnias,& conturbari iam desines. Adsimili quoque iudicio tibi interpretaberis verba Eccle.cap.7. calumnia conturbat sapientem,& perdet robur cordis illius. Si.n. de perfectè sapiente, & in sapientia stabilito intelligamus,conturbatio illa non deijciẽs,sed tantùm vexans,& affligens accipietur. Nam id subinde contingit hominum calumnijs etiam sapientes non modicum conturbari,maximè in primo ipso aggressu,cùm subito calumniam sentire cœperint. Perdere autem dicitur sapientia robur cordis illius,nõ quòd in totum auferat,

ferat, sed quoniam conturbat, & quasi infirmat ad tempus vigorem, & tranquillam cordis dispositionem. Nonne Mosen virum mitissimum diuexauit improborum calumnia, quando contra ipsum rebellauerũt Core, Dathan, & Abyron, & eorum complices Num. 16. Veruntamẽ is, qui in sapientia firmatus est, non penitus deijcitur animo, propter calumnias hominum, nisi simul ipsam quoque suam perdat sapientiã. Facit.n. sapiẽtia vera, quæ secundum Deum est, vt neque aduersis, neque prosperis homo à statu rectitudinis suæ prorsus deijciatur.

8 Postremo cordatus pastor probè semel intelligat, quamuis in statu periculoso vtcumque versetur, fulgentissimã tamen, amplissimamq; cœlestis gloriæ coronam se esse recepturum. Cumulatioribus.n. meritis, si ritè, recteq; suo munere fungitur, ipse præ ceteris ouibus adornatur, atque ditescit. Nam ille profectò Archiapostolus, qui 1. Pet. 5. dixit; Pascite, qui in vobis est, gregem Dei; subnectit quoque cumulatissimum præmium, dicens; Et cùm apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem coronam gloriæ, hoc est, mercedẽ æternæ retributionis perfectam, & in suo virore indeficienter permanentẽ. Maioribus.n. periculis, atque laboribus maior, sublimiorq; beatitudinis gradus comparatur. Ob id nanque in domo patris cœlestis mansiones multæ sunt. Contẽplare iam, & enumerà fortissima arma Prælatorũ, ea verò sunt gratia, & timor Dei, fortitudo, confidentia in Deo, patientia, gladius verbi Dei, & conscientiæ testimonium, constantia, inuidiæ contemptus, sapientia, ac demum cœleste præmium laborũ, quæ omnia sigillatim attigimus.

De veritate à Prælatis facilè audienda. Cap. xxxv.



1 MAximè quidem, vigilãtem, iustumq; Prælatum decet, veritatem in omni re, atque negotio arrectis auribus, libẽtiq; animo nosse, & audire; siue ea ipsi Prelato, siue cuiuis alteri aduersari, oblectariq; videatur. Proinde quoscunque admonitores, aut querimoniarum allatores hilari fronte ad se admittat, vt cognita rei veritate, quod iustum fuerit exequatur. Cauebit igitur, ne quasi Herodes alter Matth. 14. in sanctissimum Ioannem durus, crudusq; habeatur, idq: propter obiectã sibi veritatem. Hæc enim est causa, ob quam impij bonos persequuntur, videlicet quòd bonitatem sectentur, quæ bona sunt alijs persuadeant, mala verò arguant: hoc maximum peccatũ est, quod impij pati non possunt, nimirum ignorantes, quantum sit beneficium benignæ correptio. Quid autem Ioannem incitabat, vt ex eremo curreret ad corripiendum Herodem, nisi Charitas, & zelus Dei? prædictum sanè

erat

erat de Ioanne,quòd præcessurus esset Christum in spiritu, & virtute Eliæ, qui ex magno zelo vno die interfecit quadringētos quinquaginta Prophetas Baal;imò,& ipsi regi Achab in faciem restitit.3.Reg.18. Tu,inquiens,es qui conturbas Israel,&c. Eodem spiritu, & Ioannes regem,& Phariseos palam,& in faciem arguit.Sancti.n. homines sicut gloriam Dei,etiam proprio commodo præferunt; sic Dei blasphemia magis torquentur,quàm proprio incommodo; Sic Ioannes cōtemptum Dei non ferens, regem arguit;nec à correptione cessauit, etiam vinctus, quemadmodum & Hieremias olim fecerat, cùm à principibus teneretur Hiere. 26.

2 Quin Christus Ioan.18. ad Pilatum ait; Ego in hoc natus sum,& ad hoc veni in mundum,vt testimonium perhibeam veritati.Veritas autem triplex esse reperitur, videlicet vitæ, doctrinæ, iustitię; quas vel omnes notasse videntur Iudæi in Christo, cùm inquiūt Matth.22. Magister,scimus quia verax es, veritate vitæ, & viam Dei in veritate doces;ecce doctrinæ veritatem; nec est tibi cura de aliquo, hic exprimitur iustitiæ veritas; ideoq; omnis à Deo veritas est, recteq; à Christo dictum est Ioan.16. de Spiritu Sancto,ille docebit vos omnem veritatem, vt pote vitæ, doctrinæ, iustitiæq;. Est autem vitæ veritas, recta conuersationis iuxta legem diuinā norma,sinceraq; in omnibus operatio, & iusta rerum æstimatio. Quam significauit Esai. 38. cap. Ezechias,memento domine (inquit) quomodo ambulauerim coram te in ueritate,& in corde perfecto,& quod rectū est in cōspectu tuo fecerim. Veritas doctinæ est, iusta in docendo, consulendo, prædicando, exhortando eius quòd loquens cognoscit, verbo, aut quouis alio modo manifestatio. Ea autē imprimis existit in sacra scriptura; quæ nullam habet admixtam falsitatem,nimirum quæ sermo Dei est,qui mētiri non potest. De quo Christus ait Ioan. 16. Sermo tuus veritas est. Veritas autem iustitiæ est,legis in iudicando inter diuersos rectitudo, quam seruat,qui sine persōnarum munerum, & affectuum respectu, quod vel lex iubet,vel recta consciētia suadet,iudicat.Sic Ioan.7.Nolite iudicare secundum faciem:sed iustum iudicate iudicium, & Leuit. 19.discerne quod iustum est,& vindica inopem,& pauperem.

3 Ad quamlibet autē harum trium veritatum simul, & seorsum hortatur nos Deus Zachar.8. dicens; Pacem,& veritatem diligite. Est.n. veritas diligenda,tum propter eius dignitatem; quoniam à Deo oritur,tum ob illius vtilitatem,quia habenti veritatem misericordia est apud Deum,quæ,& à malo liberat:tum etiam ob eiusdem remunerationem.Ipsa enim habenti eam,lucem subministrat, idest Christi gloriam,& gratiam vnde virtutes procedunt,& merita.

Sed

4 Sed ea forsitan quæstione tu inuolueris, qua plerique magnopere discruciantur; An videlicet veritatem semper, & vbique proferre expediat? Sanè responderim Christi exemplo,& Apostolorum, veritatē non semper, nec vbique esse proferendam, sed magni quidem referre, quomodo ipsa proferatur; eamq; vtique nonnunquam tacendā ad tempus. Primum, quando eius prolatio condemnationis causam potius, quàm aliquem profectū sit allatura. Hinc Christus Luc. 22. apud sceleratum Concilium, in domo Annæ,& Caiphæ coactum dixit; Si dixero vobis, non credetis mihi: veritatem vtiquē dicturus erat, quā siluit, quòd nulla inde expectaretur vtilitas, maxime verò quòd illi non quærebant veritatem, sed calumniam præparabant. Secundo vbi veritas leuiter interrogata, fortè inanem gloriam, aut nullam interrogantium emendationem esset paritura. Sic quidem Iesus apud Herodem Luc. 23. multa ab ipso quærentem obticuit, nimirum magis eligens, à superbientibus despici, quàm à non credentibus vacua voce laudari. Tertio, quando indigni sunt audire veritatem ij, ad quos verba facimus, aut qui auditam peruersè, malitioseq; tractarent. Ita sanè Christus dare sanctū canibus, & margaritas porcis obijcere prohibet Matth. 7. & Apostolos emigrare iubet Luc. 10. è ciuitate, quæ se præbeat indignam Euāgelico sermone, Nec Pilato roganti veritatem definiuit Ioan. 18. Quarto, quoties auditores capaces non sunt veritatis, ob eius difficultatem. Sic Paulus 1. ad Cor. 2. Sapientiam profectò veram inter perfectos loquutus est, inter imbecilles silēs quod verum fuit. Hinc cathecuminis non statim omnia Christianitatis mysteria aperiebantur, quoniam nondum erant capaces. Quinto, cùm veritas apud auditores, vel scandalum esset, vel tumultum excitaret, quo veritas aliquando magis opprimitur, quàm succrescat, vel indignationem furiosam excitaret, & commoueret; tunc etenim, si veritas sine magno orbis tumultu proferri non posset, expediret profectò eam ad tempus,& locum subticere. Hinc Paulus causam suam apud Felicem, Festum, Agrippam agens Act. 24.& 25. nonnihil veri tacuit; qui summa comitate, quod verum est, proloquitur; nimirum ne vel illos ad supprimendam veritatem magis, quàm amplectandam, vel per indignationem ad tumultum permoueret.

5 His autem sic explicitis rogo, quid agit Herodes, vt ab eo noster Religionis gubernator erudiatur? Primo, cùm iam fama Iesu omnem regionem Iudææ,& Galilææ occupasset, tandem vltimo ipsa vix quoq; ad Regem peruenit. Cuius duplex est causa, tum quia mundanis intētus erat, nihil curās de spiritualibus, tum quia ministros habebat adulatores, qui nihil nunciabant, nisi quæ placere sciebant. Secundum iudicem

dicem enim populi,sic & ministri eius Eccle. 10. Et princeps, qui libenter audit mendacia, omnes ministros impios habet: quo nimirum ostensum fuit,veritatem difficilè peruenire, difficileq; locum habere apud principes, & potentes Prælatos. Cuius rei triplex existit causa. Prima,quòd parum admodum curant huiusmodi spiritualia, satis sibi æstimant esse, quòd Prælati sint,& subditos habeant; Non audiunt sermones, scripturas non legunt;neq;.n. his se indigere arbitrantur.Verùm longissimè aberrant; quantò enim plures tibi commissi sunt,tātò magis te discere oportet,quid sit agendum. Et quo altius sedes,eo periculosius agis. Sic Moyses Ios. 1. Instituens Iosue in principem populi(inquit)non recedat volumen legis de ore tuo.Sic Dauid 1. Para. 22. ad Salomonem ait; Tunc prosperaberis, si mādata Dei custodieris;sic Ioiada regi Ioas librum legis in manum dedit. Altera causa,ob quā veritas ad Ecclesiæ rectores difficilè ingreditur,ea est,quòd nonnunquam audire dedignantur,nisi quæ arrident; quemadmodum, & Amasias 2. Par.25. prophetæ corripienti dicebat;quiesce, ne interficiam te. Tertia causa est, malitia ministrorum, qui plerunque adulatores sunt,ac dexteram auriculam cum Malcho perdiderunt Ioan.18. vt nihil audiant,nisi quæ sinistra sunt,atque ea principibus inculcant, suisq; blanditijs Principes,& Prælatos seducunt, ac incitant in perditionem innocentium; quemadmodum impius Aman fecit Hester 3. Hæc inquam,adulatio,summa est Prælatorum pernicies,sed tamē frequentissima; atque vtinā nostri Antistites huiusmodi adulatoribus facerēt,quòd Dauid 1.Reg.1. ei fecit, qui mortem Saulis annunciauerat;itemq; eis, qui gloriabantur se interfecisse Isboseth aduersarium Dauidis 2. Reg.4.quid igitur mirum,quòd innocentes opprimuntur, vbi ille,qui gubernaculum tenet,audire recusat veritatem,vel ab adulatoribus ei falsum suggeritur? Et quoties hæc in mundo fiunt? Adde etiam,quòd in delitijs quandoq;viuunt,nihil curātes de pauperibus: negliguntur pauperes,imò nonnunquam grauantur, vt melius voluptati vacent Superiores. Verè igitur dictum est, væ terræ, cuius rex puer est, & cuius principes mane comedunt, ac ebrietati student. Attendant hæc Rectores. Audite (inquit, Salomon Sap. 6.)vos reges, &c. horrendè, & cito apparebit vobis, quoniam iudicium Dei durissimum ijs, qui præsunt.

6 Itē omnis,qui est ex veritate,audit vocem meam,ait Christus Ioan. 19. Quo verbo docet,qui ad regnum suum cœleste pertineant.Ex veritate autem est,qui diligit veritatem constantem, qui ambit æterna bona,qui sitit iustitiam, & vitam æternam; Hic audit vocem meam, hic pertinet ad regnum meum,& subdit se imperio meo. Igitur Christus

ſtus non eſt dominus eorum,& rex per gratiam, qui ſperant opes,ambiunt honores, huius mundi ſitiunt voluptates; nec eſt rex eorum, qui mouent ſeditiones, ſed eorum,qui ſitiunt iuſtitiam, qui ardenter deſiderant gaudium cœleſte, qui libenter audiunt veritatem: iſtorum eſt enim regnum cœlorum.

7 Alia quoque ſuperioribus addenda eſt cauſa,ob quam veritas nonnũquàm perquàm difficilè à Præſidibus audiatur,& ſuſcipiatur, quòd veneranda veritas in mundo,inſania putatur; id quod inſignis locus Act. 26. nobis apertè indicat, cùm.n. Paulus apud Feſtum,veritatem ſapientiſsimè enarraſſet. Feſtus tamen ſic tandem reſpondit,idq́; voce magna, inſanis Paule; multæ te litteræ ad inſaniam conuertunt. Iã vides,quàm nihil intelligat mundus de rebus diuinis.Mundus veritatem iudicat inſaniam,ſic Propheta. 4. Reg.9. Qui vnxit Iehu,inſanus iudicatus eſt; Sic Chriſtum putabant in furorem verſum Marc.3. Sic vitam piorum impij æſtimant inſaniam, cùm mundus ipſe verè inſaniat. Inſanit qui temporalibus inhiat, cùm neſciat mortem; item qui contra ſtimulum calcat. Feſtus quidem ſuſpicabatur de Paulo, ſed falsò,id quod nos ſæpenumero experimur in mũdanis, qui ſapere volũt, pluſquam oportet,& magiſtri errorum facti ſunt,quo fit,vt Deo dicãt; ſciẽtiam viarum tuarum nolumus, iuſto autem Dei iudicio in animarum diſpendium cadunt,qui ſine timore, Dei negotia tractant.Paulus autem,inquit,non inſanio,ſed veritatis, & ſobrietatis verba loquor, oſtendens profectò ſtudioſam vitam,& doctrinam non eſſe inſaniam, ſed veritatem,& ſobrietatem; è contra autem mundus inſanit,& mẽdacio nititur,& quaſi ebrius neſcit quid faciat. Tu quoque ſimili modo ſi Religionis emendationẽ verè tractaueris, ſtatim cum Paulo inſanus exiſtimaberis,etiã apud non infimos Præſides; Non fuit tamen infrugifera in Eccleſiæ exordijs concio Apoſtolorum, licet non ſemel ab impijs interrupta. Veritas enim domini ſemper vincit.Multi ſiquidem ex his, qui ſermonem domini audiebant, perſuaſi crediderunt, contemptis omnibus magnatum minis. Ergo nihil perficitur tyrannide,ſed quo magis præmitur veritas, eo magis eniteſcit, & tandem victrix euadit. Quid igitur formidamus? Idipſum nobis quoque in periculis cogitandum,& ex iſtis diſcenda eſt conſtantia. Quantumcumq; igitur veritatis admonitores opprimuntur, reijciunturq́;, attamen granum ſinapis creſcit, & fermentum non ceſſat, donec totum fermentetur. Adeo non exanimarunt robuſta, conſtantiaq́; Apoſtolorũ pectora minæ tyrãnorum,& dira ſupplicia, vt vel magis animauerint, gaudentes enim ibant à conſpectu Cõcilij,eo quod digni habiti eſſent qui pro veritate tuenda, contumelia afficerentur.Iam enim ſalutifera

præceptoris

præceptoris commonitio in memoriã redibat, dicentis; Beati estis, cùm insectati vos fuerint homines propter me, gaudete. Sed quis vir probus difficilem ad audiendam veritatem se exhibebit, cùm Spiritus Sanctus & sit, & dicatur Spiritus veritatis? Quoniam verax est, & omnem veritatem continet, & nihil suggerit nisi veritatem; Vnde, & Apostolus à Christo promissus, & missus est etiam. Sic Ioan. 16. Cũ venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: hinc est, quòd cùm veritas tantam oppugnatorum turbam habeat contra se concitatam, nullis tamen neque dolis, neque insidijs, neque versutijs, tãto tempore eã expugnare potuerũt, neq; sunt expugnaturi: quoniam nihil veritate fortius, quæ semper vincit 3. Esdræ. 3.

8 Ex eodem putrido fonte proficiscitur adulatio, quæ dulcis instar veneni, eo præsentius animã occidit, quo suauius lenocinatur aurib. Quo sanè vitio cùm inficiantur quandoque Principes, & Prælati, manifesto consequio corrumpit, quotquot ab eorum pendent regimine, vt iam ferè quicquam ab eis obtineri vix possit, nisi media adulatione id fiat. Fitq; odiosa veritas, quemadmodum Michæam odio habebat Achab, quòd veritatem illi annunciaret; rexq; Sedechias carceri addixit Ieremiam eadem de causa. Verùm enimuero haudquaquam poterant carceri astringere veritatem; illi etenim omnes iam tandẽ periere cum suis assentatoribus, quique omnium affluebant rerũ copia, solius inopiam veritatis patiebantur; sponte illam sibi assumentes pœnitentiam, quæ iure optimo debebatur. Sunt etiam nonnulli, qui cum Pilato Ioan. 18. quid sit veritas, exquirunt, sed cognitam veritatem opere non amplectuntur: Pilatus itaque non satis intelligens obstrusum de veritate sermonem, Christum interrogauit, quid esset illa veritas, cui ipse testimonium perhibiturus venerat? Verùm proposita quæstione, non expectans solutionem, statim exijt ad Iudæos, vel quòd illi tumultum excitarent ante fores, vel quia rei, quam non capiebat, parum affectus esset, vel quia iam sibi compertam satis esse putaret Christi innocentiam. Habet profectò Pilatus non paucos hodie sibi similes, qui vel ad audiendam veritatem vtranque aurem obturauerunt, vel inutili quadam curiositate veritatem inquirunt, quam illis Christus, vt Pilato indefinitam relinquit, quod ipsi quoque similia habeant impedimenta, qualia Pilatum remorabantur.

9 Ea autem præ ceteris omnibus causa validissima est, vt vniuersos Prælatos huc adducamus, ꝙ sacram qualemcunque veritatem placidis, gratisq; auribus accipiant; quòd videlicet viris prudentibus, atq; sapientibus indigent, vt recto tramite gubernaculum dirigant, & tantam rerum, & negotiorum molem sustinere valeant. Rex Assuerus

Hester cap. 1. interrogabat sapientes, qui ex more regio semper ei aderant, & illorum faciebat cuncta consilio, scientium leges, ac iura maiorum. Scitus profectò est hac in re Aristoteles 3. lib. Politi. cap. 12. Asserens incredibile esse, quenquam melius videre duobus oculis, & duabus auribus iudicando, & duobus pedibus, duabusq; manibus agendo, quàm multos multis, quamobrem principes, ac reges nunc quoque multos sibi oculos, multas aures, multas item manus, atque pedes faciunt. Et cap. 7. subdit; Cùm conueniunt multi, suam quisque partem habent virtutis, atque prudentiæ; suntq; quasi vnus homo multipes, vt ita loquar, & multimanus, ac multis sensibus, multisq; moribus, & intelligentijs præditus. Quo fit, vt multi rectius iudicium, quàm singuli ferant. Hæc Aristoteles. Nemo enim solus satis sapit. Cogitationes nanque, atque consilia nostra, vt quibus natura afficimur, nisi fidele foris per consolationem sit adhibitum consilium, facilè nos fallere possunt, & errorum plena sæpenumero comperiuntur. Contra, quæ alieno iudicio, atque sententia comprobantur, securitatem comparant animo, & firmitatem in rebus tuentur. Cùm igitur consilium sacra res sit, ibiq; salus existat, vbi multa consilia, tam necessarij profectò Prælatis, quantumuis litteratis sunt veritatis admonitores, quàm manus, quàm pedes.

10 Tum ergo demum cognoscemus veritatẽ in Prælati hospitio non exigua humanitate fuisse susceptam, cùm hæc duo documenta ab eo obseruari viderimus. Primum quidem oportet vnumquenque moderatorem in se prius, quàm in alijs, legum decreta declarare. Operibus homines, non verbis maximè mouentur; ideoq; quod facio, non quod præcipio, alios docere videor. Quid? dedoceo perfectò factis, quod verbis duntaxat præcipio, nisi verbis respondeant opera. Qui enim aliud agit, quàm præcipit, longissimè à præceptoris officio recedit; imò, absit immodestia, præuaricator è præceptore redditur. Præterea, diligenti præmeditatione inuestigare decet gubernatorem, & moliri magna quædam, quibus non intẽpestiuè, suæ opem ferat reipublicæ. Quæ, quæso, vnquam res magnæ præmeditatione, præcogitationeq; neglecta, vel posthabita, fuerunt gestæ, aut fœliciter successerũt? atque hinc, ni fallor, euenit, vt ijs præcipuè res contingant prosperiores, qui sunt præmeditati prudenter. A præmeditatione nanque, tanquàm à suo fonte, quicquid sapiẽter geritur, deriuatur. Atqui legislator noster diuinus, quæ facturus erat annis tribus, triginta hæc annis præmeditatus est, qui tamen à principio nouerat omnia, iuxta doctrinam Sancti Thomæ 3. par. quæst. 10. art. 2. & 3, & inferius. Sed quo nobis exemplum præberet, facienda diligentius esse præmeditanda.

Nec enim quicquam gesſiſſe mirabile legimus totis triginta illis annis præter id duntaxat, quod etiam num duodecim annos natus, id quod modo dicebam, in templo legiſdoctores edocuit, tanto tempore legislator noſter præmeditationi vacauit. Et hâc quidē præclarius, quàm humana fragilitas fortaſsis deprehendere queat, reddidit. Hoc nanque tempore architectus omnium præſtantiſsimus, humilitatis, cunctarùm virtutum facilè principis, primaria fundamenta, non tàm apparabat, quàm iaciebat; Hoc tempore ceterarum virtutum erigebat parietum ſtructuram. Auſim dicere, hanc mirabiliſsimam rē geſſiſſe Saluatorem, quòd toto hoc tempore nihil mirabile gerere voluerit; Solicitudinem quidem hanc, & vigilantiam Præſidibus conuenire viri ſapientes, vel ethnici ſuis ſcriptis aſſeruerunt. Igitur oculatiſsimè Præſes, diligenter tuæ menti inſeres ſapientis verba in prouerbijs, videlicet, ne fortè gemas in nouiſsimis, quādo cōſumpſeris carnes tuas, & corpus tuum, & dicas: Cur deteſtatus ſum diſciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum, nec audiui vocem docentium me, & magiſtris non inclinaui cor meum?

11 Ad exactam verò, puramq; audiendam veritatem, amicos tibi facito, quibus eam tibi aperientibus, teq; addiuuantibus, quàm optimè republicam Religioſorum tibi commiſſam gubernaturus ſis. Nam ijs potiſsimum, & parare tibi gratiam, & tueri poteris; Cautè igitur animaduerte, quos in familiaritatem eligis tuam, memor futurum, vt omnes qui tecum non habent conſuetudinem, te ſimilem eorum arbitrentur, quorum vteris familiaritate. Si medici præcipiunt, vt qui velint conſulere bonæ valetudini corporum, viuant inter homines ſalubri corpore prǽditos, ſucculentos, & hilares, fugiantq; conuictum eorum, quos infœlix corporum temperatura reddit graciles, pallidos, iracundos, moroſos, aut commitialibus morbis obnoxios. Multò verò citius contrahuntur animorum vitia, quàm corporum. Quantò diligentius cauendum ab ſocietate malorum? & qui cum balbis aſsiduè viuit, diſcit, & ipſe balbutire: & caligatur, qui cum lippis habet aſsiduā conſuetudinem, & cum claudis diſcit, & ipſe claudicare. Sciendū quoque tantam eſſe rerum naturalium potentiam, quòd non modo res ſibi propinquas ſua vi afficiat, ſed etiam longinquas; quemadmodum fit in magnete, qui non ſolùm anulos ferreos trahit, ſed etiam anulis ipſis ſuam virtutem infundit; ideo conuerſationem inter gentes habendam eſſe bonam dixit Apoſtolus.

12 Caue rurſus Antiſtes integerrimè, ne te fallant adulatores, domeſtica Potentum, & Superiorū, aſsiduaq; peſtis. Nam Ageſilaus Rex Lacedæmoniorum ſolitus eſt dicere; ſi quando contingat audire homi-

nem laudantem, aut vituperantem quempiam, non minus spectandos esse mores eius, qui dicit, quàm de quibus dicitur, facilè enim Superiores magna de se loquentibus aurem præstant, atque sic decipiuntur. Adulatores sunt sicut Larus auis, quæ tactu multa plumarũ copia, carnibus exiguis, pariens vociferatur; quam ob rem qui multa pollicentur verbis, re pauca exequuntur, laros parturientes vocamus; sit igitur tibi tàm triste laudari à turpibus, quàm si lauderis ob turpia & lætior esto, quoties displices malis; ex improborum existimationibus malignis veram laudem tibi ascribe. Augustus mortuo Varrone, idcirco se supra modum dolere aiebat, quia non esset iam, à quo verum audiret. Antigonus audiendæ veritatis amantissimus, qui regnauit in Asia, inter venandum mutata veste, relictis comitibus, errabundus apud agrestes homines vili tuguriolo pernoctauit incognitus, de seipso, tanquam de altero percunctatus, omnia quæ fecerat mala, ab eis villicis audiuit; mane quæsitus, & inuentus, cùm vestem allatam, & regium ornamentum vidisset. Date, inquit, purpuram, quam vt primum indui, verùm de me, nisi hac nocte nunquàm audiui. Libere enim, & sine adulatione veritatem prædicantes, & gesta prauæ vitæ arguentes, gratiam ferè non habent, maximè apud homines prauos. Admonitus Calysthenes Philosophus apud Alexandrum ab Aristotele, vt cum rege, aut rarò, aut iucunda loqueretur, sed infœlix tam amicum non obseruauit cõsilium, eum itaque crudelibus modis lacerum in custodiam rapuit iratus Alexander, quia vera loquens, & diuinum cultum homini denegauerat.

FINIS SECVNDI LIBRI.



ORDINIS CANONICORVM REGVLARIVM ELVCIDATI, LIBER TERTIVS.

L. Ioanne Trullo Aragonio Authore.



De Capitulo Prouinciali celebrando. Cap. j.



EGIMVS hactenus de ijs, qui in vnaquaque Canonicorum Regularium priuata domo, seu monasterio gubernacula tenent. Nunc agendum nobis est de totius congregationis primoribus horum autem in suam functionem ingressus, & ianua est Capitulum prouinciale. Quo verò ritu, & lege illud celebranddũ sit, perspicua breuitate pro virili nũc enodare auspicamur. Id autem faciliori negotio præstabimus, si insigne hac in re Capitulum, in singulis, de stat. Monach. & Canon. Reg. vtcunque enarrauerimus. Sic igitur Innoc. 3. ait; In singulis regnis, siue prouincijs fiat de triennio in triennium, saluo iure diœcesanorum Pontificum, commune Capitulum Abbatum, atq; Priorum Abbates proprios non habentium, qui non consueuerunt, tale Capitulum celebrare, ad quod vniuersi conueniant, præpeditionem canonicam non habentes, apud vnum de monasterijs ad hoc aptum, &c.

2 Volens Innoc. 3. reformationi status Religiosorum diligenter intẽdere, dum in generali Concilio resideret, statuit in singulis prouincijs à triennio in triennium commune Capitulum Abbatum, & Priorum, proprios Abbates non habentium, quiq; tale Capitulum non consueuerint celebrare, omnino esse celebrandum. Quo in loco primum annotandum est, triẽnij rationem non sic esse computãdam, quãsi liceat ipsum celebrare in fine vnius triennij, & reliquum statim in principio alterius triennij: aut rursus si in principio vnius triennij illud celebraretur; Alterum verò in fine alterius trienni. His enim fraudibus fieret, vt sex annis Capituli celebratio malitiosè retardaretur, ordinisq; re-

 forma-

formatio impedietur. Mens igitur Pontificis ea est, vt inter vnum Capitulum, & alterum sequens, integri trienij spacium intercedat, & trāsigatur; nec prius anticipetur, sed nec longius differatur, aut prolongetur; id quòd, & consuetudo interpretatur. Quare Pontificis mentē periti interpretantur, vt in principio cuiuslibet triennij Capitulum prouinciale celebretur. Alioquin enim vltra sex menses saltem differri posset. Hæc omnia asserunt hoc loco Panorm. not. 1. & Ant. Butrius q. 1. qui & alio suæ artis peritos in eādem sententiam accersunt. Ceterum Bened. 12. in Constit. Canon. Reg. tit. de Capitulis prouincialibus faciendis, de quadriennio in quadriennium huiusmodi Capitulum celebrare instituit. Ipseq; circa hanc dubitationem his verbis suam mentem explicuit, dicens; Quod autem præmittitur de prouinciali Capitulo, de quadriennio in quadriennium celebādo, ad cuiuslibet hæsitationis scrupulum amputandum, ad sanum referri volumus intellectum: vt scilicet, cùm vno anno prouinciale Capitulum fuerit celebratum, duobus futuris annis proximis ab illo valeat abstineri, in alio anno immediatè sequenti omninò celebrando. Ad prædictum autem Capitulum omnes iam enumerati Prælati, tàm exempti, quàm non exempti, vt glosa hic ait, quod probat ex cap. sequenti. §. si verò. & idem ait Ant. Butrius nu. 12. conuenire tenentur, nisi legitimum impedimentum habuerint, vt infirmitatem, vel aliud id simile. Dum autem refert, atque enumerat textus Abbates, & Priores Abbates proprios non habentes, manifesta luce ab hac conuocatione excipit, expellitq; illos Priores, & Abbates, qui habent patres Abbates, de quibus fit mentio cap. vlt. de Regularibus. At verò Bened. 12. præter iam enumeratos Prælatos, qui ad Capitulum prouinciale cōuenire tenentur, etiam connumerat Priores Ecclesiarum Cathedracium, & Procuratores Prælatorum prædictorum, & Procuratorē Ecclesiæ, vel monasterij vacantis. Pœna autem absentium contumacium ab eodem præscribitur nempe condemnatio in expensis, quas facturi erant, in vtilitatem ipsius prouincialis Capituli conuertendis. Et potest aliàs contra eos procedi.

3 Ius autem Episcoporum saluum conseruādum est in visitationibus, procurationib. & correctionib. vt glossa exposuit. Sed vt alij inquiūt, per hoc in nullo eneruatur iurisdictio Episcopi. Qui potest etiam pluries, quàm de triennio in triennium visitare, & synodum tenere. Demum locus Capitulo celebrando aptus, censetur monasterium, habita ratione distantiæ, quo ad omnes, qui cōuenire tenentur. Sed Bened. 12. loco citato expressit huiusmodi locum aptum, videlicet monasterium aliquod eiusdē Religionis, si in eadem existat prouincia; alioqui

enim

enim locum congruũ,& securum eligendi voluit. Congruus quidem erit iudicio nostro,si hospitijs,alijsq; victui necessarijs abũdet:securus verò, si iter peragendum à latronibus,homicidisq;, ab alijs huiusmo di iniuriarũ illatoribus sit liber. In eoq; loco summa libertate Capitulũ peragi possit,nihilq; iniuriarum,aut calamitatis formidandũ sit.

4 Dubitatiuncula tamen non contemnenda hic excitatur; An soli Prælati iam enumerati ad Capitulum prouinciale conuenire teneantur,in eoq; celebrando vocem habeant definitiuam, & subscribendi auctoritatem? an fortè etiam ipsa monasteriorum capitula,vel ipsorũ legitimi Procuratores sint etiam conuocandi, & definiendi, subscribẽdiq; eandem cum ipsis Prælatis potestatem habeant? Nam si soli Prælati absque Capitulorũ assensu, & comprobatione negotia finire,statutaq; condere tentauerint; Capitula monasteriorum pro more suo conquerentia,Prælatos ipsos, suspectos, iniquosq;, & inhumanos iudices existimabunt. Equidem post adhibitam aliquantulam inuestigationem,nullum hactenus doctorem inuenire potui, qui hanc litem vel dirimeret,vel attingeret.ea forte de causa quòd in Prælatorum fa uorem res esset compertissima. Quam proinde discutiendã viris peritioribus prudens missam facio. Quid tamen ea in re sentiam, modestissimè dicam. Opinor enim in Capitulo prouinciali solos iam numeratos Prælatos admittẽdos esse ad negotia tractanda, definienda,cõcludenda,& subscribenda,procuratoribus monasteriorũ foras explosis. Prima quidem nostra ratiuncula hæc est,quòd Innoc.3. in præsenti cap. In singulis. Abbates tantùm, & Priores Abbates proprios non habentes commemorat,dicens;Commune Capitulum Abbatum,atq;Priorum Abbates proprios non habentiũ;nulla facta Capitulorum mentione. Igitur Capitulorum Procuratores admittendi non sunt. Secunda ratiuncula est, quòd Bened. 12. loco citato hanc constitutionem Innoc. 3. referens,& explicans,solos Abbates, & prædictos Priores,Abbates proprios non habentes, & Priores Ecclesiarũ Cathedralium,& Procuratores Prælatorum prædictorum,& Procuratorem Ecclesiæ,vel monasterij vacãtis,conuocandos esse, & conueniri teneri decernit; nusquàm tamen Capitulorũ meminit. Capitulorũ igitur Procuratores ad supradicta munera obeunda in Capitulo prouinciali admittendi non sunt. Tertia ratiuncula est, quæ insignem absurditatẽ explicat,& detegit. Nam si Capitulorũ Procuratores æqualem cum suis Prælatis potestatem in definiendo,statuendoq; haberẽt; subditos, & inferiores suis Prælatis, & Superioribus coæquaremus, cum tamen longè aliud sit capitis, quàm ceterorum membrorum mu nus. Facilis etiam via sterneretur ad impediendam Capitulorum re-

formationē,ad excitanda schismata,ad disseminanda dissidia: suffragiorum.n.vocūq; numerus vtrinq; par esset,& ęqualis;nihil igitur boni perageretur, sed vniuersus ordo miserere cōturbaretur.Est etiā, & vltima illa ratio nō negligēda,quod in Cōcilijs prouincialibus Episcoporum,quasi ancipiti marte hac de re certatum est à Canonicis Cathedralibus, adiunctis etiam Regularibus Abbatibus, & Prioribus. Sed tandem à tanto munere ab Episcopis reiecti, & deturbati fuerunt. Nec hactenus Romæ fœlicem exitum sunt consequuti. Cuius rei ego ipse testis sum oculatus. Admittuntur tamen Abbates, & Priores iurisdictionē Episcopalem habentes, vt constat in recenti Concilio Toletano.Quare quidā Neotherici decernūt,Capitula nō admitti in Cōcilijs prouincialibus ad decidendum,sed ad asidendum,& tractandū, habent enim solum votum consultiuum,non decisiuū, secundum Abbatē in cap.finali,de his,quæ fiunt, à Præl.sine consen.cap.Idem quoque definitum est in actis Cōcilij prouincialis Cameracensis sub Maximiliano Archiepiscopo his verbis; Quibus lectis Reuerendissimus dominus Archiepscopus declarauit,ex consilio etiam iurisperitorum, sibi, & coepiscopis suis comprouincialibus duntaxat competere; in statuendis istiusmodi decretis vocem definitiuam,& decisiuam.Capitulis autem cathedralibus, & reuerendis dominis Abbatibus, alijsq; Religiosorum Ordinibus vocem concedi consultiuam:ac omnibus ad Concilium prouinciale conuocatis,& comparētibus liberā fecit quidnis proponendi potestatem: vt omnibus per patres bene perpensis, concludatur per ipsos patres,prout negotij qualitas postulabit. Bene igitur secum actum esse Capitula sibi persuadeant, si sui legitimi Procuratores in Capitulo prouinciali querimonias, aut alia vtilia negotia proponentes audiantur.

5 Secunda ipsius textus pars sic habet.Hoc adhibito moderamine,vt nullus eorum plusquàm sex euectiones,& octo personas adducat, &c. Hic vnum illud sciendum esse puto ex Panor. not.2. Inter duas equitaturas duci posse famulum pedestrē: nam vt hic vides,potest quisque eorum ducere sex euectiones, idest equitaturas, & octo personas. In equitaturis verò computatur equus ipsius Abbatis, sed in numero octo personarum non computatur persona sua. Quia textus dici, quòd quisque potest adducere octo personas.Et sic erunt nouem personæ,& octo equitaturæ. Quòd annotari solet,vt explicetur,Episcopo visitanti licere ducere,præter sessores equorum,vnum seruientem pro duobus equis.Illud etiam hic adijciendum,hoc moderamen ab innocentio fuisse adhibitum ad imminuendas monasteriorum, Prælatorumq; expensas, & vanam pompam fugiendam: id quod apertius Be

nedi-

nedictus 12. nullo equorum, famulorumq; præfixo, aut limitato numero explicuit, iubens, ne ad prouincialia Capitula venientes, secum ducant, vel duci faciant, seu permittant euectiones, seu familiares nimium superfluos, seu quomodolibet excessiuos, non rixosos, nec turbulentos. Sed numero euectionum, & familiarium statui cuiuslibet eorum congruo sint contenti.

6 Tertia pars textus sic ait. Aduocent autem in huiusmodi nouitatis primordijs duos Cisterciensis ordinis vicinos Abbates, ad præstandũ sibi consilium, & auxilium opportunum: cùm sint in huiusmodi Capitulis celebrandis ex longa consuetudine plenius informati. Qui absq; contradictione duos sibi de ipsis associent, quos viderint expedire: ac ipsi quattuor præsint Capitulo vniuerso: ita quòd ex hoc nullus eorũ sibi auctoritatem Prælationis assumat. Vnde cùm expedierit prouida possint deliberatione mutari.

7 Primum itaque à Communi Capitulo Abbatum, & Priorum, qui ad prouinciale Capitulum cõuenerunt, aduocãdi sunt duo vicini Cistercienses Abbates; nõ qualescunque, sed doctiores, & peritiores, vt Præsidentium munere in ipso Capitulo dignè, vtiliterq; fungantur. At verò alij opinantur nõ esse hodie necessarium alienos Abbates accersere, cùm proprij Prælati sint ad hanc curam gerendã satis instructi. Quam opinionem si non probaueris, nihil pugno: illud tamen certo scio Concilium Trid. sess. 25. in decr. de reg. c. 8. id tantum præcipere, vt certæ Regulares personæ in Capitulo huic muneri deputentur; cui consonat Bened. 12. loco citato, volens à Sede Apost. prima vice præsides deputandos esse; postea verò ab ipso Capitulo semper eligendos. Ceterum post ipsa primordia quid agendum sit, Innoc. explanauit: videlicet à toto Capitulo, vel maiore eius parte eligẽdos esse quattuor Abbates, vel Prælatos de ipso Capitulo. Nam vt Ant. de Butrio annotauit, capita ipsorũ Religiosorum, qui Capitulo prouinciali præsunt, quandoque appellantur Priores, quandoque Abbates. Cùm verò textus inquit, à Cisterciensibus Abbatibus duos sibi de ipsis esse associãdos, intelligẽdũ est de ipsis Abbatibus, vel Prioribus eiusdẽ Ordinis, qui ad Capitulũ Prælatorũ conuenerunt. Ad nutum tamen Capituli prouincialis mutari poterunt; ne prælationis ambitione rapti, sequentibus triennijs inuito etiam Capitulo præsidere velint, & contendant. Voluit tamen Bened. 12. Pręsidentium potestatem ab vno prouinciali ad aliud prouinciale Capitulum perdurare.

Quarta textus pars sic inquit; huiusmodi verò Capitulũ aliquot certis dieb. cõtinuè iuxta morẽ Cisterc. Ord. celebretur: in quo diligens habeat tractatus de reformatione Ordinis, & obseruãtia regulari, &c.

Explicat

9 Explicat hoc loco Summus Pontifex temporis ſpacium, quòd in celebrando Capitulo inſumendum eſt, quod quidem quamuis illimitatum, ſed abſque interruptione continuum reliquerit, perlongum tamen eſſe noluit, ſed prouida breuitate tractandum, quàm illa verba manifeſtè ſignificant, videlicet aliquot certis diebus, idq; ad euitãdos immodicos ſumptus, & ad Prȩlatorum in ſuas eccleſias regreſſus procurandos. Præterea, quæ illic agenda, tractandaq; ſint, breui expoſuit, videlicet de reformatione, & obſeruantia regulari, quæ duo quamplurima ad rectum monaſteriorum regimen ſpectantia complectuntur. Ad Concilium Tridentinum loco citato id pluſculum extendit, dicẽs: De modo, & ordine de prædictis congregationibus erigendis, ac ſtatutis in eis exequendis eſſe deliberandum, & ſtatuendum. Neotherici tamen quidam doctores rectè admonent, id quoque in Capitulo prouinciali eſſe curandum, vt illud ſeruetur, quod alias ſtatutum eſt, quòd generaliter, ſeu ſpecialiter obſeruari præceptum erat.

10 Quinta pars textus eſt huiuſmodi: Et quod ſtatutum fuerit, illis quattuor approbantibus, inuiolabiliter obſeruetur, omni excuſatione, & contradictione, & appellatione remotis, &c. Pauca quædam hic ex Panor. accipienda ſunt. Primùm, Prælati vnius prouinciæ ſimul ob legitimam cauſam conuenientes, faciunt vnam vniuerſitatem: licet quilibet in eccleſia ſua faciat collegium cum ſuo Capitulo. Secundo, certus ordo religioſorum poteſt facere ſtatuta ligantia ſingulos de illo ordine. Quo fit, vt religioſi non ſolùm arctentur ad viuendũ ſecundum regulam, ſed etiam ſecundum ſtatuta totius ordinis. Eandẽ rationem ſequutus Bened. 12. decernit, vniuerſos Prælatos, adminiſtratores, atque canonicos, ſiue ſimplices, ſiue beneficiatos, idq; tam exẽptos, quàm non exemptos, dictorum Capitulorum prouincialium diſtrictionibus, correctionibus, & ordinationibus ſubijci, & ipſis aſtringi, eosq; ad obſeruationem illarum fore per Præſidentes, ſeu alios, ad quos pertinuerit, compellendos. Tertio, quamuis gloſſa hic ſentiat, maiorem horum Præſidentium partem ad validitatem actus ſufficere, Ex hàc tamen littera aperte conſtat, vnius contradictionem impedire omnes, vt nihil validè ſtatuatur. Ait enim tex. illis quattuor approbãtibus. Et dilucidius multò id manifeſtat littera in. §. ſi verò: dum inquit, ceteris irrefragabiliter obſeruatis, quæ concordi fuerint deliberatione prouiſa. Id autem concorditer fieri iure dicitur, quod fit nemine diſcrepante. Sed nec nobis huius rei ratio deeſt. Hi. n. quattuor Præſidentes ſunt loco vnius, eamq; poteſtatem habent ex diſpoſitione quodammodo extraordinaria; ob idq; Pontifex voluit omnes eſſe cõcordes. Quare vnius contradictio totum inficit actum. Longè tamẽ

alia

alia ratione sentiendum est de contradictione minoris partis totius Capituli, seu Concilij: illic.n. plurium dispositioni standum est. Quarto ex glossa dicente, inquisitio hæc fit causa correctionis, & reformationis; quare locum non habet appellatio, nisi forsitan modus excederetur; nec etiam recusare possunt. Cùm enim eos elegerint, eorum personas approbauerunt, nisi ex noua causa superueniente. Quia iusta recusatio nulli est deneganda. Quare, vt inquit Panor. omnes Præsidentes alicui Concilio, seu Capitulo, possunt vt suspecti recusari ex causa legitima. An verò totum Capitulum recusari possit, præsertim propter Præsidentes suspectos, hic non definiuit Panor. Alij tamen hoc loco sic sentiunt, quòd si quispiam à principio contradiceret Capitulo, & iustam causam ostenderet, audiendus esset.

11 Sexta pars sic sequitur. Prouiso nihilominus, vbi sequenti termino debeat Capitulum celebrari, &c. Bened. autem 12. sic ait. Eligāt quoque tam locum, in quo alia vice proxima huiusmodi Capitulum fuerit celebrandum: quam eos, qui Præsidentes esse debeant in eodem.

12 Septima pars sic habet; vt qui conuenerint, vitam ducant communem, & faciāt proportionabiliter simul omnes communes expensas: ita quòd non omnes poterunt in eisdem, saltemplures simul in diuersis domibus commorentur, &c.

13 Vitam quidem communem in Capitulo annuali ducendā esse duxit. Bened. 12. Verbum autem, proportionabiliter, glossa exposuit, idest pro numero personarum, & secundum facultates cuiuslibet, sicut in naui fit collatio secundum proportionem, & æstimationem rerum. Vt enim inquiunt nonnulli, non esset proportionatum, si tantum solueret, qui ducit tres equos, quantum qui ducit sex.

14 Deinde sequitur octaua pars. Ordinentur etiā in eodē Capitulo religiosæ, ac circunspectę personæ, quæ singulas abbatias eiusdē regni, seu prouinciæ, non solùm Monachorū, sed etiā Monialium secundum formam sibi præfixam, vice nostra studeant visitare; corrigentes, & reformantes, quæ correctionis, & reformationis officio viderint indigere: ita quòd si Rectorem loci cognouerint ab administratione penitus amouēdum: denuncient Episcopo proprio, vt illū amouere procuret. Quod si nō fecerit: Visitatores hoc referāt ad Apost. Sedis examē, &c.

15 Quædam non leuis momenti hic consideranda sunt circa horū Visitatorum iurisdictionem, & potestatem. Primum enim visitare possunt abbatias omnes, tàm exemptas, quàm nō exemptas; vt glossa infert ex verbis illis, singulas abbatias eiusdē regni, seu prouinciæ: Sanctimonialium autem textus meminit, nam & ipsæ visitatione indigēt. Visitandi autem potestatem restrinxit ad formam sibi præfixam, idest ordina-

ordinatam, & traditam in Capitulo prouinciali. Corrigenda autē, reformādaq; sunt, quæ correctionis, & reformationis officio viderint indigere; scilicet circa spiritualia, & temporalia; Hoc vno excepto, quòd Monachos ipsi non corrigent, sed à suis Prælatis corrigi faciant. Secundo notandum, quòd Capitulum prouinciale, vel Visitatores ibi electi, non habent potestatem deponendi aliquem Abbatem, vel Rectorem à prælatura, vt asseuerant hic Panormitanus, Innocētius, & alij ex hoc textu dicente: Denunciēt Episcopo proprio, vt illum amouere procuret, vel referant ad Apostolicæ Sedis examen. Tantundem traditur in cap. sequenti. Tertio notandum, quòd licet variæ ferantur opiniones in explicādo, an hi Visitatores habeant iurisdictionem ordinariā, an verò delegatam? Sequenda tamen est Panormitani sententia, qui asserit hos Præsidentes Capituli prouincialis habere potestatem ordinariam, ratione & auctoritate huius constitutionis à Sede Apostolica dimanātis. Id quod profectò & illa glossa in verbo, illis quattuor, manifestè docuit. Est autē iurisdictio ordinaria, quæ lege confertur; sed ij Visitatores habēt potestatem delegatam à Sede Apostolica. Quod quidem manifestant verba illa, vice nostra. His enim verbis datur delegata potestas. Ex iure enim communi quodlibet monasterium subijcitur Episcopo, licet hodie iure speciali multa monasteria sint exēpta, habentia patrem Abbatem, vel Priorem conuentualem loco Episcopi. Delegatus autem dicitur, qui iudicat alieno iure. Hinc fit, vt ijdem Visitatores, quoniam potestatem à Sede Apostolica habent, etiam exemptos visitare possint.

16 Oritur tamen grauis contentio; An ex hac Visitatorum functione Episcopo loci detrimentum aliquod, vel præiudicium inferatur? Prima quidem responsio esse posset, nullum damnum Episcopo propterea adferri. Cùm superius iam sit appositum, saluum ius Diœcesanorum esse conseruandum. Visitatores autem tunc demum corrigent, cùm Episcopus negligens fuerit. Alioqui.n. quorsum tam multiiuga visitatione monasteria sunt aggrauanda? Item Episcopi iurisdictio vsurparetur. Vt autem Episcopus iure negligens censeatur, prius admonendus erit. Verior tamen est responsio secunda glossæ in verbo, vice nostra. Nempe huiusmodi Visitatores absque vlla priori admonitione visitare posse, idq; sibi licere. Nam in negotijs Religiosorum peritiores sunt, atque doctiores Regulares Visitatores. Episcopi autē ius sat illæsū cōseruatur, si à Visitatoribus Episcopo denuncietur, qui remouendus erit, vt illum amoueat. Si tamen Episcopus vellet visitare locum; ipsi Regulares Visitatores præponerētur Episcopo. Videretur enim Episcopus hoc malitiose facere ad impediendam visitationem.

tionem. Monasteria verò exempta sine aliqua distinctione Regulares Visitatores visitabunt. Imò, non obstante Episcoporum visitatione, ipsi suum officium exercebunt. Vt manifesta luce hic. §. porro. traditur, & decernitur. Hanc glossæ opinionem & magnificat, & amplectitur Panor. nu. 7. Ceterum quamuis à quibusdam limitetur hæc sententia, nisi Episcopus prius visitare incœpisset, perdocte tamen inquit Host. honestum esse, vt Episcopus cedat huiusmodi Visitatoribus, cũ è longinquis partibus venientes, sine grauamine suam visitationem differre non possent. Ipse autem Episcopus ad alium locum suæ diœcesis declinare poterit. Est etiam & altera ratio, videlicet quòd Visitatores Regulares, cùm sint Papæ delegati, Episcopo sunt præponendi, vt asserit Panormitanus.

17 Sequitur nona pars; Hoc ipsum Regulares Canonicos secundum ordinem suum volumus, & præcipimus obseruare. Hoc autem ea ratione præceptum est, quòd cùm Canonici Regulares verè perfecteq; sint Religiosi, ac secundum regulam sancti Augustini solennem Religionis professionem emittant, cur miraberis, si eandem aliorum Religiosorum legem subire iubeantur? Hac sanè de causa Bened. 12. luculentas, copiosasq; Canonicorum Regularium Constitutiones edidit. In quorum titulis, de Concilio prouinciali, & de Visitatoribus, hæc duo Capitula, in singulis. Et, eaq;, exactè, pleneq; Canonicis Regularibus adaptauit, &c.

18 Decima pars textus sic habet: Si verò in hac nouitate quicquam difficultatis emerserit, quòd per prædictas personas nequeat expediri; ad Apostolicam Sedem iudicium absque scandalo referatur: ceteris irrefragabiliter obseruatis, quæ concordi fuerint deliberatione prouisa, &c. Hunc locũ, cùm quicquam difficultatis emerserit, quidam exponunt, quòd concernat diuersitates, si quæ occurrerint in Capitulo inter Præsidentes, vel post Capitulum inter Visitatores. Et quidem quo ad Præsidentes, iam diximus, omnium ipsorum quattuor necessariam esse concordiam, & consensionem. Quo ad Visitatores autem, tunc tantum recurretur ad Papam, quando pari numero Visitatores discordauerint.

19 Vndecima pars est: Porrò diœcesani Episcopi monasteria sibi subiecta ita studeant reformare: vt cùm ad ea prædicti Visitarores accesserint, plus in illis inueniant quòd commendatione, quàm quòd correctione sit dignum; attentissime præcauentes, ne per eos dicta monasteria indebitis oneribus aggrauentur: quia sic volumus Superiorum iura obseruari, vt inferiorum nolimus iniurias sustinere, &c. Perpendenda est glossula asserens, hinc patere, quòd Visitatores prę-

dicti

dicti visitare possint, etiam si Episcopi non fuerint negligentes.

20 Vltima huius textus pars sic consequitur: Ad hoc districtè præcipimus tàm diœcesanis Episcopis, quàm personis, quæ præerunt Capitulis celebrandis, vt per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescant aduocatos, patronos, vicedominos, rectores, & cõsules, magnates, & milites, seu quoslibet alios: ne monasteria præsumant offendere in personis, aut rebus. Et si forsitan offenderint, eos ad satisfactionem cõpellere non omittant: vt liberius, & quietius Deo valeant famulari. Vbi glossula inquit, ne inde nascatur iniuria, vnde iura nascuntur.

21 Hic vnum primum illud notandum est? Ex Panormitano, quòd ratione offensæ commissæ contra Ecclesias, vel personas ecclesiasticas, seu res ipsarum, possunt Episcopi exercere iurisdictionem in laicos. Et idem dicendum in Præsidentibus ipsi Capitulo: sed Episcopi id faciunt iure proprio: Præsidentes verò auctoritate Papæ secundum doctores, idq; rectè. Ex quo infertur omnia monasteria habere indirectè Conseruatores perpetuos. Idem prorsus concessit Bened. 12. loco citato. Eandem cum Panormitano habent sententiam Innocentius, & Antonius de Butrio nu. 11. dicentes, non solùm Diœcesano, sed etiam Præsidentes Capitulis iurisdictionem habẽt super illis, qui monasteria in rebus, aut personis offendunt. Vnde dicebat Hostiensis, quòd Monachi habent conseruatores, de quorum potestate habemus hodie in cap. 1. & fin. de off. deleg. in 6. Cùmq; offensa fieri possit in rem, & in personam, appellatione offensæ comprehenditur etiam offensa in personam, & in rem. Negotiumq; existimatur ecclesiasticum, non solùm ratione personarum, sed etiã rerum. Perspicuè igitur quidam ex Host. asseuerant, monasteria habere Cõseruatores generales, & perpetuos à Sede Apostolica datos. Quamuis nostris tẽporibus difficilè, nisi ad tempus obtineantur. Hæc etiam prouincialium Conseruatorum iurisdictio, corroborata denuò, confirmataq; videtur vi Cõcilij Trid. quod cap. 8. de regularibus, congregationum erectionem, iuxta hoc Capitulum in singulis constituit, & innouat. Item aduerte in textu nomine Magnatum, Reges, Duces, Marchiones, & Comites, & alios Principes seculares esse intelligendos. Omnes ergo seculares potestatem habentes, quicunque sint, coercendi sunt.

De eodem Capitulo prouinciali ex Benedicto 12. Cap. ij.

1 T autem maiorem rei propositæ lucem inferamus, ipsam Constitutionẽ Bened. 12. hic inserere nõ grauabimur. Ea autem sic exorditur. Constitutionem insuper Concilij generalis de communi Capitulo Abbatum, atque Priorum, Abbates proprios non habentium, in singulis regnis, siue prouincijs faciendo, volentes exacta diligentia obseruari. Statuimus, quòd in Religione prædicta in singulis prouincijs per nos designatis inferius, & distinctis, fiat in loco, qui ad hoc fuerit deputatus, de quadriennio in quadrienniũ, saluo iure Diœcesanorum, commune, seu prouinciale Capitulum Abbatum, Præpositorũ, Priorũ, cęterorũq; Prælatorũ, Abbates, seu alios Prȩlatos Superiores eiusdem Religionis non habentium; necnon Præpositorum, Priorum, vel aliorum maiorũ in ecclesijs Cathedralibus post Antistites existentium, ac post ipsos Antistites regularem curam Canonicorũ habentium, quocunque nomine censeantur, nuncupentur, siue prænominati, exempti, siue non exempti existant.

2 Ad quod vniuersi conueniant, impedimentum Canonicum non habentes dictã constitutionem circa præfatum prouinciale Capitulum, & alia in ea tàm prouidè, quàm salubriter instituta, in religione præfata irrefragabiliter obseruantes. Qui verò ad præfatum Capitulũ personaliter venire nequiuerint, legitimè impediti, ad allegandum causam impedimenti huiusmodi, & probandam, necnon ad recipiendum ordinationes, seu statuta, atque mandata in dicto Capitulo facienda, ac si idem taliter impeditus, personaliter præsens esset, concanonicum suum eiusdem ecclesiæ, monasterij, siue loci, si commodè fieri possit, alioquin aliam personam idoneam cum sufficienti mandato, causam impedimenti huiusmodi continente, & potestatem etiam in animam constituentis eiusdem iurandi, causam huiusmodi veram esse, ad dictum Capitulum mittere teneantur: personæ verò, quæ præfuerint huiusmodi prouincialibus Capitulis celebrandis, quarum potestatem de vno prouinciali ad aliud prouinciale Capitulũ volumus perdurare, arbitrentur, & decernant, an excusationum causæ dictorũ non veniẽtiũ ad Capit. veræ, & sufficientes, vel insufficientes existant, à quorum arbitrio, seu decreto sup hoc nulli appellare liceat, vel etiã reclamare.

3 Non veniẽtes autem ad dictum Capitulum legitimo impedimento cessante, aut cùm subest impedimentum, procuratorem ad illud cũ sufficienti mandato, vt præmittitur, non mittentes; teneantur expensas, quas facerent in veniendo ad dictum Capitulum, morando, & redeundo

deundo facturi,iuxta Præsidentium dicto Capitulo,seu maioris partis eorum arbitrium extimandas, in termino per ipsos Præsidentes statuendo, de bonis suæ administrationis persoluere,in vtilitatem ipsius prouincialis Capituli conuertendas, super quibus nulli in totum, vel in partem gratia fieri valeat,vel remissio indulgeri.

4 Possint etiam dicti Præsidentes eorundem, ad earum solutionē per censuram ecclesiasticam auctoritate Apostolica coercere,suosq; processus,& sententias publicare,seu facere publicari in locis dictæ Religionis,prouinciæ tñ eiusdem:& nihilominus alias contra nō venientes præfatos, maximè siue correctionē euitent,siue vt nesciatur status ecclesiæ,vel monasterij eorundem,vel alias malitiose se subtrahāt,prout dictis Pręsidētibus,seu maiori parti ipsorum visum fuerit procedatur.

5 Circa Præsidentes verò,ac Visitatores in eisdem Capitulis deputandos,& alia quæq; in eis exequenda,illa seruentur,quæ in eisdem generalis Concilij,& fœlicis recordationis Honorij Papæ tertij prædecessoris nostri Constitutionibus expressius continentur, prout statui, & religioni congruit eorundem, seruatis tamen statutis,ordinationibus, & adiectionibus nostris supra,& etiam infrascriptis.

6 Ad hæc decernimus, Abbates,Priores,Præpositos,ac maiores pręfatos,capitula,conuētus,cunctosq; Canonicos ecclesiarum, & monasteriorum Religionis eiusdem,etiam si in ipsis ecclesijs, vel monasterijs,siue extra ea,vbicunq; prioratus,officia,vel administrationes habuerint,seu moram traxerint, tàm exemptos, quàm non exemptos dictorum Capitulorum prouincialiū districtionibus, correctionibus, & ordinationibus subijci,& ipsis astringi,eosq; ad obseruationem illarum fore per Præsidentes,seu alios,ad quos pertinuerit,compellendos. Decernimus etiam,quoscunque dictarū ecclesiarum,& monasteriorum,vel aliorum locorū Religionis eiusdem Canonicos, beneficia obtinentes,ad contribuendum in expensis moderatis, & rationabilibus per Capitulū annuale Religionis eiusdem immediatè præcedens taxandis,secundum suarum exigētiam facultatum, quas dicti conuētus facient,ad dicta Capitula eundo,morando,& redeundo.

7 Imposita tamen dictis conuentibus secundum suarum exigentiam facultatum de dictis expensis congrua portione fore per eosdem cōuenientes auctoritate Apostolica per remedia opportuna, sublato appellationis obstaculo, compellendos: ordinarijs locorum exemptis, & non exemptis districtius iniungentes, quòd nullum prædictis impedimentum apponant, seu apponi permittant, sed legitimè requisiti,ea faciāt exequutioni mādari,& inuiolabiliter obseruari.

8 Quòd si fortè tempore,quo imminebit prouinciale Capitulum celebrandum,

lebrandum, contigerit ecclesias Cathedrales Religionis eiusdẽ carere maioribus Prælatis, vel monasteria, seu loca Religionis eiusdẽ suis vacare, seu carere pastoribus; qui si adessent, astricti forent ad conueniẽdum in prouinciali Capitulo memorato, Capitula ecclesiarum, seu conuentus monasteriorum, aliorumq; locorum conuentualium, teneãtur personam sufficientem de gremio eorundem, si commodè fieri posit, alioquin aliundè transmittere ad huiusmodi Capitulũ celebrãdum, ad faciendum, & implendum omnia iuxta arbitrium Præsidentium, quæ facere possent, & tenerentur Prælati, seu maiores præfati, si venirent ad dictum Capitulum, & in eo personaliter interessent.

Quod autem præmittitur de prouinciali Capitulo de quadriennio in quadriennium celebrando, ad cuiuslibet hæsitationis scrupulum amputandum, ad sanum referri volumus intellectum. Vt scilicet cum vno anno prouinciale Capitulum fuerint celebrandum, duobus futuris annis proximis ab illo valeat abstineri, eo in alio anno immediate sequenti omnino celebrando.

9 Huiusmodi verò commune, seu prouinciale Capitulum, apud vnum de monasterijs Religionis eiusdem, ad hoc aptum, si in eadem existãt prouincia, debet celebrari. Alioquin celebretur in loco alio congruo, & securò, de quo, ac die primi Capituli huiusmodi celebrãdi, & alijs ad hæc facientibus opportunè prouidebunt illi, qui super hoc per Sedem Apostolicam deputati fuerint prima vice. Et vt super eodem Capitulo, & per illud ex tunc in posterum rationabilis ordinatio habeatur, in dicto Capitulo primitus celebrando, & in alijs etiam per successiones temporum similiter celebrandis, Præsidentes eisdẽ, seu pars maior eorum prouideãt, & ordinare procurent, per quem in sequenti Capitulo sermo fieri, Missaq; debeat celebrari.

10 Eligant quoq; tam locum, in quo alia vice proxima huiusmodi Capitulum fuerit celebrandum, quàm eos, qui Præsidentes esse debeant in eodem. Prouideant etiam, qui Abbates, quiuè Præpositi, siue alij ex eis, qui ad ipsum Capitulum venire teneantur, quæ, & quot, & quotiens ecclesias cathedrales, monasteria, & alia loca Religionis eiusdẽ debeãt vsq; ad aliud proximũ sequens prouinciale Capitulũ visitare.

11 Ceterum prohibemus, ne venientes ad prouincialia, seu annualia Capitula secum ducant, vel duci faciant, seu permittãt euectiones, seu familiares nimium superfluos, seu quomodolibet excessiuos, aut tales, de quibus præsumi valeat, quòd alicui ad ipsa Capitula venienti, aut in eis moranti, vel de illis redeunti, aut ecclesijs, monasterijs, prioratibus, vel alijs locis eorum inferant per se, vel alios, in personis, vel rebus, iniuriã, vel offensam, vel quod in aliquo de dictis capitulis, aut

AA in ecclesia,

in ecclesia, vel monasterio, siue loco, quibus illa contigerit celebrari, scandalum suscitare, vel turbationem facere, seu discordiam, vel contentionem mouere, verisimiliter præsumatur, sed numero eue&ctionũ, & familiarum statui cuiuslibet eorum congruo, sint contenti.

12 Si quis autem eorum scienter, & ex proposito duxerit, vel tenuerit aliquem, vel aliquos ad inferendum iniuriam, vel offensam huiusmodi, vt turbetur, vel impediatur imminens Capitulum, vel aliquem, seu aliquos ad hæc cõuocauerit, & ob hoc turbatio, seu impedimentum, secuta fuerit, vel secutum: necnon quicunque alius de personis Religionis eiusdem consentiens in præmissis extiterit, præstando auxiliũ, vel fauorem, scienter, & ex proposito, vt præmissum est, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto.

13 Eandem quoque excommunicationis sententiam, quicunque Religionis præfatæ per se, vel alium impediuerit malitiosè, scienter, & ex proposito, quominus dicta Capitula prouincialia videlicet, & annualia, & eorum quodlibet valeant celebrari, aut propterea præsumpserit euntes ad illa, vel aliquot eorundem, vel in eis morãtes, seu de ipsis redeuntes capere, seu capi facere, seu captos detinere, aut impedire, vel eis, aut eorum familiaribus in personis, vel rebus inferre dãmna, iniurias, vel offensas, necnon quicunque ipsius Religionis, qui ad hoc ne fiat, aut impediatur visitatio, malitiosè, & ex proposito prædicta, vel eorum aliquod per se, vel alium commiserit in personis Abbatum, Priorum, vel aliorum proprios subiectos visitantium, vel in personas Visitatorum, qui in prouincialibus Capitulis, aut per Abbates, seu Prælatos alios fuerint deputati, vel familiarium eorundem, aut in bonis eorum, dum tamen propter hoc visitatio huiusmodi fuerit impedita, ipso facto incurrant.

14 Præsidentes autem prouincialibus, & annualibus Capitulis prælibatis, & eorum quilibet, postquàm simpliciter, & de plano eis cõstiterit, aliquem ex prædictis præfatã excommunicationis sententiam incurrisse, ipsum excõmunicatum per omnia eiusdem Religionis loca vicina, de quibus eis videbitur; tam diu solenniter publicent, & faciãt ab alijs auctoritate Apostolica publicari, eos ad hoc per censurã ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendo, donec excommunicatus huiusmodi condignam super hoc satisfactionem impenderit, & absolutionis beneficium meruerit obtinere. Possint autem ab huiusmodi excõmunicationis sententia, congrua satisfactione præmissa, absolui per Præsidentes dictis prouincialibus Capitulis, & quemlibet eorundem, quorum offensa concernet eorum prouinciale Capitulum, aut per Visitatores deputatos ab eo; illi verò quorũ offensa respiciet

annuale Capitulum, per Prælatos, qui huiusmodi annuali, seu annualibus Capitulis præfuerint, aut per ipsos Prælatos visitantes, seu per Visitatores deputatos ab eis, congrua satisfactione præmissa, absolui valeant. Nisi forsan offensa adeò grauis existeret, quòd super ea Sedes Apostolica meritò foret consulenda.

15 Vt autem professores Religionis eiusdem quietius, & liberius valeant domino famulari, districtè præcipimus, tàm Diœcesanis, quàm personis, quę prouincialibus Capitulis præsidebunt, vt aduocatos, patronos, magnates, rectores, vicedominos, consules, milites, & quoscũque alios per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compescant, ne Cathedrales Ecclesias, monasteria, aut loca alia Religionis eiusdem præsumant offendere in personis, aut rebus eorum, eosq́; si fortè eisdem offensas intulerint, ad satisfaciendum eis compellere nõ omittant. Vt autem de prouincijs, in quibus dicta prouincialia Capitula fuerint celebranda, distincta limitatio habeatur, ne de ipsis in posterũ hæsitetur, quamlibet prouinciam, quo ad huiusmodi prouincialia tenenda, & celebranda Capitula, prout sequitur limitamus, &c.

16 Nunc tandem suauius degustaturus es, quæ à concilio Tridentino de regularibus cap. 8. de erigenda congregatione traduntur.

17 Sed vt iam rem finiamus, Basilius etiam in regulis fusius disputatis interrog. 54. docuit, Præpositos conuentuũ vicissim de his, quæ se cõcernunt, conferre inter se debere. Operæpretium est enim, si statis interdum quibusdam temporibus, certisq́; locis cõsessus celebretur eorum, qui fratrum conuentibus pręsunt, in quibus videlicet, cùm de rebus ijs, quæ sibi præter rationem acciderint, tũ difficilibus, etiam ad tractandum de naturis, aut moribus, & quomodo in singulis moderãdis se gesserint, vicissim inter se communicent, & conferant. Quo videlicet, si aliquid aliquando minus rectè ab aliquo factum fuerit, id adhibita locuplete multorum sentẽtia, maiore cum auctoritate quòd in medium adductum est, quale sit, iudicetur. Contraq́; si quid rectè gestum, multorum similiter testimonio comprobetur.

De Visitatorum prouincialium facultate, & munere. Cap. iij.



1 Ametsi in explicando Capitulo, In singulis, nonnulla attigerimus de Visitatorum officio: perpauca tamen illa fuerunt. Quare vberiori sermone hoc negotiũ perstringendum est. Methodus autem commodior erit, si succinctam Capituli, Ea, quæ de statu Monach. interpretatiunculam aggressi fuerimus, totus .n. in hac re Honorius 3. versatur. Capitis autẽ initiũ sic habet. Ea quæ, ꝑ Religionis honestate: & infra.

2 Porrò cùm Visitatores secundum statutum generalis Concilij ordinati à generali Abbatum Capitulo, processerint ad visitationis officium exequendum, de statu monasteriorum, & obseruantijs regularibus diligenter inquirant, & tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus corrigant, & reforment, quæ viderint corrigenda: ita tamē quòd Monachos delinquētes, per Abbatem loci corrigi faciant: eisq; iniungi pœnitentiam salutarem iuxta B. Benedicti regulam, & Apostolica instituta; non secundum normam prauæ consuetudinis, quæ quasi pro lege in quibusdam ecclesijs inoleuit. Ipsi etiam Visitatores Monachos, quos cōtumaces inuenerint, & rebelles iuxta modum culpæ, vice nostra, regulari censura percellant, absque personarum delectu: nō parcendo rebellibus ob suam pertinatiam, vel potentiam amicorū, quin ouem morbidam eijciant ab ouili, ne inficiat oues sanas

3 Cùm superiori capite, in singulis, cōstitutus fuisset modus, quo cōmune Capitulum de triennio in triennium debent Abbates, & Priores celebrare. In quo & Visitatores eligi, ordinariq; præcipiuntur. Idcirco in hoc capite de exequenda visitatione sermo suscipitur. Primo igitur loco de correctione Monachorum agitur. Nam de statu monasteriorum, & obseruantijs regularibus inquirendum est, & tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus correctio, reformatioq; est pertractanda. Primum igitur aduertēdum, correctionem Monachorū principaliter spectare ad Abbatem proprium, non autem ad Episcopos, nisi in defectum Abbatum: glossa.n. inquit, correctio Monachi primo loco spectat ad Abbatem, ex traditis in cap. quanto. de officio ordinarij. Idq; in quantum agitur de correctione secundum regulam. Qui si negligens fuerit, deuoluitur potestas ad Superiorem, punieturq; ob negligentiam. Visitatores autem huiusmodi, teste Ant. Butrio, circa leuia tantum occupantur; ideoq; in monasterijs non exemptis, non possunt deponere Abbatem, nec suspendere: sed in exemptis possunt suspendere, & coadiutorem, seu administratorem dare. Depositionem verò Papæ reseruare debent, vt probatur in versiculo. Quòd si Abbas, adiuncto versiculo. Hæc eadem. Ex quo fit, Episcopū non posse quidpiam in monasterijs exemptis exercere. Secundo, monachi corriguntur nō solùm secundùm eorum regulam, sed etiam secundum Canones. Ait enim textus, iuxta regulam, & Apostolica instituta. Canones ergo simpliciter loquentes, etiam ad Religiosos extenduntur. Vnde quamuis Visitatores non habeant potestatem corrigēdi Monachos pro delictis, eam tamen habēt pro contumacia, & rebellione puniendi eos, vsque ad expulsionem à monasterio. Tertio, ex verbis illis, non secundum formam prauæ consuetudinis, aduerte, pœnā inductā à regula, vel à iure cōi, alterari nō posse p cōsuetudinem, qñ cōsuetudo est nimis praua: qualis illa est, quæ imponit vel leuē pœnam,

nam, vel nimis acerbam. Nam in quibusdam monasterijs statim Monachi capiuntur, & more latronum carceri mancipantur: qua via eis fugiendi, aliaq; mala committendi occasio subministratur. Hanc ergo consuetudinem noster textus reprobat. Ex quo colligitur à contrario consuetudo non praua, & regulæ, & iuris communis pœnam alterare posse. Hæc Panormitanus.

4 Hæsitatio autem non praua circa Visitatorum potestatem hic subrepit. Cùm enim prius textus dixisset, Monachos delinquentes non à Visitatoribus, sed à proprio Abbate esse corrigendos: postea addidit. Monachos contumaces, & rebelles regulari censura percellendos esse, & à monasterio etiam abijciendos. Huic tamē quæstiunculæ perdocte quidem satisfecerunt Butrius, & alij. Primum igitur ex Innocētio dicendum. Quòd Visitatores non possunt punire Monachos delinquentes. Quin potius Visitatores ipsi Monachorum delicta, si quæ inuenerint, Abbati loci deferre tenentur; qui & eos corrigere debet. Eoq; negligente à generali, idest prouinciali Capitulo sunt puniendi. Possunt tamen ij Visitatores punire Monachos contumaces, atque rebelles in visitationis officio. Vt si à Visitatoribus de monasterij, Monachorumq; statu interrogati, respondere noluerint: vel quando ipsi Monachi difficultates ingesserint, ne officiū Visitatoris expleatur. Vel, etiam tertio, si fuerint cōtumaces in suscipienda, explēdaq; pœnitētia, qua Visitatoribus, denunciātibus ab Abbate corriguntur. Id quod ad conseruandā potestatē Visitatorum maximè necessarium est. Adiungitur autem in textu, absque personarum delectu. Nā, vt inquit glossa, hic nō habet locum personarum distinctio, cùm omnes sint æquales, nec aliquis nobilis, vel potens censetur. Quoniam non habet propriam voluntatem. Vnde Panor. infert, in Religiosis seruandam esse æqualitatem respectu personarum, & respectu bonorum monasterij: ægritudo quidem, & mala complexio per Religionis ingressum non mutantur, ideoq; cum huiusmodi hominibus delicatius agendum est. At verò potentia, & nobilitas, facta professione perduntur, vel vt verius loquar, deponuntur.

5 Secunda textus pars sic sequitur. Si verò Abbates in corrigendis iuxta Visitatorum mandatū, & regularia instituta se ipsis, seu Monachis inuenti fuerint negligentes, proclamentur, & corripiantur; & ita puniantur publicè in Capitulo generali, quòd pœna ipsorum sit alijs in exemplum. Quòd si Abbas non exemptus fuerit à Visitatoribus nimis negligens, & remissus inuētus, id loci Diœcesano denuncient sine mora: & per illum detur ei fidelis, & prouidus coadiutor vsque ad Capitulum generale. Si autem dilapidator inuentus fuerit, vel alias me-

rito amouendus, per Diœcesanos, postquàm hoc sibi à Visitatoribus denũciatum fuerit, amoueatur absque iudiciorum strepitu, à regimine abbatiæ; ac monasterio prouideatur interim administrator idoneus, qui temporalium curam gerat, donec ipsi monasterio fuerit de Abbate prouisum. Quod si forsan Episcopus hoc adimplere noluerit, vel neglexerit, Visitatores, vel Præsidentes Capitulo generali, depositione ipsorum Sedi Apost. reseruata: ita vt Abbate, qui amouendus videbitur, interim per Visitatores, vel in capitulo Præsidentes ab administratione suspenso, administrator idoneus monasterio deputetur. Illorum autem excessus, & alia, quæ visa fuerint intimando Capitulo, Præsidentes nobis denuncient per fideles nuncios, & prudentes; quibus de communi contributione Abbatum, iuxta cuiuslibet facultatem sufficienter ministrentur expensæ, &c.

6 In hac 2. parte agit Honorius 3. de correctione Abbatum. Vbi primum considerandum, ex sola negligentia Abbatem non esse deponendum, sed alia ratione puniendum, nisi fortè negligentia esset magna, quod textus apertè indicat, cùm dicit; quòd si nimis negligens fuerit Abbas repertus, detur sibi coadiutor vsque ad Capitulum prouinciale; quasi in eo Capitulo discernendum sit, an negligentia illa sit depositione digna, requiritur ergo magna, & grauis, seu latissima culpa, vel negligentia, vt asserunt Innocentius, & Butrius. Secundo, Prælati regulares absq; iudiciorum strepitu deponi possunt, vt textus inquit, nõ ergo necesse est in eis ordinem iudiciarium vsquequaque obseruare; absque causa tamen à prælatura remouendi non sunt. Illis igitur verbis, absque strepitu, & figura iudicij, excluduntur clamosa garrulitas, & sophistica cauillatio, non considerata perniciosa iuris solennitate. Sed proceditur de plano, sola simplici facti veritate perpensa. Tertio, in Capitulo prouinciali Abbates iam admoniti, negligentes tamen reperti, sunt proclamandi: proclamatio autem est quędam delictorum diuulgatio, & reprehensio actuum facta in Capitulo, vt verecundia confundantur: alij verò asserunt, quam nos vulgo accusationem vocamus, à Monachis proclamationem dici. Quemadmodum, quam nos depositionem dicimus, ipsi Monachi absolutionem appellant. Quarto, Abbates negligentes puniri poterunt à Præsidentibus Capitulo, pœna suspensionis, & interdicti: sed depositionis pœnã imponere non poterunt. Hoc.n. eorum potestatem excedit: alia etiã via plectendi sunt. Nam publicè disciplinam recipient. Vel, vt alijs placet, quòd non suspendẽtur, vel interdicentur nisi à solo Episcopo: disciplinam autem publicè in Capitulo recipient. Germanior tamen sensus est, vt puniantur in Capitulo à congregatione: quam autẽ pœ-

nam congregatio iniungere posit, hic non exprimitur. Sed standum est suis constitutionibus per Sedem Apostolicam approbatis. Quinto dubitari posset, cur maiorem potestatem habent Visitatores prædicti in exẽptos, quàm in non exemptos? Nam quo ad non exemptos, habent solam potestatem denunciãdi Abbatem negligentem Episcopo, Episcopus autem dat coadiutorem. Quo ad exẽptos verò omnia expediunt Visitatores, excepta depositione. Respõdetur ex Innocentio; primũ cõceditur Visitatoribus, vt amouere posint Abbatẽ exemptũ ab administratione propter periculũ moræ, & longã Papæ absentiã. Hostiensis verò inquit, eam esse rationem, quòd in exemptis Papa nõ præiudicat nisi sibi ipsi, in non exemptis tamẽ præiudicaret Diœcesanis, quibus præiudicare nec vult, nec intendit. Probè quidam inquiũt, vtranque rationem bonam esse, & adinuicem coniungendam.

7 Tertia pars textus sic habet. Sequentes autem Visitatores perquirant priorum Visitatorum vestigia diligenter: & eorum negligentias, & excessus referant sequenti Capitulo generali, vt iuxta culpam publicè debitam pœnam portent. Idem etiam de Abbatibus Præsidentibus generali Capitulo præcipimus obseruari, &c. In hac tertia parte Honorius tertius disserere aggreditur de Visitatorũ Præsidentiũq; correctione. Ex quo sequitur Visitatores, & Præsidentes in quolibet Capitulo esse renouãdos, & de negligentijs, & delictis in officio commisis aduersus eos inquirendum esse: accuratam enim diligentiã impendere tenentur. Sensus igitur litteræ hic est, vt quibusdam placet, quòd Visitatores sequentes præcedentium Visitatorum negligentias inuestigare tenentur, atque etiã negligentias præsidentium Capitulo. Alius verò sensus est litteræ cõsonantior, videlicet quòd sequẽtes Visitatores de præcedẽtibus Visitatorib. facere tenentur: ad eundẽ modũ sequentes Præsidentes Capitulo de præcedentib. Præsidentibus Capitulo facere teneantur, eo quidẽ modo vt singula singulis referantur.

8 Quarta sequitur pars; Præcipimus quoque, vt in nullo monasterio ad præbendas recipiant de cetero Abbates, & Monachi clericos seculares: nec hi, qui iam recepti sunt, locum vel vocem in capitulo, dormitorio, vel refectorio, seu claustro sibi vẽdicare contendant, seu Monachorum cœtibus importunè se præsumant miscere: sed beneficijs sibi concessis contenti, conuersentur honestè, opportuna obsequia in monasterijs fideliter impẽdentes: nihilq; vltra in spiritualibus, aut tẽporalibus exigant in ipsis monasterijs, vel vsurpent. Si qui verò talium à Visitatoribus inuenti fuerint criminosi; per Diœcesanum in non exemptis, & per Visitatores, vel Præsidentes generali Capitulo in exemptis, beneficijs priuentur eisdem, &c.

9 Agit hoc loco Honorius 3. de clericis secularibus, beneficia in monasterijs obtinentibus. Hic primo notandum ex Panor. Clerici seculares non possunt beneficiari in monasterio, saltem vt faciant vnicum collegium cum Monachis. Sed clerici seculares per Abbatem, & Monachos beneficiati, etiam in monasterio, non possunt deponi per Abbatem, sed per Episcopum in monasterio non excepto. Ex quo fit, quod licet institutio spectet ad inferiorem Prælatũ de iure speciali: destitutio tamen non pertinet ad eundem, sed ad Episcopum loci. Nam institutio, & destitutio sunt separata, nec de vno iure ad reliquum est argumentandum.

10 Quæstiuncula quædam hic enodanda est, An clerici seculares absq; vllo prorsus discrimine in monasterijs beneficiari prohibeantur? Hostiensis quidem sentire videtur, hanc litteræ prohibitionem tunc solùm habere locum, quando clerici seculares recipiuntur vt fratres, vt sint de congregatione Monachorum, habentes vocẽ in Capitulo, & locũ in choro. Nam & mistura hominum disparis professionis iure prohibetur; neque.n. arandũ est in boue, & asino. Secus tamen se res ipsa habebit, si presbyteri seculares præbendantur, vt ita dicam ab Abbate in monasterio, vt in eo deseruiant, nec tamen existant de eorũ congregatione. Verior tamen est Panor. sententia, qui asserit indistinctè in hoc textu clericos seculares prohibitos esse in monasterijs beneficiari. Respectu enim recipiendorum textus absque discrimine, & indistinctè id vetat: sed respectu receptorum ante hanc constitutionem conditam, prohibet planè, vt non habeant vocem in Capitulo. Nam si voluisset idem sentire in recipiẽdis, prohibuisset cum illa limitatione, quam fecit in receptis. Vnde clerici seculares in monasterijs intitulari non possunt. Poterit tamen eis deputari aliquod stipendium nõ in titulum, sed prò seruiendo in monasterio. Si qua verò iura contraria reperiantur, ea intelligenda sunt secundum antiqua tempora, quãdo Monachi non erant clerici. Hæc Panorm. Addunt hic nonnulli id quod alioqui ex se manifestissimum erat. Eodem, inquiunt, modo nõ potest secularis clericus habere vocẽ cũ Canonicis Regularibus, cũ sit in eis idem ius. Insuper Ant. Butrius nu. 17. hac in re quasi trepidare videtur. Ait.n. sibi videri, licet olim id fuisset possibile, clericum secularem in ecclesia regulari præbendari; hodie tamen id fieri nõ posse. Nam solùm illi, qui fuerant in præteritis præbendati, ibi stare, permanereq; possunt; dum tamen non ibi, vt in corpore consistant. Ergo mens litteræ est, quòd in futurũ poni non possint, vt ibi habeant in titulũ, licet non sint ibi tanquàm de corpore. Vlterius tamen asserit, se id pro constãti non habere, & huic textui facilẽ respõderi posse, reuereturq;


uereturq; magnam Host. auctoritatem Quin potius se vidisse testatur, contrarium obseruari, videlicet, quòd Regulares in ecclesia regulari faciant construi capellas, seu altaria, faciunt etiam officiari per seculares clericos, licet de corpore non existant. Existimatq; illud fieri contra huius textus mentem. Quia aliquando habent Monachi diuersum modum officiandi, & dicẽdi missas à clericis secularibus, possetq; scandalum generari. Hæc quidem consuetudo admittendi secum clericos seculares frequentissima est apud Canonicos Regulares in hac prouincia Cæsaraugustana in monasterijs Cathedralibus, & insignibus Collegiatis, quæ iam difficilimè, & non absque magna rerum perturbatione è medio auferri posset.

11 Eandem profectò Panormitani, & Butrij opinionem confirmare, explicareq; apertè videtur Bened. 12. in Constit. Canonic. Regularium tit. de prohibitis præbendis non concedendis. Prohibemus, inquit, insuper, ne in ecclesia Cathedrali, seu monasterio, vel alio loco Religionis eiusdẽ, quiuis clericus secularis, vel laicus recipiatur ad præbendam, seu etiam portionem, nisi eidem ecclesiæ, vel monasterio, seu loco dederit primitus se, & sua: nec huiusmodi præbenda, seu portio ad vitam, vel ad tempus vendatur, detur, seu alias concedatur eidem. Quidquid autem contra prohibitionem huiusmodi attẽtatum fuerit, omnino decernimus irritum, & inane. Et nihilominus recipientes, vẽdentes, dantes, & concedentes huiusmodi, vltra pœnas à iure statutas, Superiorum suorum arbitrio puniantur. Per præmissa verò non intẽdimus, circa officia, vel ministeria, aut alia obsequia opportuna inibi consueta per seculares clericos, vel laicos exerceri, aliquid immutare. Hîc obiter annotandum ex Antonio Butrio, & alijs beneficiatos ab exemptis, exemptos esse, nam à Diœcesano non puniuntur quo ad beneficia, quæ ab exemptis tenent. Item nec deponi possunt ab inferioribus ipso Papa, sicuti nec principales Prælati.

12 Sequitur textus. Hæc autem omnia etiam in monasterijs, quæ nõ habent Abbates proprios, sed Priores: necnon in monasterijs Monialium, quo ad articulos Abbatissis, & Monialibus congruentes, præcipimus obseruari. Annotandũ est, dispositionem in Monachis, & Abbatibus extendi ad Abbatissas, & Moniales, quo ad illa tantũm, quæ eis proportionabilia sunt. Nam si statutum habet clausulam extendẽtem ipsum statutum ad aliud personarum genus, intelligendum est in proportionabilibus. Omnia autem hic expressa Monialibus quadrare non possunt. Non enim visitatrices deputabuntur, nec è monasterio ad Capitula prouincialia exire permittentur. Regulariter enim Moniales nunquam è monasterio exire decet. Ad eundem modũ nec

ipsis competit corrigere,& castigare,aut penitentias graues iniungere. Tales enim actus viriles sunt. Multa enim ex iure enumerantur mulieribus improportionata:igitur Moniales non visitabunt, nec corrigent,nec punient. Sed visitabuntur,corrigentur, & punientur.

Rursus de eisdem Visitatoribus. Cap. iiij.



1 PRouincialium Visitatorum munus Trid.synodus sess.25. de regularibus cap.8. paucis complexa est,dicens; Ipsis autem congregationibus constitutis, illarum generalia Capitula,& ab illis electis Præsides, vel Visitatores eandem habeant auctoritatem in suæ congregationis monasteria, ac Regulares in eis commorantes, quàm alij Præsides, ac Visitatores in ceteris habēt ordinibus: teneanturq; suæ Congregationis monasteria frequenter visitare, & illorum reformationi incumbere, & ea obseruare, quæ in sacris canonibus, & in hoc sacro Concilio sunt decreta.

2 Alia etiam paucula eadem synodus subdidit cap.20.præcipiens,vt maiores Prælati inferiora monasteria habentes,suo quisq; loco,atque ordine,ex officio ea visitent,etiam si commendata existant, &c.

3 Exactam tamen, atque perspicuam Visitatoribus prouincialibus formam prescripsit,atque iniunxit Bened.12. in Constit. Canonicorũ Reg. tit. de Visitatoribus. Visitatores,inquit,siquidem,qui secundùm constitutionem dicti generalis Concilij fuerint in prouincialibus Capitulis deputati,sint soliciti circa huiusmodi visitationis officium exequendum,& quantum statui, ac Religioni eorum conuenit obseruare studeāt,quæ in dictis Constitutionibus præfatorum Concilij,& Honorij sunt statuta. Quòd si omiserint illa exequi negligenter à Præsidentibus prouincialibus Capitulis,cum eis huiusmodi negligentia nota fuerit,grauiter arguantur,& per eos,prout qualitas culpæ ipsorum exegerit,puniantur,vt autem dictorum Visitatorum officium cũ omni sinceritate procedat,districtius inhibemus,ne quis Visitatoris sibi deputati eodem anno esse valeat Visitator. Dicti autē Visitatores,& familiares eorum in ecclesia Cathedrali,seu monasterio, vel alio loco ipsius Religionis,ad quem visitationis causa duxerint declinandum, vltra duos dies nequaquam remaneant;nisi euidens necessitas foret, vel magna vtilitas ecclesiæ,monasterij,siue loci huiusmodi morā ampliorem Visitatorum, vel familiarium exegerit eorundem; quo casu possent vlterius remanere. Ita tamen quòd id faciant de consilio seniorum dictæ Ecclesiæ,seu monasterij,siue loci. Dicti quoque Visitatores,vel familiares eorum,ecclesiæ,monasterio,siue loco; cui visitationis

tionis officium impedunt, onerosi nequaquam existant, nec sumptuosas epulas quærant, sed cum gratiarum actione recipiant, quod honestè, & competenter fuerit eis ministratum. Caueant insuper, ne quisquam ipsorum, aut familiares eorum, per se, vel interpositam personam, aliquam pecuniam huiusmodi, vel alia occasione quacũque, nisi pro expensis duntaxat, & tunc secundum infrascriptum modum exigant, aut etiam à volente recipiãt, neque aliquod munus, quodcunque sit, vel qualitercunque offeratur, præsumant recipere à quocunque, vt non quæ sua sint, videantur quærere, sed Christi. Quòd si fuerit contra præsumptum, duplum eius, quod receperint ecclesiæ, monasterio, siue loco à qua, vel quo id receptum fuerit, infra mensẽ reddere teneãtur. Alioquin duplum ipsum eis vltra dictum tempus restituere differentes tam diu sint ab officio, beneficioq; suspensi, quousque grauatis ecclesijs, monasterijs, siue locis duplo plenariam satisfactionem impendant, nulla eis in hoc dantiũ liberalitate, remissione, vel gratia valituri s. Et nihilominus, ijdem Visitatores, si opus fuerit, per Præsidentes dictis Capitulis prouincialibus, aut eorum quemlibet, ad restitutionẽ præfati dupli, auctoritate Apost. per censurã ecclesiasticam, & alia opportuna remedia compellantur. Concedimus tamen, vt Præsidẽtes dictis Capitulis, vel pars maior eorum ordinare possint, prout, & quãdo eis visum fuerit expedire, quod dicti Visitatores expensas recipiãt in pecunia; & eo casu, quo hoc duxerint ordinandum, dictas expensas omni odio, & fauore remotis, moderare habeãt, & taxare. Prouiso tamen, quòd summa in constitutione, quam super moderatione procurationum edidimus, quæ incipit; Vas electionis, nullatenus excedatur.

4 Iidem etiam Præsidentes discretè prouideant, quòd cùm inter loca visitata, & visitanda, magna fuerit distãntia, quantum quilibet eorundem locorũ, visitatus. s. & etiam visitandus soluere habeant Visitatori pro suis sumptibus moderatis. Si tñ monasteria visitanda in facultatibus sint collapsa, tunc de expensis, quas dicti Visitatores facturi erũt, occasione visitationum locorum huiusmodi collapsorum, prouideatur eisdem de communi contributione in prouinciali Capitulo facienda.

5 Vt autem via scandalis præcludatur, inhibemus Visitatoribus memoratis, ne illos, seu eorum nomina, qui eis aliqua secreta reuelauerint in visitationibus, præsumant alijs reuelare. Sed tunc demum dicti Visitatores procedant super dictis reuelatis, si, & prout secundum canonica, & regularia instituta fuerit procedendum? Quòd si dicti Visitatores contra inhibitionem huiusmodi reuelauerint, seu eorum nomina detexerint, prout facti qualitas exiget, per Præsidentes, vel eorum quemlibet puniantur.

Præter

6 Præter ea autem, quæ nunc de ratione visitandi monasteria Canonicorum Regularium dicta sunt, quasdam perutiles visitationis formulas ex non contemnendis authoribus proponemus. Elegans quidem est visitandi formula ab Hermãno 5. Archiep. Coloniensi conscripta, quæ dum monasteriorum visitationem perscribit, sic inquit; Peractis missa, ac concione, qua ad Christianam, & mutuam charitatem, mundi contemptum, & votorum suorum obseruationem, ad pacem denique, & tranquillitatem, commouebuntur, in domo capitulari habenda per Visitatores; in primis Abbatibus, ac alijs monasteriorum Prælatis seorsum paulisper receptis, duodecim priores articuli sub tit. de Vita, & conuersatione monastica recensebuntur; diligentiq; cohortatione illi monendi sunt, vt ijsce decretis, tã in nouiter recipiendis Monachis, ac velandis, quàm in reliquis omnibus sese attemperent, pecuniam pro receptione ne extorqueant, vtq; in ijs, ad quæ ipsi corrigenda non suffecerint, implorent nostram auctoritatem. Et præsertim nostro nomine in eo erunt, vt sumptuosi, & repugnãtes illi Præpositi abrogentur. Quòd si in ipsorum potestate non fuerit, Saltem ad nos referent post visitationem, quid facto opus sit. Vbi hæc cũ Prælatis acta fuerint regula ordinis, simul cum formula visitationis, si habeatur, petenda est, atque relegenda. Considente iterum toto conuentu cũ Prȩlatis, præmittenda est illa generalis adiuratio de non occultanda, sed sincerè dicenda veritate. Deinde semotis arbitris, Interrogetur Abbas, aut eius loco moderator conuentus: An proxima visitatio obseruata sit, & diligenter regulam, ac monasterij statuta obseruari procuret, an pax inter fratres, cõuersos, deuotos, ac familiares effloreat: dissidij si quid fortasse fuerit, origo perquiratur, & emendetur.

7 Interrogetur Prior de obseruatione diuini officij, de obedientia, paupertate, continentia, silentio, communi mensa, mutua reuerentia, mutuo colloquio, hospitum accessu.

8 Interrogentur fratres sigillatim de vita, & conuersatione Prælatorum: An visitatio proxima ritè obseruata sit? An prælati, quæ ad obseruationem Religionis, & Ordinis pertinent, diligenter persequantur? An vitia fideliter corrigant citra acceptionem personarum? An honestè cum laicis conuersentur? An bonum exemplum suis subditis prȩbeant? An in obseruandis ordinis regula, ac statutis sint feruētes? An desides sint? An eadem ad Christianam pietatem moderentur? An fratres ad studia sacrarum litterarum sedulo inuitent? An pacem, trãquillitatẽ, & concordiã inter omnes sibi subiectos seruent, ac nutriãt? Item de clausura, & ingressu monasteriorũ, de victu quotidiano. Deinde an conuentus certum numerum habȩat, an illi suppetat victus?

Deinde

9 Deinde de officijs ad officia transeundum est,& videdum,an qui illis præfecti sunt, veluti Camerarij,Sacristæ, Cellarij, Procuratores,& id genus alij, suis singulis officijs grauiter incumbant? de moribus, habitu, & conditionibus fratrum conuersorum diligenter quoque quærendum est.

10 Post inquisitionem si qui notati fuerint,illi euocentur. Qui si errata sponte confessi fuerint,ad disciplinam Abbatis iuxta regulæ formam remittendi sunt: sic tamen,vt Abbati mandetur,ne Christianæ lenitatis modum excedat,quòd habita ratione personæ,cẽsuram potius mitigari,quàm exasperari cõuenerit in nõ præfractis. Quòd si neget delictũ infamatus,adhibeantur testes, admonitis prius omnibus,ne fraudi sit testibus veritatẽ dixisse. Legantur deinde articuli 14. 15.16.17. sub tit. de vita, & conuersatione monastica,videlicet in Conc.prouin. Coloniensi sub eodem Hermanno 5. Postremo declarata vitæ monasticæ prima institutione, adhortentur omnes,vt viam, quam amplexi sint,ad vitam æternam expeditiorem,in charitate, de conscientia bona, & fide non ficta inambulent, & pro Ecclesia Dei sedulò orent,cuius eleemosynis sustentantur. Visitationem verò Monialium eodem loco conscriptam inuenies. Sed ferè eadem forma, quæ in viris in Monialibus etiam sequenda est.

11 Præterea non inelegantior est visitãdi formula,quã tradidit Adolphus 3. Archiep. Coloniensis sub tit.de inquisitione monasteriorum, dicens:In primis fiat inquisitiò de regula Ordinis,an hæc fratribus singulis mensibus ad minimum semel prælegatur:& an probè ab omnibus intellecta,memoriæ commendetur, ac teneatur? An sancta obedientia vigeat,& an viuatur in monastica paupertate, & sancta continentia? An quisquam quid proprij sibi vendicet, qualecunque etiam hoc sit,aut habeat priuatũ peculium? An Deus die,noctuq; horis statutis,psalmodijs,& laudibus colatur, pijsq; precibus pro cõmuni salute,& Ecclesiæ prosperitate pulsetur? Et an sacra missarum solemnia tàm pro viuis,quàm defunctis ad regulæ, & antiqui moris præscriptũ, & secundum fundationes eiusmodi diuinorum officiorum celebrẽtur? An pax inter fratres, inter laicos identidem, qui conuersi vocantur, vel deuoti,totamq; monasterij familiam, effloreat? Nũ clanculũ mutuò inuideant:num contentionibus,rixis,& dissidijs cõfflictentur? An humilitatem insinuent, mutuum ament,& patientes sint, inuicem libenter condonantes,si quis aduersus alium habet querelam? An rerũ cœlestium meditationi, & alijs studijs, pijs, & honestis sedulam dent operam? An habeant Monachi quotidie lectionem aliquam, sacræ scripturæ illustratricem,qua deuotionem suam alãt,seq; ad cognoscẽdam

dam,& adimplendam Dei voluntatem inflamment? An habeant iustam curam instruendæ bibliothecæ,quæ & inspicienda est? An scripturas expositas diligenter tractent,& secū ruminent,quo se,quibus hoc muneris incumbit,ad prædicationem verbi diuini eiusmodi exercitatione tam pia,aptos efficiant; an tempore quod eis à celebratione diuinorum, & lectionibus reliquum est, semper pij, & honesti aliquid agant,quo diabolus eos nunquam ociosos, sed semper reperiat occupatos? An interdum in cubiculis aliqui compotent, ludant,aut luxui indulgeant,aut etiam seculares clam ad se inuitēt? An rebus prophanis, seu mechanicis artibus, suam professionem non decentibus, & à pietate auocantibus, incumbant? An statim à completorio,suum quisque petat cubiculum,& in silentio agat. An iusto tempore claudatur, & aperiatur dormitorium? An messium tempore, rusticorum, & mulierū cœtibus se immisceant? An Monachis bonę indolis,qui progressum aliquem in bonis litteris,& sacrarum scripturarum cognitione fecerunt, & se ad aliud suæ prouinciæ monasterium, in quo schola celebrior,& professio frequētior,& accuratior habetur, mitti petunt, vt illic in sacris litteris simul,& Religionis obseruantia, magis, ac magis instituantur,ac proficiant,copia fiat illo concedendi.

12 Quærendum de vita,& conuersatione Prælatorū. An visitatio proxima ritè sit obseruata? An Prælatus,quæ ad obseruationem Ordinis, & Religionis pertinent,diligenter persequatur, & in exigenda regula,& statutis ordinis feruens conspiciatur? An eadem etiam ad Christianam pietatem, & æquitatem pro ratione personarum, & aliarum circunstantiarū moderetur, vt semper primas obtineat fraterna charitas, & magis spectetur in omni opere pietas, quæ ad omnia valet, quàm exercitatio corporalis, quæ ad modicum vtilis est, vt testatur Apostolus? An bonum exemplum fratribus,alijsq; subditis suis præbeat in Religionis obseruantia? Num sæpè ex monasterio discedens, alio proficiscatur,seu extra illud habitationem suam constituat,vel lōgam moram trahat? An pacem,tranquillitatem, & concordiam inter omnes sibi subiectos nutriat,ac cōseruet? An fratres ad studia sacrarū litterarum sedulò inuitet? An mensa communis habeatur,& qualis sit victus quotidianus? An Pręlatus conuiuetur communiter cum fratribus, mensa communi contentus,an priuata magis oblectetur? Num ociosos,& vanos faciat sumptus? An familiam superfluam, vel equos ad fastum,& pompam,potius quàm ad necessitatem, principum more, nutriat,magisq; secularem,quam religiosam ducat vitam? An magis in humilitate viuat frugaliter,& quę vltra necessitatem supersunt, in pauperes,& ducationem studiosorum,qui possint Ecclesię olim vsui

esse,

esse, expendat? An honestè cum laicis conuersetur, & qualis sit hospitũ receptio? An sua negligentia fratres luxui, & compotationibus studeant? An ad mensam, sacræ scripturæ cũ homilijs patrum aptæ temporibus semper legantur? An vitia fideliter, & strenuè corrigat citra personarum acceptionem, Canonicam, & Regularem exercens disciplinam? Et an capitula disciplinæ crebro, & secundum præscriptũ regulæ diligenter obseruentur. Item diligenter quærendum de clausura monasteriorum, & ingressu laicorum, & mulierum. An silentium iuxta regulam teneatur? An sint inter eos, qui suos habeant priuatos congressus, qui inuicem conspirent, & dissidia excitent? An mutua reuerentia inter fratres colatur, & an colloquia, dum colloqui licet, pia sint, & religiosa. Quærendum quoque, an certus sit in monasterijs numerus personarũ, aut incertus? An suppetat victus, & an res, & bona suis monasterijs dicata possideant, an iniustis grauaminibus laicorum diuexentur? An habeant ecclesias parochiales incorporatas. Qualis sit talibus ecclesijs curator Præfectus, cuius ætatis, vitę, doctrinæ, conditionis? An sufficientem portionem ex parochiæ fructibus, vnde se honestè alere possit, ei assignauerint, vt non sit illi necesse, se sordibus ministerijs addicere, seu officium negligere? An talis curator sit sub obedientia Prælati, & an per visitationem Prælati, vita, & mores eius interdum explorẽtur? Quærendum de officijs, an qui officijs Præfecti sunt, vt sunt Priores, Superiores, Præfecti Scholæ, Camerarij, Sacristæ, Cellarij, Procuratores, & id genus alij, suis singuli officijs, grauiter, & religiosè incumbant, iuxta regulæ decreta. Qui sint illorum mores, quæ vita, quæ conuersatio? An officijs impositis, ad licentiorem vitam viuendam, & ad luxum abutantur? An sint in monasterijs fideles, æqui, non pra fracti, sed modesti, & mansueti, continentes, & casti. Est quoque diligenter quærẽdum de habitu, & conditiõnibus fratrum conuersorum. Deinde, an sint ex monasterij sodalitio aliqui facti desertores sui monastici instituti, & fugitiui, apostatæ? An sint, qui habitum abiecerunt, qui sint vel hæresi polluti, vel de ea suspecti? An sint facti quidam exitij, qui se incestis nuptijs polluerunt, aut qui extra septa monasteriorum concubinis, vel fœminis de incontinentia suspectis, cohabitent? An sint qui extra obedientiam degentes, diuina tractent, & populo sacramenta administrent? An sint, qui sub prætextu dispensationum Apostolicarum, quæ ab Ordinarijs, causa legitimè cognita non fuerint approbatæ, vota, religionisq; suæ instituta deseruerint. Vbi tales refractarij, & votifragi foueantur, & receptentur? An sint, qui paruulos in baptismo suscipiant, aut nuptiarũ conuiuijs intersint? An comediæ ludantur in monasterio, & quæ?

Apud

Apud fratres quattuor ordinum mendicantium hoc interrogatorium adijciendum est? An audiēdis confessionibus, se intromittant alij, quā præsentati. Et illic quoque diligenter examinandi sunt lectores, & concionatores de doctrina. Et inspiciendi libri, quibus vtuntur. Cetera ꝓ diuersa locorū ordinū, & monasteriorū conditione, & pro rerū, & casuū subinde accidentium qualitate, Visitatorū discretio suppleat.

13 Pauci etiam articuli superioribus addendi sunt ex D. Antonino Archiep. Flor. 3. par. tit. 20. cap. 6. §. 2. Primum interrogandi, atque etiā alij omnes iurabunt. Item an habeant aliquam dispensationem Papę, vel alterius cuiusque super regulam, & super constitutiones suas approbatas? An vltra regulam habeant aliquas cōstitutiones approbatas, & an eas obseruent? An deputatus curæ animarum alicuius parochialis ecclesiæ, probè sciat ea, quæ ad eā curā pertinent? An horę canonicæ, & missæ congruis tēporibus celebrentur, cantando, aut legēdo, decentiq; modo sine dissolutionib. & cōfabulationibus? an oēs ad officia diuina conueniant, vel remaneant ex negligentia, & qui, & quàm frequenter? An officiales monasterij bona ipsius diligēter, fideliterq; tractent? An sæpenumero in anno omnium sumptuum, & expensarū monasterij competens ratiocinium, & computus habeatur corā Prælato, & aliquot senioribus monasterij. Quanta sit reddituum monasterij quātitas, & quibus in rebus consistant, ac benè dispensetur; quodq; nullus aliquid ex bonis monasterij suis consanguineis, aut alijs absque Superioris licentia donet, aut expendat? Item an libri, calices, paramenta, ornamenta, & alia ad ecclesiam pertinentia diligenter mundentur, & resarciantur? De huiusmodi. n. rebus Bened. 12. in Constit. Can. Reg. tit. de reliquis, & custodia ornamentorum, ac prouisione librorum, sic constituit. Deniq; soliciti, inquit, sint Antistites, Abbates, Præpositi, Priores, Sacristæ, & Administratores alij Religionis eiusdem, quocunq; nomine censeantur, quibus hæc incumbunt, Ecclesias, oratoria, altaria, reliquias, vasa, corporalia, vestimenta, & alia ornamenta ecclesiastica munda, & nitida conseruare, & facere ab alijs conseruari. De breuiarijs quoq;, missalibus, alijsq; libris, & vestimētis, ac ornamētis quibuslibet necessarijs, iuxta facultates, & exigentiā locorū suorum ecclesijs, & locis eisdē omninò prouideāt, seu faciāt prouideri. Quòd si præmissa proposse adimplere neglexerint, ad ea complēda competētibus remedijs cōpellātur: Et si opus fuerit, pars prouentuum beneficiorum eorum, per Superiores recipiatur eosdem, & in prædictorum prouisionem per aliquem idoneum conuertatur. De inquisitione autem ad Religiosos pertinente, qua ratione, & ordine fieri debeat, erudite admodum docuit Siluester in verbo, inquisitio 2.

De registris,& inuentarijs in Archiuio recondendis. *Cap. v.*

1 Era quidem sunt, quæ de iactura bonorum ecclesiasticorum deplorãda Concilium Mediol. sub Card. Borrhomæo tit. de bonis, iuribusq; ecclesiasticis testatur, dicẽs; Ecclesiarum res quamplurimæ, aut destitutæ defensoribus, aut etiam ab ijs, quibus earum procuratio credita erat, proditæ ita perierunt, vt monimentis, vel interceptis, vel perditis, nulla spes iam reliqua videatur, illas in ius suum vindicãdi. Id ne deinceps accidat, neuè quisquam, quòd in Christi patrimonio negligẽtior sit, quàm in suo, meritò reprehendi possit statuimus. Vt Prælati, & Capitula, & alij quicunque Administratores ecclesiastici, ab adeptæ possessionis die, quisq; intra spatium sex mensium, omnium bonorum ecclesiasticorum ad suas ecclesias, monasteria, beneficia, eorumuè mẽsas, pertinentium inuentarium, in quo locorum etiam fines, conditionesq; omnes sigillatim describantur, edictis etiã interim publicè propositis, per publicum Notarium diligenter conficiendum curẽt; & in suis Archiuijs recondant. Archiuia verò singula duabus clauibus occludantur; in Ecclesijs Cathe dralibus earum vnam Episcopus, alterã verò Capitulum custodiat. In Collegiatis alteram Præfectus, alteram Capitulum seruet. Præterea in visitationibus eiusmodi inuentaria diligenter perspiciantur, ne quid eorum, quę ibi descripta fuerint, desit. Ipsa quoque, si videbitur renouentur. Eadem ferè omnia statuit recẽs Concilium Toletanum actione 3. cap. 1.

2 At copiosius multo Bened. 12. in constit. suis tit. de registris, & inuẽtarijs rationem hanc locupletauit, dicens; Vt ecclesiarum, & monasteriorũ, & aliorum locorum Religionis eiusdem bona, & iura salubriter conseruentur, statuimus, quòd Præsidentes ecclesijs Cathedralibus, monasterijs, prioratibus, & administrationibus alijs quibuscũque dictæ Religionis; quàmprimum commodè poterunt; conficiant, seu confici faciant registra in quibus possessiones, census, iura, & cetera bona immobilia quæcũq;, & qualiacunque fuerint, ad eorũ administrationes expectantia, sigillatim, & specificè describantur: fiant etiam per eosdem registra de ornamẽtis ecclesiasticis, vasis, lectis, animalibus, & alijs rebus mobilibus, & se mouẽtibus, pro agricultura, & alia instructione locorum necessarijs, vel vtilibus; & huiusmodi registra in locis subiectis alijs locis Superioribus Religionis eiusdem duplicentur, quorum vnum in loco superiori, & reliquum in subiecto seruentur. Visitatores quoque in prouincialibus Capitulis deputati, cum visitabunt loca suæ visitationi commissa, Prælati etiam, & alij Superiores,

periores,cum fuerit opportunum diligenter inquirant,an res,& bona prædicta necessaria pro instructione locorum teneantur in locis eisdē; & prouideant; quòd perpetuò teneantur in eis;aliterq; reperta, faciat emendari, & secundum quòd culpa exegerit, puniant delinquentes. Insuper Præsidentes præfati cum possessiones administrationum suarum fuerint assequuti,inuentaria de bonis mobilibus, & se mouentibus repertis in administrationibus ipsis conficiant.

3 Hij verò,qui habēt Superiores Religionis huiusmodi, inuētaria faciant duplicata,quorum vnum in loco subiecto seruetur, & superiori reliquū assignetur. Vt per ea in quo statu administrationes ipsas receperint,valeat apparere. Fiant autē huiusmodi inuentaria,& registra p tabellionem,vel saltim in aliarum publicarū præsentia personarū.

4 Adijcimus etiam,quòd si Præsidentes ecclesijs Cathedralibus,monasterijs,alijsuè locis dictæ Religionis,qui bona mobilia prioratuum, administrationum,& beneficiorum quorumlibet Religionis eiusdem sibi subiectorum vacantium,in eis tempore huiusmodi vacationis inuenta,seu illa durante obuenientia,ex priuilegio, vel cōsuetudine,seu alia causa rationabili ad se asserunt pertinere vasa,vestimenta, seu alia ornamenta diuino cultui deputata. Animalia etiam tàm pro agricultura,quàm pro alijs ipsorum locorum necessitatibus, teneri inibi consueta vasa,vinaria,& coquinaria,lectos etiam,& alia suppellectilia necessaria, seu vasa,nisi fortè aurea,vel argentea fuerint, nullatenus occupare,vel exinde asportare,aut sibi appropriare præsumant.

5 In apprehendendis quoque bonis alijs, constitutionem fœlicis recordationis Bonifacij Papæ 8. prædecessoris nostri super hoc edita, quæ incipit, præsenti,diligenter obseruent.

6 Qui verò secus fecerint,iuxta qualitatem delinquentium personarum pœnas incurrant, quæ per constitutionem eandem eius trāsgressoribus imponuntur. Hæc omnia eo attulimus, ꝙ prædictos Visitatores plurimū attingūt,si modo suo muneri,vt decet, satisfacere velint.

De communi contributione ad congregationē conseruandā. Cap. vi.


1 AD suffulciendam,perpetuoq; sustinendam Canonicorū Regularium cuiusque prouinciæ cōgregationem communis pecuniarum contributio est per quàm necessaria. Vt.n. pecunia belli neruus est,sic etiam ad quædā grauiora Religionis negotia, Ordinemq; Canonicum constabiliendum, hæc ipsa contributa pecunia firmum est sustentaculum. Exemplū esto,iussit Honorius 3.in cap.ea quæ,à nobis superius enodato, vt Prælatorum excessus,& alia expedictia à Præsidibus Capituli

pituli prouincialis summo Pontifici Romano per fideles, prudentesq; nuncios denuncientur. Quibus de communi contributione Abbatum iuxta cuius libet facultatem sufficienter ministrentur expensæ. Quo in loco notandum, lege Rodia caueri, vt si alleuiandæ nauis gratia, iactus mertium factus est, omnium contributione sarciatur, quod pro omnibus datum est. Quam rem prudenter perspiciens Bened. 12. in Cõstit. sæpè citatis, hunc de subuentionibus titulum edidit in hanc formam. Cùm in prouinciali, & annuali Capitulis, & alijs negotijs expensæ necessariæ requirantur, vt onus diuisum in partes leuius subportetur; statuimus quòd in eisdem Capitulis, cuiusquã contradictione, vel absentia non obstante, pro communibus libertatibus defendendis, necnon necessitatibus, vtilitatibus, & alijs plerunque occurrentibus necessarijs oneribus, & expensis auctoritate Apostolica imponantur collectæ, subuentiones, seu contributiones; videlicet in Capitulo prouinciali pro tangentibus ipsum Capitulũ secundum arbitrium ipsius prouincialis Capituli, vel maioris partis eiusdẽ: in annuali verò Capitulo pro tangentibus ipsum annuale Capitulum, vel locum principalem, vbi debet ipsum Capitulum celebrari, secundum arbitrium Prælati præsidentis ipsi annuali Capitulo, & Diffinitorum, vbi Diffinitores fuerint, & vbi non fuerint, secundum arbitriũ ipsius Capituli, seu maioris partis eiusdem. Volumus tamen, quòd libertates, necessitates, seu vtilitates, & alia pro quibus huiusmodi collectæ, subuentiones, seu contributiones fuerint imponendæ, in eisdem Capitulis prouincialibus, & annualibus clarè, & explicitè exponãtur, & aliter quàm vt præmittitur, imponi non possint. Et si secus actum fuerit, impositio, & processus, ac sententiæ, occasione huius impositionis factæ, & latæ, omni careant roboris firmitate, & nihilominus restituatur eisdẽ, quicquid occasione huiusmodi ab ipsis exactum fuerit, & receptum. De dictis autem subuentionibus, contributionibus, seu collectis possit membris necessitatem patientibus subueniri; prout expositis prius dictis necessitatibus annuali Capitulo, prædicti, quorũ arbitrio subuentiones, cõtributiones, seu collectæ huiusmodi imponi habuerint, in ipso annuali Capitulo fuerint arbitrati, prouiso tamen; quod administratores dictorum membrorum necessitatem patientium expendere habeant pro dictis necessitatibus, quantũ membra ipsa poterunt sustinere. Vt autem in cõseruatione collectarum, subuentionum, seu contributionum huiusmodi adhibeatur cautela diligens, & etiam opportuna; præcipimus, vt illæ, quæ impositæ fuerint in Capitulo prouinciali, per tres probos, & fideles de illis, qui ad ipsum Capitulum prouinciale venire tenentur: in aliqua ecclesia, monasterio, siue alio

oco co nuenienti, & securo; quæ verò impositæ fuerint in annuali, per tres fideles Canonicos loci, in quo imponentur, quorum vnum ponat ille, qui præfuerit ipsi Capitulo annuali; alium verò Priores, & administratores, & tertium Capitulum ecclesiæ, seu conuentus monasterij, siue loci, vbi huiusmodi annuale Capitulum fieri debeat, in vna arca serata tribus diuersis seris, & clauibus fideliter custodiantur, & in vsus duntaxat, pro quibus impositæ fuerint, conuertantur. Pro hijs autem collectis, & subuentionibus, seu contributionibus fideliter conseruandis, & vt præmittitur, expendendis, dicti tres, qui ad hoc fuerint in prouinciali Capitulo deputati, præstent in Præsidentium ipsius Capituli: & alij præfati tres Canonici in Prælati Præsidẽtis, & Capituli seu conuentus loci prouincialis, cuius annuale Capitulum celebrabitur, præsentia corporaliter iuramentum, nec imponi valeat alia contributio, quandiu aliquid de prima contributione, quod sufficiat, contigerit superesse.

2 Habeant autem Præsidentes, & eorum quilibet quo ad huiusmodi prouincialia Capitula, similiter, quoque Prælati, seu alij, qui præerunt dictis annualibus Capitulis, quo ad ipsa annualia Capitula, auctoritate Apostolica supradicta exigendi, colligendi, & leuandi collectas, subuentiones, & contributiones prædictas, & contradictores, & rebelles quoslibet, eadem auctoritate per censuram Ecclesiasticã, vel alia iuris, & ipsius Religionis remedia, remoto cuiuslibet appellationis obstaculo, compellendi, & etiam puniendi, & exequendi liberè suos processus, ac sententias super præmissis habitos, & Prælatos in ecclesijs Cathedralibus, monasterijs, alijsuè locis Religionis eiusdem, quando, & quotiens eis visum fuerit expedire. Necnon etiã absoluendi, congrua tamen satisfactione præmissa, à dictis sententijs, & relaxandi, ac tollendi omnes processus, & sententias eorundem, & cũ eis, qui dictis ligati sententijs per simplicitatem, & iuris ignorantiam, non tamen in contemptum clauium, celebrando diuina, vel se ingerẽdo eisdem, irregularitatem incurrerint, super irregularitate huiusmodi dispensandi liberã potestatẽ. Eandẽ ipse Bened. cõstituit in Cõstit. Monachorũ nigrorũ S. Bened. cap. 4. de subuentionibus, & collectis.

De Canonico monasterium relaxatum ingresso, reformationem recusante. Cap. vij.



1 Ercupiens ex animo sacra Trid. synodus veram monasteriorum reformationem; non ignorans, quantum ex monasterijs piè institutis, & rectè administratis in Ecclesia Dei splendoris, atque vtilitatis oriatur, quo facilius, ac maturius, vbi collapsa

eſt, vetus,& regularis diſciplina inſtauretur,& conſtantius vbi conſeruata eſt,perſeueret,vniuſcuiuſque congregationis Pręſidibus,ac Viſitatoribus ſeſſ.25. de Regularibus cap.8. ſeriò præcepit,vt ſuæ cõgregationis monaſteria teneantur frequẽter viſitare,& illorum reformationi incumbere,& ea obſeruare,quæ in ſacris canonibus,& in hoc ſacro Concilio ſunt decreta. Cùm igitur præcipuus cõgregationis Præſidum, ac Viſitatorum ſcopus ſit monaſteriorum reformatio, poſt ea, quæ de Capitulo prouinciali celebrando,deq; creãdis Præſidentibus, & Viſitatoribus, eorumq; officijs hucuſque tradidimus; conueniens ordo illud poſtulat, vt difficilem reformandi artem,ac methodũ nunc aggrediamur. Vt autem in ipſo veſtibulo ingentem lapidem ſubmoueamus; implicita illa quæſtio ſtatim diſcutienda nobis occurrit. An Religioſus ingreſſus monaſterium relaxatum, teneatur recipere, ac obſeruare monaſterij reformationem? Monaſteriorum enim reformationem quidam ſegnes, deformatiq; Religioſi vehementer oderunt;illud obijcientes, ſe ipſius ingreſſus,aut emiſſæ profeſsionis tempore, ad eam vitam regularem obligaſſe,quæ tunc in monaſterio & obſeruabatur,& vigebat;nec aliam eis fuiſſe mentem.Quin potius ſi arctiorem, rigidioremq; vitam in monaſterium inducendam,iubendãq; forè intellexiſſent, mutato animo Religionem deſeruiſſent. Cùm igitur Religionis votũ maximè voluntarium eſſe oporteat,Religioſus profeſſus noua monaſterij reformatiòne non tenebitur.

2 At verò iudicio noſtro, non parum falluntur huiuſmodi. Quare ad hanc propoſitam querimoniam rectè dijudicandam, diſtinguendum eſſe cenſemus. Duplex enim eſſe poteſt monaſterij reformatio; aut in accidentalibus Religionis, aut in ſubſtantialibus. Accidentalia quidem Religionis ea cenſentur,quæ aut ſunt ſupra regulam, aut ad tria vota ſubſtantialia non pertinent, ſed ex peculiarij monaſterij ordinatione auſteriorem, arctioremq; viuendi formam tradunt; omnibus autem monaſterijs eiuſdem Ordinis non ſunt communia. Quales ſunt pedum diſcalciatio, & nuditas, aliquanta veſtium rudium aſperitas maior ieiuniorum, orationumq; numerus, tenuis, curtaq; ſuppellex, interdictus eſus carnium.

3 His præmonitis ſit prima concluſio; Religioſus non tenetur obſeruare hanc accidentariam reformationem,ſi tempore ingreſſus in monaſterio nõ vigebat. Nam & votum voluntarium eſt, & Religioſus nõ habuit animum ſe obligandi,niſi ad regulam,quæ ibi ſeruabatur. Maximè ſi tempore immemorabili, ea accidentalia non ſeruabãtur: quæ ſanè pro temporum varietate,& introduci,& mutari,corrumpiq; poſſunt. Hanc opinionem tuetur Panor.in cap.ſuper eo. de Regularibus.

Et cap. ad monasterium, de stat. Monac. &c. De hac accidentaria reformatione intelligendus est fuisse locutus Pet. Rebuffus in concordatis rubrica, de regia ad prælaturas nominatione facienda, in verbo reformatis, cùm inquit; Religiosum non esse compellendum ad subeundã reformationem, quando tanto tẽpore regula relaxata fuisset, cuius initij memoria non esset in cõtrarium, maximè Papa sciente, tacente, ac tolerante. Nam Rebuffus, & Panormitanus ab eo citatus, expresse de esu carnium verba faciunt, qui ad accidentalia plane pertinet, & Conc. Tridentinum, & summus Pont. eius confirmator, & executor aduersus relaxationem substantialium proclamant, tantum abest, vt consentiant. Itaque in substantialibus Rebuffus audiendus non est.

4 Sunt etiam in Religione substantialia quædam plurimi æstimanda; quæ quidem necessariò, & essentialiter Religioni, & professioni inhærent, atque conueniunt. Videlicet regula ipsa, tria vota substantialia, & quæ ad illa sunt necessariò ordinata. Item & si quæ sunt alia Ordinis peculiaria vota, & præcepta sub emissa professione cadentia.

5 Secunda conclusio: Religiosus quacunque intentione Ordinẽ fuerit ingressus, iure tenetur suscipere, & obseruare hanc substantialem reformationem, quamuis tempore ingressus nõ vigeret regularis obseruantia; sed esset aut omnino, aut partim corrupta, & deformata. Aduersus.n. huiusmodi Deo factam obligationem, & promissionem nullum robur, nullas etiam vires habet immemorabilis consuetudo, quæ potius Religionis corruptio dicenda est. Nam, vt inquit S. Antoninus 1. par. tit. 16. cap. vnico §. 4. consuetudo de se mala est omnis, quæ est contra legem diuinam, vel naturalem, & actus ex illa procedens semper est peccatum, & non minuit consuetudo peccatum, nec excusat, sed auget ex cap. Schisma 24. q. 1. & de consuetudine cap. vlt. tantò enim sunt grauiora peccata, quantò diutius animam infœlicem detinent alligatam. Et Cyprianus inquit; Consuetudo sine veritate vetustas erroris est; vnde Nicolaus Papa dist. 8. cap. mala, ait; Mala consuetudo, non minus, quàm perniciosa corruptela, vitanda est. Quæ nisi citius radicitus euellatur, in priuilegiorum ius ab impijs assumitur, & nisi celerrimè comprimatur, pro lege incipit venerari. Nullum etiam hic locum obtinet longissima annorum præscriptio, ex

6 regula iuris; Possessor malæ fidei vllo tempore non præscribit; iuxta illud, Psalmo 49. Redde altissimo vota tua; nec alicui licet fidem promissam homini infringere, nec ipsi maximo Deo. Infirma etiam iudicanda est hac in re Prælatorum auctoritas, & potestas, si ea quæ enarcata sunt violare, aut disperdere velint, Hæc nostra conclusio maximè

corro-

corroboratur præclara illa Conc. Trid. ſentẽtia ſeſſ. 25. cap. 1. de Regularibus, cùm ait; Cùm compertum ſit ab eis; id eſt à Superioribus, non poſſe ea, quæ ad ſubſtantiam regularis vitæ pertinent, relaxari. Si enim illa, quæ baſes ſunt, & fundamẽta totius regularis diſciplinę exactè non fuerint conſeruata, totum corruat ædificium, neceſſe eſt. Connumerauerat autẽ ſub ſubſtantiæ nomine comprehenſa, ſcilicet regulam, obedientiam, paupertatem, caſtitatem, & Ordinis peculiaria vota, & præcepta ad eorum reſpectiuè eſſentiam, & ad communem vitã, victum, & veſtitum conſeruanda pertinentia. Vnde qui profitetur, regulam profitetur, non conſuetudinem; intelligiturq́; eſſe obligatus non ad id, quod fit, ſed ad id quod fieri debet: aut enim Religionẽ ingreditur intuitu Dei, ob idq́; in contrarium allegare, aut reniti non debet. Si verò deprauato animo ingreditur, vt viuat ſecundum regulam ibi vigentẽ, audiendus nõ eſt, tanquàm allegans turpitudinẽ ſuã.

6 Huic opinioni patrocinantur Innocentius in cap. Super eo, iam allegato, & Ioannes Andreas in cap. vltimo, de Regularibus in 6. Et Armilla aurea, in verbo Religio, nu. 9. & 10. à quibus nõ diſſentit, ſi rectè intelligatur, Silueſter in verbo Religio 3. quæſt. 12. Eandem noſtrã concluſionẽ recipit Rebuffus loco citato; in eãdemq́; ſententiam citat Panormitanum in cap. ad noſtram, de appella. & Cardinalẽ Alexandrinum in cap. ante triennium col. 2. diſt. 31.

7 Sed & Silueſter in verbo Religio. 6. quæſt. 7. ex Archidiacono tradit, quòd Religioſus de licentia Prẹlati habens multa ſuperflua, non eſt proprietarius, ſi paratus eſt omnia reſi gnare in manibus eius, licet vterque peccet. Et ſi Prẹlatus non facit, quantum poteſt ſine magno ſcãdalo, vt viuatur in cõmuni, nõ eſt in ſtatututo, argumento diſt. 83. cap. error. Subditi verò dictæ communitati reſiſtentes, non quia non poſſent ſufficiẽter viuere, ſed quia volunt abundare, & de ſuis ſuo modo facere, videntur eſſe in malo ſtatu: Cùm ſeculariter viuant, & velint in nequitia perſeuerare, quod prohibetur in cap. relatum, ne Clerici vel Monachi, &c. ſub grauiſsima pœna; vbi Alexander 3. ſic ait; Relatum eſt, quod Monachi de. h. ſeculariter viuunt, & alios exemplo ſuo corrumpunt. Ideoq́; mandamus, quatenus eos ad obſeruantiam regulæ, appellatione remota, compellas: vel ſi tibi reſtiterint auſu temerario, eis eiectis fratres alterius Ordinis, ſi non poteſt præſcriptũ monaſteriũ in ſuo Ordine reformari, in illud inducas: vt labores impiorũ iuſti edãt, & illi tandem rubore perfuſi, ad ſui Ordinis obſeruãtiã reuertantur. Quo in loco ſummariũ inquit; Monachi incorrigibiles de monaſterio expellentur, & reformabitur monaſteriũ de fratribus alterius Ordinis, ſi de Monachis eiuſdẽ Ordinis reformari nõ poteſt.

8 His adde ex Gersone tractatu de proprio, quòd nec Abbas, nec Capitulum prouinciale dispensare potest in huiusmodi rebus substantialibus ex Innoc. 3. cap. cùm ad monasteriū, de statu Monach. &c. propè finem, cùm ait; Nec æstimet Abbas, quòd super habenda proprietate posit cum aliquo Monacho dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeò est annexa regulæ monachali, vt contra eam nec summus Pont. posit licentiam indulgere. Et Conc. Trident. loco citato asserit idem, dicens; Cùm compertum sit ab eis, idest Superioribus nō posse ea, quæ ad substantiam regularis vitę pertinent, relaxari. Sed de his lib. 1. abundè diximus; sæpè tamen Canonicorum mentibus inculcanda sunt. Sed audi, vnde hæc omnia mala prosiliant. Nempè ex praua consuetudine. Dura. n. dura, ac penitus acuta, & violenta res consuetudo est, ad vincendam, capiendamq; animam, cùm imprimis ista voluptatem adiutricem habeat; ea verò pietatis virtus, ad quam festinamus, & ad quam transferri, atque applicari studemus, ingētes nobis præbeat labores. Quocirca Deus ipse quoque cum Hebræis Num. 11. cap. Eorum, quæ in Aegypto didicerant, malorum vetus consuetudo deponenda esset, seorsum illos in solitudinem adduxit; atque ita illorum formabat animos, viam omnē medicinæ, & curationis tentans, asperiorem atque leniorem, nihilq; penitus omittens ex his, quæ viderentur eorum salubritati profutura. Et ne sic quidem vitia illi effugerunt, sed cùm mana cœlesti cibo alerentur, cæpas tamen, & allia, & cetera Aegypti mala præferebant, atque requirebant. Tantùm consuetudo valet, tantumq; roboris habet. Si autem Iudæi cùm tanta diuinæ diligentiæ cura fruerentur, ducemq; præstantissimum, & oratorem adeò egregium, cui niterentur, haberent, metuq; præterea, & comminatione, & beneficijs, & cruciatibus, modis denique omnibus erudirentur, tantaq;, & tàm illustria miracula viderent, in nullo meliores euaserunt. Tu iuuenem Canonicum in Aegypto media, siue magis in media dimicatione versantem, nullumq; qui quod vtile esse posit, consulat audientem; cunctos verò ad ea, quæ contraria saluti sunt, se exhortari inspicientem, atque eos omnium maximè, qui duces sunt, & moderatores, diaboli laqueos facilè euadere posse arbitraris? Iuuenis quidem Religiosus sibiipsi ex se non sufficiet ad virtutem conquirendam, atq; exercendam; sed & si quid ex seipso strenuum, atque illustre conceperit, priusquam id germinet, verborū inueteratæ societatis perpetuò imbre suffocabitur. Vt enim corpus si salubribus cibis non fruatur, insalubribusq; nutriatur, longo tempore subsistere, & durare non potest: ita & anima, quæ eiusmodi doctrinis fuerit imbuta, nihil vnquam

altum

altum, nihil magnum, absque Dei ope cogitare poterit, sed eiusmodi necesse est; dum sic induruerit, languidam, & mollem, vitijsq; velut peste quadam iugiter infectam, ita demum in æternos ignes, atque immortales cruciatus proijci.

Non oportere candidum Religionis cultorem retrocedere. Cap. viij.

1 
Onnunquam eius generis Religiosos comperies, qui audito reformationis nomine, admodum conturbentur ira excandescant, admonitoribus succẽseãt, & quasi iã de pelle sua, actum esset, fugam præmeditari, & iã arripere videantur, adeoq; ipsum reformationis nomen exosum habent, vt mortem ipsam non magis abhorreant. Propterea illos tanquàm infirmiores corroborandos, & his paucis admonitis confortandos esse duximus. Imprimis orandus est à te Deus, si hac ægritudine corriperis, vt sua singulari protectione, cura, atq; defensione te contegat, & tueatur. Egemus enim omnes sua diuina manutentione, nam si semel manus suæ tentionem subtraheret nobis, vniuersi simul collaberemur. Studiosè igitur ab eo petes, vt super te firmetur manus sua, & exaltetur dextera sua. Etenim de fortitudine sui brachij, de sua prævalida potentia omnino nihil hæsitamus, nihil diffidimus. Tantùm oremus, vt manus sua confirmetur super nos in bonum ad protectionem, defensionem, & custodiam nostri, vtq; robustissimã istam dexteram suã non sinat quasi in suo sinu marcescere, & ociosam esse, sed ad operationem mirabilem extendat eam: vt in ea pro nostra salute operari velit mirabilia opera potentiæ suæ. Ipse.n. apud Dauidem Psal. 88. inquit. Manus.n. mea auxiliabitur ei: & brachium meum confortabit eum. Ipse.n. te docebit pugnare, & præliari aduersum hostes tuos, qui tibi manus roborabit, & digitos aptabit ad dimicandum aduersum illos, ad resistendum ijs, qui te interficere quærunt, tibi elargiens virtutem, & agilitatem, vt ab inimicis tuis te defendere valeas, eosq; in fugam vertas. Quo enim modo doceri solent tyrunculi ad corporaliter præliandum, ad quem modum videlicet manibus gladium, siue hastam gestare, eisq; vti debeant; quo modo item digitos versare debeant, agiliterq; mouere iuxta ictum aduersarij ferientis; sic per omnia, & solicitè Deus suos Religiosos pugnatores instituit; vt prœlia domini, aduersus tàm visibiles, quàm inuisibiles hostes prœliari valeant.

Quamuis igitur candidi Religionis cultores multis hinc diuexẽtur afflictionibus, illinc plurimis agitentur laboribus, non ob id tamẽ deiecto, consternatoq; sint animo; ne fortè hac emendatioris vitæ occasione

ſione hoſtibus ſplendida relinquatur victoria. Id pro indubitato habentes, corruptibilem coronam dari non ſolitam, niſi legitimè certātibus. Nec iura quibuſuis opitulari, niſi vigilibus; nec præmia tribui, niſi gnauiter laborantibus. Non.n. ager fert fructum, niſi multò aratro ſcindatur, nec vitis acinum, niſi ſedulò paretur; nec quicquam aliud, quod vtile ſit, producitur vnquā, niſi aſsiduitate laboris. Ideoq; certò ſciat Chriſtianorū quiſq; præſertim verò religioſus, eo plus ſibi quàm ceteris in hoc ſeculo laborādum, quo magis illi cū diabolo, diaboliq; impugnatione aſsiduè luctandū eſt. Ob idq; frequenter animo verſet illud Eccleſiaſtici; Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia, & in timore, & pręparata animam tuam ad tentationem. Et rurſus; In dolore ſuſtine, & in timore, & in humilitate patiētiam habe, quoniā igne probatur aurum, ſimiliter, & argētū. Et in Deuteronomio monet quoq; Spiritus Sāctus per Moſen ſic dicētem; Dominus Deus tuus vexabit te, & famem inijciet tibi, & cognoſcetur in corde tuo, ſi benè cuſtodieris præcepta eius, ſiue non. Et iterum; Tentat vos dominus Deus veſter, vt ſciat, ſi diligitis Deum veſtrum ex toto corde veſtro, & ex tota anima veſtra. Sic.n. Abraham Deo placuiſſe fertur, qui vt Deo placeret, nec filiū amittere pertimuit, nec illum interficere recuſauit.

3 Sic myſtice Iacob, quo Rachelem pulchram nimis, hoc eſt vitam contemplatiuam, æternamq; beatitudinem facilius aſſequeretur, eo libentius plurimos, variosq; interim cum Lya deformi, ac lippoſa ſubijt labores: ſic vniuerſi, qui Deo coniungi cupiunt, diuerſis atteruntur anguſtijs, varijsq; ſubijciuntur laboribus. Hinc Beatus Iacobus vniuerſos Chriſti pugiles ad alacriter tribulationum certamina ſubeunda ſic cohortatur; Omne gaudium exiſtimate fratres, cùm in varias tentationes incideritis, ſcientes quòd probatio fidei veſtræ, patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet: cui planè patrocinatur vas electum Paulus inquiens; Gloriamur autē in tribulationibus, ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem. Spes autem non cōfundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. Huic negotio obuius accinit regius Pſaltes; Iuxta eſt dominus his, qui tribulato ſunt corde. Et alio loco; Cum ipſo ſum in tribulatione. Oportet enim per multas tribulationes ingredi in regnum cœlorum. Hinc ad diuexationes, tribulationesq; ſereno vultu ſuſtinēdas, audi percelebrem illam, atque nunquàm ſatis laudatam viduā Iudith, ſic te cap. 8. adhortantem; memores eſtote, quomodo pater noſter Abraham tentatus eſt, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus eſt. Sic Iſaac, ſic Iacob, ſic Moſes,

ſes, & omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes tranſierunt fideles. Illi autem qui tentationes non ſuſtinuerunt cum timore domini, & impatientiā ſuam, & improperium murmurationis ſuæ contra dominum protulerunt, exterminati ſunt ab exterminatore, & à ſerpentibus perierunt. Vnde Apoſt. huc ſpectans ait; Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus Sathanæ, qui me colaphizet, vt non extollar. Cui roganti, vt diſcederet, à domino dictum eſt, ſufficiat tibi Paule gratia mea, virtus.n. in infirmitate perficitur. Quandoquidem eiuſdem teſtimonio, omnes qui piè viuere volunt in Chriſto, perſequutionem patientur, & dominus noſter beatos illos appellat, qui perſequutionem patiuntur propter iuſtitiam. Quoniā à diebus Io. Baptiſtæ vſque nunc regnum cœlorum vim patitur, & ſoli violenti rapiunt illud, per vim autem, ac violentiam, validas nimirum, & circunquaque inſultantes intelligens excribrationes.

4 Non itaque pericula, anfractus, anguſtiæ, comminationes, verſutiæ, ve ſaniæ, perſequutiones, aut quæuis tentationum exaggerationes teipſum ab itinere Religionis iam cępto deterreant, aut dehortentur; quin multò magis ad aſsiduos labores, omnigenasq; ærumnas alacriter ſubeundas, ac ſuſtinendas, ingens præmium, inaudita, atque ſupra modum excellens merces, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, te ipſum incitare debeat, Paulo potiſsimum dicente; Erunt.n. ſocij cõſolationis, qui & paſsionũ ſocij fuerint, hac nanq; ſpe ductus Moſes grandior factus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligẽs affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem; maiores diuitias exiſtimans theſauros Aegyptiorum, improperium Chriſti. Aſpiciebat.n. in remunerationem, omni re ſenſibili excellentiorem. Quis.n. mortalium nouit? Quis vnquam ſufficienter cogitauit, aut ſatis intellexit, quomodo in hoc ſeculo vexatos, atq; in tribulationis fornace probatos poſthac voluptatis torrente potabit? Quomodo immēſæ claritatis lumine irradiabit, ſuæq; diuinitatis participes efficiet? Et in ſeſe trāsformabit tribulatorum omnium archetypus dux, ipſe dominus noſter Ieſus Chriſtus?

5 Quod aperto ſatis ſermone pro humanæ fragilitatis cõditione ſic explicat idē Apoſt. 2. ad Cor. 3. Nos verò omnes reuelata facie gloriam domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à ſpiritu domini; & rurſus ad Philip. 3. Expectamus dominum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. Quo ſpectat, & illud Ioan. 3. Nondum apparuit quid erimus, ſcimus, quoniā cùm apparuerit, ſimiles ei erimus; quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Nõ

igitur

Sigitur in hoc seculo nobis feriandum, non segniter oscitandũ, sed cũctis viribus, vt perpetuæ pacis tranquillitate fruamur, enitendum est, atque laborandum; & eo impensius quo maior, expectatur, promittiturq; remuneratio. Adijce nanque quantumuis laborum, & tribulationum, abundè fœlix eris, si hisce transitorijs malis æternam mercatus fueris beatitudinem. Ceterum antiquiores referunt historiæ, duo Romæ fuisse ingentia, ac nominatissima templa. Vnum nanque erat multò labore, pluribus impensis, auratis laquearibus, magnaq; industria, ac miro artificio fabricatum, quod honoris titulo insigniebant; alterum verò aspectu horridum, ingressu difficillimum, atque angustissimum, quod laboris, virtutis, vexationis, ac difficultatis templum appellabãt. Et illud quidem templum primum, quod honoris tẽplum vocabant, nunquam ingredi cuiquam licebat, nisi prius templum laboris strenuè pertransisset. Hunc in modum æternæ fœlicitatis, perpetuęq; beatitudinis templum ingredi cuiquam non datur, nisi multis laboribus agitato; quoniam non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Nec in portu nauigat, nisi qui pericula subierit; nec agricola segetem metit, nisi sparso prius semine, & agro diligenter culto.

6 In cuius figuram ante voluptatis paradisum Cherubim, gladiumq; flammeum, atque versatilem ad viam ligni vitæ custodiẽdam possuisse fertur dominus. Quid.n. gladio flammeo, atque versatili designari putas, nisi varias huius seculi tribulationes, quæ homines crebro distorquent? Nam vt aurum ignis fornace probatur, sic diuersis anxietatibus verus Christi miles comprobatur. Hæc demum persuasio, ne fortè tanquam lãguidus à militari congressione desistas, te ipsum vrgeat, atque commoueat. Nempe vt nauta fluctuum, turbinum, ventorum, procellarumq; spumantium collisione non consternatur, sed ad fœliciorem sæpenumero perducitur portum; sic regularis militiæ pugilem varijs tentationum discriminibus obuolutum, in terram viuẽtium longè omnium fœlicissimum portum, citius quandoque perduci contingit. Non itaque more desidis, aut somnolenti feriandum, non more hominis resupini, & humi prostrati stertendum, non more palãtis Euæ, aut dispatiantis Dinę huc, atque illuc vagandum; verùm cùm non sint condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, viribus cunctis, vt inimico sæuienti, & circunquaque grassanti repugnemus, semper elaborandum, fortiterq; in acie standum, vt contemptis omnibus huius seculi tàm prosperis, quàm aduersis, ad altiora, sublimioraq; semper aspiremus, & pacis abundantia post exantlata huius vitæ certamina, tandem perfruamur.

7 Est quoddam hominum genus, qui bello non admittuntur, videlicet

cet

cet timidorum,ac formidoloſorum,qui corde pauido hoſtium inſultibus,carnis delitijs,mundi oblectamentis,& dæmonum tentationibus ſegniter reſiſtunt,qui hoſtibus quantumuis debilibus vltrò,citroq; ſuccumbunt,& turpiter in fugam verſi, fratrum corda alioqui intrepida, ſua puſillanimitate in pauorem inducunt. Qui opibus nudari terrenis, carneiſq; voluptatibus carere pertimeſcunt;& alios exemplo peruerſo à virtutis via auocant, longeq; à Religione abducunt: De quibus Prouerb. 24. dicitur; Fugit impius nemine perſequente. Iuſtus autem quaſi leo confidens abſque terrore erit. Trepidauerunt.n. timore,vbi non erat timor. Quoniam Deum non inuocauerunt. Vnde Cain omnibus timidis ſegnior,militiam ſpiritualem conflictumq; pœnitentiæ reformidans, egreſſus foras à facie Dei,huc, atque illuc errabundus diffugit, & toto vitæ tempore profugus fuit. Quem proximè imitantur omnes,qui cor impœnitens habent; quiq; cùm ad Deum ocius nō conuertuntur, nec Deo humiliter hęrent,ab eius facie magis,magiſq; elongati, tanquàm profugi,vel maximè timent. Qui viam virtutis,ac veritatis,periculorum timore percuſsi ingredi nolunt. Quæ probitatis,& honeſtatis ſunt,vel à limine ſalutare non audent; quæ vtilia ſunt, & ſuæ ſaluti,ac æternæ beatitudini aſſequendæ neceſſaria,ſubire recuſant. Qui paſsim oſcitantes,delitijs feriati,& terrenis rebus incuruati,nunquàm aſſurgunt,nunquàm ad ſuperna vultū attollunt, nunquā mētis aciē in cœleſtia erigunt; & quæ prōpto,magnoq; potius animo ambire deberent,mēte cōſternati,omnia deformidāt. Sunt itaque vires in nobis hilariter reſumendæ, ſunt ſpiritus colligendi, cogitatuſq; omnes vniendi,nec in illicitis motibus detinendi;ſed in Deo viuente ſperandum,ad eumq; alacriter accedendum; ne quod timidis minatur enim Ioannes,nobis forte (quod abſit) contingat. Inquit enim Apoc. 21. Sitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis. Qui vicerit, poſſidebit hæc timidis autem, & omnibus mendacibus pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.

8 Non reformidet itaq; ſpiritualem paleſtram Religionis cādidatus, nec ſegniter agat;præſertim cùm ducem habeat intrepidum,potentē, impauidum,& vndequaque ſtrenuiſsimum victorem, ſemper inuictū. Qui ad belli conflictum propenſius incitans, crebro inculcat, dicens; Nolite timere puſillus grex. Iugū.n. meū ſuaue eſt,& onus meum leue. Et alio loco; Venite ad me omnes,qui laboratis,& onerati eſtis, & ego reficiam vos; ſi quis ſitit,veniat ad aquas,& bibat. Omnem itaq; timorem, omnem formidinem, omnem pauorem, omnem denique puſillanimitatem Dominico fretus præſidio, ſtatim Religioſus propellat,& cum Pſalmiſta confidenter dicat; Si conſiſtant aduerſum me

caſtra,non timebit cor meum. Et iterum; Dominus illuminatio mea, & ſalus mea quem timebo? Et id Pauli ſimiliter; Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quòd ſi deſidia fortè, ac mentis deiectione adhuc te affici contingat, Sapientis audi conſilium; Vade piger ad formicam, & conſidera vias eius,& diſce ſapientiam; quæ cùm non habeat ducẽ, nec præceptorem,nec principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe quod comedat. Vſque quo piger dormies? Quãdo conſurges de ſomno tuo?

9 Inſuper quemadmodum qui peregrè proficiſcuntur,nec ædes, domos, vrbes,caſtra,aut quæ vis ædificia in via conſtruunt,nec domibus artificioſis, aut hoſpitijs,mira ſtructura confectis, vel amplis vrbibus, aut munitioribus caſtris multum delectantur,nec locorum amœnitate,vel agrorum fertilitate detinẽtur,nec ſi minus commoda hoſpitia, ac loca deſerta latrunculis plena inueniant,deterrentur, nec duris,auſterisq; viarum anfractibus à bene cœpto propoſito, itinereq; perficiendo deſiſtunt, nec quibuſuis periculis cedunt;quinimo iter iam fœliciter incœptum fœlicius tota animi intentione,totaq; mentis auiditate, pedibus, manibusq;, vt aiunt,complere, ac perficere nituntur, ſuæq; peregrinationis terminum conſequi in dies magis,ac magis ſatagunt; Ad eum certè modum religioſæ militiæ intrepidi pugiles toto conatu, properanti curſu,ac indefatigabili progreſſu, locorum amœnitatis, vel horroris immemores, per abrupta,per inuia quæq;,& inaquoſa ad æternæ fœlicitatis portum,montem excelſum, ſupernam ciuitatem Hieruſalem, vbi facie ad faciem videbitur Deus deorum in Sion,omnib. huius ſeculi tàm proſperis,quàm aduerſis neglectis,peruenire conẽtur. Ignominiæ igitur, pudori, atq; dedecori tibi erit, ſi à Religionis progreſſu,& promotione retrocedere,vel cogitaueris.

De quibuſdam præparatorijs ad futuram reformationem. Cap. IX.

1 QVantum verò eluceat Chriſtiana religio in ijs, qui ſeculo renunciantes,ſub diſciplina Regularis obſeruantiæ degunt,quiſnam Chriſtiani pectoris homo non videat? Inter cetera.n. quæ Dei gloriam in terris concelebrãt, catholicamq; fidem apud infideles etiam, commendabilem reddunt, non infimas tenet partes ſocialis vita eorum fidelium, qui ſpreto perituri ſeculi luxu,abdicatisq; à ſe diuitiarũ, honorum, & carnis illecebris, in monaſteriorũ ſeptis voluntariæ ſeruitutis ſe perpetuò dedicarunt voto. Quis(oro) Deum mille præconijs non extollat, cùm vtriuſque ſexus penè innumeros intuetur iuuentutis florere pulchritudine,corporis valetudine proſpera potiri, diuitiarum abun-

dare copia, possidere agros, vineas, domos; parentum, amicorum, affiniumq; generosa claritate ornari, sponte tamen renunciare seculo, illius pompas spernere, consanguineos à se abijcere, atque sub ignoti quodámodo viri disciplina regulari Christo domino strenuè militare? Quæ quidem res cômunis humanæ consuetudinis limitem egreditur. Non enim facilè quisque patitur, vt suos progenitores contemnat, vt deserta patria, vniuersis relictis consanguineis, coęuis adolescẽtulis, & amicis, peregre proficisci, ignotasq; domos incolere; deinde perpeti famem, sitim, frigus, atque etiam, si opus sit, nuditatem; corpus quoque attenuare vigilijs, ieiunijs, atque laboribus, & inedijs; quodq; his omnibus excellentius est, propriæ voluntatis debellare affectus, & domesticorum, propinquorumq; dulcissimum, contubernium, quasi pestilentem locum fugere, & odisse. Cum hæc igitur actitari conspicimus, spe futurorum bonorum, quis non admiretur, quis Deum non mirifice laudet? Hac quippe ratione sancti claritate perfusi, deserta repleuerunt, perlustrarunt solitudines, construxerunt cœnobia, in quibus diuinis intenderent laudibus, crebris vacarent orationibus, in vnúq; congregarent Dei filios, circunquaq; dispersos, vt inuisibilium inimicorum latẽtes laqueos euaderent. Intelligebant.n. seculum hoc carnis cõcupiscentia, oculorum lenocinijs, & vitæ superbia esse refertum. Idcirco huiusmodi pro Christi amore se mancipauere ergastulis. Ad hanc profectò spiritualem immundorũ spirituum pugnam Apostolus ad Ephes. 6. exhortatur; Nõ est, inquit, nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.

2 Non est autem mirum, si ipse aereæ potestates ipsos Christi milites prosternere, ac debellare conentur, cùm è regione ipsi eosdem die, noctuq; conculcare non desinant: quid enim aliud dixerim esse Religiosorum monasteria quàm stadia militaria, atque spiritualia castra? Est quippe claustrum ortus conclusus, paradisus delitiarum, thalamus nuptialis, cubile immaculatum, virtutum schola, tabernaculum fœderis, reclinatorium sponsi, bellatorum statio, sanctitatis domus, castitatis custos, pudicitiæ firmamentum, Religionis magisterium, & obedientiæ sanctæ speculum singulare.

3 Vt autem iam ad particularia exercendæ reformationis documenta descendamus, nouem numero sunt præparatoria, vt plurimum necessaria. Primum est, vt personæ habeantur idoneæ loco reformãdo. Cor, cerebrum, & principalia membra in animalibus primo natura producit, ex quibus deinde omnia corporis lineamenta condit. In artificiosa etiam domus structura architectus primo solidiores, maio-

resq;

resq; lapides collocat, ſuper quibus deinceps firmum ædificium conſtruit. Hinc in ſacra pagina fundamenta domorum diuinarum ſolidiſsima eſſe leguntur, quæ ſanè Religioſorum domos præfigurabant. Vt Exod. 27. In atrio tabernaculi fuerunt columnæ ſexaginta, fulcientes tentoria atrij, quarum baſes eneæ erant, & columnæ. Salomon quoque; 3. Reg. 5. præcepit, vt tollerent lapides grãdes, & pretioſos in fundamentum templi, & quadrarent eos. Sic quoque neceſſarium eſt in templo ſpirituali, in quo Spiritus Sanctus inhabitare dignatur, inchoatores firmos eſſe, ſtabiles, atque idoneos, ideſt bonæ vitæ, bonæq; famæ, & iniuriarum patientes. Nam in reformationis exordio ob rei nouitatem, non paucos aduerſarios agnoſcent.

4 Secundum præparatorium; eos oportet reformatores eligere, qui huic negotio tractando ſint apti. Reformatores autem vocamus eos, qui ex ſuperiorum auctoritate cõmuniti, reformationem ſunt inchoaturi, exequuturiq;. Vt Præſides, vel Viſitatores, & vniuſcuiuſquiſq; domus Abbates. Si enim apti non fuerint, reformationis opus nihil promouebunt. Sint igitur in hanc rem gerendam bene affecti, atque fideles; alioqui. n. frigidam, apparentem, fucatamq; reformationem inducẽt. Quidã etiam muneribus, precibus, alijsq; modis corrumpentur. Sint igitur Reformatores auctoritate potentes, ne ab aduerſarijs vincantur; ſint prudentia ſagaces, ne callidis artibus decipiãtur; ſint denique integri, ne muneribus corrumpantur, aut precibus.

5 Tertium eſt, vt conſenſus Epiſcopi, & inſignium Clericorum prius habeatur ad dimouenda ſcandala; ſiue locus reformandus ſit exemptus, ſiue Epiſcopo ſubijciatur. Ne aut murmuratione, aut alio prætexto colore rem impediant.

6 Quartum, poteſtas regia procuranda eſt, atque vigor brachij ſecularis aduerſus rebelles, propter aſtutos Religioſos reformationi reſiſtentes. Ipſi, n. cùm admonentur, vt obſeruantiæ Regularis iugo colla ſubmittant, ſtatim ad cognatos, amicos, & potentes accurrunt; calumniantes reformationem, aut reformatores, aut certè reformandi modum. Quòd ſi ſeculares potentes non ſint prius conuenienter informati eorum etiam beneuolentia captata, facili negotio operi diuino reſiſtunt. Summo igitur ſtudio reformatores curent, vt iuxta locorum, & temporum opportunitatem, fauorem principis, aut conſulatus, aut communitatis obtineant. Intelligantq; difficillimam eſſe monaſteriorum reformationem in vrbibus, & locis, vbi communitas regnat: præſertim vbi Religioſi conſanguineos habent in communitate ciuium. In loco verò vbi princeps rem publicam gubernat, facilius eſt opus, ſi principis conſenſus habeatur.

7 Quintum, diligenter procuranda sunt in loco reformando ea, quæ ad victum, vestitum, & reliqua necessaria pertinent. Nam qui religiosis præsunt, vt Humbertus in Regulam Augustini ait, cauere debent, ne in distribuẽdis necessarijs sint tenaces, sed pro facultate seruis Dei necessaria largiantur. Si enim decenter necessaria viris bonis subministrentur, tria sequuntur bona. Laus creatoris, dominum enim saturati laudabunt. Custodia paupertatis. Alioquin enim aut efficientur proprietarij, aut mutabunt locum, aut prælatis detrahent. Prospera corporis valetudo, ad prosequendum feliciorem statum, & ad fugiendam debilitatem, & impotentiam sustinendi difficultatem, & iugum ordinis.

8 Sextum, inuitis, & repugnantibus sacra concio frequentanda est. Secularibus quidem, vt quàm sit vtilis, quamq; frugifera reformatio, intelligant, & nouam plantulam adiuuent, atq; irrigent, ne arescat. Inuitis verò regularibus, vt à faucibus dæmonum eripiantur. Aliquando etiam verbi diuini prædicatio ad voluntarios religiosos habeatur, vt pane cęlesti recreati, aduersa facilius tollerare posśint.

9 Septimum, parcendum non est delinquentium excessibus. Talis autem correctio, si cum inuitis, & pugnacibus agatur, virum prudentissimum exigit. Vbi enim multi perditissimi homines cohabitant, infirmitates celantur, medicus animæ nec quæritur, nec diligitur, sed inuidiosè propellitur. Vt enim Gregorius. 9. Moral. cap. 1. ait; Peruersæ mentes, si semel ad studium contrarietatis eruperint, siuè prauum, siue rectum quid à contradicentibus audiant, aduersis hoc responsionibus impugnant. Boni igitur sic corrigendi sunt, vt nimis rigidè non puniantur. Mali verò sic castigandi, vt inde boni non perdãtur. Solent nanque inter spinarum multitudines etiam de frugibus semina succrescere. Cauta ergo manu operantis agendum est, vt dum spina tollitur, spica nutriatur. Item sic sunt corrigendi peruersi, vt ad tempus si expedierit, punitio prætermittatur. Vt enim idem Gregorius admonet, nonnunquam cum redarguuntur praui, deteriores redduntur. Præterea sic corrigat reformatorum, vt non furorem, sed discretionem assumat. Teste enim Augustino; si quid lacerato animo dixeris, puniendus est impetus, non charitas corrigentis. Longe enim maiore arte opus est in medẽdis animarũ, quàm corporũ vulneribus.

10 Octauum, vtilissimum erit, vt quid nam sit reformatio Canonicis explicetnr. Pro cuius rei intellectu annotanda sunt verba Pauli dicentis; Nolite conformari huic seculo; sed reformemini in nouitate sensus vestri. His sanè verbis elegans, breuisq; viro religionem professo forma traditur, qua actus, moresq; suos ad normam non seculi, sed

spiritus instituat. Ad vitæ nanq; moralis perfectionem, ad quam obtinendam omnis fundatur religio, duo necessario exiguntur; videlicet innocentia; & iustitia. Per innocentiam quidem à malo declinamus; per iustitiam verò bonum operamur. Ait enim Chrysostomus; qui abstinet à malo, innocens quidem est, iustus non est, nisi iustitiæ opus impleuerit. Forma etiam; & pulchritudo pro eodem vsurpantur. Quemadmodum igitur in corporibus pulchrũ appellamus, quod decentem proportionem membrorum in quantitate, & situ habet, ac etiam clarum, & nitidum colorem continet; sic etiam illud in ceteris rebus pulchrum iudicamus, quod habet claritatem sui generis, vel spiritualem, vel corporalem, estq; debita proportione constitutum. Reformatio igitur tria in se includit, formæ præcedentis existentiam, eiusdem formæ subsequutam carentiam; & nouę formæ introductionem. Reformatio ergo est formæ alicuius deperditæ noua introductio. Forma autem cuiuslibet approbatæ religionis ex duabus potissimum partibus componitur, & integratur; ex regula per ecclesiam approbata, & ex constitutionibus ritè editis.

51 Quid autem in monasterio formosius, & delectabilius viro probo esse queat, quam si intueatur castitatem in dormitorio, temperantiam in refectorio, in capitulo iustitiam, in scholis prudentiam, in infirmatorio patientiam, in claustro silentium, in coquina parsimoniam, in choro, & ecclesia varia pietatis, ac deuotionis exercitia? Iam verò præstantissima est in religiosis morũ compositio, cùm paupertas Christi cernitur in vestitu, modestia in verbo, verecundia in visu, in incessu grauitas, in facie hilaritas; nec aliquid comperias, quod tuum aspectum offendat.

52 Cauendum igitur est, ne hanc fulgentissimam religionis pulchritudinem, amittamus; ne illud Thren. cap. 4. in nos contorqueatur. Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum? Omne caput languidum, & omne cor merens, à planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas. Isai. 1. Derelicta est filia Sion, sicut vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario, sicut ciuitas, quæ vastatur. Isai. 1.

53 Nonum præmonitum est, conducibilius esse oblata opportunitate, reformationem aliquantulum rigide, quàm laxe, ac frigide inchoare. Quæ si lento, inertiq; gressu inchoata fuerit, ac itidem integra regula, & constitutiones omnes rigidiuscule in exordio obseruate nó fuerint, experientia docente, affirmare possumus, certo certius futurum esse, vt postea vix, aut nunquàm perfecta reformatio sit inducenda. Si. n.

tam boni, quàm mali laxa viuẽdi inertiæ, solutioriq; vita semel assueti fuerint, non secus, atque graues in seculo peccatores, difficilimè ab eis dimouebuntur. Qui enim in initio parua negligit, paulatim decidit. Eandem hanc corrigendi normam Archiapostolus Petrus Act. 5. cap. insequutus est. Intereuntibus.n. Anania, & Saphira factus est timor magnus super omnes, qui audierunt, & in vniuersa Ecclesia. Meritò nanque terrere debet huius Ananiæ exemplum omnes: oportebat autem inter prima Ecclesiæ initia seuerum aliquod edi facinus, ne lenitas doctrinæ Apostolicæ apud impios prorsus veniret in conteptũ.

4 Videor equidem mihi iam illos sic argutantes videre. In Religionis principio, & in hæc nostra tempora patres nostri fuerunt litteris, & sanctitate præditi; qui tamen ad rigidam hanc viuendi formam nunquàm nos arctauerunt. Cur ergo nobis imponitis iugum, quod nec nos, nec patres nostri portare potuerunt? Hoc igitur orationis ductu, & priorum patrum auctoritatem, & præscriptam consuetudinem, & naturæ imbecilitatem, multaq; id genus alia sophiismata obijcient, schismata, litesq; in monasterio & excitabunt, & nutrient, sed hæc omnia contemnenda sunt.

5 Illud verò inficiari non possumus, quamlibet legem, siue regulam, quamuis rectam, & stabilem, & ab Ecclesia approbatam, propter naturæ humanæ infirmitatem, cui applicanda est, longis temporibus in vsu illæsam, & omnino conseruatam non permanere, sed indies, nisi magna solicitudine custodiatur, labi, & decidere. Quod in exordijs, atque progressibus legis naturæ, Mosaicæ, atque Euãgelicæ cernimus, idem profectò in cuiusque Religionis regula, & constitutionibus experimur. Quæ.n. olim ad vnguem custodiebantur, vix vlla hodie earum vestigia apud nos remanserunt. Proinde hoc consilium semper fuit amplectendum. Vt quemadmodum horologium, musicum instrumentum, atque nauigium, quamuis subtili arte confecta fuerint, aliquanto tamen temporis successu, inepta, inutiliaq; fiunt, nisi artificis opera, & industria rursus reparentur: simili quoque ratione temporum malitia religiosè viuendi instituta vitiantur, nisi prudentis reformatoris consilio, & arte reficiantur, & restaurentur. Idcirco Deus optimus maximus, iuxta hominum natiua ingenia ab initio cuiusuis latæ legis, & regulæ viros perfectissimos largitus est, à quibus cœptum opus vehementi quodam impetu ad sui cursus perfectionẽ perferretur. Lentò igitur pede reformatori properandum est, hac tamen lege, vt regula, & statuta integrè obseruentur, perniciosaq; tepiditas fugiatur.

De causis collapsæ Religionis. Cap. x.

1 
PERITI medici morborum causas prius diligenter explorant, vt eis semel cognitis cõuenientia medicamẽta ægrotis apponant. Vtilissimum ergo vigilanti reformatori esse duximus, si causas collapsarum Religionum ei patefecerimus, vt efficacissimis remedijs in tanto morbo curãdo vtatur. Prima igitur causa collapsæ Religionis ad prælatos spectat; cũ videlicet homines inepti, illitterati, inertes, & imprudentes ad gubernaculi fastigiũ assumuntur. Hinc.n. correctionis debitæ prætermissio ortum habet. verbis.n. & factis subditorum insolẽtia corrigenda est. Hinc originẽ trahit inutiliũ officialium creatio, & electio, dũ gratia, consanguinitas, amicitia, peculiaris affectio, propriaq; lucra respiciuntur; prudentia verò, integritas, atque dexteritas, & communis vtilitas negliguntur. Hinc demum nascitur iniqua aduersus regulam, & constitutiones dispensatio, quæ citissimẽ fit dissipatio.

2 Secunda causa est, subditorum erga Prælatum inobedientia, & rebellio. Ait.n. Tullius; Inobedientia, obstinatæ mentis duritia est, cùm debeas imperanti velle obtemperare. Nam inobedientiæ morbus ex superbiæ tumore procedit. Sicut sanies ex vlcere, sic ex superbia contemptus emanat. Quæ tamen inobedientia, & exhortatione, & correctione, & salubri disciplina curanda est.

3 Tertia causa est, priuata bonorum temporalium appropriatio citra superioris iustam, legitimamq; licentiam, contra rerum communitatem, ac demum contra votum paupertatis. Quam quidem appropriationem omnes regulæ sanctorum Patrum summopere detestantur. Præsertim Augustinus, dum in regula dixit. Si quis rem sibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur.

4 Quarta causa est, immodica, incautaq; cum exteris cõuersatio. Hæc enim cũ citra modũ est etiam si maxima circũspectio adhibeatur, deuotionis, pietatisq; vigorem exhaurit. Si.n. vix perfecti, cũ natione mala, & peruersa absq; animarum labe communicare possunt, ab imperfectis quid expectandum erit? Isaias quidẽ cap. 6. sic conqueritur. Vir pollutus labijs ego sum in medio populi polluta labia habẽtis ego habito. nõ mediocrẽ animæ nocumentũ est, si cũ peccatoribus conuixeris, si nanq; picẽ tetigeris, ab ea profectò inquinaberis. Solitus est Gregorius dicere; Sicut pisces si tardauerint, in sicco moriuntur, ita Monachi extra cellã tardãtes à quietis proposito resoluuntur. Cui, & illud simile est quemadmodũ gallina nidũ deserẽs absq; pullis, oua sua inania reddit, sic Monachus à loco in locũ trãsiẽs, frigescit, & mortificatur.

Quinta cauſa eſt litterarum ſtudij neglectus. Experimento.n. com-
5 probatū eſt, veteres quaſdam, venerandasq; Religiones à fœlici, præ-
claroq; ſtatu turpiter excidiſſe: quod bonorum temporalium negotijs
occupatiſsimi, litterarū ſtudia, ſcientiarumq; cognitionem à ſe proie-
cerint. Diuinum quidem eſt Oſeæ Prophetæ cap. 4. oraculum. Conti-
cuit, inquit, populus meus, eo quod non habuit ſcientiam: quoniam
tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi. Obli-
ta es legis Dei tui, obliuiſcar filiorum tuorum, & ego. Hinc Hierony-
mus ſuum Ruſticum admonet, nunquàm de manibus, & oculis tuis
recedat liber. Ama ſcientiam ſcripturarum, & vitia carnis non ama-
bis. Et ad Demetriadem virginem ait: Vtere lectione diuina vice ſpe-
culi, fœda corrigendo, pulchra conſeruādo, pulchriora faciendo. Itaq;
litteratorum virorum in monaſterijs penuria litteratos viros ſecu-
lares abigit, Prælatos contemptibiles reddit, vitijs deditos corrigere
ignorat, tentatos iuuenes corroborare non nouit. Verendum quidem
eſt, ne in hos litterarum oſores illud Eſai. 5. verè competat: væ, qui cō-
ſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potādum vſque ad veſpe-
ram, vt vino æſtuetis. Cythara, & lyra, & tympanū, & tibia, & vinum in
conuiuijs veſtris, & opus domini non reſpicitis, nec opera manuū eius
conſideratis, propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non
habuit ſcientiam, & nobiles eius interierunt fame, videlicet verbi Dei.
6 Sexta cauſa eſt, imprudens cum mulieribus conſuetudo, ſeu collo-
cutio. Moyſes inquit Num. 31. cōtra Iſraelitas, qui obtēto bello fœmi-
nas ſeruauerūt. Nonne iſtæ ſunt quæ deceperunt filios Iſrael ad ſugge-
ſtionē Balā, & præuaricari vos fecerunt dño ſuper peccato Phegor, vn-
de & percuſſus eſt populus? Auguſtinus quoque in Solliloquijs ait; Ni-
hil eſſe ſentio, quòd magis ex arce deijciat animū virilem, quàm blā-
dimenta fœminæ. Et Hierony. ad Nepotianum, quod protritum eſt,
hoſpitiolum tuum, aut rarò, aut nunquàm mulierum pedes terāt: om-
nes puellas, ac virgines Chriſti aut æqualiter ignora, aut æqualiter di-
lige. Vide, ne ſub eodem tecto manſeris, nec in præterita caſtitate cō-
fidas. Nec Sampſone fortior, nec Dauide ſanctior, nec Salomone po-
tes eſſe ſapientior. Memento ſemper, quod paradiſi colonum de poſ-
ſeſsione ſua mulier eiecerit. Et ad Heliodorum: quid facit Monachus
in cellis fœminarum? Quid ſibi volunt priuata, & ſola colloquia, &
arbitros fugientes oculi?
Septima cauſa eſt, bellorum, & tyrannorum oppreſsio, quæ hac no-
7 ſtra tempeſtate quàm plurima monaſteria deuaſtauit in Germania,
Anglia, Gallia, alijsq; locis non citra piorum Chriſtianorum ingen-
tem dolorem. Quare diligenter curandum eſſet, vt præmaturo, anti-

cipatoq; consilio monasteria in loca tutissima transferentur, vbi periculo exposita reperiuntur. Ne ludibrio sint, & prædæ hominibus, aut hæreticis, aut certè latronibus, & nebulonibus.

8 Octaua causa deperditorũ monasteriorum est, vnitarum parochialium ecclesiarũ coaceruatio, qua fit, vt aut difficilè reformari possint, aut si reformata fuerint, non diu in bono perseuerent. Tametsi.n. non ambigimus, animarum salutem à viris Religiosis apud plebẽ strenuè procurari, conseruariq; posse; si tamen Monachus solus, aut etiã alteri consociatus, extra cœnobium longo tempore in animarum gubernatione permanserit, in dies monasterij fuga perplacebit; deinde fratrum in claustro cõtuberniũ oderit, mulliercularũ colloquio capietur, rebus denique mundanis implicabitur, funesq; peccatorũ eum circũplectẽtur. Ex quibus certò consequẽtur erga Superiorẽ inobediẽtia, negligẽtia mandatorũ Regulariũ, castitatis periculũ, & auaritiæ incẽdiũ. Idcircò superiori seculo quædam in Germania Canonic. Regulariũ reformata monasteria vno cõsensu vnitas parochiales ecclesias à se abiecerunt. Quin potius quædã recẽtia Cõcilia prouinc. ægreferunt ecclesias parochiales à regularibus gubernari, & administrari. Et Cõciliũ Triden: sess. 7. c. 7. præcipit, vt in beneficijs curatis, quæ monasterijs perpetuò vnita, & annexa reperiuntur, ab ordinarijs idonei vicarij, etiam perpetui cũ assignata congrua fructuum portione cõstituãtur. Vt igitur rẽ finiamus, has omnes lapsuum Religionis causas cordatus reformator considerans, cõtraria adhibebit medicamẽta, contraria.n. contrarijs curantur, iuxta vulgare medicorum prouerbium.

De recta reformationis executione. Cap. xi.

1 POSTREMVS locus à nobis efflagitat, vt iam tandẽ ipsam reformationis executionem opere expleamus. In hunc.n. scopum superiora omnia referuntur. Quamuis verò in huiusmodi morum negotijs, locorum, temporũ, & personarum circunstantiæ potissimum locum obtineant, iuditio tamen nostro septem regulæ in reformationis progressu sunt prudenter, accurateq; obseruandæ. Prima, vt faustum suscipiatur exordium, locus idoneus eligendus est, à quo ob rei facilitatem reformatio sit inchoanda. A facilioribus enim iuxta disciplinæ ordinem, nobis progrediendum est. Ille autem locus idoneus esse ducetur, qui verisimili coniectura ob pinguem natiuã fructuum vbertatem plures Religiosos alere possit. Quiq; à ciuibus, incolisq; manu teneri, & in libertatem vindicari valeat. Adde etiam, quòd ex loco alia monasteria commodè reformari possint. Alias etiam his non dissimiles

ſimiles conſiderationes reformator pro ſuo fœlici ingenio, acquiſitaq; dexteritate excogitabit.

2 Secunda labijs, quæ ſub ſolenni profeſsione præcipuè continentur, reformationis ſumetur initium. Nempe à vitiorum mortalium eradicatione, & à trium votorum Religionis, vt obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis fundatione. Potiſsimum verò à voluntaria paupertate. Nam vbi rerum pura communitas non ſeruatur, vix ſpes de reformationis profectu haberi poteſt. Contra verò communitate rerum ſemel obtenta, & præiacta, omnibus penè vitijs aditus præcluditur, proprietateq; ſemel ſublata omnes ferè malorum viæ obſtruūtur. Nō.n. quiſquam veſtium ſuperbia laſciuire poteſt, cum à veſtiario ſolùm regularis veſtis ſubminiſtratur. Auaritia tunc locum habere non poteſt, cùm fomentum pecuniæ ſubtractum ſit. Ad fœminas quidem nec exceſſus, nec carnis lapſus habetur, quando eis nullum pecuniarum, aliarumuè rerum pretium porrigitur, comeſſationes, ebrietatesq; refectorij victus relegat, cum nulla aliundè reſtat via procurandi lautiora: diſcurſus etiam extra monaſterium frequentes, qui multorum malorū cauſa exiſtunt, facilè reſtringuntur, cùm nullam ille exeundi cauſam legitimā habeat, cui omnia neceſſaria in monaſterio abundè ſuppeditantur. Peſtilens verò proprietatis permiſsio totam fere regularē, veramq; obſeruantiam, tanquam ex mundo ſolem tollit. Auaritia itaq;, quæ idolorum eſt ſeruitus, cum omnibus proprietatis idolis in reformationis ingreſſu eliminanda eſt, vt Pauli documentum ad Coloſ. 3. Religioſi ſequatur: mortificate, inquit, membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiā malam, & auaritiam, quæ eſt idolorum ſeruitus, propter quæ venit ira Dei in filios diffidentiæ, &c. Hæc igitur ſunt auaritiæ, & proprietatis idola, quæ omnino demolliēda ſunt, & publicè & occultè; exemplo illius pulcherrimæ Rachelis, quæ vt patrem ab idolatria retraheret, & remoueret, patris idola, & furatur, & contegit. Geneſ. 31. cap.

3 Tertia, præcipua monaſterij officia integris, probisq; miniſtris ſunt demandanda, & iniungenda: nec ſolùm ea, quibus vt plurimum cura annectitur animarum, vt Abbatia, Prioratus, nouitiorum Magiſteriū: ſed etiam ea, quæ monaſterij bona, victum, atque veſtitum, res ſacras, aliaq; ſimilia tractant, & adminiſtrant. Si.n. his muneribus non præficiātur viri prouidi, ac Religionis ſtudioſi, qua nam ratione emendari, vitariq; poterunt ea mala, quæ ab huiuſmodi officijs negligenter, peramq; adminiſtratis ſcaturire ſolent? Nam ipſe Prælatus cuncta circunſpicere ſolus non poteſt. Sequenda igitur erit Apoſt. formā dicētium Act. 6. Conſiderate fratres, viros ex vobis boni teſtimonij ſeptē,

plenos Spiritus Sãcto,& sapientia, quos cõstituamus super hoc opus, videlicet ad administrandum viduis,& mensis.

4 Quarta, præcipui turbatores reformationis ex Religiosorũ numero prosiliẽtes,acriter cõpescantur,nunc minis,nũc pęnis,quòd si opus fuerit,ad alia Religionis loca,vbi & sibi prosint, & alijs nõ obsint sunt emittẽdi,traijciendiq;. Solent quidẽ reformationis principio,instigãte sathana, freqũẽter exurgere pugnaces quidã malorum duces, qui amicorũ potentia, dæmonis arte, propriaq; animi malignitate, & freti,& instructi,alios tàm inuitos,quàm beneuolos ad repudiandam reformationem solicitant,à sanctoq;, & pio opere cœpto dehortantur, ac retrahunt. In quos illud Paulinum 2. ad Timot 3. verè conuenit, quemadmodum Iamnes,& Mambres restiterunt Moysi:ita hi veritati resistunt,homines corrupti mente. Væ illis, inquit Iudas Apostolus, qui in via Cain abierunt,& errore Balaam mercede effusi sunt,& contradictione Chore perierunt. Propterea sanè Augustinus in regula ait; Facinorosus, secundum Prępositi, vel etiam præsbyteri, ad cuius dispensationem pertinet arbitrium,debet emendatoriam subire vindictam. Quàm si ferre recusauerit,etiam si ipse non abscesserit de vestra societate proijciatur. Non.n.& hoc fit crudeliter, sed misericorditer: ne contagione pestifera plurimos perdat.

5 Quinta,confessarij instructi,& boni, beneq; in Religionem affecti in monasterio instituantur,qui palàm, & occultè velut periti medici, malarum consuetudinum vulneribus pro viribus mederi enitantur. Hi.n. faciliori via putridorum morborũ secreta rimari, salubriaq; medicamenta ægrotis moribus applicare valebunt. Cauendum tñ est, ne quispiã litteraturæ titulo insignitus,sanctæ reformationis exosor,confessarius creetur. Plures enim vno die vnus ipse destruet, & euertet, quàm decem boni æquali tempore ædificare valeant.

6 Sexta,excessus,& trãsgressiones etiam in rebus paruis cum discretione puniantur. Quando.n. reformatio cum ceremoniarum obseruatione non inchoatur,quamuis illæ sub præcepto non cadant, postea nunquàm suscipientur,semperq; negligentur. Adiecimus autẽ discretionis moderationem,propterea quòd,cùm secũdum Gregorium nemo repentè absq; speciali Dei miraculo,fiat summus, nec ab vno extremo in alterum absque graui læsione fiat transitus, compatiendum profectò est his,qui vitijs assueti, Religionis ceremonias non sunt experti. Ne contra domini eruditam regulam, vinum nouum mittatur in vtres veteres,nec extinguatur linum fumigans, nec arundo quassetur,dum tentationum vento agitatur. Illud autem semper formidandũ est,ne si minima neglexerimus,paulatim excitamus. Eccles. 19.

7 Septima regula est, vt summo studio caueantur omnia illa opera, & incommoda, propter quæ lapsus est ordo, & sacra regularis obseruantia omninò perijt. Ea autem iam nos superius recensuimus, cùm de causis collapsæ Religionis superiori capite disserebamus.

Rursus de ratione reformandi monasterium. *Cap. xij.*

1 Per quam magna quidē prudentia in Abbate, seu quocunq; alio Prælato ad sui monasterij reformationem est necessaria, lentoq; pede illi est festinandū. Ad quā fœlicius aggrediendam pauca quædam documenta plurimum adiumenti præstabunt. Primum à diuino auxilio implorādo Abbas exordiatur. Et ad Dei maiestatem solo prouolutus, efficacissimam effundat orationem, suarum virium tenuitatem agnoscat, Dei opem lachrymis, indesinentibusq; præcibus petat, postulet, atque exoret, vt diuino fauore corroboratus, gregem sibi commissum salubribus monitis exhortari, castoq; vitæ exemplo mouere, & allicere, & cœptum negotium fœliciter persoluere possit. Deum etiam magno affectu precetur, vt subditorum corda intueatur, molliat, & aperiat ad audiēdum, amplectendum, & perficiendum, quod in reformationis pertractatione tradetur.

2 Secundum, quòd si Abbas in negotio tāti ponderis se proficere intellexerit, nequaquam inaniter glorietur; sed Deo gratias humili animo & & habeat, & agat. Totumq; fœlicem negotij exitū diuinæ pietati adscribat, seq; inutilem seruum confiteatur.

3 Tertium, quoniam verò, Dionysio Areopagita authore, tātæ perfectionis, & gratiæ cumulo, Prælatum oportet esse præditum, atque munitum, vt ex sua ipse plenitudine bonam partem in subditos effundat, & conferat: maiorisq; fit momēti exemplo, & factis, quàm verbis cōcionari. Nam exemplaris vita est perpetuum quoddam prædicandi genus: contra verò prædicatio illius contemptibilis fit, cuius vita despicitur. Idcirco Prælatus se totum circunspiciat, bonisq; operibus, vt sol splendeat, & apud suos luceat, mansuetū etiam, affabilem, & charitatis in zelo feruentē se omnibus exhibeat. Sic Paulus 1. ad Timot. 4. Timotheum Prælatum commonefacit. Esto exemplo fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Prælatus nanque quasi signum quoddam est, in quod subditorum oculi diriguntur.

4 Quartum, consideret, atque eligat Abbas eos, qui melioris, faciliorisq; voluntatis, ac etiā propensiores sunt ad reformationē suscipiendam: eósq; sibi alliciat, astringat, roboret, & conciliet. Tamq; per se, quàm illorum ministerio progrediatur ad exhortationem aliorum, secretò,

cretò, atque priuatim faciendam. Eos tamen primo loco aggrediatur, de quibus maiorem spem conceperit ad consentiendum. Quos si non faciles, sed dissentiētes fuerit expertus, æquo animo ferat, nec succēseat, nec ira rapiatur, sed Deum orans pro eis, ab incœpto negotio nō desistat. Nam difficilia, quæ pulchra.

5 Quintum, imprimis quoque laboret seniores inducere ad consentiendum reformationi, qui tantò libentius consentire debent, quantò se morti viciniores conspiciunt, quantoq; Deus diutius, & plura peccata eis condonauit. Senioribus autem consentientibus, iuniores ad bonam frugē facilius inducuntur, minusq; sanctæ reformationi resistere audent. Quæ hactenus docuimus, secretò gerenda sunt.

6 Sextum, hac prudenti præparatione iacta, quasi quadam agricultura præmissa, constanti animo Abbas progrediatur, generali monitione totum conuentum, pijs, dulcibusq; verbis adhortans ad emēdationem, ad virtutum exercitium, ad solennis professionis persolutionem, & impletionem, legatq; eis Abbas aliqua ex regula, quam professi sunt. Ea tamen potissimum, quæ ad tria vota omni religioni substantialia pertinent; exponatq; eis quàm sit periculosum, atque damnatū, votum in professione factum non explere.

7 Septimum, si Abbas id sibi necessariū esse perspexerit, sibi aduocet aliquos viros Religiosos, moribus, litteris, & sanctitate celebres, præsertim sui Ordinis Abbates, qui vnà cū ipso suos subditos ad reformationē capessendā admoneant, consilioq; atq; auxilio sibi assistant.

8 Octauū, quòd si qui fuerint nimis rebelles, & duri; videritq; Abbas se maiori, & potentiori indigere auxilio, poterit Episcopi sui aduocare subsidium: maximè si sciret Episcopum ex corde illi velle succurrere; nec precibus, nec muneribus esse flectēdum, alioqui viros eligat Deū timentes, & idoneos, quibus Episcopus vicem, & auctoritatem suam committat, qui Abbati assistentes opitulentur.

9 Nonum, quoniam verò in omni motu naturali medium pertranseundum est, vt in alterum terminum eatur, nemo etiam repente fit summus, idcircò Abbas omnia & discretione, & moderatione peragat: nec statim in ipso reformationis initio totum Ordinis rigorē subditis imponat: sed imperfectorum imbecillitatem perferens, eos paulatim ad perfectiora aduehere nitatur. Primum quidem ad substātialium votorum obseruationem. Deinde verò pedetentim ad alia Religionis præcepta, & statuta. Potissimum tamen ad Dei timorē, spiritualisq; vitę feruorem, & suauitatem degustandam inducere conetur.

10 Decimū, reformatione igitur inchoata, potest Abbas nō absq; magna sui gregis vtilitate Religiosos aliquot sui ordinis, & pios & virtutibus

tibus exornatos, ex alio cœnobio in suum importare; qui aliquo temporis spacio in monasterio suo commorantes, subditis reformandis, nec dum in obseruantijs ordinis exercitatis ostendant verbis, & factis modum monasticæ conuersationis, formam spiritalis profectus, exercitium deuotionis internæ, regularisq; disciplinæ obseruantiam.

11 Vndecimum, cùm verò, Deo adiutore, suum gregem Abbas reformatum habuerit, summa cum diligentia, atq; studio custodiat, ac in officio contineat, ne recidat, aut relabatur, sed regulam suæ professionis frequenter legat, vt probè noscat, quid eloqui, quid etiam operari cum oporteat: generosoq; animo in finem vsque perseueret, inuocatis etiã quotidie in suum auxiliũ beatissima Virgine Maria, ceterisq; sanctis, præcipuè patronis suis. De hac re diligenter disseruit Dionysius Carthus. in opusculo de refor. claustr. art. 21.

12 Eadem de re non inutilem tradidit formam Bened. 12. in Constit. Canonicorũ Regul. tit. de collapsis ecclesijs, & monasterijs in Religione. Si aliqua, inquit, ecclesia cathedralis, monasterium, seu alius locus Religionis eiusdem in Religione, vel regulari obseruantia adeò sint collapsa, quòd per Antistitem, Abbatem, vel alium Prælatum, seu administratorem, vel Canonicos proprios verisimiliter nequeant reparari: statuimus, quòd per Præsidentes prouinciali Capitulo, & quemlibet eorundem, ad requisitionem, seu relationem Visitatorum, prout eidem Capitulo super hoc consulendo, videbitur expedire, vel sine cõsultatione huiusmodi, si ex dilatione consulendi dictum Capitulum, periculum immineret, auctoritate Apost. de alia ecclesia, monasterio, seu loco, in qua, vel quo eiusdem Religionis noscatur obseruantia reflorere, Canonici assumantur idonei: & ad dictam ecclesiam, monasterium, siue locum collapsam, seu collapsum mittãtur, ibidem quamdiu expediens fuerit morari: per quos ecclesia, monasterium, seu locus huiusmodi reparetur.

13 Illi verò Canonici, ob quorum culpam eiusdem ecclesiæ, monasterij, siue loci huiusmodi lapsus, seu deformatio noscitur contigisse, in ecclesia, seu monasterio, vel loco, de qua, vel quo assumpti fuerint hij, qui ad ecclesiam, seu monasterium, vel locũ collapsam, vel collapsum, vt præmittitur, transmittentur: vel loco alio, in quo eadem Religio vigeat, per Præsidentes eosdem, & eorũ quemlibet, prout expediẽs fuerit, auctoritate Apost. collocentur, vbi eorum mores valeãt reformari. Districtius inhibentes, ne monasteria, seu alia loca collegiata, seu conuentualia Religionis eiusdem, ecclesijs, monasterijs, siue locis Religiosorũ quorũcunque alterius habitus vniantur, vel etiam summittantur sine licẽtia Sedis Apost. speciali, si secus actũ fuerit, decernentes irritũ, & inane.

& inane. Eandem tulit legem idem Benedictus in Constit. Monach. Nigr. cap. 34. cuius notula hęc est; Monachi, per quos monasterium patitur lapsum, in Religione, vel regulari obseruantia mittendi sunt ad alia monasteria.

14 Consonat his omnibus quæ tradidit Concilium Oxoniense Anglicanũ sub Stephano Archiepiscopo nu. 41. qui de Monachis, & Canonicis Regularibus verba faciens, inquit. Hoc quoque volumus obseruari, vt vbicũq; propter excessum alicuius viderit Episcopus, vel Abbas, vel Prior conuentualis, non habens Abbatem expedire, vt quis ad tẽpus alibi moretur, ad aliam domum Religionis eiusdem in eodem Episcopatu trãsferatur, vel si necesse fuerit, etiam ad alium Episcopatum dirigatur, & per diœcesanum compellatur admitti, qui ibi in omnibus regulari subiaceat disciplinæ: ita vt si ex mora ipsius ecclesia, in qua moratur, grauata videatur, viceuersa mittat aliquem de suis, qui interim moram faciet in monasterio delinquentis, nec prius rediens ipse qui deliquit, in domo sua recipiatur, quàm plenè pœnituerit de commisso, & per suum Superiorem reuocetur.

15 Docuimus etiam superius ex Caietano, nouos Canonicos eligendos non esse ante reformationem monasterij, ne à veteribus corrumpantur.

Prælatis non detrahendum, sed statim auscultandum. Cap. xiij.

1 

TILISSIMAM profectò subditis omnibus admonitionem, extructissimamq; Religionis œconomiam Ecclesiastes ille diuinus cap. 10. pręscripsit, & promulgauit, ne videlicet ad detrahendũ, aut maledicendum alijs potentioribus sint faciles, quorũ maiestatem suscipere debẽt. In cogitatione, inquit, tua regi ne detrahas, & in secreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti. Quia aues cœli portabunt vocem tuam, & qui habent pennas, annunciabunt sẽtẽtiã: quasi dicat, etiam si talis tibi Prępositus obtigerit, qualis domui minimè conueniat, tu tamẽ qui subditus es, caue, ne ęgrè feras, ne maledicas, aut detrahas ijs, sub quorũ es potestate constitutus, & non solùm verbo, verùmetiam cogitatione, & ex animo illos reuerearis cum patientia, & humilitate, tãquàm domino, non tãquam homini seruiens. Quemadmodum ait Petrus Apost. 1. Pet. 2. Serui subditi estote in omni timore dominis; Non tantum bonis, & modestis, sed etiam discolis, idest difficilibus, & morosis. Et Paulus ad Ephes. 6. Serui obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculũ seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi facientes voluntatem

tem Dei ex animo. Alijs quoque in locis idem Apoſtolus ſimilia tradit humilitatis,& obedientiæ documenta.

2 Subnectit autem, & rationem ſacer Eccleſiaſtes, ob quam ſit abſtinendum à maledictionibus,aut detractionibus huiuſcemodi,etiam in loco quantũ videtur ſecretiſsimo. Quia, inquit, aues cœli portabunt vocem tuam: & qui habent pennas annunciabunt ſententiam; illã videlicet tuã vocem,qua maledixiſti Antiſtiti, & illã ſententiam, qua in corde tuo Prælato detraxiſti. Quod verbũ iuxta litteralem intellectũ, ſecundũ hyperbolem eſt accipiendum,ea loquendi ratione,qua dicere ſolemus de eo,ꝙ putamus nõ poſſe manere occultũ,neceſſe eſt id prodire in vulgus,etiã ſi per aues cœli proferri debeat,vel ad hunc modũ: potius ipſi parietes,aut lapides hoc reuelabunt, quàm vt occultũ permaneat. Cui conſonat,quod cõmuni prouerbio iactatur,etiã montes, & ſyluas habere aures,& oculos. Atq; ita iuxta hunc intellectum,etiã ex tẽporali periculo deterremur à maledictione,& detractione Prælatorũ,& Superiorũ,ne vel in corde aduerſũ illos quid loquamur, quod ipſis præſentibus nolimus dictũ. Frequenter.n.vſu venit,vt ea,quæ de Superioribus in ſecretiſsimo, vt nobis videtur,angulo dicimus, ad illos nimia celeritate referãtur ab ijs,de quibus minimè ſuſpicabamur. Quantò.n.magis pleriq; magnorum ambiunt gratiam, tantò plures habent delatores,qui vbi quid vel per tenuem auram audierint,ſtatim audita perferant,& cõtingit nonnunquã,vt ea quę amiciſsimis ſolitarij intra ſinum effundimus, tandem propalentur, interdum caſu tali, vt mirum videatur,& illi,qui dixit,& illi,qui audiuit,qua via ſecretum illud prodire potuerit, cùm nec is, qui prolocutus eſt, ſe recordetur alteri eadem dixiſſe, præterquàm illi amiciſsimo, neque is qui audiuit amicus recordetur, cùm vllo hominum ſuper ea re ſe miſcuiſſe ſermonem.

3 Sed & cogitatio facilè latere nõ poteſt. Quod.n.aſsiduè,vel frequẽter in corde verſatur, non poteſt non aliquando vel per verba maledicentiæ, vel per ſigna auerſionis,ac diſplicentiæ,ſe prodere. Siquidẽ ex abundantia cordis,vt eſt vox domini,os loquitur;Matt.12.atq; ita iuxta litteram,præceptum iſtud licet ſimplex,diligẽter tamen obſeruatũ, maximã habet vtilitatem,& cordi humili maximam præbet requiem; quemadmodum è contrario neglectoribus non rarò periculum magnum ex neglectu euenit, & turbata in multis conſcientia. Semper enim in timore,& inquietudine viuit,qui conſuetudinem habet de maioribus loquendi malè, & mox vbi ſermonem effuderit, timore anxiatur, ne palàm fiat, quod in occulto ſuſurrauit, & pro malo verbo pœnas luat.

Spiri-

4 Spirituali verò intellectu per aues cœli,& eos qui habent alas,accipiunt alij angelos bonos,alij angelos malos, per quos ad regem summum,& primum omnium iudicem deferuntur nostra maledicta, quæ modo loquimur aduersus ipsum, ac sanctos ipsius, siue alios; qui ipsius locum tenent inter homines, quam intelligentiam breuibus lucidè satis exprimit in sua metaphrasi Diuus Gregorius Neocæsariensis; timendum, inquit, ne si quid etiam solus dixeris, manifestetur aliquando: magno enim & diuiti, & vnico regi angeli veloces, & alati, spirituali simul, & rationali fungentes ministerio deferent omnia.

5 Occultas ergo detractiones,ac maledicentias in Antistitem euomere noli. Quin potius tibi consulens, optimis eius monitis auscultato, eaq; diligenti exquisitione perlustrans,mente retineto. Habent.n. Prælatorũ verba diuinã quandã energiã, ac emphasim. Propterea q; imò pectore sunt concludenda,& fideli memoriæ cõmittenda;verba sapiẽtũ sicut stimuli,& quasi claui in altũ defixi Eccl.12.cap. Queadmodũ.n. stimulis boues tardi excitantur ad celerius pergendũ,sic pigri hoĩes sapientũ Prelatorũ verbis,modo exhortatorijs,modo obiurgatorijs,modo cõminatorijs excitãtur ad bene agẽdũ. Dignissimũ verò attẽtione est,& alta mente reponendũ,quod D. Hieronymus scripsit. Simul,inquit, & hoc notandũ est, quòd dicãtur verba sapientũ pungere, non palpare,nec molli manu attrahere lasciuiã,sed errantibus,& tardis pęnitentiæ dolores,& vulnus infigere, si cuius igitur sermo nõ pũgit,sed oblectationem facit audientibus, iste non est sermo sapientis, verba quippe sapientum, vt stimuli.

6 Quod autem sequitur,& quasi claui in altum effixi;id dupliciter intelligitur. Primum quidem,vt illa in altum defixio soliditatem,firmitatemq; significet. Claui nanq; in altum,siue profundum defixi,firmi sunt,& immobiles. Aliter defixio ista refertur ad intimam affectus cõpunctionem: vt sit sensus, verba sapientũ sic hominis cor penetrãt, & pungunt vsq; ad cordis intima,sicut claui,qui defiguntur in altũ. Quo enim figuntur altius,eo plus penetrant. Alij verò hic legunt,sicut claui igniti. Sunt enim verba sapientum Superiorum clauis ignitis,atque candentibus similia, qui altius, ac facilius lignis infiguntur. Ita & sapientum Prælatorum verba in penitissimos sinus intellectus nostri altius figuntur.

7 Vnde verò hanc vim,occultamq; energiam habeant Superiorũ verba,& vnde suam nacta sint auctoritatem, subsequenter insinuat; dum ait; quæ per magistrorum Concilium,data sunt à Pastore vno,nempe Deo. Non.n. voluntate humana allata est aliquando prophetia,sed Spiritu

ritu Sancto inspirati, loquuti sunt sancti Dei homines ex. 2.Pet. 1.& in Euangelio Matth. 23. dicitur; Quoniam vnus est magister omnium nostrum Christus. Et iterum Eccles. 1. Omnis sapientia à domino Deo est. Ab hoc igitur vno Pastore summo, qui est veritas prima, & regula veritatis, mentiri nescia, verba sapientum procedunt, & per magistrorum Deo inspiratorum Concilium, & vnanimem consensum tradita sunt, quasi ex vno ore loquuti sint.

8 Nec satis fuerit viro religioso detractionem in suum Prælatum non exacuere, eiusq; admonitionibus auscultare, & obsequi; sed & id pernecessarium est, vt statim obtemperans, rem longius non differat, nec impedimenta, aut excusationes in peccatis conquirat, aut comminiscatur. Ait.n.pacificus Ecclesiastes cap. 11. qui obseruat ventum, non seminat; & qui considerat nubes, nunquàm metet. Vix vnquã tàm est tranquillus aer, quin aliquid venti in aere percipiatur, maximè in campis, aruisq; patentibus; atque etiam si ad tempus modicum nulla forsitan, vel minimi venti percipiatur commotio, non diu durat tanta illa tranquillitas. Sic item vix vnquam cernitur aer tàm serenus, vt prorsus nulla in eo videantur nubeculæ. Qui igitur seminaturus semen suũ, differret seminationem vsq; dum auram haberet omnino tranquillissimam absque omni impedimento venti, nunquàm seminaret. Item qui messurus, auram obseruaret, & prorsus omni nube carentem, nũquàm ad messem manum admoueret. Debet verò seminaturus non ita exactè obseruare ventum, & messurus nõ ita superfluè metuere nubes. Verùm vterque cùm tempus nactus fuerit, commodum suo operi, confidenter se ad illud debet accingere sua industria, & arte quantum poterit, ventorum, ac nubium impedimenta remouens, simul & bona confidentia Deo negotium suum committens.

9 Ex hac similitudine insinuat nobis Ecclesiastes, debere nos non quibuslibet occasionibus cessare à bono opere, nec impedimentis quantumlibet minimis reuocari à bene agendo; qui enim leui etiam occasione, & minimo impedimento à bene agendo retrahitur, nunquàm boni aliquid acturus est: Quoniam semper occurrunt homini impedimenta eum auocantia aliqua, sæpè plura, interdum & plurima, partim à carne, partim à mundo, partim à diabolo, sed donec tempus habemus vitæ huius, nullis impedimentis obstantibus, nullis occasionibus impedientibus, viriliter semper ad opera Dei manus nostras extendamus. Mundus, caro, diabolus concitent aduersum nos ventos, nubes, & pluuias, fulgura, & tempestates, nos interim agamus viriliter, & Paulinæ exhortationis semper memores, bonum facientes, nunquàm deficiamus.

Si enim torpore accidiæ à nobis excusso, in confidentia diuini auxilij manus nostras miserimus ad fortia, nihil nobis in opere nostro oberunt, quæcunque ab aduersarijs potestatibus fuerint tempestates exuscitatæ, sed nostra prudenti industria, & virili longanimitate, potissimum verò spe diuini semper nobis parati auxilij, per omnia sine damno pertransibimus.

10 Denique quemadmodum ventus non solùm non obest, verùm etiam prodest seminanti, si modo industrius, & rei rusticæ peritus fuerit, vt sciat ad ventum se debitè vertere. Sic nobis omnes malæ tentationes, & suggestiones, venti vtique pessimi, non modo, non damnum inferent benè operantibus, sed multò magis commodum adferent, si nouerimus à ventis illis faciem auertere, atque ad ipsos dorsa conuertere; idest si nouerimus prauis illis suggestionibus non consentire, sed penitus eas respuere, & execrari, tunc enim quasi in faciem ventos suscipimus, quando malis suggestionibus consensum præbemus. Tunc verò faciem auertimus, & tergum damus quando malis suggestionibus nequaquam assentimur: vnde Psal. 128. vir iustus, qui consensum non dabat malignorum suasionibus, dicebat; Supra dorsum suum fabricasse peccatores, illicque prolongasse iniquitatem suam, siue, vt in Hebræo legitur, arasse sulcum suum. In illis nanque, qui peccatis consentiunt, dicuntur peccati auctores, diaboli fabricare supra cor, aut pectus, aut faciem. In illis verò qui tentantur quidem, sed non consentiunt, fabricant peccati auctores, dæmones supra dorsum.

11 Iterum, quemadmodum nubes pluuiosæ ijs, qui in metendo occupantur, stimulos præbent, & incitamentum ad virilius operandum, ne fortè si remissiores fuerint, periculum incurrant fructuum suorum; ita cùm aduersus virum spiritualem, ac Religiosum nubes spiritales à dæmone excitantur, videns sibi periculum imminere, vires suas fortius exerit, ne bonorum operum suorum fructum perdat, imminens nanque periculum, dum à longe aduenire cernitur, laborantem ad accelerandum impellit, vt iacturam effugiat. Homini autem Religioso tunc quasi nubibus cœlum obuoluitur, quando mens eius cogitationibus, & affectionibus ad malum solicitantibus conturbatur. Quo sanè tempore vir spiritualis magis strenuè agit, ne succumbat periculo, clamatque ad Deum auxiliatorem suum eo fortius, quo sibi periculum videt adesse grauius. Ausculta ergo, & prælato summa animi promptitudine, & celeritate obtempera, vt heroica Religionis opera cum vberrimo fructu exequaris.

Prælatus susurronibus, & delatoribus non facilè credat, si animi perturbationem effugere velit. Cap. xiiij.



1 Olent serui, qui verè serui sunt, idest affectu serui, metu scilicet, potius quã amore subditi, in absentia dominorũ frequenter eis detrahere, aut viliter de eis, & cõtemptim loqui talia, quę nequaquã vellẽt audiri à dominis, aut ab eis resciri, quæque in præsentia dominorum, aut eorum, per quos ea timerent deferenda, non auderẽt eloqui. Sic & discipuli seruiles de præceptore vilia loqui, eumq́; irridere tum per gestuum imitationem, tum per figmenta inconuenientium nominationum libenter solent. Seruiles item subditi de suo Rege, aut Principe, aut Prælato similia loqui inter sese consueuerunt. Extorquet nãq; huiusmodi, nescio quas vilipensiones, irrisiones, & detractiones, auersio quædam, quæ in seruis illis cum seruili timore est coniuncta. Quomodo.n. ait Ioannes, timorem non esse in charitate, sed eam foras mittere timorem: Sic & de timore seruili vicissim dicendum, quòd non habeat in se perfectum amorẽ, sed odij nonnihil habet adiunctũ, quòd tñ non tã odiũ, quã auersio quædã dici debet. Sẽper.n. timor seruilis aliquid habet auersionis ab eo, qui sic timetur, ratione pœnę, in quã intẽdunt oculos qui timẽt, etiã si non simpliciter oderint eum, quẽ timẽt.

2 Hæc quanquam seruorum sit mala conditio, grauiter tamen solent conturbare dominum, aut Præceptorem, aut Prælatum, aut patremfamilias, quoties tale aliquid ad ipsum delatũ fuerit. Aegre nãq; dominus à seruis se irrideri patitur, aut vilipendi: ægre item pręceptor à discipulis, sic & Prælatus, aut Princeps, à subditis ęquo animo id ferre nõ potest, quod inde procedit, quoniam quanto is, qui contumeliã infert, aut vilipensionẽ, vilior æstimatur, tanto is, qui ea afficitur, ægrius illã accipit, & fert grauius. Vnusquisq; autẽ paruifacit sibi aliqua ratiõe subiectos: ꝓpter quod tãto eorũ irrisione cõturbatur grauius, quã si ab aliquo, vel maiori, vel pari eã tulisset. Tãtò quoq; ęgrius fert homo malũ, quod sibi infertur, quantò minùs æquũ est, id facere eũ, qui facit: vtpotè cũ is, qui merito benefacere debuit, è contrario malefacit. Cũ igitur æquum videatur, vt serui per omnia dominum suum, & Prælatum subditi obsequijs, & beneficijs, & omni honore afficiant, vtpotè cuius sunt, & cuius vescuntur pane, à quo habent omne, quod habẽt filios quoq; parentibus, & discipulos præceptoribus iustum sit omnem honorem impendere, iuxta quod Sapiens quidam ait: Deo, parentibus, & magistris non posse reddi æquiualens, non immeritò grauius cõturbantur domini, parentes, aut Præceptores, aut Prælati cum à suis ser-

uis, filijs, discipulis, aut quomodolibet subditis, se contemni, aut vilipendi compererint.

3 Aduersum hanc ergo conturbationem, prudenti consilio nos præmunit Ecclesi. docens: Quomodo eam valeamus effugere cap. 7. lege Hugonem de S. Victore in commentario huius loci tom. 1. Sed & cũctis, inquit, sermonibus, qui dicuntur, ne accõmodes cor tuum, ne fortè audias seruũ tuum maledicentem tibi. Scit. n. conscientia tua, quia & tu crebro maledixisti alijs. Ac si apertius dixisset; noli accommodare aurem cunctis, quæ dicuntur: noli aurẽ admouere, aut curiosè perquirere, quæ & qualia de te loquantur in absentia serui, filij, discipuli, aut quomodolibet subditi. Imò & si audire te nonnunquam contingat auerte auditum, & dissimula, quasi non audieris. Hoc pacto magnam poteris effugere inquietudinem, & conturbationem; quã incurrunt impatientes domini, qui curiosè explorant, quid loquantur de se serui, quid subditi sentiãt, dicantuè; vt statim vbi verbum vnum contemptus aduersum se prolatum audierint, indignentur, obiurgẽt, puniant. Multò. n. præstat nos dissimulare multa, & non curiosè attẽdere illis etiã, quæ referuntur ab alijs, quàm aliorum dicta, vel per nosipsos diligenter explorare, vel à delatoribus libenter audire. Est enim id vilis, & abiecti animi, nec verbulum posse ferre serui subditi, aut discipuli murmurantis; cum ipse à te non solùm dura præcepta, non solùm diras minas, non solùm dura conuitia, verùm insuper, & plagas, & verbera subinde debeat sustinere.

4 Addit quoq; causam admodum rationabilem, quæ nos meritò debet à tam effœminata impatientia prohibere. Scit (inquit) consciẽtia tua, quia & tu crebro maledixisti alijs. O verbum Christiano pectore dignum, dignum profectò quod alta mente reponatur, & frequẽti rememoratione semper nobis versetur ob oculos, quoties aduersus nos dictum factumuè aliquid in nostri contemptum indignamur. Dic mihi, rogo te, qui sic facilè conturbaris, quoties dictum, factumuè aliquid audieris in tui contemptum, aut vilipensionem aliquam, nunquam ne meministi, te similia, imò illis etiam maiora, & indigniora dixisse, vel egisse aduersum alios? fuisti opinor, aliquãdo tu ipse seruus, aut filius, aut discipulus, aut sub Prælato subditus.

5 Tu igitur cùm in eo esses statu, quoties obmurmurasti aduersus dominum? Quoties illi grauia iubenti imprecabaris mala? quoties irrisisti apud coæquales, & condiscipulos; præceptorẽ, & Prælatũ? quoties de eo, cui eras subditus, apud tuos intra parietes loquutus es indigna? quanta sub inde aduersum illum confinxisti mendacia, cùm te fortè offendisset? qualia agebas, atque dicebas in illius contemptum, quæ nequa-

nequaquam rescire illum voluisses,neque coram illo ausus fuisses , vel dicere,vel agere? Nunc verò(si superis placet) quasi horum omnium immemor,tanquàm oblitus,quis olim ipse fueris,non potes,neq; verbulum contemptus,neq; vilipensionis,vel minimè indicium,sine graui indignatione pferre ab ijs,qui tibi sunt subditi,meminisse te, oportebat verbi dñi,quo dixit:qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis,Matth.7.An minus bene fuit de te meritus tuus dominus,tuus pater,tuus præceptor,tuus prælatus,tuus princeps,quàm tu nūc merearis de tuis,vel seruis,vel filijs,vel discipulis, vel subditis ? Quare ergo non ferres tuos maledicētes tibi, postea quā tu prior maledixisti alijs? vulgatū est Comici verbū: si pergis dicere q̄ vis,audies quę nō vis. Tu quę voluisti,nō quę debuisti,dixisti de alijs,superest igit̄, vt tu ab alijs audias,quę nō tu velis,sed q̄ volunt illi, & qualia tu audire meruisti.

6 Neque verò tantùm considera,quæ olim aduersus alios egeris, aut dixeris. Etiā modo teipsum contemplare,quoties, in verbo offendas, si quis.n.nō offendit in verbo,hic perfectus est vir:quoties de alijs loquaris etiam in quotidiano colloquio,ea quæ de te nequaquā dici velles:quoties bonam aliorum famam,vel corrumpas,vel minuas : quoties dicas aliquid,vel agas,in quo honori aliorum sine causa derogas. Inuenies profectò , vnde tibi pectus refrigeretur , ne statim vbi quispiā maledixerit,incalescat iracūdia.Doceberis indubiè nō omnia attēdere,quæ de te dicuntur ab alijs , imò & audita dissimulare nosces , & absq; cōmotione perferre hominū verbula.Quomodo.n.iuxta naturæ dictamen,& domini verbū,quæ tu tibi fieri velis,eadē ipse debes præstare alijs,& item,quæ tibi nolis fieri alijs quoq; non facere,sic & iustū est te ab alijs ferre,quæ ad te ferunt alij.Nimis.n.delicati foret animi, aduersum alios omni licentia dicere, ac facere quæcunque tibi libuerint ; nihil tamen ab alijs aduersum te posse,aut velle ferre eiusmodi.

7 Quanto melius crudelis ille Adonibezech Iudic. cap.1. Cui cùm præcisæ essent summitates manuum,ac pedum,diuinæ vindictæ agnoscens ipse talionem,dixit:Septuaginta reges summitatibus manuum, ac pedum amputatis,colligebant sub mensa mea ciborum reliquias. Sicut feci,sic reddit mihi dominus.Hic si in tanta miseria homo Chananæus,aut Pherezæus,se consolatur,diuinæ æquitatis agnoscens talionem , quomodo non magis homo Christianus, in re lenicula , idest in volatili verbulo eodem de fonte sibi cōsolationem inueniet,vt euadat conturbationem ? Et tamen non rarò videmus , eos qui in alios tàm detrahendo,quàm irridendo fuerunt,suntq; liberrimi,longè magis impatientes esse,& grauius conturbari,vbi ab alijs tale quid passi fuerint , quàm eos , qui de omnibus debitam reuerentiam præsta-

te solent? Qui si sapientes nostri propositum verbum diligenter attenderint, fideliterq; recogitauerint, meritò ipso sui pudere debet, iustũq; est, vt vel pudore coacti, fœmineũ illũ deponãt animũ, virileq; assumãt.

8 Quocirca Prælato opus est, vt illa animi abiectione, infirmitateq; exutus, induat eximiam eam fortitudinem sexaginta fortiũ ex fortissimis Israel, qui Cantic. 3. tenẽt gladios, & sunt ad bella doctissimi; ij enim sunt Prælati, atq; Doctores, quorum est officium, aduersus hostiũ insultus, vigiles pro grege domini cõmisso seruare excubias, armisq; semper instructos esse, & ad bella paratos, vt sua vigilantia, atq; strenuitate Christi gregem, quantum in ipsis fuerit, in pace, & tranquillitate spirituali custodiant: quiq; scientia rerum diuinarum instructi, & zelo Dei accensi, sciant, possint, ac velint gregem defendere ab hostiũ, siue apertis insultibus, siue occultis insidijs; pro ipsiusq; nomine ad mortem vsq; decertare malint. Hi.n. sunt, qui pro amore Christi murũ se opponere debẽt pro ouiculis suis, & quasi canes fidelissimi, minimeq; muti, aut elingues, fortissimos aduersus virtutis hostes latratus dare non cessent; Ita vt neq; rabidi lupi, quantũuis audaces, in caulas ouiũ Christi possint irrumpere, neque insidiosæ vulpes, meticulosique fures latenter valeant irrepere. Sic.n. gregis saluti Prælatorum fortitudine consulitur; nisi qui fortè sua sponte caulas malint egredi, atque ad hostes vltro transire.

9 Habent autem fortes isti electi ex fortissimis Israelis, idest totius fidelis populi gladium, quo aduersum hostes decertãt. Illum profectò gladium, quem Apostolus monet assumere; galeã salutis, ait; Assumite & gladium spiritus, quod est verbum Dei: qui quidem gladius Verbi Dei viuus est efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Hunc gladium Doctores, atque Prælati meritò tenere dicuntur. Ipsum.n. Dei verbum tenent mente, tenent ore, tenent manu: mente tenent, dum in lege Dei nocte, ac die meditantur, voluntatemq; eidem iugiter habẽt infixam. Tenent ore, cum assidua prædicatione verbum ipsum veritatis, quòd à Christo acceperunt, siue per exteriorem auditum, aut lectionem, siue per interiorem vnctionem sincerè, & fideliter ouibus annunciant. Tenent denique manu, quãdo id, quod in mente retinẽt, & per linguam prædicant, foris etiam in opere per bonæ conuersationis exemplum demonstrant.

10 Tales nimirũ esse debent, qui ouium sunt à Christo defensores constituti, sic tribus illis simul modis gladium tenere debent, si luporum rabiem, aut furum insidias ab ouibus velint abigere. Alioqui.n. quasi gladiũ in vagina tenent absconditum. Instructi quoq; sunt fortes isti ad bella, idest exercitati in debellãdis hostibus, scientes videlicet quibus

bus armis,& quibus modis contra hostes sit pugnandum, vt pro qualitate,& conditione hostium varijs in pugnando armis, & artibus vti sciant.Debent.n. qui ad dominici gregis offensionem eliguntur,multo ante in pugna esse exercitati. Debent multo tempore cum carne, cum mundo,cum diabolo viriliter decertasse, antequam ad regimen accedere tentent.Atq; ita demum post crebras pugnas priuatim cum hostibus commissas, post frequenter cum hostibus singulari certamine cõsertas manus,post longã hostiũ experientiã,ad publica certamina ad defensionem gregis ascendere audeant. Qui.n. adhuc in Christi militia tyrunculi sunt inexercitati,& inexperti spiritualis militiæ,hi nequaquam fortium illorum locum præsumant accipere. Ne ipsi,qui alios defendere tenebantur aduersum quoslibet hostium insultus, & impetus,primo ipsi iaculo, quod est tentatio superbiæ, & iracundiæ, confossi occũbant. His nobilissimis,honorificentissimisq; stratagemmatis sui animi vires noster Prælatus exerceat, susurronibus verò, & delatoribus vtranque aurem occludat,vanosq; stultorum rumusculos floccipendat; contemnatq; etiam, quicquid de se inuidi obgarriant, latrent, & loquantur, qui in oculo fratris vident festucam,in suis verò trabem non prospectant.

De reprobanda Prælati seueritate,siue nimia iustitia. Cap. xv.

1 Irtutes omnes positas esse in quodam meditullio, intra excessum ex parte vna, & defectũ ex parte altera, etiã philosophis moralibus non est incognitum: qui ob hoc virtutem docent esse difficilem, & paucos inueniri virtuti deditos,quod virtus cõsistat circa medium:vitium autem extrema obtineat. Medium autem tenere difficilè est:sed ad extrema à medio aberratur facilius, maximè quòd medium secundũ rationem sit sumendum,extrema autem in excessu rationi. Sic itaque & iustitia vera in medio posita est, & aberrari ab ea contingit; vel per defectum,cùm quis minus facit,quã exigit iustitia,vel non facit,quod postulat iustitia; vel per excessum,quando quis iustitiæ prætextu plus facit,quàm ęquitas,& ratio dictat. Vnde est illud Comici verbum summum ius,summa iniuria.

2 Huiusmodi autem excessus iustitiæ ad crudelitatem, & feritatem pertinet,& est plerunq; hypocritarum:qui etiam leuissima fratrũ delicta seuerè dijudicant, iuxta verbum dñi Matth.7. Festucam vidẽtes in oculo fratris,cũ trabem in proprio oculo non videant,culicẽ quoq; liquantes,cùm glutire possint camelum. Multum iustos se ostenderũt Pharisæi,& Scribæ, Matth. 15.quando discipulos arguebant de nõ lo-

tis ante prandium manibus, de spicis confricatis, quando etiā dominum arguunt Matth. 12. q Sabbato curasset hominem, quando murmurant aduersus eum, quòd ad hominem peccatorē diuertisset, quòd cum publicanis manducaret, quòd non lotus esset ante prandiū, quòd mulierem peccatricem admitteret ad pedum vnctionem, & oscula, aliaq; huiusmodi. Item quando onera grauia, & importabilia alligabant in humeros hominū, quæ ipsi digito suo nollent mouere Matth. 23. Dominus autem, quomodo non multum iusti esse debeamus aduersum hos, pluribus in locis nos erudit nominatim: cùm ait Matth. 8. Euntes, discite, quid est misericordiam volo, & non sacrificium. Et iterum; Si sciretis quid est misericordiam volo, &c. nunquam condēnassetis innocentes Matth. 7. Item quando docet non iudicandū, sed misericordes esse debere, quomodo pater cœlestis est misericors. Postremo, quando nec mulierem in adulterio deprehensam noluit condemnare, imò de accusantium, & lapidare eam volentium manibus, rationabili eam responso eripuit Ioan. 8. Paulus quoq; idipsum pluribus in locis inculcat, qui etiā infirmis infirmus fieri nouit, & voluit, vt infirmos lucrifaceret, imò omnibus omnia, vt omnes lucrifaceret. 1. Cor. 9. Verbo quoq; idipsum docuit, cum scribens, Rom. 15. ait: Debemus autē nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobisipsis placere. Vnusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum ad ædificatio nem. Etenim Christus non sibi placuit, &c. Ac deinde; Propter quod suscipite inuicē, sicut Christus suscepit vos. Et iterum; Infirmum in fide suscipite, non in disceptationibus cogitationū, Rom. 14. alibi: Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris. ad Galat. 6.

3 Rursum alio in loco apud Corinth. quàm est solicitus, ne per nimiā fortè iustitiam, is qui propter sui delicti punitatem traditus fuerat satanæ, pereat, cuius causa secundam ad Cor. scribit epistolam: timens, ne ille, qui per primam epistolam, seueritate iustitiæ exigente, iussus fuerat satanæ tradi, si non maturè reciperetur in gratiam, absorberetur à satana: sicq; per nimiā iustitiam periret, qui per moderatam saluari potuit. Propter quod seueritatem prioris epistolæ subsequēti mitigans, iubet in gratiam recipi eum, qui punitus fuerat, ne fortè absorberetur abundanti tristitia: proq; hac re tam est solicitus, vt etiam obsecret discipulos, confirmare in illum charitatem, & donari illi veniā, qui peccauerat, & pœnitentiam egerat, pœnamq; tulerat. Quare autē tanta teneatur solicitudine, manifestè ostēdit, cum ait: vt non circumueniamur à satana. Non n. ignoramus cogitationes eius. Nouerat. n.

quòd

quòd nimia iustitia Prælatorum, diabolo cōmodū sit retiaculum perdendi subditorum animas, quemadmodū è contrario cùm misericordiæ benignitate coniuncta iustitiæ seueritas, multum efficax est remedium, non ad præseruādas modò, verùm etiam ad reducendas ab errore subditorum animas: propterea monet nos Sapiens Eccles. 7. Noli esse iustus multum, ait, neq; plus sapias, quàm necesse est, quo in loco lege Hugonē de S. Victore tom. 1. Ille existimatione nostra, æquo iustior est, ac nimis iustus, qui exacto, & rigido iustitiæ iudicio, fratrū peccata non tàm conspicit, quàm punit, quibus aliquando propter naturalem pigritiam, aut stuporem mentis, aut ignorantiam deberet indulgere, & veniam impartiri. Inhumana quippe est iustitia, non posse fragilitati hominum parcere; cùm.n. nullus sit tam sapiens, tamq; pfectus, quin aliqn̄ offendat, debemus in alijs infirmitaté agnoscere, q̃ & in nobis sētimus. Qui ergo fit multū iustus, ipso nimio fit iniustus.

4 Tunc autē maximè omnium iustitia in Prælato corruptissima est, si fortè aliquando iustitiæ prætextu, suā explet iracundiam, vindictamq; in subditos exercet. Ingenuè fateor, Superioribus non prohiberi omnino irasci, sed ne ad irascendum veloces sint, monemus. Hi.n. ad irascendum faciles esse solent, mox vt aliquid aduersum ipsos dictum factumuè fuerit, quod ipsis displiceat. In obuios nanq; quosq; stomachantur, & sæuiunt: plerunq; etiam iracundia superbiæ coniuncta, desiderat vltionem; & igneus, atq; repentinus vindictæ furor, nos ad irascendum impellit: quamobrem Eccles. 7. c. nos admonet, ne malum concipiamus iracundiæ habitum, ita, vt transeat in affectum cordis. Ne sis, inquit, velox ad irascēdum, quia ira in sinu stulti requiescit. Simili discretione etiam Iacobus Apost. ait cap. 1. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Sit, inquit, homo tardus ad iram. Non.n. simpliciter est malum irasci. Est.n. ira quædam bona, vtilis, & necessaria; quàm secundū rationē vel assumimus, vel admittimus: de qua etiam gloriatur Psalmista corā domino, dicens, Psal. 138. Nōne qui oderunt te domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? perfectò odio oderam illos, inimici facti sunt mihi Psal. 118. Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. Quin & dominum Saluatorē nostrū, illud omnis perfectionis exemplar, iram nō respuisse legimus. Scribit enim de eo Marcus, quod in ira aspexit blasphematores diuinæ gratiæ, Scribas, atq; Phariseos, Marc. 3. Contristatus super cæcitate cordis eorum, propter quod, etiam durissima nonnunquam illos increpatione percussit. Paulus quoq; Apost. de ira loquēs ad Ephes. 4. illud psalmi adducit: Psal. 4. Irascimini, & nolite peccare, adiungēs deinde:

ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Quæ non irã omnino prohibent, ſed in ea modum,& terminum requirunt: vt ſit ſecundum rationem ira moderata, & ordinata.

5 Epiſcopum quoq; deſcribens,vult illum nõ eſſe iracundũ ad Tit. 1. Non vult,vt nunquã iraſcatur,ſed ne iracundus ſit,præcipit, ideſt non pronus ad iram,cuiuſmodi ſunt illi,qui propriæ vindictæ appetitu iraſcuntur. Qui autem ſecundũ Deum iraſcuntur, non ex deſiderio propriæ vindictæ,ſed propter offenſam Dei, aut cauſam iuſtitiæ, hi prius ſecundũ rationem rẽ conſiderant, quàm iram admittant. Ex ratione nãq; cõſiderante, & perpendente eius rei,pro qua iraſcuntur,malitiã, ira iſta naſcitur,non ex prauitate carnis. Ira autẽ iſta, quàm dicit in ſinu ſtulti requieſcere,ira proculdubio mala eſt,quæ àb impatiẽtia,& ſuperbia naſcitur,eſtq; appetitus propriç vindictæ,quàm ſimplici verbo dominus damnauit,dicens: Matth. 5. omnis,qui iraſcitur fratri ſuo,reus erit iudicio: de hac quoq; Iacobus 1. ait: Ira viri,iuſtitiam Dei nõ operatur, ideſt ira cũ conſumata fuerit,abſtrahit hominẽ ab eo agendo, ꝗ poſtulat iuſtitia Dei Matth. 5. illud autem ſuadet, quòd eſt iuſtitiæ cõtrarium,videlicet Rom. 12. vt contra præceptũ dominicũ,& Apoſtolicum malũ reddat pro malo,aut ſubinde etiã malum pro bono. Nã ad iram eſt facilis, frequenter inde conturbatur, & ad proximo malefaciendum prouocatur,vnde ad benefaciendum inuitari debuerat: quoniam peruerſo iudicio beneficium reputat maleficium.

6 Rectè autẽ ira iſta mala in ſinu ſtulti dicitur requieſcere; quoniã ꝑ conſenſum,& acceptationem ipſam fouet,ac nutrit,dũ illi parere curat,& ſatisfacere. Sapiens verò,ſi quando ira ſecundũ genus ſuũ mala ſubito pulſetur,aut tentetur,quãtocius eam excutit de corde ſuo, nolens locum dare diabolo, ad Epheſ. 4. qui per iram conatur occupare cor hominis,ſciens, quòd peruertat talis ira iudicium, quemadmodũ breui verſiculo pulchrè Sapiens quidam atteſtatur, dicens: Ira impedit animum,ne poſsit cernere verum; inſuper & Charitati aduerſatur (quæ ſecundũ Apoſtolũ) nõ indignatur, neq; iratur ſicq; in ſapiẽte ira requiei locũ non inuenit, nec fouetur in ſinu eius. Hanc ergo tabificã viperam Prælatus effugiat,ſi modo iuſtitiæ cultor eſſe velit.

7 Propter immodicam quoq; ſeueritatem Prælatorum, nonnunquã à ſubditis excitatur rebellio,aut certè aliquanta repugnantia, & contradictio; qua fit,vt regentis auctoritas aliquantulũ imminuatur, Habent profectò,vt reges,ita & eccleſiaſtici Præſides ſuos magnates, & præcipuos conſiliarios,qui ipſis per inſipientiã quippiam attẽtantibus audẽt dicere: quare ita facis? Certè rex glorioſus erat Dauid in regno ſuo,habuit tamẽ Ioab principem militiæ, qui illi auſus eſt ſubinde dicere:

cere: Quare hoc facis? Sic.n. legimus 2.Reg.24.& 1. Paralip.21.Cũ proponeret Dauid à maligno agitatus,populum Israeliticum dinumerare, idq; Ioab,vt militiæ principi mãdato iniungeret,audacter eũ respondisse; Adaugeat dominus Deus tuus ad populum tuum, quantus nunc est, iterũq; centuplicet in conspectu domini mei Regis.Sed quid sibi dominus meus rex vult in re huiuscemodi.Nõne,domine mi rex, omnes serui tui sunt? Quare hoc quærit dominus meus, quod in peccatum reputetur Israeli?atq; etiam cùm sermo regis vrgeret, & præualuisset iussio eius, non plenè tamen obediuit Ioab. Tribum nanque Leui,& Beniamin non numerauit,quãquam iussus totũ numerare populum,eo quòd inuitus exequeretur regis imperium. Alibi quoq;, cũ paterno affectu lugeret Dauid filium suũ,in peccatis interfectum Absalon,ita vt propter luctum eius omnis populus declinaret ingredi ciuitatem,quã illum audacter idẽ iste Ioab est aggressus,quamq; fidenter,& intrepidè illum alloquutus,2. Reg.19.Confudisti,inquiens,hodie vultus omnium seruorum tuorum,qui saluam fecerunt animã tuã, & animam filiorum tuorum,& filiarum tuarum, & animam vxorũ tuarum,& animam concubinarum tuarum diligis odientes te,& odio habes diligentes te.Et ostendisti hodie,quia non curas de ducibus tuis, & seruis tuis.Et verè cognoui modò,quia si Absalon viueret,& omnes nos occubuissemus,tunc placeret tibi.Nunc ergo surge, & procede,& alloquens satisfac seruis tuis. Iuro.n.tibi per Dominum,ꝙ si nõ exieris,ne vnus quidem remansurus sit tecum nocte hac: & erit peius hoc tibi,quã omnia mala,quæ venerunt super te ab adolescentia tua. Ecce quàm audacter,& intrepidè audet seruus dicere domino, miles regi. Quare facis hoc? Et tamen quod agebat Dauid,natura extorquebat, & pietas,plangere,scilicet filium mortuum, & ita mortuum. Fuit nihilominus tam efficax illa serui reprehensio,vt continuo surgens Dauid pareret seruo increpanti 2. Reg.12.& 24. Nonne etiam Nathan, & Gad prophetæ,ausi sunt illi dicere:quid fecisti? deniq;, vt homines omnes secludamus,proculdubio is,de quo scriptum est,Psal.75. Terribili, & ei,qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terræ, is proculdubio in tẽpore suo loquetur,etiam ad potentissimos Reges, & Præsides,& dicet illis:Quid hoc,aut illud fecistis?Quare hæc,& hæc, ita facere voluistis? tunc videlicet, quando (iuxta psalmi vocem) loquetur ad eos in ira sua,Psal.2. & in furore suo cõturbabit eos:quãdo videlicet recipient omnes à minimo vsque ad maximum, secundũ opera sua,& de omni non solum facto,verùm etiam verbo occioso cogentur reddere rationem.

8 Parit etiam aliam incõmoditatem ipsa grauis,incõgrua, insuauisq;

Prælati

Prælati seueritas, quòd dum seuerè nimis domus administrationē gerit, quasi leo rigidus, ac rugiens, animos subditorum cōmouet, difficilesq;, ac morosos reddit, ne tanta facilitate Religionis negotia conficiantur, quin potius, & retardētur, aut prorsus impediātur. Contra verò, Prælatus alius modestior, suauior, mediocritatem obseruās, breuiori tempore, exituq; fœliciori cuncta moderatur, peragit, atq; perficit. Videmus.n. frequenter, velociores nō præuenire alios cursu. Sæpe.n. qui minus velox est, citius terminum attingit; quemadmodum plerūq; intuemur viatorem tardum, iter suum continuò prosequentē, citius attingere metā eo, qui celer est, & agilis, sed cursum subinde interrumpit; aut celeritate sua in principio itineris ita se exhaurit, vt tandem ante terminum deficiat. Interdum etiam propter impedimenta alia superuenientia veloci, vt nihil ei profit sua velocitas; vel propter adiumenta aduenientia illi, qui nō est ita velox, quibus promouetur ipsius traditas; atq; ita fit, vt non semper velocior in cursu præcellat: contingit interdum velociorem à minus veloci superari. Et si quis currendo velit assequi brauium, etiam si velocior sit, contingit tamen ipsum non assequi. Huic veloci homini per quàm similis est in gerendis negotijs plus æquo seuerus.

9. Sic de fortitudine sentiendum; ipsam.n. in bello esse scimus præcipuam, & fortioribus videtur deberi pugnæ victoria. Attamen nō semel cernimus, Deo permittente ob culpas hominum, rem aliter euenire, videlicet vt minus fortis, & imbecillis quispiam alium superet lōgè se fortiorem: quemadmodum non rarò contingit, viros robustissimos ab hominibus nullius penè roboris interfici. Vt Dauid. 1. Reg. 17. Pastor ouium, vnius lapilli ictu, immanem gigantem interfecit; & infirma mulier Iudith gloriosum illū in fortitudine sua Holofernem, Assyriorum militiæ principem. Contingitq; hoc interdum astutia infirmioris, interdum fortioris negligentia, sæpius casu aliquo, quantum ad humanum iudicium attinet. Quemadmodū mulieri illi Iudic. 9. contigit, quæ de altitudine turris lapidem iaciens, caput Abimelech fortis pugnatoris confregit. Aduertendum tamen, quòd licet in rebus humanis casus inueniri videatur, quantum ad causas inferiores attinet, respectu tamen Dei omnino nihil est casuale, vel fortuitum, cui nihil est indeterminatum, & inordinatum; quoniam præter ipsius intentionem, & ordinationem nihil euenire potest, neque aliter quàm ipse ordinauit, potest quicquàm accidere. Prudenti igitur consideratione probus Prælatus caueat, ne dum seueritatem subditis ostentat, aut gigantem agat, aut Holofernem referat.

1 Egimus Deut. 23. cùm votum voueris domino Deo tuo nō tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus. Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absq; peccato eris. Quòd autē semel egressum est de labijs tuis, obseruabis, & facies, sicut promisisti dn̄o Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo loquutus es. Exprimit, docetq; sanctus Moses quanam semita, quouè prudenti animo progredi debemus in consecrandis Deo votis, ne nos aliquando pœniteat vouisse. Melius est.n. ancipitem diu deliberare sentētiā, quàm in verbis facilē, in operibus esse difficilem. Noli ergo tam esse in ore facilis ad vouendum, & promittendum Deo, absq; cōsideratione debita præuia, vt tibi fragili, & infirmo ex parte carnis præstes ansam peccandi. Id quidem subinde euenire solet ijs, qui ad vouendum grandia sunt faciles, priusquà & suam mediocritatem mēsi fuerint, & rei magnitudinem maturè expenderint. Hi.n. os suum tribuunt ad peccandum; Quoniam nimium ori frena relaxant ad temere vouendū ea, quæ carni, vel ad obseruandum, vel ad fugiendum nimium sunt difficilia, sicq; per temerarium votum sibiipsis laqueum injiciunt, sibi dātes occasionem peccandi; ex parte carnis, quæ iuxta verbum domini Matth. 26. Infirma est, tametsi promptus sit spiritus. Hinc in Euangelio dominus Matth. 19. Cùm de ijs, qui seipsos castrauerunt propter regnum Dei loqueretur, remq; admodum arduam carni proponeret, monuit vnumquemq; considerare, quid posset, dicens; Nō omnes capiunt verbū hoc; qui potest capere capiat. Item, & Paulus 1. ad Cor. 7. cū in virginitatis laudib. versaretur, ne quis fortè subitaneo spiritus feruore os suū daret in occasionē peccati carnis, ne fortè quis improuidus auditor absq; matura consideratione rei propositæ, ad id, quod præferebat virginitatis propositum, temerè aperiret os suum, diligenter cauit, dicens; Hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis inijciam, &c. Et iterū, volo autem omnes vos esse, sicut me ipsum, sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidē sic, alius verò sic. Dico autem nō nuptis, & viduis, bonum est illis, si sic permāserint, sicut & ego, quòd si non se continent, nubant. melius est.n. nubere, quàm vri. Ecce quantum cauet, ne fortè temerè loquantur corā Deo, ne fortè sibi laqueum inijciant, ne fortè os suū laxent ad porrigendum carni occasionem peccati.

2 His præmonitis illud subnecte, quòd qualis quisque est apud se, tales plerunq; vult esse etiam alios, maximè subditos, & filios suos; ita

Deus

Deus altissimus cùm sit fidelis in omnibus verbis suis, iuxta verbum psalmographi Psal. 144. & sanctus in omnibus operibus suis; cùm ipse mentiri nesciat, & cœlo, ac terra transeuntibus, verba eius nunquã sint præteritura, Matth. 24. Cùm, inquam, tam sit fidelis in verbis, & firmus in promissis suis Deus noster, suos quoq; seruos vult non esse leues, instabiles, atque mendaces, sed fideles, veraces, & in verbis suis solidos, ita vt si quid sibi voueant, promittantq;, id quantocius fideliter persoluere, & solicitè adimplere satagant. Ipse nobis per prophetam pollicetur, dicens; quæ procędunt de labijs meis, non faciam irrita, neque prophanabo testamentum, siue pactum meum. Semel iuraui in sancto meo, si mẽtiar, & alia huiusmodi. Nos quoq; iuxta eiusdem prophetæ vocem, illi vicissim dicamus: Introibo in domũ tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia, & locutũ est os meum in tribulatione mea Psal. 65. & iterum; Vota mea domino reddam coram omni populo eius. Psal. 115. ac rursum: Vota mea reddam in conspectu timentium eum psal. 21.

3 Si.n. homo ab homine seuerè exigit sibi promissum, ita vt ægre ferat, si non promisso satisfaciat is, qui promisit, eumq; reputet vanũ, & mendacem, nisi opportuno tempore præstiterit, imò irrisum se putabit, & contemptum ab illo, quantò magis necesse est, quòd summo Deo promisso, aut voto in religione consecramus, addiximusq;, summa solicitudine persoluere? Quantò.n.is, cui promissio fit, maior, excellentiorq; fuerit, tantò minus æquum est omitti, quod promissum est, tantò maior in omissione cẽsetur contemptus. Vnde cùm Deo maximo nihil sit maius, constat, nullam promissionem magis hominem stringere, quàm eam, quæ Deo præstatur, nec aliam omitti maiore cõtemptu. Id plane est, quòd Ecclesi. cap. 5. concionatur. Si quid, ait, vouisti Deo, ne moreris reddere. Displicet.n. ei infidelis, & stulta promissio, sed quodcunq; voueris, redde. Qua de re consule Hugonem de S. Victore in commentarijs huius loci. Vbi dictio, infidelis, exprimit, quid sibi præcedens, stulta, velit. Stultam nanq; promissionem appellat sapiẽtissimus Eccles. promissionẽ infidelẽ. Infidelis autẽ promissio dicitur, quãdo is qui promisit, post factam promissionem, illam adimplere contemnit, aut negligit, tãquàm oblitus quid promiserit, vel tãquàm pœnitens de eo, quod promisit.

4 Verùm illud sciẽdum est, quòd si post promissionem legitimè corã testibus factam homo ab homine iure exigit, quod promissum est, neque releuat eum, qui promisit, posterior pœnitentia, aut obliuio promissionis factæ, multò magis Deus optimo iure exiget eius, quòd sibi homo promiserit adimpletionem, nec proderit subsequens post votũ

pœnitentia.

pœnitentia. Eſt.n. teſtis in cœlo fidelis pſal. 88. ipſemet Deus, corã quo teſte,& ipſe nobis pollicetur, quæ pollicetur, & nos viciſsim illi promittimus,quod promittimus,cuius teſtis certitudo, ſicut Deũ coagit nobis dicere,quæ procedunt de labijs meis, non faciam irrita;it, & nos viciſsim cõpellere debet,vt dicamus; Reddam tibi vota mea quæ diſtinxerunt labia mea,& loquutũ eſt os meum. Quòd ſi quis dicat,miſericors eſt Deus,atque idcirco vbi pœnitentiam habuerit homo promiſsionis ſuæ,diſsimulabit,ne vltra exigat,quod ante pœnitẽtiam promiſſum fuit. Huic nos reſpondemus, quoniam ſicut miſericors ẽ dominus,ita & iuſtus eſt,& verax iuxta illud pſal.85. Quoniã tu domine ſuauis,& mitis, & multæ miſericordiæ,& verax. Quòd ſi quis fortè interpretari velit de ea tantùm veritate,quæ in Deo eſt, dicẽdo, ipſum eſſe veracem ad præſtandũ ſemper,non autẽ ad requirendũ ſemper promiſſa,audiat quod alio in loco pſal.30.dicitur; Veritatem requiret dominus,nempe in ſeruis ſuis,& pſal.83.Quoniã miſericordiã, & veritatem diligit Deus,videlicet nõ in ſe tantũ, ſed & in ſeruis ſuis.

5 Quoniam igitur non ſolùm miſericors eſt Deus,ſed etiam iuſtus,ac verax,nemo confidat,poſt promiſsionem factam licere ſibi,vbi pœnitentia ductus fuerit,negligere vota monaſtica,quæ Deo promiſit.Præſtabit hoc quidẽ illius benigna miſericordia,vt ſi tibi impoſsibile cœperit fieri,quod promiſiſti,tum excuſatum te habeat, quoniam ad id quod ſupra vires eſt,neminem vult eſſe obſtrictum. Vbi tamen diligẽter attendendum eſt,vt vera ſit non ficta,mentita, aut ſimulata impoſſibilitas.Solent.n.nonnunquàm ad res bonas pigri,& inuoluntarij teporem ſuæ voluntatis ſub impoſsibilitatis mentitæ velamine excuſando tegere. Inſuper ſi graue tibi fiat implere quod promiſiſti,præſtabit illa humiliter inuocata citra dubitationem auxilium gratiæ, vt implere ſufficias,& tollerabile tibi fiat pondus incumbens, vt non tenteris ſupra id,quod poſsis aduerſum id,quod promiſiſti, facietq; cum tentatione prouentum,vt ſuſtinere poſsis, & inuenire exitum. Deniq;, & ſi per fragilitatem carnis, vel dæmonis ſuggeſtionem, te cõtigerit aduerſum id quod domino promiſeras,agere,vel omittere aliquid,clargietur tibi diuinæ miſerationis clementia peccati tui indulgentiam, ſi eam in ſpiritu contribulato, & corde contrito pœnitentiã agẽs,humiliter inuocaueris,reſumpto nihilominus adimplendi voti propoſito.

6 At verò ſi quis poſt emiſſum Religionis votum ductus pœnitentia, confidat, apud Deum,cui votum fecit,poſſe ſe inuenire remiſsionem, ita vt prorſus abſoluatur ab eo reddẽdo,quod promiſerat,hic ſeipſum ſeducit,& nõ ſine maximo ſalutis ſui periculo toto cœlo aberat.Non eſt.n.hoc diuinæ miſericordiæ ſiue bonitati humiliter confidere, ſed

de ea

de ea audacter,atq; superbè præsumere. Neq; rursum valet,quòd quidam impossibilitatem nescio quã sibi confingunt, vt se seducant suauius,& minori scrupulo aduersus ea agant, quæ Deo obseruare promiserunt,dicentes,sibi non esse possibile,vt hoc,aut illud agant,vel ab hoc,aut illo abstineant,videlicet metientes tantum se in semetipsis,& diuinæ gratiæ auxilium non includentes. Non enim debet sibi impossibile iudicare homo,quicquid cum auxilio diuinæ gratiæ potest, quæ semper præsto est omnibus,vbi votis supplicibus,& humili prece fuerit aduocata,dicente Paulo Apost. 1. ad Cor. 10. Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere. In hoc igitur aspicienda est diuina misericordia, vt ea, quæ domino, promisimus, confidamus eius auxilio nos posse implere. Aspicienda est item ad hoc, vt si fortè votum prȩuaricari nos contigerit, memores simus eius, quod dilectus dño discipulus ait: Filioli, hæc scribo vobis, vt non peccetis; Sed & si peccauerimus,aduocatum habemus apud Deum, Iesum Christũ iustum,& ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum,sed & pro totius mundi. Qui.n. sic intuetur diuinam misericordiam dextro eam oculo aspicit, & ad vtilitatem talis ei respectus proueniet. Qui verò eam in hoc contuetur,vt votum postponat, propter carnis tentationem,aut dæmonis suggestionẽ, Dei fidẽ, & veritatem deserens,nemini dubium,quin oculu sinistrum, & nequã malè torqueat in dextrũ Dei oculum,qui est respectus misericordiȩ eius.

7 Aduersus hunc quoq; aptissimè proferenda venit illa vox patris familias dicẽtis Matth. 20. An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Huiusmodi.n. homines Dei bonitate, & misericordia abutuntur ad malitiam,dum sic in Deo solùm considerant misericordiam,vt veritatem & iustitiam (quam vtiq; in Deo cũ misericordia omnes sacræ litteræ testantur coniunctam)intueri negligant,dissimulent,aut etiam contẽnant. Quibus autem de rebus vota possint facere Deo homines, & quàm districtè ad votorum persolutionem obligẽtur, vetus author Olympiodorus apertè edisserit his verbis; Votum est, cum quid Deo pollicemur nos reddituros. Vouemus autem Deo, non modo pecunias,sed abstinentiam victus,& castitatem, & quæ sunt generis eiusdẽ. Quanto autem supplicio torquendi sunt,qui contẽnunt vota implere, docent nos Act. 5. Ananias,& Saphyra,repentina morte sublati. Hæc aduertant,qui hac nostra tempestate, execranda nimium licẽtia, vota Religionis Deo ex animi proprij libertate facta, sine vlla necessitate reijciunt,tantum ob nescio quàm effrenem carnis petulantiã, ex qua sibi necessitatem, vel impossibilitatem pro suo arbitrio stolidissimè,

imò

imò impudentiſsimè confingunt, cùm nulla ſit in eis ad tranſgrediendum, quæ obſeruare promiſerunt, neceſsitas, neq; ad obſeruandũ ea impoſsibilitas, ſed tãtũ ex carnis libidine, & nimia credulitate (qua omni credunt ſpiritui, & magiſtris errorum faciles nimium præbẽt aures) praua voluntas, quæ facit, vt à Deo auerſi in omne vitium ſine freno ruant præcipites, diaboli laqueis irretiti, à quo vt Apoſt. 2. Thim. 2. ait. Captiui ducuntur, ad omnem ipſius voluntatem.

8 Sed, & hoc vigilanter annotandũ eſt, quod ait Eccl. ne moreris reddere. Non. n. ait; Ne omittas, aut negligas, aut contemnas, ſed ne moreris, aut tardes reddere. Videlicet vt non ſolũ neglectum, aut contẽptum promiſsi oſtendat eſſe Deo ingratum, verũ etiam dilationẽ ſuperfluam, & morã inutilem. Nam qui poſt factã Deo promiſsionem inutiles trahit moras, antequam promiſsionis ſatisfaciat, hoc ipſo videtur, non ex animo promiſiſſe, aut certè duci pœnitentia promiſsi. Si. n. ex animo promiſiſti, nec pęnitentia duceris, vt quid inutiles trahere moras, ac velut tẽpus redimere ſtudes? Verũ eſt illud Apoſt. verbum 2. ad Cor. 9. Hilarem datorẽ diligit Deus. Cui cõſonat qđ vulgo dicitur, eum qui cito dat, bis dare. Quorſum igitur morã trahis, ſi ſerio intendis promiſſo ſatisfacere? Maximè cũ nõ modicum ſit in mora periculũ. Primum. n. quomodo noſti, quid craſtina tibi ſit paritura dies? Quid ſis, ſi fortè prius quam adimpleas, quod pollicitus es, ſubito te mors opprimat, aut infirmitas, ſiue aliud quodlibet malũ te apprehendat, tuq; debitor remaneas, & malæ fidei ſponſor deprehendaris à domino? Dum igitur tempus habes, iuxta Apoſtoli monitionẽ ad Gal. 6. operare bonum, feſtina quod promiſiſti perſoluere, memor, eius, quod ſcite poeta cecinit, qui non eſt hodie, cras minus aptus erit vt dicas cum eo, qui ex animo ſua vota ſoluebat; Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo domine, quoniam bonum eſt pſal. 53. ac rurſum; ex voluntate mea confitebor illi pſal. 22.

9 Eſſe autem quantocius perſoluendũ promiſſum, etiã naturalis docet ratio. Promittens. n. id quod promittit facit eſſe debitũ illi, cui facta eſt promiſsio, exigit quippe fides, & veritas, vt qđ promiſſum eſt, debeat reddi. Quòd autẽ alteri eſt debitum, ſine cauſa detinere, & opportunitate ſe offerẽte nolle reddere, quomodo nõ eſt rationi, & æquitati cõtrarium? qđ ſi omnino propoſitum mutet poſt factã promiſsionẽ, nolitq; promiſſo ſatisfacere, quid minus ille agit, quã ſi rem aliquã ex animo ꝓprio liberaliter alteri datã, atq; à ſe alienatam rurſum ſibi propria auctoritate vendicaret? ꝙ adeo fœdũ ratio naturalis iudicat, vt etiã nucibus luſitantes, & in plateis curſitãtes ſeſquipedales pueri, non maiorem poſsint ſuis coæqualibus infamiæ notam inurere.

Multò

10 Multò profectò melius est non vouere, quàm post votum promissa non redere. Vt idem Eccles. ait; cuius verbi planissima sententia est. quin.n. non vouit, liber est, vt faciat, vel non faciat. Neq; si fecerit peccauit, neq; item peccauit, si non fecerit. Post votum autē non vltra iam libertas illa remanet, sic vt absque peccato possit, vel non possit. Si.n. facturum se vouit, nō potest absque peccato omittere. Si non facturū, sine peccato non potest committere, à quo promisit abstinere. Quemadmodum is, qui rem suam, adhuc in manu habet, nec vlli adhuc donauit, potest de ea agere, & disponere, vtcunq; voluerit. Potest tibi seruare, si velit, potest dare alteri itē si velit; at verò si eam semel à se alienauerit, atque in alterius potestatem tradiderit, iam non licet, quod semel datum est resumere. Ita is qui promittit ad dandum quod promisit, debitorem se constituit ei, cui promisit, vt non liceat nō reddere. Qui verò non promisit, non est ad dandum ex ea parte debitor, sed libertatem seruat integram; secundum hāc considerationem de coniugibus dixit Apost. 1. ad Cor. 7. Vir non habet sui corporis potestatem, sed mulier. Et mulier non habet sui corporis potestatem, sed vir. Vterque.n. voto, siue promisso, quod inter coniuges interuenit, se tradit alteri, vir vxori, vxor viro. Arrectis igitur aurib. optimè Religiosè tibi caue, ne peccatorū cathenis, & funib. circumuoluaris, fiasq; dæmonū præda. Legibusq;, quibus ex voto astringeris, obtēpera. Legū.n. custodia funes oēs, & impias colligationes, quasi araneæ telā dissūpit.

De boni nominis odore, bonis operibus comparando. Cap. xvij.



1 Ecta docendi ratio prius impia refutat, noxia conuellit, malaq; expellere nititur: posterius, pro impijs pia, pro noxijs verè vtilia, pro malis bona perquàm strennè demonstrat, quemadmodū prudens ædificator vetus ædificium prius destruit, ac deinde nouum substituit. Contriuimus iam nonnulla mala; quæ cum sacra religione aperto marte dimicare videbātur. Nunc verò illustrem bonorum operum titulum, & splendorem, quem pro sua pij animi strenua dexteritate vigilantissimus quisque Canonicus est conquisiturus, luculenta ratione commonstrabimus. Primum ergo, quid bonum nomen sit, videndum est; deinde, quid sibi velit ista comparatio, qua vnguentorum odori nomē comparatur. Quantum ad primum, satis consuetum est, nomē pro fama, vel opinione, vel existimatione accipi, vt is dicatur bonum nomen habere, de quo habetur bona opinio, bonaq; fama spargitur: contra verò malum dicitur habere nomen, de quo fama malā dispergitur, & sinistra habetur opinio. Sic in Prouer. cap. 22. dicitur nomen bonum

melius

melius esse diuitijs multis. Et in Deut. cap. 22. Nomen pessimum crebrius appellatur fama mala, qua maritus diffamat vxorē suam. Fama itaque ex peritorum sententia est illæsæ dignitatis status, vita, & moribus comprobatus; vel (vt alijs placuit) est clara illa notitia, quā alij de nobis habent, videlicet ob insignem vitæ claritatem. Eadem ferè est significatio, cùm nomen pro memoria accipitur, quo quidē modo bonum nomen relinquere dicitur moriens, qui in bona opinione vitam finit, sicq; post se memoriā bonam relinquit: & è contrario relinquit nomen malū malæ memoriæ, qui malum habuit nomen, dum viueret, malæ famæ. Sic hæc se adinuicem consequuntur.

2 Hoc etiam aduertendum est, quòd in proposito negotio nomen bonum secundum veritatem debet accipi. Sunt n. nonnulli, qui bonum nomen habent apud homines, quibus probi videtur, & iusti: sed apud Deum non item, cui ipsorum occulta peccata sunt cognita. Huiusmodi nomen, secundum veritatem bonum non est, tametsi ita homines iudicent, alij verò apud homines nomen malum habent, & execrabile, apud Deum tamen habent nomen optimum. Et hi verè nomen habent bonum. Loquimur autem in præsentiarum de nomine verè bono, quod coram Deo nomen bonum est, quod videlicet homo sibi cōparat per vitam bonam, & obseruationem iustitiæ erga Deum, & homines, dum & quæ Dei sunt, reddit Deo; & quæ hominum sunt, hominibus reddit, Matth. 22. Ita vt iuxta Apost. verbum ad Rom. 13. Nemini quicquam debeat, nisi mutuam dilectionem. Vnde melius est ex officiosis actionibus laudabilis famæ fructum percipere, & exultare ob nomen suum scriptum in cœlis, ob viuam bonorum operum fidē, quam frui omnibus humanis delitijs.

3 Quę omnia mirum in modum paucissimis verbis sacer Eccles. cap. 7 cōfirmauit, & sanxit, dicens; Melius est nomen bonū, quàm vnguēta pretiosa. Manifestū est autem vnguenta prætiosa vim habere lætificandi, & refocillandi hominē, qui eis vnctus, vel perfusus fuerit iuxta illud psal. 103. Vt exhilaret faciē hominis in oleo. Quod sanè intelligēdum non est de esu olei, vt quibusdam videtur, sed de inunctione vnguenti. Oleum. n. subinde pro vnguento ponitur, propterea quòd ex oleo conficiantur vnguenta. Vnde loco Eccles. nunc citato ex Hebræo ponitur oleum bonum pro vnguento pretioso.

4 Erat autem hæc vnctio veteribus frequentissima, maximè post labores, & si quando vellent hilariores videri, vt festis diebus. Nam de labore legimus exemplum 2. Paralyp. cap. 28. vbi captiuos ex Iuda filij Israel remittere volentes iuxta Prophetæ consilium, describuntur vestijsse, & calciasse, ciboq; ac potu refecisse, ac deinde vnxisse pro-

pter laborem. Propter lætitiam autem solere se vngere vnguēto pretioso homines, ex multis scripturæ locis est manifestum; vt in eo quod de Iudith legimus cap. 10. Cùm ad Holofernē pararet accedere, prius eam corpus sum lauisse, & myrto optimo se vnxisse Propter quod etiā Saluator noster ait in Euangelio Matth. 6. Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, videlicet ad iudicandam lætitiam cordis, & fugandam longè simulationem tristitiæ. Et psal. 108. Genua mea infirmata sunt à ieiunio, & caro mea immutata est propter oleum, idest præ olei defectu, vel abstinentia ab vnctione olei.

5 Comparamus ergo iuxta Salomonis iudicium, bonum nomen pretioso oleo, siue vnguento, eo quod sicut vnguentū bonū hominis corpus lætificat ex psal. 103. & laborum præstat refrigerium, facitq; obliuisci hominem laboris sui; sic nomen bonum hominem intus lætum facit in testimonio conscientiæ bonæ; quæ est quasi iuge conuiuium, estq; istud coram Deo nomen bonum homini Religioso consolatio in laboribus suis. Coram proximis quoque non peruersis bonum nomē hominem facit bonū odorem de se fundere, quo illi alliciūtur, vt post ipsum currant eius imitando exemplum, & Deum glorificando in eo; quomodo is, qui pretioso vnguento perfusus est, gratum de se ad proximos odorem fundit, cuius dulcedine olfacientes, post se attrahit. Propterea sponsa Cantic. 1. post sponsum oleo lętitiæ vnctum præ cōsortibus clamans, dicit; In odorem curremus vnguentorum tuorum. Sic Apost. 2. ad Cor. 2. vnguento perfusus erat, qui dixit; Christi bonus odor sumus Deo in omni loco. Et de quibusdam suis discipulis eodem vnguento redolentibus ait ad Rom. 1. fides vestra annunciatur in vniuerso mundo. Præfert autem sapiens nomen bonum vnguentis pretiosis, eo quod spiritualis illius boni odoris diffusio, longè sit pręferenda odori corporalis vnguenti: quāuis .n. secundum similitudinē corporalia spiritualibus possint comparari, secundum paritatem tamen æquari non debent. Quidam autem prædictum locum sic interpretantur, melius est nomen bonū, quàm quæcunque corporales delitiæ per vnguenta scilicet pretiosa intelligendo corporales delitias, eo quod ad lętitiam illa soleant adhiberi. Spirant quidem vnguenta exquisitissima quodam temporis momento fragrantissimum odorem, quo nihil est naribus suauius, nec tamen semper idem oblectamētum habent, sed sensim emoritur, & putrescit: optimum autem nomē ab honesto virtutum studio comparatum, natiuam semper, gratiam retinet, & nullo ætatis senio emarcescit.

6 Non longè hinc euariat, quod ex Prouerb. 22. referabamus; Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ. Quòd nomen bonū mul-

tis diuitijs præferendum sit, nemo est qui hæsitat: etenim honesta vtilibus præferenda sunt: & incolumis & illæsa fama propius ad spiritualia bona accedit, quàm amplissimarum rerum opulentia. Magis etiam ad tuendum Dei honorem spectat. Ad hæc recta aliorum educatione, morum probitate, & celeberrimo nomine proximus ad virtutes inflãmatur, aut à vitijs abducitur, non auté auri, & argenti cumulis. Idcircò Christus Matth. 5. suis discipulis dixit; Luceat lux vestra coram hominibus. Volens innuere; Vestra sancta, & immaculata Religio, vestra sanctimonia, & animi magnitudo in despiciendis rebus humanis, alijs sit speculum, & exemplum benè viuendi. His cohæret illud Eccles. 41. curã habe de bono nomine. Hoc.n. magis permanebit tibi, quàm mille thesauri magni, & pretiosi. Bonæ vitæ numerus dierum; bonum autem nomen permanebit in æuum. Quod si neglexeris, tuam famã à calumnijs hominum, & canino inuidentiæ latratu protegere; ac nihili feceris quid de te malè sentiant homines, cùm religionis habitu splendeas, videberis ab ipsa humanitate alienus. Hinc mihi perplacet illa grauis, & seria Arist. sententia 3. lib. Ethic. 6. cap. Sunt nonnulla mala, quæ quidem metuere oportet, & honestum est, & non metuere turpe. Infamiam nanque qui timet, est probus, & verecũdus: qui nõ timet, impudens. An verò liceat cuipiam seipsum infamare, cõsule Dominicum Sotum lib. 5. de Iust. & iure. q. 10. art. 2. Quin & sacer Augustinus propè finem Regulæ hunc bonorum operum odorem suis Canonicis exoptat, atque precatur; vt videlicet sint bono Christi odore de bona conuersatione fragrantes.

Demũ in odorem vnguentorum Christi magna alacritate cum spõ
7 sa curramus. Hęc autẽ vnguenta intelligamus plurima illa esse, & maxima Christi beneficia, quorum odore, mirabiliq; fragrantia vniuscuiusq; Religiosi anima mirificè reficitur, & oblectatur, tàm interius, quàm exterius, atque ad currendũ non modica fortitudine post Christum illicitur. Non quod sponsum quærat propter vnguenta solùm, quæ ipsum propter se diligit: sed quia hic odor ad currendum alacrẽ reddit, & vires præbet, & quasi impetu quodam per viam sic rapit currentem, vt currere se nesciat, vt laborem itineris omnino non sentiat. Quapropter Isaias in ipso credentes volare dixit; absque defectione. Quid.n. mirum, si ad vnguentorum horum odorem pia anima sic trahatur? Quãdoquidem, & irrationalia videmus animalia, canes venaticos, ad odorem leporis sic vehementissimo impelli impetu, vt prorsus sui obliti, quasi furibundi, ad extremum vsque anhelitum currere non desinant, donec apprehenderint, quã olfecerant, & sectantur bestiam. Itaq; incitat odor iste vnguentorum, idest consideratio, & per-

ceptio dulcedinis Dei, ac beneficiorũ eius, & quaſi vires infirmis ſubminiſtrat ad currendum. Quaſi.n. vnguenta quædam præſtantiſsima ſunt, atque ſaluberrima, dicta etiam omnia, & facta noſtri Seruatoris, quibus ipſe nobis velut melleus apparet, odoriferus, & amabilis, totusq; deſiderabilis, quaſi pretioſiſsimis delibutus vnguentis.

De cõparatione monaſticæ Religionis, & regiæ dignitatis. Cap. xviij.

1 
T ardentiori animo monaſticen amplectaris, & colas, nõ inutile eſſe duxi, hoc loco diſcutere, ſit ne tibi futura cõmodior, magisq; frugifera monaſtica Religio, an regia dignitas? Si enim à me validis rationibus confectũ fuerit, monaſticã Religionem vtilitate, præſtantia, bonorumq; operum fertiliori cultura longè antecellere regiam maieſtatem, facilè in animum induces, reliquos inferiores hominum ſtatus, quantumuis opulentos, & præpotentes, præ ſacra Religione omnino eſſe floccipendendos, & pedibus conculcandos. Intueor equidem ex hominibus complures apparentia bona maiori, & amore, & admiratione ſectari, quàm quæ natura, ac veriſsimè bona ſunt; idcirco breui oratione de vtriſque hic agere libet, atq; componere inter ſe, tũ quæ vulgo negliguntur, tũ quæ magno mortales ſtudio ſequuntur, vt vtrorumq; differentiam edocti, illa quidem vt ſeria, ac ſalutaria magnifaciamus, hæc autem tanquam nihili æſtimanda contemnere diſcamus. Igitur magnopere expetuntur diuitiæ, principatus, imperiũ, gloria, ac beatos quidem vulgus eos ducit, qui gentium principes ſunt, qui ſplẽdidis vehiculis feruntur, qui præconum clamorem, ac ſatellitiũ magnum aſſequuntur. Contra ſtatus eorum, qui monaſticæ vitæ inſtitutũ delegerunt, deſpicabilis eſt. Atque illi quidem dum foras prodeũt, ad ſeſe contuendos populum ipſum conuertunt; hi autem ſicubi apparuerint, nullius oculos, aut certè per paucorum ad ſui ſpectaculũ trahunt, & præterea horum nullus ſimilis eſſe concupiſcat; illorum cõtra nemo non etiam principatum quærit, gentis alicuius imperio potiri, arduum ſanè, ac ſupra vulgarium hominum vires: & quorum animis imperij amor inceſsit, ijs magna pecunia opus. Religioſam verò vitã eligere, Dei cultui vitam ſuam mancipare, æquè omnibus procliuè, ac facilè. Adde quòd principatus poſſeſsio vnà cum vita hac deſinit, ſeu verius dicam, viuos etiam ſui amatores deſtituit; vt taceam hic multos olim extitiſſe, quos magnum in periculum, vel certè magnam in ignominiam coniecit. At monaſtica inſtitutio iuſtos hac in vita bonis multis cũ repleuerit, à vitæ exitu hilares, ac ludibundos ad Dei, & ſeruatoris tribunal ducit, quo potiſsimum tempore eorum, qui imperio

rio functi fuerint, bonam partem magnas peccatorum in vita admissorum pœnas lu ere videas.

2 Age igitur contendentes inter se tum Religionis bona, tum ea, quæ hac in vita principatus, & gloriæ bona esse videntur, vtrorumq; bonorum discrepantiam perdiscamus; sic.n. collata apertiora fient, quin potius si placet, ipsum bonorũ fastigium, regnum intelligo, cùm monastice cõparantes, vtriusq; possessionis fructus contẽplemur, diligẽret edocti, quibus rex quib. rursus Religiosus imperet. Rex igitur vrbiũ, regionum, tum multarũ gentium præfecturã gerit, prætores, proprætores exercitus, populos, senatus suo vnius nutu agens; At verò qui se totum Deo dedit, religiosamq; vitã elegit, iræ, inuidiæ, auaritiæ, voluptati, cęterisq; animi morbis imperat, assiduè speculans, ac meditans, quênam in modum non committat, vt suum animum obscœnis affectibus subijciat. neuè amare tyrannidi ratio inseruiat, sed supra res humanas omnes cogitationem semper erectam habeat, Dei timorem animi morbis præficiens. Huiusmodi igitur imperiũ Rex, huiusmodi item principatum Monachus adeptus est, vt iustius quidem hunc regẽ voces, quàm eum, qui purpura indutus, ac corona ornatus splendescit, throno in aureo sessitans. Nam his demum verè Rex est, qui iram, qui inuidiã, qui voluptatẽ cohibens, omnia sub Dei lege agit, mentẽ liberã seruãs, neq; patiens voluptatum dominationẽ animo suo imperitare.

3 Talem equidem regem libens viderem, & populis, & terræ, & mari, & ciuitatibus, & exercitibus iura dantem. Quisquis.n. animi affectibus rationem magistram præfecerit, is paruo admodũ negotio, & hominibus vnà cum diuinis legibus præfici possit, vt eundem patris loco subditi habeant, cum omni mansuetudine ciuitatibus consuetudinis suæ copiam facientem. Qui verò hominibus imperare cùm videatur, iræ tamen, auaritiæ, voluptatibus seruit; hic primum subditis suis ridiculus videri possit, hoc ipso, ꝙ coronã quidẽ gestat gẽmis, auroq; intertextam, temperantiæ verò corona minime insignis est; & purpureo quidem paludamento toto corpore fulget, animum autem inornatum habet. Deinde idem hic ne administrandi quidem imperij scientiã habiturus est. Qui.n. sibi ipsi imperare nescit, hic quo tandem modo alios legibus regere poterit? Quin si id belli genus, quod vterque sibi peculiariter gerendũ sumpsit, spectare volueris, inuenies hũc cum dæmonibus depugnantem, eundemq; & superantem, & vincentem, & à Christo coronam capiẽtem; vt potè qui ad pugnam accedat, diuino sustentatus auxilio, cœlestibus armis communitus, vt necesse quidem sit victoriam ab ipsius partibus stare; cùm interim regem illũ cum barbaris bellantem cernas. Quantò autem hominibus dæmones

terribiliores sunt, tantò splendidior est, qui hos superat, eo, qui illos vincit. Quòd si vtriusque belli causam perdiscere cupis, magnam profectò inæqualitatem reperies; alter.n. pro pietate, ac Dei cultu cũ dæmonibus bellum gerit, vel vrbes, vel vicos, ab errore asserere desiderans; Alter verò cum barbaris digladiatur pro locis, finibus, opibusuè raptis, illum auaritia, atque adeo iniusti principatus ambitione ad pugnam prouocante, vbi certè plerique plerunq; reges maiora quũ appetiuissent, iam parta amisere. Itaque tum principatus, tum ipsa bellorum genera arguunt, eousque inter se discrepare, & regẽ, & eum qui vitæ suæ studium Dei cultui addixit, sed tamẽ eosdem illos exactè vtique pernoscas, si ad vtriusque vitam, quotidianaq; gesta examinanda descenderis. Reuera.n. hunc inuenias cum prophetis versantem. Pauli sapientia animum exornantem, assiduè à Mose ad Esaiam, ab Esaia ad Ioannem, à Ioanne ad alium quempiam transeuntem. At regẽ assidua Centurionum, proprætorum, & speculatorũ consuetudine abutentem. Porrò autem natura comparatum esse videmus, vt cũ quibus assiduè quis versatur, horum mores similes habeat. Itaq; qui Religionis est candidatus, is animum suum ad Apostolorum, & Prophetarum mores conformat. At rex ad mores ducũ, scutatorum, satellitum, hominnm vino seruientium, voluptatibus indulgentium, bonam diei partem in potu conterentium, denique nullius rei necessariæ, aut honestæ, scientiam, vino impediente, callentium. Hac ergo ratione monasticam vitam conuenit ea beatiorem dicere, quæ principatu, quæ regno, quæ sceptris constat.

4 Quod si & noctis tempus examinare voluerimus, monachum quidem videbimus Dei optimi cultu, ac precibus insignem, multo ante gallinaceos tempore canentem, angelis conuictoribus vtentem, cum Deo colloquẽtem, cœlestibus bonis fruentem. Eum verò qui multis gentibus, multis populis, atq; exercitibus præest, quique terra, ac mari late imperat, in lecto distentum, ac stertentem; ille quidem cibis ijs alitur, qui altum ab eo somnum minimè exigant; hunc autem delitiæ consopiunt, & potus, eundem in lectulo in ipsam vsque diem detinẽs. Iam Monacho, & vestis, & mensa moderata, & conuictores eiusdem virtutis æmuli. At regem necesse est, & lapillis, & auro superbum esse, mensamq; extruere splẽdidam, tum conuictoribus vti, si quidem imprudens ille fuerit, sua stoliditate dignis; sin autem mentem habeat, temperansq; sit probis fortasse, & iustis, sed tamẽ virtute ijs, quos ante dixi, longè inferioribus, ita rex vt philosophiæ deditus sit, tamen ne tantillum quidem ad Monachi virtutem propius accedere queat. Etenim in itineribus faciendis subditis grauis est, præterea, & vrbem habitans,

bitans,& pace fruens,& bello operam dans,tum tributa exigens, tum exercitus conficiens,tum captiuos agens,& dum victor,& dum victus est,subditos proprijs malis replet,victor quidem intollerabilis est,victoria sese venditans, ac sibi placens,tum militibus præbens licentiã rapiendi,depredandi,viatores iniuria afficiendi, vrbes obsidione cingendi,pauperum domos depopulãdi,ab ijs,à quibus excepti fuerint, ea quotidie exigendi,quæ nulla lex permittit, idq; per causam priscæ alicuius consuetudinis iniquæ,& iniustæ. Quum interim illum nescio quem per huiusmodi mala Rex minime lædit, sed de paupertate tandem male meretur. Perinde quasi verè ille diuites vereatur.

5 At verò non sic Monachus,qui simul vt conspectus fuerit, statim tã diuitibus, quàm pauperibus donum aliquod afferens, vtrisque æquè munificum se præstat,vno tantum amictu ad vitæ suæ institutum conformi vtens,tum aquam libentius bibens,quàm vinum, quamuis admirabile;pro se quidem nullam neque paruam, neque magnàm,à diuitibus gratiam postulans,pro indigentibus autem tum multas, tum continuas, easq; vtrisque conducentes,hoc est tam ijs, qui largiũtur, quàm ijs, qui accepturi sunt. Sic fit, vt communem ille agat medicum diuitum,iuxta & inopum,illos peccatis liberans per bonam admonitionem,hos ab indigentia eximens.At Rex tributa dum minus grauia esse iubet,diuitibus magis, quàm pauperibus vsui est. Idem dũ contra facit,paucarum facultatum dominos lædit;nam diuiti tenuem admodum iacturam attulerit tributorum acerbitas, sed eadem pauperũ domos,tãquam torrens distrahit, fletu complens vicos; quũ interim neque senectus ijs miserabilis est,qui tributa exigunt,neq; mulierum viduitas,neque liberorum orbitas, quinimo proteruiendi finẽ nullum illi faciunt, communes quidam regionis hostes,quæ tellus nequaquam tulit,ea ab agricolis exigentes.

6 Age verò & illud insuper examinemus,quanã in parte Monachus, qua contra in parte Rex subditis beneficus sit. Igitur hic quidem aurum largitur,ille verò spiritus gratiam;præterea idem hic dum bonus est, paupertatem soluit,ille autem animas dæmonum tyrannide oppressas precibus liberat. Ac si quis fortè huiusmodi calamitate affligetur,is Regem tanquam statuam præterit,ad Monachorum verò habitaculum confugit;quasi qui conspecti lupi timore ad venatorẽ gladium manu gestantem fuga contẽdit;Etenim quòd venatori gladius, id preces sunt Monacho,neque sanè sic lupos gladius,vt dæmones iustorum preces terrent. Itaque non nos modo ad sanctos Monachos, dum rei vsus postulat,confugimus,sed vel reges ipsi ad eosdem in temporibus formidandis,haud aliter quã famis tempore mendicantes ad

diuitum domos confugiunt. Nonne Achab Iudæorum rex per famē, & annonæ charitatē, in Eliæ precibus spē posuit suam? Nonne Ochozias illud idem imperium, illum eundem principatum obtinens, æger, ac iamiam moriturus instantem sibi mortem quum videret, ad eundē prophetam confugit, tanquàm morte potentiorem, ac vitæ largitorē? At qui bello erumpente, palestinaq; in tantum adducta, periculum, vt funditus excidenda esset, Iudæorum reges misso exercitu, missis peditibus, sagittariis, æquitibus, ducibus, cēturionibus, ad Elissei preces se receperunt; existimabant.n. Dei seruum sibi multarum myriadum instar fore. Itidem & Ezechias Rex bello Persico conflato, iamq; ciuibus ipsis pro aris, ac focis in maximum pertractis periculum, ijsq;, qui pro mœnibus starent, iam trementibus, metuentibus, ac perinde cōmotis, vt cōmoueri homines solēt, quoties vel tonitruū, vel terræ motū omnia quatientem expectent, Esaiæ preces multis Persarum millibus opposuit, neq; sua illum spes fefellit. Nam simul vt propheta manus in cœlum sustulit, statim Deus sagittis è cœlo missis Persicum bellum confecit; reges erudiens, eo se loco ipsius ministros habere debere, vt eos communes esse terræ seruatores existiment, vt hac quidem ratione edoceantur per iustorum exhortationes, ad omne bonum, atque humanum opus inuitati, tum consilia reuereri, tum bonis admonitionibus locum relinquere.

7 Proinde non ex ijs solùm, quæ dixi, vtriusque discrimen cognoscere licet, sed si vsu venerit, & hunc, & illū deturbari; hoc est hunc quidē à virtute destitui, illum autē regno priuari, nimirum hic paruo admodū negotio ad se redit; ac statim per preces, per lachrymas, per mœrorē, p pauperū curā, peccatis absterfis, de integro facilè ad pristinū principatū recurrit. Rex verò solio deiectus cùm fuerit, tū demum multis sanè socijs indiget, multis item armatis militibus, equis, pecunijs, obnoxius periculis; déniq; salutis suæ spem in alijs sitam habet. Monachus verò salutem celeriter voluntatis suæ studio, ac sententiæ mutatione comitem habiturus est. Regnum.n. cœlorum, in nobis Luc. 17. Iam mors regi terribilis est eadem philosopho minimè molesta. Eum.n. qui diuitias, voluptatem, delitias (quorum gratia vitam agitare multi concupiscunt) despicit, necesse est migrationē ab hoc orbe haud ægreferre. Quòd si, & hunc, & illum iugulari cōtigerit, hic quidem pro pietate pericula sibi accerset, immortalem, & cœleste vitam morte sua cōparans. At Rex tyrannum aliquem, & eum, qui imperium affectat, iugulatorem suum habiturus est, miserabile, idemq; horrendum post cædem spectaculum. Adde his, quòd Monachus bonorum suorū affectatores habiturus est æmulatores, ac discipulos, bona ex parte com-

precan-

precantes,vt ipsius similes euadant. At Rex multos frustra in precibus sermones insumpserit, Deum rogās,vt nemo existat,qui regnum affectet. Præterea illum interficere nullus audeat, nisi si quis existimaturus est,impium se in Deū futurum,si eū sustulerit. Huic uerò multi iugulatores ingruunt,tyrannidis affectatores. Quamobrem alter milites adhibet corporis sui custodes. Alter vrbes precibus suis tanquam muro communit,neminem timens, quum Rex perpetuo in timore, continua in cædis expectatione viuat;secū.n. circunfert auaritiā periculosam,pro qua Monacus tutam præsefert salutē. Proinde de rebus, quæ nos in præsenti vita circunsistunt,abundè mihi dixisse videor.

8 Quòd si,& certamē futurum examinare velimus, monachum quidem videbimus,splendidum, ac conspicuum rapi inter nubes ad occursum Christi in aera,exemplo ducis,& institutoris huius vitę salutaris,omniumq; virtutum. At Rex,si quidem iustè, & humanè imperiū, rexisse visus fuerit suum, minorem honorem sortietur, si Monachus summam in Dei cultu curam posuerit. Sin autē malum, & importunum vixisse eum constiterit,ac multis malis orbem repleuisse;quis tādem enarrare posśit calamitates eas,quas sustinere eum videbis, igni exustum,flagellatum,cruciatum,denique ea patientem,quæ neq; verbo exprimi,neq; re ipsa tollerari possunt? Hæc omnia reputantes,atq; ediscentes,oportet non diuites admirari, etenim constat horum dominium ne tantillum quidem ad Monachi virtutem propius accedere. Ergo vbi conspexeris diuitem veste ornatū,auro superbum, curru vectum,incessus magnificos incedentem, ne hominem beatum dixeris, temporariæ.n. diuitiæ,& quicquid bonum esse videtur, vna cum vita hac corrumpitur. At Monachum vbi videris conclusum,humilē, mansuetum,quietum,pacificum,hominem æmulare, fac videare imitator philosophiæ ipsius, fac præceris esse iusti similis. Petite enim, & dabitur vobis Matth. 7. Hæc enim verè sunt bona, salutaria, iusta,propter Christi benignitatem.

9 Esaias Propheta 40. cap. vanā, & lubricam huiusmodi gloriam describere volens,aiebat;omnis caro fœnum, & omnis gloria hominis tanqūam flos fœni. Hominū genus Propheta sanctus simile dixit esse naturæ fœni, vel graminis, flores autem graminis sunt gloria,& potētia; & sicut arescēte gramine,flos excidit; sic morte hominib. ingruēte,potentia,& superbia extinguitur. Aptissimè igitur huius vitæ breuitas,& tam breui tempore durans humanæ fœlicitatis lætitia,& hilaritas;à Propheta in hanc similitudinem trahitur. Exemplum esto;en aliquis floridi corporis hodie, & præ delitijs carnosus, pulchro colore nitidus, ætatis vigore vegetus,neruosus,& præualidus;hic idē cras mi

serabi-

ſerabilis eſt, vel tempore tabefactus, vel morbo diſſolutus. Alius præclarus eſt pecunijs, & opibus; ambit eum adulatorum turba, comitãtur amici ficti, & ſui ipſorum gratia colentes ipſum, adſunt cognati plurimi, & hi quoque ſimulati: denique infinita eſt caterua, ſiue victus, ſiue alterius vtilitatis gratia ei inſeruientium, quos ille, & procedendo in publicum, & redeundo ſecum trahens, inuidioſus eſt obuijs. Vides præterea diuitijs accedere ciuilem quandam potentiam, aut etiã honores à regibus cõferri, prouinciarum curam, imperium militare, ſatellites vtrinque grauiſsimum terrorem incutiẽtes ſubditis. Sed quid poſtea? Vna nox, & febris, aut coſtarum, aut pulmonis acuta ægritudo, ex viuis raptum hominem aufert. Sic tota illius ſcæna ſubito denudatur, & gloria illa tanquàm ſomnium euaneſcit.

10 Rem admirabilem Auguſtinus refert ſerm. 48. ad fratres in eremo, rei propoſitæ accommodiſsimam. Semel, inquit, Romæ ductus ſum à Pontiano Præfecto cum multis alijs, vt viderẽ Cæſaris cadauer in ſepulchro. Vidi omnino quòd eſſet liuido colore ornatum, putredine circundatum; proſpexi ventrem eius diruptum, & vermium cateruas per ipſum tranſeuntes. Duo quoque famelici buffones, in foueis oculorum eius paſcebantur; crines eius non vltra adhærebant capiti. Dẽtes eius apparebant labijs conſumptis, & reuelatum erat narium ſuarum fundamentum. Et intuens matrem chariſsimam, dixi; Heu mater, vbi eſt nunc Cæſaris præclarum corpus? Vbi diuitiarum eius magnitudo? Vbi caterua principum, & nobilium? Vbi acies militum? Vbi apparatus delitiarum? Vbi canes venatici? Vbi veloces equi? Vbi cantantes aues? Vbi thalamus pictus? Vbi lectus eburneus? Vbi regalis thronus? Vbi mutatoria veſtimenta? Vbi decora facies? Te dudum verebantur homines; te timebant principes; te colebant vrbes; te metuebant omnes, vbi, quæſo, ſunt nunc hæc omnia? Quo abijt tua magnificentia? Et reſpondit mater pietate plena; Fili, ſibi pariter defecerunt omnia, quando defecit ſpiritus eius; & eum in ſepulchro trium brachiorum reliquerunt cum fœtore, & putredine. Similia argumenta in medium adducere poſſemus pluri-ma ex ijs, qui inflati ſuperbia dignitatum, putabant ſe cum ipſa dignitate, & diuitiarum copia immortales futuros. Si vniuerſam mundi vanitatem exactè cognoſcere cupis, perlege quattuor libellos de vanitate mundi ab Hugone de ſancto Victore conſcriptos tom. 2. ſuorum operum.

Quod

Quod cognitio sui ipsius plurimum conducat ad humilitatem, & bonam frugem obtinendam. Cap. xix.

1 
Ropriam suiipsius cognitionem plurimum vnicuique homini, maximè verò viro monasticam Religionem sectanti prodesse, nō sine magna vtilitate Hugo de sancto Victore lib. 3. de anima cap. 43. alijq; clarissimi Patres suis scriptis docuerunt. Ex Christiana quidem discretione, sui cognitio in primis proficiscitur; dum homo cordatus aduertit, req; ipsa experitur, sæpenumero deesse se Deo in exhibenda reuerentia, honore, laude, veneratione, ac vero humilitatis famulatu. Itemq; crebro deesse se proximis; ex charitatis tepore, in curia, ac negligentia. Inde porrò oritur suiipsius, omniumq; actuum suorum displicentia, & animi mœror, eo quòd se erga Deum, & proximum suo muneri non satisfacere intelligit, ex quo seipsum, suasq; omnes actione paruipendere incipit. Cognitio nostri ipsorum nos sanè considerare facit, vnde venerimus, vbi simus, quo venturi simus. Venimus quidē à Deo, à quo conditi sumus, sumus autem in exilio. Amans. n. desideriū semper aspirat ad Deum, cupitq; esse cū Deo, ob idq; semper in exilio degit. Quod verò ad corpus attinet, foris innumeris versamur pœnis, ac doloribus famis, sitis, frigoris, æstus, morborum, & id genus malorū. Sæpè ab hostib. tartareis, sæpè ab hominibus grauissimè diuexamur, impugnamurq;. Hæc autem à Deo, nobis subministrata scientia, vniuersa mala nos cognoscere docet, ne maioris, plurisque quam oporteat, nos faciamus, neq; immodicè exhilaremur; aut letemur in hisce rebus fluxis, atq; caducis, neque in cunctis actibus nostris; sed potius cōtristemur, doloreq; afficiamur, quòd Dei inutiles serui simus, in virtutumq; cultura parum admodum promouerimus.

2 Quisquis igitur vitę suæ custodiam negligit, & discutere quæ loquitur, quæ cogitat, aut despicit, aut nescit, coram se iste non ambulat; nā qualis sit in suis moribus, vel actibus, ignorat. Nec sibimetipsi præsens est, qui semetipsum quotidie exquirere, atque cognoscere solicitus nō est. Ille autē verè se ante se constituit, doctore Gregorio, sibiq; in præsenti est, qui se in suis actibus tanquam alium esse ducit, atque attendit. Quandoquidem multa sunt peccata, quæ cōmittimus; sed idcirco nobis grauia nō videntur, quòd priuato nos amore diligentes, clausis oculis nobis in nostrā deceptionē blandimur, vnde plerunque fit, vt & nostra grauia, esse leuia, & proximorum mala leuia, esse grauia iudicemus. Scriptum est. n. 2. ad Timot. 3. Erunt homines seipsos amantes. Vehementer claudit cordis oculum priuatus amor. Hinc S. Augustinus

ſtinus lib. 10. confeſſ. cap. 3. inquit; Curioſum eſt genus hominũ ad cognoſcendum vitam alienam, deſidioſum verò ad corrigendum ſuã. Omnes.n. hac vna in re pij eſſe videntur, cõdemnãtes videlicet alij alios impietatis; ſuorum peccatorum parum ſeueri iudices; alienorũ autem accurati examinatores. Nemo ferè hoc noſtro ſeculo lõgè deploratiſsimo, in ſeipſo vitia cernit. Alterius verò dedecora apertiſsi- videt. Nemo in ſeſe deſcendere tentat, ſed præcedenti ſpectatur mantica tergo. Verum facilius eſt cuiq; noſtrum, aliena curioſè ſpectare, quàm noſtra propria conſiderare. Multi feſtucã, quæ eſt in oculo fratris, cõſiderãt, trabẽ autẽ ſui oculi nõ vidẽt iuxta dñi ſententiã Matth. 7. ca. reuera omniũ cauſarũ difficillima eſt, ſeipſum cognoſcere. Nõ.n. ſolus oculus ea, quæ extrinſecus habentur inſpiciens, ſe ipſum nõ valet intueri; ſed etiã mens ipſa ſatis acutè aliena delicta contemplans, tardior eſt erga ſuorũ cognitionẽ vitiorũ, & eo durius cõtra aliena ſuperbit, quo ſua negligentius ignorat. Duas quidem peras vnuſquiſq; noſtrum ſecum adfert, vnam ante alteram à tergo; & in anteriorem quidem aliorum peccata reponimus, in poſteriorem verò noſtra recõdimus. Equidem neſcio quonam id fiat modo, vt magis in alijs cernamus, ſiquid delinquitur, quàm in nobis. Hinc fit, vt cũ ipſi maximis criminib. teneamur obnoxij, minima peccata fratribus nõ dimittamus. Nõ quid boni quis geſſerit agnoſcentes, ſed quid mali, perſcrutantes,

3 . Permultæ ſunt ſcienti hominum, ſed illa præſtantiſsima eſt, qua ſeipſum quiſque cognoſcit. E cœlo cecidiſſe fertur, noſce te ipſum. Relinque igitur cætera quæque, & teipsũ diſcute; per te curre, & in te cõſiſte. A te exordiatur cogitatio tua, & in te finiatur, nec fruſtra in alia, te neglecto, diſtendaris. Præter ſalutem tuam nihil cogites; quoniam in acquiſitione ſalutis tuę nemo eſt tibi germanior, nemo te ipſo propinquior. Si verò quidpiam tuæ cogitationi ſe offerat, quod non vtcunque ad tuam ipſius ſalutem pertineat, illud illico reijce, & expue, vt ſemper te poſsis inſpicere, & de tui cognitione ad cognitionẽ Dei tendere. Agnoſcat in ſe vir prudens, ad quæ bona ſit ſuaptè natura promptior; vel ad quæ mala procliuior; quibus ſtudijs vehementiori conatu inſiſtere debeat; contra quę mala diligentius inuigilet; quibus exercitijs in meliorem frugẽ promoueri poſſit; quibus vitijs facilius corrumpi valeat; quibus culpis ſubiaceat; vel quibus meritis emineat; quidq; pro his omnib. pœnæ, vel præmij expectare iure debeat; quãtum ſingulis quibusq; diebus, aut proficiat, aut deficiat; quanta animi adhibita induſtria ſatagat præterita mala flere, præſentia declinare, futura præuenire, quanta animi conſtãtia ſtudeat reparare bona amiſſa, cuſtodire, augereq; poſſeſſa, partaq; tueri.

4 O quàm necessaria discusio; quàm admiranda speculatio; tot animi virtutes, tot eius exercitationes, tot studia, vel merita præ oculis habere; & huiusmodi contemplationi diutius inhærere? Suspēde ergo animum tuum ab inferiorum amore, ne fortè de sublimibus rebus eiectus, & de loco voluptatis à propria concupiscentia abstractus, & illectus; post concupiscentias tuas egrediatur, vagusq; fiat, & profugus super terram. Demum si verè cupis domini præceptum Prou. 4. explere, omni custodia serua cor tuum. Nescit.n. quid de spiritu angelico, quid de spiritu diuino sentire debeat, qui suum prius non nouit. Nihil rectè existimat, qui seipsum ignorat. Nescit quantum sub pedibus suis omnis mundi gloria subsit, qui conditionis suæ dignitatē non expendit. O iners cordis custos, si ad te ingrediendum nondū existis idoneus, quo pacto ad ea perscrutanda, quæ intra, vel supra te ipsum sunt abstrusa, aptus eris? si nec dum dignus es, qui tabernaculum primum ingrediaris, qua fronte tabernaculū secundum, idest sancta sanctorum penetrare conaris, & tentas? Si nondum sublimes, altosq; gressus consolidare potes, vt eum domino Iesu, vel certè cum Moyse montem excelsum petas; qua temeritatem in cœlum volare paras? Prius itaq; reddi ad te, quàm rimari velis quæ sunt supra te. Prius sol ortus sui confinia irradiat, quàm ad altiora conscendat. Primus igitur gressus, vtilisq; gradus ille sit, vt in te ipsum te conferas; cor tuum intuearis; tuū spiritum planè cognoscas. Discute quidsis, quid fueris, quid esse debueris, quid esse poteris? Videlicet, quid fueris per naturam, quid nunc sis per culpā, quid esse debueris per industriā, quid adhuc esse possis per gratiam, disce quoq; ex tuo animo cognoscere, quid de aliorum animis existimare, censereq; debeas. Hæc porta, hæc scala, hic introitus, iste est tutus ascensus. Hac itur ad intima, hac ad summa tenditur, hac itur ad astra. Vides tandem quantum commoditatis homini adferat sui plena, atque exacta cognitio? Ex ea si quidem miro quodam modo ad cognitionem omnium cœlestium, terrestrium, plenissimam homo tollitur, & effertur.

5 Exterso igitur hoc speculo, & diu diligenter inspecto, vt noster Hugo lib. 3. de anima cap. 6. mirificè concionatur; incipit homini quædā diuini luminis claritas interlucere, & immensus quidam insolitæ visionis radius oculis cordis apparere. Ex huius luminis visione animus inflammatus, munda cordis acie, superna, & interna cernitur conspicere, Deum diligere, Deo inhærere; Cuncta, quæ adsunt, tanquàm nō sint, considerat; omnibus suis affectionibus renunciat, & obsistit; totus soli incumbit amori, solùm illum esse beatum ducens, qui Deum amat. Reuertere ergo teipsum, teipsum quā accuratissimè contemplare,

plare,atque perlustra. Circunspice vigilanti consideratione, vnde venias,quo tendas, qua ratione legeq; viuas, quid agas, quid amittas, quam bonorum operum vtilitatem,vel iacturam tibi contrahas; quibus cogitationibus crebrius concutiaris; Quibus affectionibus frequentius pulseris; quibusq; tandem tentationum maculis à maligno spiritu acrius impugneris,expugnerisq;. Cùm totum interioris,exteriorisq; hominis statum, & habitum pro tuis viribus plenè cognoueris,ex cognitione tuiipsius in ipsius Dei contemplationem commodè transferri poteris. Quantò.n. quotidie amplius in tui cognitione profeceris,tantò feliciori via ad altiora tendes, & rapieris.

6 Magnus sanè accessus ad Deum est cognitio propriæ infirmitatis. Nam cognitio suiipsius perfacilem ad Deum accessum facit, viamq; sternit; ipsa mentē purificat,regit affectus,dirigit actus,corrigit excessus,componit mores, vitam hominis honestat; cordis oculus per eam mundatur,ingenium acuitur, intellectus dilatatur. Postremò diuinarum,pariter & humanarum scientiam confert: magna est ergo vtilitas seruo Dei, propriam infirmitatem recognoscere, atq; in suis viribus, aut meritis non superbire;tunc.n. incipit adesse virtus diuina,quando deficere incipit præsumptio humana. Tūc peruenitur sine magno negotio ad contemplationem Dei,quando sui cognitio perfectè attingitur:accurata.n. cognitio suiipsius, vt D. August. testatur, sufficienter veluti manu deducet ad notitiam,& contemplationem Dei. Ceterum prius est,·vt cognoscas inuisibilia spiritus tui, quā posis esse idoneus ad cognoscendum inuisibilia Dei. Quandoquidem,vt D.Bernar.libro de interiori domo cap. 13. & de medit.cap.5.ait; Melius est, vt seipsum homo cognoscat,quàm si,se neglecto,cursus syderū, vires herbarum,complexiones hominum,naturas animalium nouisset,cœlestiūq; omnium,& terrestrium scientiam haberet. Quam scientiam licet magni æstimare soleat genus humanum; meliores tamen sunt, qui huic scientiæ præponūt,nosse seipsos. Nam laudabilior est animus,cui nota est infirmitas propria,quàm qui, ea non respecta, mœnia mundi, & ingentes fluctus maris,& altitudines mōtium,& altissimos lapsus fluminum,& Oceani ambitum,& gyros syderum, & fundamenta terrarum,& fastigia cœlorum subtiliter perscrutatur.

7 Multi sanè multa hac nostra tēpestate sciunt, seipsos verò nesciūt; alios curiose inspiciunt,& seipsos deserunt. Multi etiam prudenti,ingeniosaq; subtilitate causas exquirūt, vnde macula in luna prospiciatur;sed aduertere renuunt,sit ne macula quæpiam in propria consciētia. Verùm enimuero,vt paucis cuncta perstringam, summa philosophia, & altissima est contemplatio,seipsum cognoscere;& illa,quæ supra

pra se sunt, citra vllam vtilitatem nō discutere. Sine hac autem tuiipsius cognitione, quantò in rerum cognitione altius profeceris, tantò profundius cadis, turpiusq; prolaberis. Hinc Thaletem in cœlum suspicientem, & lapsum in barathrum ancilla conspicata, meritò illi id accidisse dicebat, qui cùm ea, quæ ante pedes essent, ignoraret, cœlum contemplaretur, vt cognosceret. Sed idem Thales Milesius nostræ sententiæ valdè patrocinatur, qui interrogatus, quid difficilè? Dixit; seipsum cognoscere. Postremò cognitio sui, generat humilitatē; cognitio mundi, eiusdem mundi despectionē, cognitio Dei charitatis ardorem. Rursus cognitio sui, illuminat profunditatē, nostrasq; tenebras cæcitatis; cōtemptus mundi, pellit delectationem; Ardor verò charitatis sedat, atq; compescit ventorū, ideft tentationum rigidam cōmotionē.

8 Quantam verò perniciem suiipsius ignorantia homini inuehat, sapienter edocuit Laur. Iustinianus in fasciculo amoris cap. 16. quæ quidem, vt plurimum in animo concitato sedem habet, eiq; tyrannicè dominatur: corpore ægrotantium ille quidem mos est, vt eo magis propriæ infirmitatis ignari sint, quo periculosiori morbo laborant. Euertit nanque ægritudinis maxima vis rationis iudicium, nec sinit probè discernere, quid proficuum, quidué nociuum existat. Proinde alterius quidem, non suo ipsorum regimini sunt committendi: fallitur sæpenumero iudicij examen affectionis impellente virtute. Quod autem diximus humanis euenire corporibus, idipsum non incongruè de animorum morbis sentiendum est. Quibus si sui ignoratio semel insederit, arceq; occupauerit, non paucas, easq; pestiferas parit affectiones: Sub qua enutriuntur, accrescunt, fructus edunt, perficiūturq; facili sanè negotio humani intellectus acumen seducitur, atque retunditur; cùm in suiipsius cognitione animus dormitare cœperit. Quocirca qui hoc morbi laborat, non infrugifere ei medebitur, si alieno se subdat arbitrio, seniorum acquiescens iudicio. Optimum planè restaurandæ animarum salutis, adipiscendæq; prudentiæ initium est, sibi omnino credere nihil, nihilq; sibi fidere; potissimum verò cùm ex præteritis euentibus probè didicerit, expertusq; fuerit, se solitum esse ignorare, quid sibi expediat. Non quidem sui ignarus, sed mortuus ille censendus est, qui frequenter decidens, se cecidisse, nescit. Quamobrem inter præcipua dona nostræ saluti necessaria, non infimum tenere locum propriæ infirmitatis cognitionem asseuerare, nequaqam sum formidaturus. Qui.n. hoc tantò munere præditus est, aliorū secreta consilia curiosè non inquirit, iudicat neminē, neminē damnat, nulli iniuriam infert, non irascitur, nō contendit, non contradicit, non detrahit, non mentitur, honores non appetit, inflari nescit, nec naturæ dotibus extol-

litur,

litur, nec fortunæ bonis insanit. At verò suiipsius ignoratione detentus, mille modis seruus est. Nutat quidem tanquàm vetustissimũ ædificium, momentisq; singulis ruinam sibi minatur. Medicum non quærit, sanitatis remedia aspernatur, charitatis monita non admittit, sed respuit: tandiuq; lethali morbo comprimitur, quandiu in sua cæcitate perdurat. Obdurescit quotidie, ac lætatur, cùm malefecerit, & exultat in rebus pessimis; deridet simplices, pusillos circunuenit, innocentes odio, nocumentoq; prosequitur. Bonum dicit malum, & malũ bonum: tenebras lucem, & lucem tenebras. Fitq; tandem, vt sibiipsi efficiatur inimicus, crudus hostis, perpetuusq; insidiator. Qui se ignorat, Deum profectò ignorat, & ab eodem ipse cum virginibus fatuis nescietur, & ignorabitur.

9 Illud etiam mente retineto, suiipsius cognitionem, & ipsam humilitatem, maximam inter se habere cognationem. Quemadmodom. n. Solis splendor, & calor ita sunt sibi inuicem coniunctissimi, vt à se separari nequeant; Eodẽ sanè vinculo, strictissimoq; nexu suiipsius cognitio, & humilitas sibi inuicem coniungũtur, & conglutinãtur. Quare ex tuiipsius cognitione in perfectam humilitatem facilè, breuiq; es peruenturus.

10 Ad teipsum autem intus, & in cute cognoscẽdum, plurimum adiumenti adfert, si cognoueris, aptissima comparatione operationi aranei vitam humanam assimilari, in primis. n. araneus magna solicitudine discurrit, multaq; instantia laborat in texendo telam, ad componendum opus suum, & ob hoc seipsum euiscerat, & exhaurit, vt citius ante tempus deficiat exhaustus; è qua tamen tela modicum admodũ habet fructum, tenuem scilicet victum in ea sibi venando, neque post omnem laborem habet aliud; quin potius frequenter post omnem laborem, post perfectam telam, ipse qui texuit fugatur è suo ædificio, aut scopa circunducta per parietem abripit simul in momento temporis & araneum, & telam eius, atque in ignem conijcit, sicq; omnis perditur labor, & qui eo laborauit; ita & homines super terrã in annis vitæ suæ frequenter multis exercentur, atque torquentur inutilibus laboribus, quos impendunt rebus temporarijs, dum maxima solicitudine, & sedulitate operãtur in illis, seipsos exhauriũt, euiscerãt, atque mirum in modum excruciant; cùm tamen non possint ex omnibus nisi tenuem sibi victum, & vestitum accipere; & non rarò post omnes labores peractos, subito homo vita priuatur, cogiturq; relinquere, quæ congregauerat omnia; vel ipsum etiam opus subito destruitur, ac petit absque aliqua prorsus vtilitate. Sic quidem manifestũ fit, totum hoc tempus nostræ vitæ, non esse nisi laborem, dolorem, &

affictio

afflictionem spiritus, cuiusmodi est araneorum vita. Cur ergo superbiemus, nec cristas elatas deprimemus?

11 Porrò araneus omnem suum laborem ad hoc vnum impendit, vt animalcula innoxia prædetur, & interimat. Opus enim eius cùm perfectum fuerit, non aliud quàm laqueus est, & rete, quo muscæ, ac huiusmodi capiantur. Postquàm autem venatione muscam cœperit, statim accurrit, vt exugat sanguinem, itaque plerique mortalium, impij videlicet, & iniusti homines omnem impendunt solicitudinem, & diligentiam ad decipiendum, seducendumq;, & opprimendum innoxios. Videmus & hoc delectabile auditu, araneum multo minus liberum, ac tutum esse, sed magis coangustatum, faciliusq; posse comprehendi, atque necari post opus telæ perfectum, post domum consumatam, quàm ante potuerit. Nam ante ædificatam domum mox vbi, vel flatum lenem persenserit, magna celeritate longè aufugit, & euadit periculum. Cùm verò intra domum ædificatam fixerit iam habitationem suam, non nouit nisi in cubiculum interius se subducere è propatulo; in quo, dum non conspicitur, securum se existimans, plerunque simul cum sua tela inuoluitur, atquæ in terram prostratus calcatur. Vt eijciat venenosa viscera, & pereat, qui donec viueret, innoxia oppresſit, interemitq; animalcula. Ita & huius seculi filij, qui sacram humilitatem execrantur, multominus sunt tuti liberi, & securi, post suas ædificatas telas, idest huiusmodi negotiola, post sua ædificia magna, & alta consumata, quàm fuerant antequàm quicquam omninò ædificassent, aut possedissent. Diligunt enim telas suas; & quantumuis metus magnus ingruerit, nolunt tamen relinquere telas, quas confecerunt; sed abscondunt sese in diuitijs, quas congesserunt, & in operibus, quæ extruxerunt, fiduciam habentes, quòd in eis saluari, defendiq; posſint, donec tandem veniat qui ipsos latitantes, & videri se non arbitrantes, deijciat atque humiliet vsque ad terram, & pedibus conculcatos in infernum tremendum proijciat, perpetuò torquendos; sicuti, & ipsi dum viuerent in telis suis, simplicium hominum tortores fuerunt: huiusmodi hominem deridet Iob cap. 8. dicens; & sicut tela aranearum fiducia eius. Vides profectò plane, quàm sis araneo simillimus, araneus autem, & vilisſimus est, & exiguis tenuibusq; viribus communitus? Quid si eius spurcitiam cõsideres, & putredinem. Te ipsum igitur probè cognoscens, superbiam depone, humilitatẽ verò ambabus, quod aiunt, vlnis amplectere.

De ambitione à Regulari Canonico fugienda. Cap. xx.

1 
Vllo vnquam tempore attentiori, vehementioriq; consideratione intelligimus, quàm sint huius mundi honores, sublimesq; dignitatum, ac munerum sedes, & opulentiæ; caducæ, inconstantes, perituræ, ac intermorituræ; quàm cùm certissimam vitæ nostræ periodũ, occultamq; metam memoramus, menteq; perlustramus. Cùm igitur in superioribus vana, acquisitaq; bona explodentes, mortis nostræ meminerimus, conuenienti loco hic de ambitione sumus acturi, vt ea profligata, vniuersa illa, quæ hoc seculo bona creduntur, ex animo aspernemur, nihiliq; faciamus. Effrenis ambitio, quę impia est superbię proles, per vniuersos ferè hominum status grassatur, quos & sua quadam atrocitate inuadit; horridiorem tamen fœditatem ostentat, si virorum Religiosorum animis insederit. Hinc fit, vt sanctissimi. Rom. Pontifices, iuris Canonici conditores, in eam varijs in locis acriter inuehantur. Quamobrem mecum animo constitui, Regularem Canonicũ paucis hic admonere, vt sibi prudenter cauens, ambitionis virulentiam; & rabiem effugiat; sibiq; persuadeat, venenosam esse, ac truculentã pestem. Ait.n. in Lucam Ambrosius, sæpè quos vitia nulla delectãt, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia subuertit, facit ambitio criminosos. Bernardus quoque dixit, Potestatis ambitio Angelum felicitate angelica, ad quam creatus fuerat, omnino priuauit. Scientiæ appetitus hominem immortalitatis gloria spoliauit, non Euam cibus deflexerat; non mandatorum obliuio deiecerat, sed promissio honoris, ambitio illecebrosa decepit.

2 Hæc præfatus, abstrusam huius lethalis morbi naturam ex D. Thomæ sententia 2.2.q.131. art.1. sum explicaturus. Cùm igitur ambitio inordinatus sit honoris appetitus, tripliciter appetitũ honoris esse inordinatum consideremus. Primum, cùm quispiam testimonium expetit excellentiæ, quam reuera non habet: is autem supra suã proportionem honorem appetit, vt si prauus homo, quasi bonus esset, honorem desideret, cupiatq; regimen, & præsidentiam, virtutis cultoribus debitam, ipsam verò virtutem penitus negligens. Secundo, citra ordinem honorem appetis, si ipsum in Deum non retuleris, tanquã in verum tuæ excellentiæ, atq; virtutum auctorẽ, cui soli honor, & gloria in secula seculorum. Tertio, absque ordine, atque ratione honorem percupies, si tuus honoris appetitus in ipso honore conquiescat, nec eum in aliorum vtilitatem, & commodum conferas. Ea enim ratione excellentiã tibi Deus optimus largitus est, vt alijs prosis, vtilitatemq; parias.

parias. Hac etenim sola de causa tibi excellentiæ, honorisuè testimonium congratulari licebit quòd hinc alijs commodum exhibeas, prodesseq; possis.

3 Id quoque est perdiscendum, ambitionem peccatum esse, cũ quòd à mala radice propagatur, idest à superbia, tum quoniam charitati aduersatur. Siquidem Paulus 1. ad Cor. 13. testatur; charitatem non esse ambitiosam, nec quærere quæ sua sunt. Tum etiam quòd cum animi magnitudine bellum gerit. Tametsi verò quandoq; ambitio veniale sit peccatum sæpenumero tamen, varijsq; modis mortale peccatum iudicatur ex Caietano in verbo ambitio, in summa. Primum ex parte rei, in qua honor appetitur, vt si quis ob crimen aliquod honorari velit: vel ex parte finis, vt si in honore vltimus finis constituatur, quòd quidem contingit, cùm quispiam propter honorem assequendũ nihil interim curat, offendat ne Deum mortaliter, an non. Sicuti si is præferri alijs concupiuerit, quibus in distributione communium dignitatum meritò præferendus non esset. Aut certè ob consequendum honorem mortale peccatum eligit. Tertiò cùm ad perpetrandum scelus aliquod honor & appetitur, & conquiritur, videlicet ad exercendam tyrannidem.

4 Ceterum in viro Religioso peculiarem quandam deformitatẽ ambitionem continere ex summorum Pontificum iudicio superius asseruimus, id quod nunc manifestum conficiemus. Nam Bonif. 8. in cap. quorundam, de elect. in 6. sic aduersus Religiosorum ambitionẽ proloquitur. Quorundam oculos sic vitiũ ambitionis excæcat, quòd quasi suæ professionis immemores, qua contemptis honoribus, abiectis diuitijs, spretisq; delitijs, arbitriũ proprium subiugarunt alterius ditioni retro respiciunt, ad aratrum manu missa, dum præcipitãter ruũt in litigiorum anfractus, & causarum strepitibus se inuoluunt, & extra administrationes proprij ordinis, solium prælaturæ conscendere moliuntur. Volentes igitur huic pesti salubri remedio obuiare, &c. Huic Bonif. adstipulatur Ioãnes 22. in Extrauag. Execrabilis, de præbendis, dicens: Execrabilis quorundam tàm Religiosorum, quàm secularium ambitio, quæ semper plus ambiens, eo magis fit insatiabilis, quò sibi amplius indulgetur. Et Greg. 10. in cap. auaritiæ, de elect. in 6. ait; Auaritiæ cæcitas, & dãnandæ ambitionis improbitas aliquorum animos occupantes, eos in illam temeritatem impellunt, vt quæ sibi à iure interdicta nouerint, exquisitis fraudibus vsurpare conentur. Adde etiam ex 96. dist. cap. bene quidem. Quos amor dominationis inuasit, iugum disciplinæ fecit respuere. Demum Conc. prouinciale Mediol. par. 3. tit. de præfectis, & alijs ministris, prauæ ambitioni condi-

gnam pœnam imposuit. Ceterum quæ illic de Monialibus traduntur nos viris, paucula verborum immutatione facta, accommodabimus. Nullus Religiosus ambiat, aut vllo quouis modo siue directè, siue indirectè, per se, aut per aliũ, honores officiaue cuiusuis generis sui monasterij quærat, hac constituta pœna: vt & ipse, & qui sibi in ea re fauerint, in Capitulo per tres sextas ferias ad pedes singulorum Religiosorum terram deosculantes, suam accusent ambitionem. Ipseq; præterea, si id officium consequutus erit, eo, cæterisq; muneribus priuetur, Superioris arbitratu. Idq; iure quidem, nam ex Gregorio, ambiens maiora officia, debet carere etiam illis, quæ habet. Iure igitur Chrisost. 1. ad Cor. 14. Homilia 35. ambitionem, siue gloriæ, vel honoris cupiditatem esse describit, beluam crudelem, dæmonem horrẽdum, communem totius orbis terrarum pestem, viperam venenatam: vt illa.n. parturientis vterum rumpit, sic malum hoc dilaniat ob noxios sibi. Vnde igitur stupescendo morbo medicinam petemus? Si eorum, qui cum monstro congresi, fœliciter proculcarunt, exemplum ob oculos ponentes, assiduè contemplemur, futurum est, vt nostram quoque vitam recuperemus.

5 Sed obstrepet nobis aliquis, eamq; rationem obijciet. Absque vllo noxæ periculo appetere possumus id, quod præmij iure nobis debetur. At honor, teste Arist. Ethi. lib. 4. est virtutis præmium, & merces, ergo nobis, si virtutem coluerimus, absque peccato honorem appetere licet. Sic tandem respondendum censemus, honorẽ ex parte illius, qui virtutis est cultor, virtutis esse præmium inficiamur; quasi honorẽ præmij loco expetere debeat. Aliud.n. longè excellentius præmium illum manet, ipsa videlicet cælestis beatitudo, quæ finis virtutis existit. Rectè tamen ipse honor præmium censetur virtutis ex parte aliorum hominum, quippe qui aliquid præstantius honore non habent, quod virtutis studioso retribuant. Illud etiam adiunge, quod honor virtuti testimonium perhibet.

6 Audiamus iam Bernardum lib. 3. de consideratione concionantẽ. O ambitio ambientiũ crux, quomodo omnes torquens, omnibus places? nil acerbius cruciat, nil molestius inquietat, nil tamen apud miseros mortales celebrius nogotijs eius. Rursus super missus est, Homil. 4. Idem author inquit; Videas plerosq; in Ecclesia Dei de ignobilibus nobiles, de pauperib. diuites factos, subito intumescere, pristinæ obliuisci abiectionis, genus quoq; suum erubescere, & infimos dedignari parentes. Omitto autem eos, quos excæcat ambitio, quibus, & honor ipse superbiendi materia est. Sed video post spretam seculi pompam, nonnullos in schola humilitatis, superbiã magis addiscere, ac sub alis mitis,

mitis,humilisq; magiſtri grauius inſoleſcere, & impatientes amplius fieri in clauſtro,quàm fuiſſent in ſeculo. Et Henricũ Senonenſem Archiepiſc. Epiſt.42. ſic alloquitur. Ceterum curritur in clero paſsim ab omni ætate,& ordine; à doctis pariter,& indoctis ad eccleſiaſticas curas: tanquam ſine curis iam quiſque victurus ſit, cùm ad curas peruenerit; nec mirum de his,qui nec dum in ſemetipſis experti ſunt; Sed etiam experti,qui iam proprios humeros cupitæ ſarcinæ ſummiſerũt, non ſolùm non gemunt,tãquam ſub onere; ſed inſuper appetunt plus onerari,non deterrentur periculis, qui cupiditate cæcati non vident; ò infinita ſemper ambitio,& inſatiabilis auaritia.

7 Habet etiam ambitio aliud ingens malum, quod hypocriſis mater aſſeritur, quo ſanè malo corripiebantur Phariſæi, Matth. 23. Quòd enim hominum gloriam quærerent,manifeſtum erat indicium in philacterijs, & fimbrijs ipſorum. Nam Philacteria ſua, ideſt conſeruatoria legis membranas videlicet, in quibus deſcriptum continebatur magnum legis mandatum, faciebant inſigniter lata, & magna ſupra vulgus hominum. Similiter, & fimbrias per quattuor angulos palliorum maiores faciebant præ ceteris hominibus,vt harum rerum externarum ſpeciali oſtentatione, inſigniter quoque ſancti hominib. viderentur. Amabant inſuper,& affectabant loca digniora,tum in mẽſis,tum in ſynagogis:cum magno ambitionis, & inanis gloriæ affectu quærebant ſedere in locis dignioribus, vbi à plurimis valerent in ſua præeminẽtia conſpici. Ideo,inquit, Chriſtus amant primos recubitus in cœnis,& primas cathedras in ſynagogis, ideſt præcipuas dignitates,quas honor conſequitur. En ambitionis fraudes depictas. Mens quoque potentiæ auida,nec abſtinere nouit à vetitis, nec gaudere cõceſsis,nec pietati adhibere conſenſum.Nec diſsimilis eſt Paulina ſententia,qua docetur ad Heb.5. Neque quenquam,videlicet ſibi debere honorificum munus, ſua auctoritate vſurpare, neque ſemetipſum ingerere,ſed eum,qui à Deo vocatur, & ordinatur, quemadmodum exemplum habemus in Aaron,quem per Moſen dominus ad ſacerdotium deputauit. Ideo,inquit Paulus,nec quiſquam ſumit ſibi honorẽ, ſed qui vocatur à Deo,tanquam Aaron.

8 Item conſidera in quod malorum pelagus ſe miſer Alcimus coniecerit 1.lib.Machab.cap.7. Cùm fieri ſacerdos volebat apud Demetrium regẽ, à quo in ſacerdotium cõſtitutus eſt poſt impiam filiorum Iſrael traditionem, ac ſanguineam ſtragem. Porrò huic Alcimo non impar fuit,nec diſsimilis Iaſon frater Oniæ 2.lib.Machab.cap.4.apud regem Antiochum, qui ambiebat ſummum ſacerdotium,adito rege: promittens ei argenti talenta trecenta ſexaginta,& ex redditibus alijs

talenta octoginta: atque ita peruersè egit, vt constitueret Ephebiam, idest prostibulum iuuenum, & Iudæos ad Gentilium ritus transire cōpelleret, quibus peractis Menelaus illi summum sacerdotium comparauit. Hic igitur hominis ambitiosi animus est, qui nec Deum, nec se, nec alios intueatur, obseruetq;, sed per fas, nefasq;, & mille pericula dignitatē, quā semel appetit, adipisci conetur, infelixq; perenni quadam amaritudine confossus, mentis quietem amittit, apud inferos igneas sedes breui assequuturus.

9 Longè profectò repulit Christus ambitiosam discipulorum cōtentionem Matth. 18. interrogatione facta, quis maior esset in regno cœlorum? audiamus igitur quid Christus respōdeat. Primo, vt Marc. cap. 9. ait, cōsedit, veluti rem seriam cum auctoritate traditurus: leue quidem videbatur, quòd Apostoli inter se disputabant, Christus autem sciebat, quid non mali ex ambitione nasceretur, si non illico, & radicitus euelleretur. Vnde, & sæpius quasi data opera occasionem videtur captare in hoc vitium inuehendi. Iam.n. præuidebat, quantam perniitiem illatura esset nobis ambitio, & auaritia. Hæc.n. duo quo magis in nobis creuerint, eo lōgius à pura mētis tranquillitate discessum est, donec eo peruentum est, vt hi potissimum Religiosiores se venditent, qui omnium maximè pro temporalibus tumultuantur; neque aliud quicquam obstat, quo minus in emendatiorem statum reducamur, quàm ambitio, & auaritia quorundam. Vt igitur affectum hunc pestilētissimum penitus ex animis discipulorum euelleret Christus, primo consedit, deinde aduocat paruulum, statuit in medio, ac corā omnibus complectitur, vt Marcus ait, significās, quàm auersaretur superbos, quàmq; diligeret humilès spiritu, & modestos, & ab omni ambitionis suspitione alienos.

10 Præterea, qui artem militarem profitentur, astruunt, plurimū prœliantibus officere, si Sol ipsorum oculis ad perpendiculum objiciatur. Nempè omnium philosophorum consensu, excellens omne sensibile sic sensum exteriorem plerunque afficit, immutat, perstringit, atque hebetat; imò sic quandoq; lædit, vt suas debitè nequeat operationes perficere. Hinc cùm Sol, Solisq; radius circunquaque splendens, excellentissimum sit, ac vehementissimum admodum sensibile, si oculi pupillam perpendiculariter contingat, non solùm hominis oculum immutat, aut lædit, sed propemodum excæcat, & omnem visiuam hominis perturbat potentiam.

11 Ad eundem propè modum militem Christianum, ne hostem validum euincat, Sol sparsim irradians sæpenumero impedit. Imò quo eiusdem oculus fulgentibus magis inuoluitur radijs, eo facilius hosti-

bus

bus succumbit. Per hunc autem solis radium exuberantior vanæ gloriæ disignetur appetitus. Qui Christi militem alioqui potentissimum ab obtinenda victoria non tantum abducit, sed & ipsum in hostiũ tyrannicam potestatem plerunque protrudit. Exemplo sunt Sedechias rex, qui vehemẽtiori excæcatus ambitione, ferreis vinctus chatenis in Babylonem ductus est. Nabuchdonosor quoque rex elatus, vt Dei sublimitatem, bonitatem, maiestatem, ac potentiam agnosceret, humilemq; sortis humanæ experiretur conditionem in bestiam demutatus, vt bos fœnum septennio toto comedit Saul itidem sibi placens, ac gloriabundus, diuinæ iussionis immemor, regio septro cum tota posteritate priuatur. Et qui plenus decore, signaculum similitudinis Dei in delitijs paradisi fuit, propriæ dignitatis, excellentiæ, ac perfectionis ardoribus conflagratus, supremum passus est excidium, qui è summo cœlĩ fastigio, vt fulgur in abyssum tenebrarum miserando semper spectaculo præcipitatus est.

12 Nihil itaque religiosum in hac area inferiori decertantem à nanciscenda, assequendaq; victoria magis auocat, nihil sic illius oculum offuscat, nihilq; sic mentis aciem obtenebrat, & voluntatem ipsam deteriorem reddit, quàm immoderantior, ac petulãtior propriæ gloriæ, decoris, auctoritatis, & potestatis ambitus. Qui non inconcinne solis radio comparatur; quoniam vt pulchrè in Deuterom. scribitur; Viderunt plagas terræ illius, & infirmitates, quibus eã afflixerit dominus, sulphure, & solis ardore comburẽs. Vnde, & alio loco dicitur; Sol tripliciter exurens montes. Nec id quidem perperam dictum existimetur. Nempè superbus, montis altioris instar, elatus, ac solis ardoribus exustus, sui primum amantissimus, propriæq; excellẽtiæ auidissimus, alterius honoris impatiens, magis, ac magis ambit; seq; effert, & sordibus vitiorũ inuolutus contracta iam peccandi consuetudine sordidior semper efficitur, quoniam teste Psalmographo; superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.


13 Item Christus redemptor noster Ioan. 5. aduersus ambitionis famulos, & amatores insurgit. Quomodo .n. fieri potest, vt vos ambitiosi homines, Dei sermonibus fide debita attendatis, & obediatis; quibus maximè cordi sunt honores mundi huius, & gloria quæ est ab hominibus? gloria autem Dei, quæ primùm deberet habere locum, infimum in corde vestro, vel certè nullum obtinet, vt non sit vobis curæ acquirere gloriam, quæ est apud Deum, quæ nimirum sola est, & verè stabilis gloria: nihil profectò mirum, si doctrinam Dei, & fidem Dei repellatis, postquàm propriam gloriam toto animo quærentes, Dei gloriã contemnitis. Idcirco inquit; quomodo potestis credere, qui

gloriã ab inuicẽ accipitis? Quo in loco hãc addit Iudaicæ obſtinationis cauſam, nempè ambitionẽ, & inordinatam dilectionem temporalium.

14 Erant Phariſæi, vt etiam nũc ſunt non pauci hoc noſtro ſeculo, erãt, inquam, mancipia gloriæ, & animalia ventris, timebant famæ, & exiſtimationi ſuæ, videbant Chriſtum nihil earum rerũ diſcipulis, vel promittere, vel dare, quas ipſi toto ſtudio expectabant, timebant ſe contemnendos, ſi credidiſſent Chriſto; timebant item, ne cogerentur põpam, & ſuperbiam ſuam abdicare. Et quis non videt etiam inter Chriſtianos huiuſmodi homines? Quis non videt implicitos ambitionis laqueos? fides quidem humiliat, ambitio inflat, fides facit, vt te abneges, & captiuum te tradas in obſequium Dei; Itẽ vt paratus ſis omnia propter Deum relinquere. Audis quid fidei doctrina operetur. Ambitio verò ſibi ſoli benè cupit, ſe magnificat, ſibi omnia aſcribit. Fidelis non gloriatur, niſi in eo quod cognoſcit Dei miſericordiam, & iuſtitiã, & ſimilia. Ambitioſus autem gloriatur in ſapientia, fortitudine, honore, & diuitijs proprijs. Appetitus igitur gloriæ, & temporalium ſunt ſpinæ illæ, quibus ſemen verbi Dei ſuffocatur Luc. 8.

15 Pulchrè autem ambitioſos Chriſtus arguit, quòd gloriam ab inuicẽ accipiant; quomodo. n. poteſt homo, tam miſera creatura verum honorem conferre? Quòd ſi etiam coram hominibus glorioſus videaris: perinde eſt, ac ſi vnus vermis, vel brucus præ alijs ſibi placeat, quũ nõ minus ex ſtercore natus ſit, & viuat, quã alij. Nihil igitur ſtultius, quã gloriam captare humanam, qua nihil vilius, vanius, & inſtabilius; hominis. n. gloria ſtercus, & vermis eſt; hodie extollitur, & cras nõ inuenietur. Huc pertinent verba illa Iſa. 40. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius flos fœni: aruit fœnũ, & cecidit flos. Hinc Herodes, cui populus acclamabat, Dei voces, & non hominis, paulò poſt conſumptus à vermibus expirauit. Quære igitur gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, gloriæ autem à ſolo Deo veniẽs, eſt teſtimonium bonæ conſcientiæ, quemadmodum Paulus 2. ad Cor. 1. ait; Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.

De terrifico Ananiæ exemplo aduerſus auaritiam à Canonico vitandam. Cap. xxi.



1 Elebre eſt, aculeoſq; habet perquam terrificũ illud Ananiæ mortis exemplum Act. 5. cap. à Luca narratum, ad eorum animos: propulſa auaritia, in officio continẽdos, qui ſemel ſe, ſuaq; in Religione Deo dedicauere. Veræ pietati nunquàm non ſe immiſcere conatur nefaria hypocriſis, & ſatanæ miniſtri perpetuò volunt Simij eſſe miniſtorũ Dei.

ab initio

ab initio hoc inchoatum eſt,ſic & in finem vſque mundi perduraturũ. Abel veræ pietatis;Cain verò impij hypocriſis ſimulacrũ gerit. vterq; offert,ſed alter tantũ Deo placet. Placet Abel Deo, Cain diſplicet;ille potiora offert,hic nihil tale,ſed forſan deteriora. Lege loco citato Ananiæ hiſtoriam,pulchram quidem,ſed horrore pleniſsimam.

2 Tacitus apud te conſidera,non omnes bonos eſſe, qui habitant, & verſantur inter bonos;ſic.n. & cum granis tridici etiam paleæ in horreum inuehuntur, ſic inter bonum ſemen, & zizania naſcitur, rectéq; Apoſtolicum, & bonos,& malos piſces trahit. Ita ad nuptias non habentes veſtem nuptialem etiã ingrediuntur;ſic cum prudentibus virginibus etiam fatuæ Chriſto occurrunt. Sic inter fideles ſeruos, etiã infidelis inuenitur ſeruus. Nunquã enim tam fœlix, ac purgata fuit Eccleſia militans,vt in ea non eſſent mali.Quandoquidem, & in duodenario,eiectoq; Apoſtolorũ choro inuentus eſt proditor.Sic in exordio Eccleſiæ fuerunt mali,qui Chriſtianum nomen prætexerent.Quid mirum, ſi id & in monaſterio vſu venerit? Viro igitur Religioſo non dominetur hypocriſis, auaritia, & incredulitas, ſicuti hic in Anania cernimus.Peccatum.n.eius erat diffidentia,auaritia, & hypocriſis.

3 Hypocriſis quidem Ananiæ deprehẽditur, quòd partem pretij offerens, ſimulabat ſe totum obtuliſſe. Simulabat ſe alijs velle proſpicere, cùm laudem humanam quæreret.hypocriſim odit Deus in ſuis Eſaiæ 29. Matth. 15. & 23.exigit autem ſimplicitatem,& perfectam, non fucatam iuſtitiam. In hypocriſi multa mala concurrunt: mendacium contra conſcientiã; appetitus laudis;irriſio Dei, contẽptus veræ Religionis.Eius itaq; cor id malum obſederat, ambitio nimirum.Nã cùm animaduertiſſet inter Chriſtianos laudabile, glorioſum, & celebre haberi, ſua bona in commune conferre; affectabat,& ipſe cũ vxore ſua honores,& laudes; & cupiebant vtrique non minores, aut illiberaliores haberi. Itaque facultates ſuas vendunt, & allatam partem aliquam pretij Apoſtolis diſtribuendam exhibent. Vt & ipſi cognomen aliquod beneficientiæ inter alios ſortirentur. Parte tamen pretij ſibi ſepoſita, atque retenta.

4 Auaritia Ananiæ in eo dignoſcitur,quod partem pecuniæ reſeruat, nihil minus congruit Religioſorum nomini,quàm auaritia. Ipſi enim iubentur in cœlo theſaurizare, ipſis cœleſtia promittuntur, pro ipſis Deus curat. Contra auaritiam hominum,& maximè ſacerdotum omnes Prophetæ clamant. Chriſtus auaros è templo eijcit. Hinc.n. nihil non mali oritur. Qui diuites fieri volunt,incidunt in laqueum, Auaritia quorundam multa deteſtabilia mala excitauit in Dei Eccleſia. Longè aliam viam ſequuti ſunt reliqui Chriſtiani, quàm Ananias

cum

cũ sua vxore Saphira. Conferebant.n. diuenditarũ possessionum precia in commune, non sui compendij, aut gloriæ humanæ gratia, sed ex mera, & simplici fide in Christum, atque charitate in proximum.

5 Item incredulitas Ananiæ proditur, quod nõ credebat Deum posse nutrire, hoc est, volebat duabus sedere sellis, & illustris haberi ab Ecclesia, cuius rei gratia partẽ facultatum offerebat, & tutus interim esse cupiebat, si res Apostolicæ sinistrius cederent: hinc enim alteram partem facultatum cõdidit, vt tum suppeteret, vnde viueret, qui Deo diffidit, magnam ei contumeliam facit. Deum.n. mendacem constituit, de eius verbo dubitat, quo non semel promisit se daturum nobis necessaria: denique bonitati eius diffidit, toties expertus. Quòd Deus nutrire velit, vel ex hoc patet, quòd antequàm hominẽ crearet, prius terram, in qua habitaret, solem, qui illi luceret, fructus terræ, quibus vestiretur, creauit ac condidit. Deinde etiam constat ex eo, quòd nihil adhuc cogitãte de victu homine, Deus ipse præuenit. Ecce, inquit, dedi vobis omnẽ herbam, &c. Postremò, quòd etiam post peccatum ipsorum ipsos vestiuit, vt interim taceam, quòd toties se daturũ promisit, ipsoq; facto præstitit, nihil defuturum pijs, cùm & impijs benefaciat, qui solẽ suũ facit oriri super bonos, & malos; & pluit super iustos, & iniustos. Primum quærite regnum Dei (ait Christus) & iustitiã eius, & hæc omnia, quæ scilicet ad corporis sustentationem pertinent, adijcientur vobis. Euolue Genesim à 1. cap. ad 6. vsq; si Religiosus cùm sis, egestatem formidas. Incredulitas, & diffidentia omnium peccatorum mater existit: hinc.n. auaritia, furta, latrocinia, mendacia, proprietas, & impia vita. Cernis apertè infelicem Ananiam omnium cœnobitarum proprietariorum typum, & viuam imaginẽ omnium versutorum hominum, qui cum sint duplici corde, nihil sincere agunt. Oculum enim impurum habent, qui gloriam humanam, & compendium periturũ spectant. Punitio autem tam horrenda eos arguit, qui hæc non æstimant esse peccata.

6 Obserua, quàm verum sit verbum Christi Matth. 10. dicentis; Nihil opertum, quod non reueletur. Dominus.n. reuelat seruis suis hominum malitiam, vt eam accusent, & ad pœnitentiam hortentur. Petrus ergo peccatum Ananiæ spiritu Dei olfaciens, ipsum grauissimè accusat, & principio quidem ostendit, auctorem instituti sui non esse spiritum Dei bonum, sed satanã. Deinde hoc ipsum hypocrisim, & excogitatam referre malitiam, quòd tantum scelus ex versutia faciens, ex spiritu Dei factum videri vellet: hinc per interrogationem, imò admirationem indignabũdam effert orationem, & ait; Cur tentauit, idest impleuit satanas cor tuum, mẽtiri te Spiritui Sancto? Tentauit, hoc est

inspirauit,

inſpirauit, ſuaſit, non coegit Ananiam ſatanas. Suadere.n. poteſt, compellere, vel vi adigere, vt malis conſentiamus; non poteſt. Audis quàm ſeriò Petrus Ananiam increpet, quàm ſeuerè arguat? Iterrogatiunculæ.n. eiuſmodi magnā vehementiam teſtantur. Quid verò perſuaſit ſatanas Ananiæ? vt mentiretur Spiritui Sancto, hoc eſt, vt decipere conaretur ſpiritum ſanctum. Fraus eſt, & mendacium, dū aliter loqueris, & aliter facis, vel cōgitas. mentiebatur Spiritui Sācto, quod ſimularet ſe Dei bono ſpiritu facere, quod tamē ſpiritu incitante malo patrarat.

7 Sed quodnam illud mendacium fuit? Fraudare de pretio diuenditi agri: ſimulare (inquam) quòd omnem ſubſtantiā inſumpſiſſet in egentium alimoniam; Cùm interim partem optimam ſibiipſi reſeruaſſet ex diffidentia, vbi clariſsimè vides, diffidentiæ iunctam eſſe auaritiam in Religioſo, vnà cum hypocriſi. Amplificat autem Petrus miſeri hominis peccatum, idq; gradibus duobus. Primo nemo cogebat vēdere. Secūdo, & ſi vendideras, nemo cogebat te pretium adferre. Nam ſeruare totum licebat. Ex quibus verbis duo colligimus. Prius vnum, atq; idem peccatum gradibus increſcere, & ſubinde de ſeipſo grauius fieri. Poſterius communionem primitiuæ Eccleſiæ, neq; coactā fuiſſe, vt ille qui non omnia vendidiſſet, & pauperibus erogaſſet, Chriſtianus non eſſet cenſendus; neq; talem qualē hodie ſomniant Anabaptiſtæ: libera.n. fuerat illa communio, & ſpontanea, vt qui abundaret, ex copia liberè, & ſpontaneè impartiret egenti proximo, quæ vellet: qui verò ipſe egeret ſuis bonis, non largiretur ex moleſtia, neq; ex neceſsitate. Hoc itaque loquendi modo, quo vſus eſt Petrus, vti ſolemus, quoties monemus rem, vel turpiorem, vel ſceleratiorem eſſe, quàm quæ in hominis debeat incidere pectus. Habent enim omnia verba Petri ſuam peculiarem emphaſim.

8 Quæſtiuncula hoc loco non contemnenda oritur, quis videlicet Petro indicauerit, quanto pretio Ananias agrum vendidiſſet? Non eſt, vt putemus, Petrū hoc accepiſſe ab emptoribus, vel ab eis, qui emptioni interfuerunt. Nam his non fuerat opus. Credibile verò eſt, quòd illud per occultā Sancti Spiritus inſpirationem cognouerit, qui cognoſcendi modus, & Prophetis, & Apoſtolis non fuit inſolitus. Quis Heliſæo indicauerat auaritiam Giezi. 4. Reg. 5. cap? Certè hic exiſtimabat, ſe omnia agere, neſciente domino ſuo propheta. Sed quid Heliſæus? Vnde (inquit) venis Giezi? qui reſpondit; non iuit ſeruus tuus quoquā. At ille ait; Nonnè cor meum in præſenti erat, quando reuerſus eſt homo, ſcilicet Naaman, de curru ſuo in occurſum tui? nūc igitur accepiſti argētum, & veſtes vt emas oliueta, & vineas, & oues, & boues, & ſeruos, & ancillas: ſed & lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo vſq;

in sempiternum. Et egressus est, quasi nix ab eo leprosus. Nõnulla hic audimus, quæ ad historiam nostram non incommodè quadrant. Ananias auarus, & Giezi auarus, vterque peccatum suum nõ confiteri, sed occultare conatur: quos praui Religiosi ad proprium recondendum imitantur. Ceterum Ananiæ fraus non latet Petrum, nec Giezi auaritia Helisæum. Giezi impunè non peccauit, quia lepra perfusus est. Nec Ananias impunè defraudauit Ecclesiam. Nam audiens increpationẽ diui Petri, cecidit in terram, & expirauit; simili etiam periodo Saphira interijt. Pauca quidẽ sunt hæc verba, sed horrore plenissima. Deus iustus iudex animaduertit scelera impiorum. Corruit ergo Ananias, neque verbis, neq; execratione Petri fusus, sed propria malitia per irã Dei prostratus. Nihil.n. Petrus illi imprecatus est incõmodi, sed peccatum eius duntaxat protraxerat, & accusarat. Veruntamen protinus aderat huic iusta Dei vindicta: proinde concidebat, rea conscientia. Neq; hic quicq̃ agebatur de iactura pretij, sed de hypocrisi, auaritia, & diffidentia. Voluit hoc exemplo declarare dominus, quantopere sibi displiceat quorũdam hominum astutia, qui specie, & fuco Christiani sunt. At ipsa re impostores, & diuinarum rerum contempores: veri enim Christiani prorsus ignorãt omnem vafritiem, & dolum cordis. Oportebat autem inter prima Ecclesiæ initia seuerum aliquod edi facinus, ne lenitas Apostolorum apud prauos, impiosq; homines prorsus in contemptum veniret.

9 Præterea, quid fecit Ananias, vt morte repentina, & subitanea plecteretur? Infideliter egit cum pecunia, quæ ad sustentationem Apostolorum, & reliquorum pauperum pertinebat. Iam igitur obseruandum, quòd Petrus hic fraudis accusat Ananiam; Cùm tamen quispiã putare posset, hunc nõ potuisse cõmittere fraudem in proprijs bonis. Atqui pretiũ illud iam non erat propriũ Ananiæ, sed pertinebat ad Ecclesiã, cui illud iam vouerat. Ante votũ erat Ananiæ: post votũ verò nõ est Ananiæ, sed illorũ, quibus libere consecrauerat. O mihi charissimi, qui habet aures audiẽdi, audiat: qui nõ omni humano sensu destitutus est, timore, meritò concutiatur. Si leue peccatũ arbitraris, bonis abuti ecclesiasticis, vel insequens pœna te rectè iudicare doceat. Sed qui sunt, qui abutuntur rebus ecclesiasticis, & patrimonio Christi? Ego rẽ omnem paucissimis demonstrabo: his bonis abutuntur non tantum illi, qui vi, aut rapina, aut malo dolo illa in alienos vsus vertũt; sed etiã qui ex illis bonis viuentes, officio, propter quod beneficio vtuntur, nõ funguntur, aut saltem non eo modo funguntur, quo debeant: qui altario adsistunt, ait Apostolus 1. ad Cor. 9. de altario, & viuere debent: Ita & dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere;

lio viuere; dignus eſt.n. mercenarius mercede ſua. Sunt autem alij, qui quidem beneficio Eccleſiaſticorum bonorum fruũtur, ſed non alteri Deo, niſi ventri ſuo inſeruiunt; horum finis, vt Paulus inquit ad Philip.3. & ad Gal.6. interitus erit, & gloria eorum in confuſionem exiet, perſpiciat igitur vnuſquiſque, quo fruatur, & quo fungatur, Deus non irridetur.

10 Sed rogas quare non dedit Deus ſpacium pœnitendi Ananiæ? noſtrum non eſt iudicare de occultis Dei iudicijs. Et forte hanc repentinam mortem pro mendacio ſuo incurrere debuit. Ideò Ananias, & Saphira in conſpectu Eccleſiæ cito mortui ſunt, inquit Auguſt. lib.3. de mirabilibus ſacrę ſcripturæ cap.16. vt Apoſtolica auctoritas quanta eſſet oſtenderetur, & quàm magnum peccatum eſſet, quod oblatũ iterum ab Eccleſia retraheretur, monſtraretur, & ceteri exẽplo huius caſtigarentur; audis ergo tres rationes tam ſubitæ pœnæ.

11 Obſerua etiam, qualis ſit mos, & genius ſatanæ in Anania, vt dum hominem ad peccati alicuius perpetrationem inducere conatur, non aperiat peccati malum, ſed hoc ipſum omnibus modis celare ſtudet; inducto verò, & victo homine, ſtatim peccatum exaggerat, & quantum damnum in ſe habeat, oſtendit, vt homo incipiat, vel peccatũ negare, vel propter admiſſum deſperare: vnde diligenter hoc in loco verba D. Petri expendenda ſunt. ſatanæ opus eſt tentare, & in peccatum inducere homines, eiuſdem opus eſt, hominẽ eo inducere, vt peccatum non agnoſcat. Si.n. agnoſceret, peccati pœnitudine correptus, facilè poſſet ad indulgentiam peruenire: factus eſt autem timor magnus in vniuerſa Eccleſia: diligentibus.n. Deum omnia cooperantur in bonum. Nam pœna vnius, admonitio eſt omnium; timor, & à malo retrahit, & ad bonũ extimulat. Scopus igitur huius facinoris eſt, vt timeamus dominum, & in veritate coram illo ambulemus.

12 Audiſti nonnulla ſummæ auaritiæ commenta, non ad tuendam vitam excogitata, ſed ad deuorandum opes cupiditate inexplebili. Sed accipe plura. Bene quidem Diogenes auaritiam eſſe omnium vitiorũ Metropolim dixit. Neque.n. vllum eſt officium tam ſanctum, atque ſolenne, quod non auaritia comminuere, atque violare poſsit. Hoc tetrum facinus, & inflammata cupiditas in cauſa fuit, quòd Romani totum mundum ſanguine impleuerunt. Hinc omnia mala. Propter hoc Dalida Iudic.16. Sampſonem Philiſtæis tradidit. Item ob hanc cauſam Acham de anathemate ſumpſit Ioſ.7. Item Saul reprobatus eſt propter prædam Amalech. 1.Reg.15. & Chriſtus ex auaritia Iudæ traditus, ac Iudæis eſt venundatus. Auaris tamẽ ſimul, & ſpes, & quæſtus deperit. Cùm.n. dixerint, pax, & ſecuritas, tunc eis repentinus ſuperueniet

peruenict interitus. Hinc Christus Matth. 6. nos iubet thesaurizare in cœlo: propter cœlum.n.creati,& redempti sumus,& non propter terram, ad cęlum autem acquirendum temporalia ex se non prosunt, iuxta illud Prouerb. 10. Non prosunt thesauri impietatis, sed iustitia liberat à morte, Eccles.5.Noli attendere ad possessiones iniquas,nihil enim proderunt in die vltionis.Itē,cùm anxiè quæruntur,difficillimè custodiuntur, ad vltimum omnes relinquendæ,velis nolis. Præterea qui de nouo vineam plantant,diuitiarum notantur amatores, qui ex re qualibet aurum exugunt,velut ex vuis,& acinis vinum exprimitur. Sunt.n. diuitiarum aucupes,ærisq; cupidi,congerendis semper opib. sic insudant,sic inardescunt,sic inuigilant,vt insatiabiles congregatores meritò dicantur,relinquent tamen alienis diuitias suas.Et Aggæus propheta inquit; qui merces congregant, mittunt eas in sacculū pertusum. Huc spectat,& illud Sophoniæ 1. dispericrunt omnes inuoluti argēto.Nihil.n.auaro scelestius.Sed q odit auaritiā,lōgi fiēt dies eius.

13 Huius autem negotij expresius figuram refert ipse Noe, qui scripturæ testimonio plantauit vineam,& bibens ex ea vinum, inebriatus est, dormiuitq; nudato fœmore,& à Cham filio suo irrisus est:ad eundem modum qui auaritiæ student, his terrenis opibus tanquam vino inebriātur,dementantur, atque in altero seculo bonis omnibus spoliantur; Nihil diuitiarum inuenientes in manibus suis,proinde omnibus sunt tandem ludibrio;Experti tunc,sed serò nimis, quod Sapiēs profert: diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra. Huius etiam rei alteram in lib. Iudicum cap. 3. scriptam legimus figuram,dicitur.n. Aod obtulisse munera.Eglon regi Moab; quem cùm ad ipsum sese habere verbum Dei secretum asfereret,extēsa manu sinistra insidiosè interfecit gladio. Hic Aod, idest diabolus sæpenumero pacem,diuitias, & quæuis fortunæ bona hominibus offert, veruntamen blandè offerendo, amicitiasq; simulando, quos diuitijs fictis extulisse nōnunquam videtur, miserè tandem enecat,qui antea nec habitis opibus vnquam, nec habendis satiabantur, sed more Tantali in medijs aquarum fluctibus semper sitiebant.Auaritia quidē nullo vnquam tempore minuitur,aut senescit,sed quotidie magis repuerascit,& augetur.Eiusq; amator vt Moab,multis subiacet periculis.Quod manifestum fecerunt Giezi ob auaritiæ crimē lepra percussus.Iudas strangulatus, adolescens Christo relicto tristis abiēs, Simon Magus,cui Petrus dixit;Pecunia tua tecum sit in perditionē;& diues ille epulo,cui in solius linguæ refrigeriū aquæ guttula denegat.

14 Sunt itaque huius seculi diuitiæ, & vniuersa fortunæ blandimenta tanquam pestilens venenum, insanabileq; toxicum à te modis omnibus

bus fugienda: Sicut ergo lutũ,& arenam pedibus terimus,atque conculcamus;ita citra dubitationem omnes huius ſeculi diuitias,ſi animi candorem, præclaram mẽtis virtutem,diuinamq; ſapientiam ſpectes, nihil niſi veluti ſtercora arbitraberis,cũ Dauideq; dices ; Dilexi mãdata tua domine,ſuper aurum,& topazion . Non immeritò ſanè æris cupiditatem pecuniam ipſam,vel auaritiam arenæ contulit Sapiens, dicens; Omne aurum,atque argentum in comparatione ſapientiæ,vt arena eſt exigua, quandoquidem vt arena ſuaptè natura ſterilis eſt, & ad aliquid producendũ prorſus infœcunda ; ita profectò qui auaritiæ inuigilant,ſtatim,ſenſimq; ſterileſcunt,nullum fructum , qui Deo , vel proximo placeat afferentes. Et ſicut arena arenæ non probè cohæret; ſic nec auarus auaro.Inſuper vt arenam ſuo pondere grauem inſpicis, quæ licet aliquando in altum flante Fauonio proſiliat,ac valido vento ſurſum rapiatur,ſemper tamen in terram denuò decidit, nec in ſublimi, aut ſubtiliori aeris regione pendula longo temporis tractu conſiſtit, ſed deorſum,quod grauioris naturæ ſit,continuò tendit. Non aliter ipſe auarus circa terrena anxiè ſemper negotiatur , aſsidueq; verſatur, omnem diuitijs augendis impendens operam . Qui ſi fortè relicta terrenorũ cogitatione,quãdoq; ad altiora,ſublimioraq; tẽdere videat, facilè vnde exierat,relabitur, ad terrã terrenaq; bona cõuerſus.

15 Quin auaritiam, aurum,atque argentum lubrico luto rectè cõferre poſſumus.Nã qui ſeſe diuitijs noctu,diuq; inuoluunt , ac ſi in lubricanti limo, lutiq; fœcibus volutarentur, ægrè admodum eximuntur; quod iuuenis ille diuitijs ineſcatus,triſtis abiens patenter expreſsit. Imò ſic pecuniarum cupiditati,& opibus ſeſe immergunt, vt cùm pedem vnum luto infixum educere cõtendunt,alterum crebro profundius figant,in aliudq; grauius ruant peccatum . Id quod hiſce verbis Ioannes Apoc.22. clarè demonſtrat, dicens ; Qui in ſordibus eſt,ſordeſcat adhuc. Hinc magna mentis humilitate orabat regius Pſaltes, in hæc verba prorumpens ; Eripe me domine de luto , vt nõ infingar. Qui autem hiſce fæcibus non ſordidantur,& diuitiarũ lubrico non infigũtur ſunt quaſi fortes,teſte Zacharia cap.10.Conculcantes lutũ viarum in prœlio.Et ſicut auceps auiculas viſco decipit; ſic dæmon homines auro,atq; argento,tanquam viſcoſo luto comprehendit.

16 Certantibus in bello, dicunt , concitationem ventum maximo eſſe impedimento; qui ſuo nonnunquam potenti fragore militem,ne cum hoſte congrediatur, aut cœptum perficiat iter , ſepænumero impedit, & in terram quandoq; proſternit.Hic autem validus ventus,& magno impetu perflans Aquilo,immodica nimirum opum dicitur cupiditas; quæ milites , vel potentiſsimos in terram,hoc eſt in terrenorũ effrenè concupiſcen-

concupiſcentiá crebro conijcit. In cuius typũ ſcriptura refert, quòd filijs Iob,& filiabus ſimul veſcentibus repente irruit à regione deſerti vehemens ventus,qui concuſsit quattuor angulos domus;quæ corruens oppreſsit ſeptem filios,& tres filias eius. Ventus autem hic inexplebilis eſt terrenorum auræ fluctuantis more tranſeuntium appetitus. Qui quattuor domus angulos, hoc eſt quattuor quibus mens humana fulcitur, diruit virtutes Cardinales,ſeptemq; filios, hoc eſt ſeptem Spiritus Sancti dona,& tres filias, ideſt tres virtutes Theologicas opprimit.Quid ergo proderit illi,quòd laborauit in ventum?Ideſt fruſtra auaritiæ operã impendit. Huc pertinet, & illud Ezechielis,nõnè cùm tetigerit eam ventus vrens, ſiccabitur,& in areis germinis ſui areſcet? Imò maximè ſiccabitur, atque areſcet; quoniam nihil inueniunt viri diuitiarũ in manibus ſuis. Quòd figurata locutione ſic Hieremias explicat; Onagri ſteterunt in rupibus,traxerunt ventum quaſi dracones; defecerunt oculi eorum,quia non erat herba.Hic autem eſt ventus,qui ab Aquilone panditur,de quo Abacuch Propheta ſic enũciat; Facies eorum ventus vrens. Hic eſt certè ventus vehementer perflãs, & circunquaq; conflagrans, qui vniuerſam hominis domum, ideſt hominis vniuerſas potentias exurit. Huic autem vento, eo quod ab Aquilone, hoc eſt hominis corde diuitijs occupato, atq; indurato procedat,ægerrimè reſiſtitur,de quo non inconcinnè ſic vaticinatur Oſeas; Adducet vrentem ventum dominus de deſerto aſcendentem, & ſiccabit venas eius,& deſolabit fontem eius, & ipſe diripiet theſaurum omnis vaſis deſiderabilis. Cura igitur diligenter, ne inſignẽ amittas gloriæ coronam,vt ſpretis rerum caducarum theſauris, in omnimoda mentis humilitate,& cordis confractione, in voluntaria corporis immolatione,tuiq; ipſius oblatione deiecta, proſtrataq; ſuperbia, in vera paupertate,ac vitæ puritate Chriſtum ducem humilem,mitẽ, ac pauperem,omniſq; excellentioris vitæ primarium ac viuum exemplar,in hoc procelloſo mari ſumma alacritate ſequaris.

De excitatione animæ in Deum. Cap. xxij.

1 LEGIMVS in Actis Apoſtolicis cap. 12.Petrum fuiſſe traditum quatuor quaternionibus militum ad cuſtodiendum, ſeruatum in carcere, dormientem inter duos milites, vinctum catenis duabus, & cuſtodibus ante oſtiũ cuſtodiẽtibus carcerem; item Angelum domini aſtitiſſe, & lumen refulſiſſe in habitaculo, percuſſoq; latere Petri excitaſſe eum his verbis;Surge velociter.Quæ quidem hiſtoria noſtram in Deũ ſomnolentiam mirificè explicat; pigritia. n.animæ noſtræ efficit, vt

erga res diuinas somno, & inertiæ plus æquo dediti simus. Somnus autem in sacro eloquio multipliciter accipitur. Nam præter somnum naturalem, qui & bonis, & malis communis est; mors corporis in scriptura somnus dicitur. Hinc illa vox crebro legitur in libris Regum; dormiuit cum patribus suis. Imò etiam impiorum mors somnus dicitur. Nam, & hi in nouissimo die resurgent. Hinc de impio Achas. 2. Paraly. 28. dicitur; Dormiuit cum patribus suis. Et Dauid in vniuersum psal. 75. ait; Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus suis: Tertio accipitur somnus pro dormitione peccati iuxta illud; Hora est iam nos de somno surgere ad Rom. 13. Et iterũ; Surge qui dormis, & illuminabit te Christus ad Eph. 5. Quarto accipitur somnus pro ignauia. Sic Isai. 5. & 6. Speculatores eius cæci omnes, dormientes. Somno igitur tanquam alter Epimenides, homo peccator opprimitur, dum varijs peccatorum nexibus, tanquã catenis ferreis vinctus tenetur, aut ignauia, & pigritia spirituali constringitur. Orandus igitur est Deus, vt in ipsius animæ habitaculo suæ gratiæ lumen refulgeat, vt latus eius diuino attactu percutiatur, à sanctoq; angelo excitetur in Dei timorem, amorem, & assiduam contẽplationem. Tripliciter sanè Petrus grauabatur; carcere, custodibus, catenis; contra tenebras carceris, accepit lucem; contra custodes, angelum; contra catenas, verbum excitantis, & dicentis; Surge velociter, iuxta illud, psal. 93. Secundum multitudinem dolorum meorum, consolationes tuæ lætificauerunt animam meã. Consolatur, & nos tripliciter; lumine interno; assistentia angelorũ, consolatione verbi sui.

2 Illud quoque doceberis, officij tui esse dormientes excitare, idest peccatis detentos; idq;, vel admonitionibus, increpationibus, vel saltem orationibus. Vnicuique. n. mandauit Deus de proximo suo Eccl. 17. idcirco. n. Ioã. 11. Christus ait; Lazarus amicus noster dormit. Sed vado, vt à somno excitem illum. Iterum dicam, enixè Deum orã, vt zelum tuum inflammet charitas, scientia informet, firmet constantia, vtq; sit feruidus, sit circunspectus, sit inuictus; nec torporem habeat; vt sit etiam suauis, & dulcis affectui tuo dominus Iesus, contra malè dulces vitæ carnalis illecebras; & vincat dulcedo dulcedinem, quemadmodum clauus clauum trudit. Hoc quidem pacto futurum est, vt animam ipsam in Deum excites, & efferas, & omni vanitate expulsa, in cœlestibus conuerseris, vbi delitiarum Dei reficiaris dulcedine, & visionis eius perfruaris claritate.

3 Præterea, si nostram miseriam, incõstantemq; vitam mente lustrare velimus, perspiciemus profectò, nos sæpenumero rerum mundanarum placida pulchritudine, quasi vini crapula obrui, omniq; virtute

priuari,& in somnũ graue vini istius violentia præcipitari;quemadmodum autem ij, quinimò vino sese ingurgitarunt, postquam vino per somnum concocto euigilant, iterum viribus resumptis,valentes fiũt, excussoq; sopore vini vociferantur;certè,& nos tantundem faciamus, & quasi pœnitudinis flagello icti, sapere incipiamus. Alioqui. n.verè in nos qua. n.Isaiæ sententia cap. 29.inebriamini, & non à vino; mouemini, & non ab ebrietate. Quoniam miscuit vobis dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros. Enitendum est igitur, vt expergiscamur,& excitemur in Deum.

4 Solet autem beneficiorũ Dei consideratio profunda, quæ pijs certè admodum iucunda, & grata est,ad Dei laudem,& gratiarum actionem animam excitare; quemadmodum neglectus considerationis huius à Deo separat,& alienam facit. Quæ semel excitata,vel ex sola rememoratione,& concepta expectatione venturorum cœlestium bonorum oblectatur, & pascitur. Viuificatur etiam anima verbo Dei, qui acutissimus est gladius, cum ipsa dormitare cœperit. Porrò distinemur adeò omnes curis, & cogitationibus alienis à pietate, vt cuique nostrum opus sit crebra reuocatione animæ, tãquam militis emansoris, & in officio suo cessantis,vt consuescat homo, se ad cœlum, atque originem suã attollere.Existimet quisque sibi dictum à domino,quod Marthæ; solicita es, & turbaris circa plurima; porrò vnum est necessarium. Quocirca exercitationes reliquæ, occupationes sunt à nobis quæsitæ. Hoc vnum est necessitatis à Deo indictæ, ad illum exitum, cui est homo missus in vitam; Deus autem ipse in sui admirationem magnitudine nos rapit; bonitate ad beneuolentiam inuitat, & quotidiana beneficentia ad gratitudinem prouocat. Itaque siue contemplamur præstantiam,siue accendimur ad amandum tantam bonitatẽ, siue compotes voti gratulamur,attollit se anima ad Deum. Hæc oratio,seu precatio dicitur, per quam tacentibus nobis, vel verba in ore formantibus cor nostrum Deo loquitur. Precatio autem omnis, etiã ad nostram vtilitatem refertur. Nam, & petitio ad nostras necessitates pertinet, vt sciamus, quis sit omnium largitor; gratiarum autem actio,vt agnoscamus beneficium, & amemus beneficium; consideratio bonitatis,& charitatis ad redamandum adducit;magnitudinis autem speculatio ad cultum,& reuerentiã. Adde etiam ad amandum illum, qni cum sit tantus, dignatur nos tamen respicere, & in partem admittere magnitudinis, & beatitudinis suæ. Itaque cùm potentem nominas, cùm vniuersitatis auctorem agnoscis, venerare maiestatẽ; ama in tanta magnitudine tantam bonitatem,benignitatemq; effusissimam. Elabora igitur,vt adolescat in te charitas erga Deum, cultu,

&reue-

& reuerentia admixta, quasi; contemperata. Quoniam hæc certissima est via, atque vnica ad nostram beatitudinem. Maximopere est è re nostra, vt charitas augeatur quotidie. Nam recordatione, & cogitatione crebra, atque intenta extollitur animus noster, qui alioquin pondere hoc corporis obruitur, & retardatur, delassatur, & flaccescit. Sic.n.fiet, vt animus noster excalfactus in Deum erigatur, & in rerum diuinarum pratis expatietur.

5 Idcirco præter iam explicitas, pauculas alias excitationes non omnino inutiles ad extollendum animum in Deum accipito, ad diuinam maiestatem contemplandam, cùm se animus accingit, & præparat, id faciat liber ad tantum ascensum, atque expeditus; nempe iussis tantisper curis vitæ huius absistere, & motibus animi sedatis. Nã in quiete est locus domini, non in commotionibus. De diuinis autem rebus senti reuerenter, fac veniat tibi in mentem, te esse puerum, & sapientiam Dei non assequi, qui etiam in humanis passim cæcutias; memineris tuæ ruditatis, nec arcana Dei didicisse, cùm etiã humana te propemodum omnia lateant. Quod hominibus sapientibus tribuimus, vt impares fateamur nos illorum rationibus, ac consilijs; quanto reuerentius illud concedendum est Deo? Quæcunque sunt in mundo, cœnum esse duces, præ charitate, & gratia Dei fœlix, si illam conciliaueris tibi, etiam rerum quæcunque in mundo optari possunt iactura. Sine illa nihil est dulce, nihil lætum, cum illa nihil amarum, aut triste.

6 Proinde intelliges, peccatum auersionem esse, & separationem à Deo, idest à fonte vitæ, ac boni vniuersi; à peccati ergo actione, occasionibus, causis etiã, imagine, & specie longissimè fugito, idest quàm proximè fieri poterit, accedito ad Deum. Noueris teipsum, quàm infirmus es corpore, quàm inscius corde, quàm prauus volũtate, quàm seruus eorum possessor, quæ habes: itaque modicè, ac potius demisse de te senti; conscius infirmitatis tuæ. Hæc est vera animi modestia, nõ illa tantum, quæ in gestu, aut cultu, aut verbis est sita, vera cuiusque animi demissio ante Deum est, vt illum intuitus, planè intelligat illum esse omnia, seipsum verò nihil penitus; aut si quid sit, minimum quiddam esse, & velut guttulam, atque eam ex immenso illo mari destillatam, nec futuram diutius, quàm dum ab illo conseruetur. Quandoquidem à Deo sunt bona omnia; cùm quid feceris boni, illico erige te ad recordationem, vnde sit bonum illud, eiq; habeto gratiam, qui eas tibi dignatus est vires impartiri, quibus rectè ageres, alioqui immemor iudicaberis beneficij, ac proinde ingratus.

7 Acutus tibi videris? Tanto peior, ni & bonus. Hebes? Tarditatem Christus boni consulit, modo adsit voluntas recta. Doctus es? Frustra,

nisi tibi prosit doctrina tua. Nec quicquam sapit Sapiens, qui sibi nō sapit. Rudis es? At qui Christo magna est eruditio, facere quæ ipse iubet, tantum scis, quantum operaris. Animosus es? Aude igitur contēnere quæ alios terrent, fortuita. Timidus es? Imò nimis audax, si violare audes Dei leges, hoc est inimicitias cum Deo suscipere. Formosus es? Frustra, si deformis insit animus. Vide ne in formoso hospitio habitet hospes deformis. Deformis es? Christus solam spectat animi formam. Sanus existis? Quorsum, si mēs insana? Aeger es? Admoneris tuæ mortalitatis; & hac ibis illuc, vbi nullis deinceps morbis attingere; sempiterna erit sanitas. Perfrueris delitijs, ac voluptatibus? Delicate alis grauem tyrannum. Laboribus exerceris? Sic vinces, & domabis hostem tuum. Aerumnis præmeris? Ea est via expeditissima ad fastigium virtutis. Validus es? Exerce robur tuum ad maximum præmiū. Inualidus es? Virtus animo eget, nō lacertis. Celer es? Effuge ergo vitiū, quod te persequitur. Tardus es? Satis celer es, si animo cœlos transcēdis vsque ad Deum. Longæuus es? Solus viuit diu, qui bene.

8 Morbos, casus humanos, mortem neque tibi, neque alij cuiquam optaueris, vel timueris; sed æquo animo expecta, quid Christus, cui sumus curæ, de nobis statuerit, & id quicquid fuerit, ferendum moderatè, considerantibus à quo mittantur, nō sine causa nostri boni. Laborandum est tota vita, non vt ne moriamur, nam id nec fieri potest, nec optari debet; sed vt ne malè moriamur. Fratres ama, vel quia digni sunt, vel quia commendati à Christo, illisq́; opta, ac pro virili procura maximum illud bonum, Dei gratiam, ac fauorem, & ea per quæ illud facilè nanciscantur. Nō irascendum, quicquid contingat. Nemini succensendum, non maledicendum, non obtrectandum, non execrandū. ambigua, aut incerta ne in sinistram interpretationē rapias, quod est volūtatis prauæ, nec insolenter, aut arrogāter, vel sentias, vel loquaris.

9 In ignominia memineris, quid obiectum sit Christo in os, & ea non rarò exhibetur tanquàm morbi alicuius medicina, vt Dauidi: in laude fac animo succurrat, quæ habes bona, nō tua esse, commendari à Deo, hic habendam gratiam. Reflecte etiā in teipsum oculos; videbis quā exigua res sit homo, quàm leuia humana omnia, & exili laude digna. Fac veniant tibi in mentem lapsus tui frequentes siue in virtute, siue in sapientia, & ingenio; qua cogitatione dilues fallacem laudationis ebrietatem.

10 Ne illa vel sumas, vel optes in vita, quæ occupatione, ac cura sui abducere à cultu pietatis solent; vt varia, & grauia negotia, procurationes rerum asperarum, grauium, difficilium, intricatarum; quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimen-

trimentum patiatur? Si inuisus es? Si tua culpa, corrige; sin minus, acquiesce Dei amicitia. Si videris te ab amicis desertum, at, si modo vis, non à Deo firmissimo amico. At refrixit amicorum amor desuetudine; optimè nobiscum agitur, quod semper Christus nobiscum versatur, nec desuescit. Quin si amicitijs fultus es, memineris amicos omnes esse homines, idest mutabiles, & mortales. Quid autem iuuat infirmorū, & miserorum animantium beneuolentia, nisi, & ab illo ameris, cuius te amor potest beare? Propinquos habes, & consanguineos multos, ac magnos? An non iniuriam facis Deo, qui talem habens patrē, consanguineos; de quibus gloriere, quæris, mortales miserrimos?

11 Accedenti tibi ad orandum Deum, cogitanda est imprimis tanti principis maiestas, qui nos finxit, qui etiam cogitata nostra intuetur, & oblita nobis recordatur, conferenda cum nostra humilitate, vt meritò possimus dicere, loquar ad dominum Deum meum, cùm sim puluis, & cinis, & putredo cōsumēda. Memineris, nō esse linguā, quæ precetur, sed mentem. Proinde dices; abscedite viles, ac degeneres curæ; cum principe, atque auctore omnium loquendum est: discede malitia, nam ad optimum accedo: abi odium, nam ad amorem ipsum euolo; cessate nugæ, ac res leues, nam ad seria, & solida, & permansura pergo.

12 Excitabitur quoque anima, si considerauerit Dei potentiam, videlicet Deum sic esse omnipotētem, & præsentem vbiq; vt quemadmodum ipse omnia nouit, ita solo etiam verbo, & nutu omnia potest; cuius dicere facere est, cuius verbo cœli firmati sunt psal. 32. Quoniam ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt. psal. 158. quā sanè potentiam, si semper præsentem consideraremus, haud dubie Deum timeremus, & coram eo humiliaremur, vt qui omnia nostra ante oculos ipsius agimus, qui omnia cernit, quiq; nihil mali relinquit inultū, cui de omnibus reddenda est ratio, qui omnia punire potest. Cauendū proinde nobis est, ne illorum vestigia sequamur, quos recenset Iob sanctus cap. 22. Quorum quidem hominum tam erat somnolenta, tā peruersa, & obstinata impietas, vt palam Deum contennerent. Prorsusq; ab oculis, & voluntate reijcerent; nolentes Dei timorem habere ob oculos, neque eius pręcepta, vel monita considerare. Ac prorsus ita Deū parui pendebant, quasi nullius potentiæ, nulliusq; ad efficiendum quicquā roboris, aut potestatis, ita vt neq; præmijs afficere posset obedientes, neq; contēnentes supplitijs. Quorum quidem ingratitudo vt in illis, sic & in nobis, tantò magis est execranda, & detestabilis, quantò plura à Deo beneficia suscepimus; vnde meritò debuissemus ad agendum gratias, & seruiendum corde pio induci, & excitari, non ad vllum contemptum prouocari: hincq; facilè, & nos possu-

mus, & meritò intelligere debemus, quòd is, qui potens fuerat tanta sibi gratis conferre beneficia, potens esset etiam mala iustè, cùm vellet infligere contemptoribus. Eorum igitur impiorum sententiæ adeò nos non accedimus, vt quàm longissimè ab illis dissentiamus; certissimè scientes, rem longè aliter, ac illi existimabāt habere, vtpotè Deū esse omnipotentem, & omniscientem inspectorem humanorum operum, iustúq; vltorem omnium scelerum.

13 Sciendum est quoque, sanctos Prophetas ea prodigia frequēter cōmemorare, quibus Deus, aut totum orbem, aut gentes aliquot, propter illarum impietates grauiter afflixit. Hoc autem tanta diligentia, adeoq; frequenter eos effecisse crediderim, vt mortalium animos, ad Dei consideratione͂ excitarēt potentius. Et vt omni excussa soccordia, mentisq; torpore, seipsos homines erigerēt in ampliorem diuinæ potentiæ contemplationem. Vix credere possis, quantam habeat vim ad permouendos, & concutiendos affectus, diuinorum operum tam frequens repetitio, & quasi renouatio.

14 Principio, hæc audientes, nos ipsos comprimimus, & cohibemus; cùm diuinorum oraculorum salutari cohortatione intelligimus, diuinam potentiā hodie, atque olim impias gentes, & nos absumere posse. Nam cum illarum (proh dolor) impietates, & perditos mores, vel imitemur omnino, vel impudenter vincamus, fieri nō potest, quin auditis prodigijs, quibus maiorum scelera diuina virtus castigabat, ad mentem reuocati, grauiorem concipiamus formidinem, & vehementius pertimescamus diuinas violare leges, & iussa contemnere, ne fortasse eandem in nos effundat pœnarum, & suppliciorum vim. Assuescimus deinde diuinorum operum frequenti commemoratione pietatis studio, id quod omnium virtutum primum, ac maximum fundamentum est. Quis.n. adeò propriæ sit salutis negligēs, aut cùm nefarios homines legit tam acerbè correptos, quòd erga Deum non ea fuerint religionis pietate defuncti, qua vehementius ille oblectaretur, non animum inducat, vt purè, & castè omnem tribuat Deo sanctitatis rationem, quæ sola potest nobis eum placatum efficere? Vno tantùm exemplo Christus Iesus vtranq; huius diuinioris philosophiæ partem cōmendabat, cùm Luc. cap. 13. eorum periculo nobis consulendū esse admonebat, quos turris illa Siloe, graui terræ concussione, non tamen sine diuinæ prouidētiæ cōsilio corruens, subito, & inopinato cōpressit.

15 Ad hæc, antiqua diuinæ potentiæ opera sacri Vates in mentem reuocant, quibus proprium vindicabat contemptum, vt homines pietatis studiosi, omnes humanas vires minus expauescant, agnoscētes diuinam potētiam, quæ illas tam longo interuallo excedit ab ipsis operibus,

ribus, quæ sacris sunt litteris consignata. Nam quemadmodum ea sacra historia refert, ad cohibendam impiorum hominum audaciam, & procacitatem; ita etiam ad erigendos piorum animos in optimā spē, & vt omni se fiducia illi permittant, qui vt impios, & peccatores corripere, ita etiam, & pios tueri, & consolari solet. Christus redemptor noster, totius orbis ruina imminente iubet pietatis cultores æquiori animo esse, iubet capita attollere, omniq; gaudio, & lætitia perfundi, quòd quemadmodum impiorum exitium, & perditio postrema, ita illorum salus, vita libertas, appareat.

16 Inter cetera verò summi Dei opera, illa solent libentius diuini Vates proponere, quibus aut nascenti orbi, aut electo populo, antiquitus diuina se declarabat potentia, vt turbinem, & tempestatem, & aquarum miracula. Hominibus autem, vel consilio, vel opera resistere facilè fuerit; at verò diuinæ potentiæ, & indignationi quis ire obuiam possit? Aut quid possit illis ex voto succedere, quibus Deus infenso animo est, & inimico? Infœlices semper exitus illorum res habeant, necessarium est, exemplo Aegyptiorum, Pharaonis, Saulis, aliorumq; similium. Dominum autem exercituum frequenter se appellat Deus, ne fortasse impij homines in multitudine exercitus, aut pugnantium bellica virtute spem collocarent, stultè. Habet enim ille tum ad puniendos improbos, tum ad bonos viros tuendos innumeras angelorum myriades.

17 Postremò varia accipe exempla ex sacris litteris, quibus Dei potétia manifestatur, & emicat. Primum, considera expulsionem malorum Angelorum à cœlo empyreo Isai. 14. Apoc. 13. Secundo, vniuersalem totius orbis inundationem Gen. 6. Tertio, combustionem Sodomæ, aliarumq; ciuitatum Gen. 19. Quarto, confusionem Babylonis Gen. 11. Quinto, submersionem exercitus Pharaonis Exodi. 14. Sexto, destructionem Assur; de quo scribitur Esai. 10. Assur enim erat virga furoris domini; per ipsum enim nescientem, nec intelligentem afflixit dominus populum Israeliticum. Septimo, destructionem Nabuchdonosoris Dan. 4. adde etiam excidium Hierosolymitanum, & dispersionem Iudæorum. His quasi calcaribus peracutis, est anima in Deum optimum maximum, creberrimè excitanda; sic enim via sternitur, & preparatur ad veram, & proficuam contemplationem.

De vera contemplatione, eiusq; difficultate superanda. Cap. xxiij.

1 
Itæ contemplatiuæ actio, quæ viris Religiosis ex suo ipsorũ instituto familiaris est, quin etiam accommodatissima, ad intellectum pertinet. Est.n. ipsa contemplatio, intellectus operatio: quoniam verò ad eam exercendã intellectum voluntas mouet, contemplationis motrix causa est voluntas. Et quia vnusquisque delectatur, cùm adeptus fuerit id quod amat, idcirco contemplatio in delectationem finitur, & terminatur, quæ est in affectu: ex qua etiam amor increscit, augeturq;. Hac quidem de causa D. Greg. in Ezechielem ait; Contemplationem esse charitatem Dei, & proximi, tota mente retinere, soliq; desiderio conditoris inhærere; constituit ergo veram contemplationem in charitate Dei, quatenus quispiã ex Dei dilectione inardescit ad eius pulchritudinem conspiciendam. Vita.n. cõtemplatiua calcatis curis omnibus ad videndam sui creatoris faciem exardescit, & properat. Contemplationis etiam non exigua laus est, quam Hugo de S. Victore, illustris Canonicus Regularis in opusculo centum sermonum, sermone 72. tom. 2. conscripsit. Idcirco nanque in quiete, silẽtio, lectione, meditatione, oratione, diuinæ laudis decantatione sumus, vt supernæ contemplationi facilius, & perfectius inhæreamus. Sanè inter omnia bona spiritalia, quæ in præsenti vita possunt acquiri, vel possideri, contemplatio optima est. Siquidem Maria Luc. 10. optimam partem elegit, quæ non aufertur ab ea. Meditatio quidem est assidua, & sagax retractatio cogitationis, aliquid vel inuolutum explicare nitẽs, vel scrutans penetrare occultum. Contemplatio verò est perspicax, & liber animi contuitus in res perspiciendas vsque diffusus. Inter contemplationem ergo, & meditationem hoc interest, quòd meditatio circa vnum rimandum occupatur; at contemplatio in multa, vel in vniuersa cõprehendenda diffunditur. Perspicax quidem est, vt profunda penetret; liber autẽ, ne deprimatur, & impediatur per terrena desideria.

2 Hæc quidem cõtemplationis exercitatio quamuis in vnum, eumq; potissimum actum, nempè veritatis contemplationem tota finiatur, & perficiatur, à quo & vnitatem retinet, plures tamen continet actus, quibus ad eum vltimum actum, tanquam in desideratissimum scopũ proficiscitur, atq; peruenit: cuius rei egregij præceptores extitere illustris ille Canonicus regularis Ricardus de S. Victore in opere de cõtemplatione, eiusq; assecla D. Tho. 2. 2. q. 180. art. 3. Breuitati igitur, & perspicuitati studentes, ex grauissimorum auctorum præscripto quatuor tantum actus, siue gradus exercitationis spiritualis, vitæq; sanctis-

sanctissimæ constituamus: lectionem videlicet, meditationem, siue considerationem, vel etiam speculationem, nam his tribus nominibus à nostris maioribus appellatur orationem mentalem, & ipsam contéplationem. Qui sanè quatuor actus ita sibi cohærent, & cônectuntur, quod lectio quidem inquirit, meditatio quęsita degustat; oratio degustata petit; contemplatio petita recipit; quorum delectatione, & gaudio ab his sensibus, crassioribusq; contagijs abductus animus, atque sublatus; mirum in modum Deo coniungitur.

3 Ad sternendam autem nostri spiritualis progressus viã, summo studio enitendum est, vt côtemplationis obstacula prius submoueamus. Contemplationis ergo impedimenta in multiplici sunt differẽtia, doctores S. Tho. loco citato art. 2. si generali ratione ea côprehendere velimus. Primũ est, affectionũ prauarũ, vitiorumq; acris vehementia, quæ infœlicem animam à rebus spiritualibus ad sensibiles quasq; abstrahunt, atque deijciunt. Secundum impedimentum est immodica solicitudo, occupatioq; circa tumultus exteriores, dum necessitatibus huius vitæ constricti, negotijs occupamur. Tertium impedimentũ est, ineptitudo hominis ad speculationem exercendam. Quartum est hominis quædam inquietudo. Iis. n. qui corde multiplices sunt, & alios curiosè obseruant, quos amicorum, & cognatorum curæ extraneæ detinent, quiq; propriæ vitæ necessaria solicitè conquirunt; ijs diuitiæ Dei manent incognitæ. Prudens quidem, ac prouida discretio bona est; sed qui multum anxius, & solicitus est; is neutiquam prudens est. Si foras te conuerteris ad vitam sensibus plausibilem, veram internã exercitationem eliminabis; nam qui sensibus foris satisfaciunt, & obsequuntur; intus nulla vera libertate gaudent, sed foris pigri, desides, ac imparati, intus verò tam in prosperis, quàm aduersis inordinati sunt. Denique quos rerum alienarum imagines occupant, ij ad verã contemplationem pertingere nequeunt.

4 Eruditi quidem, ac sancti viri asseuerare ausi sunt, nũquàm ferè reperiri laborem illi parem, qui in contemplatione exercenda adhibetur, & sustinetur. Alijs. n. in rebus etiam difficilibus facilius homines perseuerare cernuntur. Sunt qui nihili pẽdant ieiunandi difficultatem, vigilandi, flagellis sese atterendi, in longinquas regiones etiam cũ periculo peregrinandi; effundendi in pauperes omnem substantiam; qui tamen continuè contemplationis laborem ferre non possunt. Huius difficultatis potissimam meritò arbitraberis esse rationem, corruptam naturã, deorsumq; procliuem, ac multis prægrauatam affectionibus, & animi ægritudinibus onustam. Quemadmodũ difficilè est, graue pondus sursum attollere; cui, & accedit dæmonis impugnatio,

varias procurantis distractiones, quo viam non inueniamus regni cœlorum. Fit, & talis difficultas ex naturali imaginationis nostræ mobilitate, quæ semper huc, illucq; diuagatur, neq; vnquam conquiescit, nec in somno, vt in cõfusis somnijs experimur. Od idq; profectò absq; virtutis exercitio fieri non potest, vt nostra imaginatio rei vnius considerationi alligata persistat; præsertim vbi diuturna ex consuetudine facta est insolens, quemadmodum assuetus syluis leo difficilè mãsuescit, multipliciq; opus est arte, vt conceptam derelinquat feritatem. Ita, & mens nostra si huic contemplationis studio iam ab initio assuesceret, non tantum in ea experiretur, persentiretq; laborem. Spernere tamen nos oportet laborem omnem, neque expauescere conuenit. Quinimò forti assurgamus animo: cùm non ignoremus, Deum gratis, atq; benignè sæpè in articulo temporis solitum esse concedere, quod quispiã multorum annorum curriculo, strenui etiã adhibita industria non assequeretur. Porrò si huius pretiosissimæ rei compotes fieri cupimus, iam primũ forti, & pertinaci opus est proposito, vt in hoc interno exercitio immutabiles, constantesq; perseueremus, etiam si omnia nobis obluctarentur; turmatimq; aduersum nos insurgerent. Eorum itaque sequamur exemplum, qui aduerso nauigant rapidissimo flumine. Ii. n. vi remorum cursui obnituntur aquæ, paulatimq; eius impetum exuperant: quòd si quando euincantur, non animos despondẽt, quin alacrius adnituntur, vt tandem victores euadant. Ita sanè, & proposita nostra frequenter sunt renouãda, augendaq;. Tum verò alacriori animo vrgenda, vbi periculum experimur præsentius. Quoniam, vt est in prouerbio, labor omnia vincit improbus. Videmus quidem in terrenis occupationibus perferendis homines esse indefatigabiles, neque verò vnquam deficere, etiam si sæpenumero frustraneum sustineant laborem. Mercator quidem non idcirco mercaturam deserit, quòd aliquando graui damno sit affectus: neque terram agricolæ non colunt, etiam si vel semine quandoque fraudentur, sed potius tunc diligentius collaborant, vt suscepta damna resarciant. Ita, & qui in stadio currunt, ab omnibus abstinent, cùm non ignorent, vni tantum contingere brauium. Quantò igitur nos æquius est in sancto contemplationis studio assiduè exerceri? quoniam vt in eo maior est labor, ita & maius, pretiosiusq; situm est præmium. Si hoc attente perpenderemus, nunquam nostrum desiderium frigeret. Sed ingenti præmio proposito, perspectoq; nouo semper feruore arderet. Animi etiam ardorẽ, & illa ratio præstabit, augebitq;, quòd vnaquæq; ars initio quidem difficilis est, in medio decursu facilis, in fine tandem efficitur delectabilis. Facilè autem sustentatur initij labor spe futuræ iucũditatis, quam

afferet,

afferet, vbi res optata acquisita fuerit; si tamen ritè, ac congrua eam ratione complectamur. Huic verò obstaculorũ veneno antidotus est, vt nũquam pedem sistamus, cadentesq; mox surgamus, ibiq; inchoemus, vbi intermissum fuerat iter. Caueamus etiam, ne ad quemlibet occursum retardemur. Peregrinus siquidem si ad cuiuslibet latratum canis persistat, magnam facturus est iacturam temporis, neque verò cessabunt canes, quin, & acrius oblatrabunt. Ita & nos si vnicuique velimus responsitare tentationi, nostrum interrumpemus iter. Surdũ itaq; oportet agere, ac dissimulare. Sic.n.fiet, vt & dæmon à molestijs inferendis desistat.

5 Addubitabis hic forsitan; cur contemplantibus nobis sese offerũt variæ cogitationes, vniuersaq; diei negotia? Quãquàm hoc fieri possit è propria & naturali mutabilitate nostra, quæ tunc magis apparet, quando plus impugnatur. Aptior tamen responsio est, si dixeris, agẽte id fieri diabolo, qui varijs nititur, & confusis imaginibus contemplationis perturbare negotium, vnde probè nouit, nostram promoueri salutem. At verò nostrarum fuerit partium, eius cognita fraude, solidiori, constantioreq; proposito in assiduo contemplationis studio persistere; vt tam simus cauti in curanda nostra salute, quàm solicitus est noster aduersarius in impugnatione inferenda. Quòd si rursus interroges, quare paucissimi perueniant ad cõtẽplationis celsitudinẽ? Respondeo, contemplationem delitiosam esse veritatis cognitionem absq; labore, & discursu, seu inuestigatione; quę mentem ornat nostrã, repletq; omni pulchritudine, & diuina suauitate. Itaque præsupponit eam omni iam purgatam terreno affectu, redactamq;, instar mundissimi speculi, in quo diuina possit se exhibere facies. Quoniam verò multi hoc opus est laboris, non mirum, si à paucissimis obtineatur.

6 Quare sapientissimè D. Tho. asseruit, virtutes morales egregiam dispositionem, facilemq;, ac planam viam sternere, & præparare ad exercitandam contemplationem. Ipsæ.n.reprimunt affectionum malarum vehementiam, sedantque, atque comminuunt exteriorum occupationum tumultus; obscuraq; mentis nubila: contrà verò subministrant mentis puritatem, munditiam, pacem, pulchritudinem, lucidissimumq; lumen. Præ cæteris verò virtutibus præclara castitas reddit hominem contemplationi aptissimum. Delectationes verò venereæ maximè deprimunt mẽtem ad sensibilia, vt testatur August. in lib. solliloquiorum. Quapropter quisquis sese ad contemplationem præparare appetit, his eum perducentibus ducibus iter arripiat. Sunt autem immaculata conscientiæ puritas, bene ordinata vitæ innocentia, morum composita; ac placida honestas, sensuum omnium sobrietas.

Id

Id etiam opus est, vt naturæ ipsius inordinatæ propensiones reprimantur cohibeanturq;, quibus tamen necessaria denegāda non sunt. Oportet quoque vt indigentibus sua ope, cum pietate, ac benignitate opituletur. Inhabitatio sit, quam nihil vitiosum præmat, aut moueat, Amor deuotione conflagrans, atque ignitus, & in Dei sursum tendens bonitatem. Omnis proprietatis in liberrimā Dei voluntatem abnegatio adsit, & renunciatio. Cunctarum animæ virium in spiritus vnitate collectio. Necesse est etiam Deum perpetua cum reuerentia laudare, gratias agere, amare, colere, eidemq; iugiter dignè famulari.

7 Præstantissima etiam habemus sanctissimorum virorum exempla, quorum vestigijs inhærentes, hanc per quàm fœlicem, nūquamq; satis laudatam contemplandi artem addiscamus, & exerceamus. Et vt prętermittamus Christi exemplum, & Virginis; quoniam sua superexcedenti luce aciem oculorum nostrorum percutiunt, quædam alia colligamus exempla, quamuis eorum comparatione, pygmæi ad excelsum gigantem iure simus existimandi. Imprimis ergo quo rapiebatur celsitudinis Paulus, vbi ipse idem ignorabat, fuerit ne in corpore, an extra corpus? Verè quidem cum rebus creatis omnibus seipsum quoq; transcenderat, omninoq; erat in Deum absorptus. Magdalenam legimus sæpius in die in aera subleuatam fuisse: tātaq; erat vis spiritus, vt corpus absq; grauitate redderet. Antonius cum sæpè totam noctem diuinis contemplationibus transigeret, atq; insumeret, superueniente die, conquerebatur dicens; O sol, nimis prępropere ad nos redijsti, tuaq; contristor luce: quoniam à suauissima me retrahis, & remoues veri Solis contemplatione. Legimus etiam de Arsenio, sæpè illum in oratione inuentum fuisse, instar ignis, ardentissimum. Cogita tecum quantò intus igne eius ardebat spiritus, si vel in corpus apparens redundabat flamma. Abbas Syluanus, post excedentia, quæ illum intus absorbebant lumina, sibi ipsi redditus, vultum operiebat, dicens: Occludimini lumina mea; quid amplius huius mundi quidpiam aspicere vultis, vbi quidquàm non est pulchri? Perstitit Abbas Bessarion quattuordecim dies, & totidem noctes, immobilis semper in diuina contemplatione. Hieronymus integras nonnūquàm hebdomadas extra mundum inter angelicos choros, suiq; ipsius factus compos, fieri non posse dicebat, vt humana eloqueretur lingua, quod ipse conspexerat. Quid Gregorium referemus? Qui cùm ad supremam sedem esset assumptus, non aliter ingemiscebat, à dulci contēplationis quiete raptum se in molestissimas mundi occupationes, ac si nauta à tranquillo portu in sæuissimam ageretur tempestatem. Bernardus adeo nonnūquàm erat introuersus, vt vbi ageret, non aduerteret. Quare

die quadam, cùm lacum quendam prꝗterequitaſſet, nũquàm ſenſit, ſe illum vel vidiſſe. Non deſunt huic argumento exempla temporibus noſtris viciniora. Doctor angelicus Thomas ſæpè fuit viſus à terra ſubleuatus, lucentem capite gerens ſtellam. Franciſcus appellatus Seraphicus, nunc ad hominis ſtaturam, in aera videbatur raptus, nunc ad arborum ſummitatem; adeò aliquãdo afferebatur, vt vix inter nubes conſpiceretur. Huiuſmodi itaque exemplis tuum excitabis deſiderium, vt vehementius ſemper adproperes. Tantoq; tibi videberis magis inops, quo magis ſpiritualibus redundaueris diuitijs; cum infinitum ſemper tibi ſuperſit emetiendum iter, immenſa.n.eſt huius pelagi vaſtitas. Vt rem igitur concludamus, diligenti ſtudio prius nobis virtutum cultura exercenda eſt. Quamuis.n.hæc contemplandi ars nobilitate, & perfectione ſit prior, via tamen generationis, & acquiſitionis actricè vita poſterior eſt. Hoc ſanè documentum viris Religioſis, ſeculo abrenunciantibus non abſque magna, grauiq; conſideratione ſtatim in veſtibulo traditur, vt ſi contemplationi incumbere, operamq; dare apud ſe cõſtituerint, in animumq; induxerint, prius actionibus ſtudioſis, propria mortificata voluntate, ſtrenuè exerceantur.

De lectione, contemplationi neceſſaria. Cap. xxiiij.

1 ECTIONEM ſacratum doctrinarum exercitio cõtemplationis eſſe neceſſariam, docuit D. Tho. 2.2. q.180. art. 3. Quam proinde in numero actuum cõtemplationis repoſuit. Contemplationis.n.progreſſum, atque diſcurſum ita deſcribit. Nam quidam contemplationis actus ſpectãt ad accipienda, acquirendaq; principia quædam, ex quorum cognitione progredimur ad cõtemplationem veritatis. Hoc quidem loco ſedem habet lectio ſcripturarum, imò etiam auditio, qua ex voce loquentis multa perdiſcimus. Lectio.n.eorum, quæ eligenda, quæq; fugienda ſunt, eſt indagatrix. Alij autem cõtemplationis actus pertinent ad deductionem prædictorum principiorum veritatis illius, cuius cognitio inquiritur. Ad huiuſmodi autem principiorum deductionem, progreſſumq; rationis pertinet meditatio, ſiue conſideratio. Si ergo in hac nobili exercitatione nonnihil promouere cupis, reſciſsis prius, vt diximus impedimentis, animi fortitudinem, atq; patientiam te induere oportet. Quemadmodum qui velit in virentibus, ac humidis lignis ignem ſuccendere, opus eſt, multam ferat vim fumi, ſi velit clareſcentem videre flammam. Alioqui, & igne non potietur, & inſumpti faciet laboris iacturam. Præiacto igitur, indieſq; renouato, firmo propoſito, futurum eſſe, tibi perſuadeas, vt voti, ideſt puritatis

internæ compos ſis euaſurus. Deus.n. optimus ad donãdum eſt promptior, quàm nos ſimus ad petendum, modo non fluctuemus.

2 Ad conſtringendas poſtea vagæ, ac indomitæ noſtræ imaginationis habenas nos conuertamus oportet, qua non ſtabilita, vana eſt omnis noſtra induſtria. Hic ergo omnem adhibeamus operam. Noſtræ.n. adeo variæ ſunt, & leues cogitationes, in variaq; aſſuetæ ferri abſque lege, vt abſque diuina gratia, quæ ſemper præſto eſt, parum admodũ promoueamus. Et quãquam neque qui plantat, neque qui rigat, quicquam ſit (teſte Paulo) vult tamen Deus, vt & plantemus, & rigemus, ad hoc vt diuinum accedat incrementum. Cogitatio quidem abſq; labore fit, in varias rapitur imagines, ſecum attrahit affectũ, modoq; huic, modo illi rei inhæret, in eas omnes diuiditur partes, quo illam ferunt ſenſus. Hinc propemodum infinitæ oriuntur cupiditates anxietatis plenæ, vanæ, ſpes, indignationes, effrenatæ affectiones; vnde mens noſtra furioſis nunquam non agitur tempeſtatibus, ſæpeq; furijs obſidetur tartareis. Porrò vt conquieſcat, id remedij eſt, videlicet oratio, quæ in Deum nos adducit.

3 Huc profectò conferent pij libelli, in quibus mens, ſi attenta verſatur, demorabitur ijs tantummodo ruminandis, quæ ſcripturarum lectione inuenerit. Oportet autem paucis, ſed optimis delecteris libris; nonnunquàm.n. nõ ſecus multa diſtrahit mentem lectio, quàm ſi euagari ſineretur. Caue autẽ legẽs, ne quæras curioſas diſputationes, ſed flammigeras deuotiones. Neque multa excurras folia, ſed perpende, ac rumina vnumquodque verbum. Vna etenim præceptio rectè expẽſa, operiq; tradita, multò magis conferet, quàm ſi plurimæ leuiter percurrantur. Quinimò quemadmodum multi cibi in ventrem intruſi, prauos gignunt humores, ita & multa, immodicaq; in animã ingeſta, confarcinataq; rerum ſciẽtia, peſtiferam adducit ſuperbiam, niſi igne charitatis concoquatur. Nequaquam Deo grati erimus, quòd quid ſit cognoſcamus. A Lucifero.n. ſatis cognoſcitur; ſed ſi eum amauerimus, obedientesq; illi erimus. Quemadmodum, & nobis gratus nõ eſt curioſus rerum noſtrarum ſcrutator, ſed fidelis, officioſusq; amicus.

4 Ex varijs autem fructuoſis libris eligenda etiam eſſe videntur Ioannis Caſsiani opuſcula, quæ à viris ſanctiſsimis, & eruditiſsimis, ac demum ab Eccleſia probata fuerint. Ex eis enim maximam ſe hauſiſſe profitentur vtilitatem D. Tho. & D. Dominicus. Spiritalia Io. Gerſonis opera. Ardens inſuper, & luminoſus eſt doctor D. Bonauentura, præſertim in opuſculis. Vnde maxima ex parte deſumptum eſt Speculum crucis, verè vtiliſsimum. Nec ſpernas etiam doctrinas humiles. Profuerint, & valdè ſubleuandæ mentis ſanctorum vitæ, qui viua fuere

perſe-

perfectionis exemplaria. Quoniam verò duo inueniuntur priorum librorum genera, nonnulli magis intendunt excitandis lachrymis, spiritualibusq; delectationibus. Alij magis vacant extirpandis affectionibus, virtutibusq; inserendis: illi quidem sunt dulciores, fructuosiores isti. Ne itaq; legas alteros sine alteris: ne vel fias nimis delicatus, vel nimis austerus. Cura, vt quo proficias, inuenias, & cùm libros legeris, noli esse censor, sed discipulus. Sic.n. fiet, vt plurimum commoditatis ea lectio sit tibi allatura. Si tibi legēti quippiam occurrerit notatu dignum, ne progrediaris; sed consiste, & moram faciens meditaberis, quoad liceat; & vbi amplius immorari non licebit, lectionem repete. Itaque perge, iam legens, iam meditans, retinens in mentis alueolo quicquam spiritalis cibi, vnde inter ceteras occupationes enutriare, neque deficias. Plus.n. eget anima iugi nutrimento, quàm corpus. Mente itaque retineto, debere te inter ceteros, eos tantùm libros deligere, qui ad perfectam te prouehant affectionum tuarum victoriam. Cautus etiam esto, ne curiositas te transferat, atque rapiat ad sciendi desiderium: non .n. ita vnionem referres, nec mortificationem, sed distractionem, & proprij amoris fomentum. Hinc etenim sępenumero vsu venit, vt idiotæ, ac simplices magis in contemplationis studio proficiant, quàm docti quidam, & eruditi homines. Hoc autem fieri non potest, quasi scientia suaptè natura sit mala, neque à Deo submoueat, qui scientiarum dicitur Deus; sed neq; ignorantia huiusmodi est causa, vt contemplationem edoceamur: cùm nihil ignoratione posit addisci: causa igitur est, si doctrina humilitate, & charitate sit destituta, quæ illis coniuncta ingentis est vtilitatis, & fructus. Qui igitur mondanarum sunt expertes doctrinarum, humilitate tamen, & charitate præditi, cùm non habeant vnde superbiant, facilius credunt, & obediunt, diuinaq; capiunt secreta, mundi prudentibus abscondita, & reuelata paruulis.

5 Hanc profectò maximā lectionis vtilitatem perpulchrè descripsit Conc. prouin. Mediol. sub Borrhomæo Archiepis. Cardinale par. 3. tit. de diuinis officijs, præcipiens, vt Religiosi tempus, quod sibi à diuinis officijs, & consuetis orationibus superfuerit, in sacra aliqua lectione consumant, quæ ad Dei, & suiipsius cognitionem eos ducat, viamq; monstret perfectionis, & æternæ vitæ, idq; vel separatim, vel coniunctim faciant, cum huiusmodi lectio suauis, & fructuosa sit animarum oblectatio, vitia coerceat, ad virtutes inflammet. Contra autem inanium librorum lectio mentes corrumpat.

De meditatione, siue consideratione. Cap. xxv.

1 ECVNDVS contẽplationis gradus meditatio est, quæ & consideratio nuncupatur, cùm apud seipsum mens ruminat, quòd in pascuis collegit lectionis. Hæc ipsa meditatio versatur circa ꝑgressum rationis, qui fit ex principijs lectione inuentis, quæ nos perducunt in cognitionem veritatis intentæ, quibus tandem pertingimus ad eiusdem veritatis contemplationem, vt sapienter docuit D. Thom. 2. 2. q. 180. art. 3. Vbi, & nostrum Richardum de S. Victore adduxit, qui in hunc modum meditationem definiuit; Meditatio est intuitus animi in veritatis inquisitione occupatus. Sic Dauid meditationem exercuit cũ Psal. 142. dixit, meditatus sum in omnibus operibus tuis, in factis manuũ tuarum meditabar. Expandi manus meas ad te. Et Psal. 38. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Hic porrò patiens sis oportet, vt importunas feras cogitationes, quæ interim te perturbabunt; toties animum in tuum scopum reducens, quoties auolat: eris. n. iam tandẽ victor egregius. Hugo de S. Victore, vir profectò & eruditione, & religione præstantissimus, hac ferè ratione meditationem perstringit, eruditionis didascalicæ lib. 3. cap. 11. tom. 3. Est nanq; meditatio, cogitatio frequens cum consilio, quæ causam, & originem, modum, & vtilitatem vniuscuiusq; rei prudenter inuestigat: meditatio quidem principium sumit à lectione; nullis tamen regulis stringitur, aut præceptis lectionis. Delectatur. n. quodam aperto decurrere spatio; vbi liberam contemplandæ veritati aciẽ affigat: & nũc has, nunc illas rerum causas perstringere, nunc autem profunda quæq; penetrare, nihilq; anceps, nihilq; obscurum relinquere. Principiũ ergò doctrinæ est in lectione, consumatio in meditatione, quam si quis familiarius amare didicerit, eiq; sæpius vacare voluerit, iucundam valdè reddit vitam; & maximam in tribulatione præstat consolationem. Ea. n. maxima virtus est, quæ animam à terrenorum actuum strepitu segregat; & in hac etiã vita æternæ quietis dulcedinem quodammodò prægustare facit. Cumq; eam per ea quæ facta sunt, eum qui fecit omnia, quærere didicerit, & intelligere; tunc animum pariter, & scientia erudit, & lætitia perfundit, vnde fit, vt maximum sit in meditatione oblectamentum. Tria autem sunt genera meditationis. Primũ cõstat in circunspectione morum; alterum in perscrutatione mandatorum; tertium in inuestigatione diuinorum operum. Quæ omnia quanta sint admiratione digna, tantò magis quisq; nouit, quantò attentius Dei mirabilia meditari consueuit.

Præterea

2 Prǽterea meditatio hæc,initiũ est vitæ in meliora cõmutandæ. Viã etenim aperit homini ad sui ipsius cognitionem,& ab externa diuisione ad internam adducit vnionem : Vbi incipit anima discernere inter pretiosum, & vile; mundiq; addiscit contemptum , vt omne in Deum conuertat desiderium. Si te huic statueris addicere studio, id exequaris oportet non minori cum diligentia,quàm in graui negotio terreno faceres; Deus autem qui diues est in misericordia, nostræ compatitur infirmitati,nec suum nobis denegabit auxilium. Velim igitur horam in die vnã esse tuam,in qua,omni alia seclusa cogitatione,ab omnibus sepositus,cum anima tua confabulaturus resideas , & quoniam dominam in te geris voluntatem,quæ omnem mouet potentiam , aduocet etiam ipsa intellectum,iniungatq; ei,vt quicquam meditetur fructuosi, neque huc,illucq; diuagetur ; nec miraberis , si hoc aggredientem opus circunsidet te tumultuantium nebula cogitationum. Si .n. difficultatem senseris in hoc opere,hac teipsum spe consolare , futurum videlicet esse,vt quod minus tuæ poterunt vires,Christi gratia sit suppletura,& quemadmodum iactatis tempestate discipulis statim affuit, magnamq; tranquillitatem adduxit,cùm ferè desperati mergerẽtur; ita, & tibi victoriam est donaturus,cùm vires tuas agnoueris insufficientissimas. Non igitur desperabis præ virium debilitate, impugnationeq; tum consuetudinis,tum inimici;sed spe debes increscere.

3 Maximam autem meditationis vim,atq; potestatem vtiliter explicuit D. Tho. 2.2.q. 82. art. 3. meditatio.n. deuotionis est causa,idest efficit,vt homo promptam habeat voluntatem ad exequenda ea, quæ pertinent ad diuinum cultum,seu famulatum,per meditationem enim concipit homo,se tradi debere diuino obsequio. Ad quam quidẽ rem operandam duplex nos inducit consideratio , siue meditatio . Altera quidem ex parte diuinæ bonitatis,& beneficiorum ipsius. Hæc autem consideratio excitat dilectionem,quæ est proxima deuotionis causa. Altera verò est ex parte hominis considerantis suos defectus ; ex quibus indiget, vt Deo innitatur. Quo in loco non absq; ingenti vtilitate sic Caietanus philosophatur. Nota causas deuotionis intrinsecas,duas videlicet,alteram ex parte meditationis Dei,& beneficiorum suorum. Alteram ex parte meditationis propriorũ defectuum . In prima sunt bonitas , misericordia, charitas Dei, & huiusmodi erga hominem, beneficia creationis ad imaginem suam , redemptionis , baptismi, inspirationum, vocationum per se,vel alios,expectationis ad pœnitẽtiam:beneficia item Eucharistiæ,præseruationis à tot periculis animæ, & corporis , Angelicæ custodiæ,& reliqua beneficia singularia . In secunda verò sunt defectus culpæ , & pœnæ , tàm in præterito , quàm

in præſenti,labilitas ad peccandum, diſsipatio propriæ ſubſtantiæ,aſſuefaciendo cogitatum,& voluntatem, & inclinationem aliarum ſuarum virium ad malum, habitatio in regione longinqua ab amicitia, & conuerſatione diuina,peruerſitas affectus, magis temporalia,quàm ſpiritualia commoda,vel incommoda ſentientis,auditas à virtutibus, vulnuera ignorantiæ,malitiæ,infirmitatis,& cócupiſcétiæ, vincula manuum,& pedum,operum ſcilicet, & affectuũ; in tenebris in fœtoribus, & amaritudinibus eſſe,nec horrere, vocem paſtoris interius nõ agnoſcere,& quod omnibus peius eſt, Deũ pro inimico,& hoſte toties elegiſſe mortaliter peccando. Et propterea tantã eidem iniuriam feciſſe, vt pro Deo refutatus ſit,factusq; ſit noſter Deus venter, aut pecunia, aut delectatio,aut aliud id genus. Ex huiuſmodi nanq; meditationibus,quæ quotidianæ eſſe debent Religioſis, & ſpiritualibus perſonis, deuotio,aliæq; conſequenter gignũtur virtutes:nec Religioſi, aut Religioſæ,ſeu ſpiritualis etiam nomine vocari poteſt,qui ſaltem ſemel in die ad huiuſmodi ſe non transfert. Quomodo nanq; effectus abſque cauſa,finis abſque medio, inſularis portus abſq; nauigatione haberi nequit,ſic nec religio in actu abſque frequentatis actibus ſuarum cauſarum,medlorum,ac vehiculorum.Hæc Caietanus.

4 Alij etiam ſunt,nec contemnẽdi meditationum modi. Scribit Gerſon huiuſcemodi modũ,quo quidam perfectam recepit cordis ſui poſſeſsionem; quotidie enim in locum ſeſe recipiens ſolitarium, miſſaq; facta omni alia cogitatione fingebat ſe vnum ex ijs eſſe, qui eleemoſynas oſtiatim petunt, & vt eorum eſt cóſuetudo, quàm fieri poſſet miſerabiliorem ſe facere connitebatur. Qua in re audacem facit neceſsitas,& largam ſuggerit fandi copiam. Et quidem nonnunquam adeò nos imaginatione faciemus miſerabiles, quin, & amplius quàm reuera ſimus; ſi aduertere velimus, quàm diuinarũ ſimus inopes gratiarum,quàm defectuum pleni,quàm inordinatis agitati paſſionibus. Hac ratione ſpiritualiter iſte mendicus omnium implorabat interceſsiones ſanctorum,nunc ad hunc,nunc ad illũ lamentabili voce conuerſus,beatorumq; intercurrens agmina, eorum humiliter implorabat auxilium,vt ſuæ eorum copia ſubuenirent inopiæ, compellabat Apoſtolos,obteſtabatur Martyres,ſupplicabat Cófeſſoribus,proclamabat ad Virgines:qua ratione breui viam inuenit mentalis orationis,ſingularis ſalutis noſtræ præſidij. Alia eſt, & vtiliſsima ratio, vt quotidie ſolitariũ ingrediamur cubiculum, noſq; ipſos examinemus; quemadmodum ſua diſcutit mercator negotia. Ita quidam faciebat, qui mente ſua colligens,quicquid ex peccato hauritur damni,ſapienter ſeipſum inducebat,vt illud audiret,& attenderet,amoremq; recogitans,

gitans, quo Christus nos complectitur, suam agnoscebat ingratitudinem. Ita breuiter mundi recogitabat fallaciam, temporis exiguitatē, vicinitatē mortis, inferni periculū. Hacq; ratione infructuosas cohibebat cogitatiões, sæpeq; bona iterās proposita, melioris fiebat frugis.

De meditatione mortis Cap. xxvi.

1 
Ostquam superiori capite aliquantulam meditandi rationem tradidimus, nunc pauca quædam meditationū exempla, exercitij causa, ex varia auctorum lectione subiungamus. Imprimis mortis meditatio non potest nō esse vtilissima, vt egregius est author Laur. Iustinianus in tract. de humilitate cap. 4. cùm quod omnem abrumpit inordinatum sensus affectum; tum etiam quod est facilior, quādo, & oculis cerni potest, manibusq; palpari: quin dicere possumus, nos semper in nobismetipsis mortem circunferre, nunquàm non mori, cùm corpus habeamus corruptioni obnoxium, quòdq; semper mutatur, & nunquàm in eodem statu permanet. Instar quidem fluminis, cuius eandē non poteris partem ostēdere, quoniam dum ostendis, iam non est eadem. Sic. n. omnes quasi aqua dilabimur. Sunt qui mortis fugiāt memoriam, ne fiant tristes. Hoc verò cùm fugiant, nunquam nō amplius contristantur. Quibus optimè fuerit consultum, vt etiam amplecterētur eam. Quoniam quo magis frequentatur, eo maiorem inducit fiduciam, temperatq;, & propellit timorem, atque tristitiam. Hæc autem meditatio est rationi consentanea, quandoquidem vitiosas affectiones coercet, atq; refrenat, sensūmq; mortificat, ne aduersus rationem rebellis insurgat. Hinc desiderium alterius vitæ dimanat, & proficiscitur, quò benè actis, studiosisq; operibus se præparet anima, atque ita suauem quendam Dei gustum nobis inducit, & aduehit. Ea quidē de causa Paulus ampliori mortis desiderio capiebatur, quàm alij vitæ corporeæ: proficiscebaturq; Agatha ad martyrium, tanquam ad epulas inuitata, perquàm lætissima. Porrò si huiusmodi mortis recordatio initio dura, horribilisq; sit, non ideò fugienda est. Si ita. n. auarus se exerceret, nunquàm pecunias compararet. Mors quidem quo videtur initio difficilior, eo maiorem affert iucunditatē progressu tēporis, sitq; indies suauior. Si quis animo deliberato vellet non mori, longe à Christo abesset; Ea. n. non esset præditus charitate, quæ inuisibilibus frui desiderat futuræ vitæ bonis. Careret, & spe, quæ ad futura extenditur. Vacuus esset, & fide; quoniam si alterius crederet vitæ bona, non vellet hic semper morari.

2 Multa possunt circa mortē considerari, quæ interim meditanti oc-

currunt; sed hæc accipe. Si vitam vis in meliorē frugem mutare, persuadeas tibi, quantum potes, mane cùm surgis è strato nouissimā esse illam tibi diem; itaque domui tuæ intra te ipsum dispone, ac si verè esset nouissima. Neque verò hæc erit deceptio, quinimò si alias credideris, falli quidem poteris. Si.n. potest in dies te mors aggredi, tuū est, vt & illam quotidie præstoleris. Ego verò tibi affirmo, non inutilem, neque ignauam illam præteribis, si adnitaris in mentem inducere, illam tibi esse extremam. Considera ergo frequenter, ô homo, te iā mortuum, quem scis te ex necessitate moriturum. Dispice, quonam modo oculi vertentur in capite, venæ rūpentur in corpore, & cor scindetur dolore. Nihil quod transeat, appetes; omnibus vitæ huius desiderijs aduersaberis, & pœnæ mortuum te agnosces, quoniam moriturum te minimè ignoras. Quotidie nanque morimur, quotidie imminuitur, demiturq; aliqua vitæ pars, tūc quoq; decrescimus, cùm vita accrescit. Infantiā am ittimus, deinde pueritiā, postea adolescentiā vsque ad vitæ extremum. Quicquid transit temporis, perit; & ipsum, quem agimus diem, cum morte diuidimus. Eam ob causam Deus finē nostrum latere nos voluit, vt dū semper ignoratur, semper proximus esse credatur, propterea omnis dies, velut vltima ordinanda est. Sed hoc mirum, quòd nemo tā imperitus est, vt nesciat sibi aliquando moriendum; cùm tamen propè accesserit, vicinūq; esse cōnspexerit, tergiuersatur, tremit, & lachrymatur. Quid autem fles miser? quare trepidas? cur exire dubitas? omnes hac necessitate trahuntur, eo ibis, quo omnia eunt? ad hanc legem natus es, hoc parentibus tuis accidit, hoc maioribus contigit omnibus; sed nec ambigis cunctis te consecuturis idem euenturum. Quantus te populus moriturum sequetur, comitabiturq; fortior (vt opinor) esses, si multi tecum morerētur. Cæterum multa profectò hominū millia hoc ipso momēto quo tu emori dubitas, animam varijs mortis generibus efflabunt. Recogita itaque mortis tempus, quod cùm sit incertum, nunquàm non debes ipsam expectare. Causam mortis tecum repete, quæ sexcentis potest esse ex locis, intus & extra. Ita, vt nulla non possis in re expressè illā contueri. Recogita moriendi modum; qua in re profuerit admodum adesse cupiam morienti, extremosq; illos præsentem contemplari casus, vbi lassum corpus iacet derelictum, languida, instar marmoris, grauia vix mouentur mēbra; supremæ exudant partes, extremæ frigescunt; viuidum immutat facies colorē in pallorem, caua stillant lumina; spumat os; crassescit lingua, anhelat guttur, anhelū quassatur pectus, liuescūt labra, nigrescūt dētes. Breui vt dicā, resolutū corpus vniuersū, amarissimo cū suspirio ab aīa deseritur, ex homineq; fit vilissimū cadauer.

Iam

3 Iam copiosa tibi aderit materies, vt hoc spectaculum tibi ipsi accõmodes, comminiscens, de salute tua desperasse medicos, circunsidereq; lecto, & affines, & amicos, è quorum præsentia magis torquеberis. ò quàm erit illa discessio amara. Iam te solari non poterunt opes, sed pœnam augebunt, honores nihil proderunt, sed tam inuitus eos derelinques, quàm illis immodicè afficiebaris; Ex præteritis delectationibus nihil aliud, quàm oblatrantem conscientiam referes. Iam verò quid hic ages? quo nam se modo habebit anima tua? egredi quidẽ ex corpore erit intollerabile, manere autem imposibile, procrastinare non dabitur, recurrere nõ poterit ad pristina sensuum oblectamẽta; Adseipsam verò rediens, propriam exhorrescet præ timore deformitatem; seq; ipsam, si fieri posset, vellet effugere: horrendis se circũseptam videbit monstris, suis nempe peccatis, quos semper experietur persecutores; momentum videt fuisse, quod præteritum est; sine fine verò id quod futurum est. Tunc cum Propheta dicere poteris, circũdederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me.

4 Ad hunc modum si recogitaueris mortẽ, multos consequeris fructus? Primum, Deum timere compelleris, quod initium est sapientiæ; deinde, sedulo ages, ne te adoriatur incautum; propriam etiã agnoscere te faciet miseriam, in cuius agnitione superbia extinguitur, humilitas fundatur, quæ omnis est virtutis custos, facilè à te abscedet inordinatus rerum terrenarum affectus: mortis enim recordatione cognosces planè nihil tuum esse, quod tecum non possis auferre. Summa, hoc si prosecutus fueris exercitium, timor in amorẽ conuertetur, morsq; tam tibi iam non videbitur ex pœna, & priuatione vitæ corporalis horribilis, quantum alia ex parte frugifera, & delectabilis, quòd tantis finem imponat miserijs, detq; vitæ perennis initium; neque verò poteris contristari, cùm compertum habeas, deficiente corpore in sepulchro, beari animam in cœlo, adiuncta etiam viua spe resurgendi ad vitam immortalem. Qui ritè, recteq; Deum amat, interdum impatienti cruciatur mortis desiderio, vt à corporis sui carcere absolutus, cum dilecto posit vniri: eam ob rem oculis internis sursum leuatis, aulam cœlestem gloria, & gaudijs affluentem, ibiq; dilectum suum mirificè coronatum, & immensis cum delitijs in sanctos suos profluentem considerat, simul attendens, quod his omnibus ipse carere compellitur. Hinc verò solent interim etiã oculi externi lachrymis humescere, & anhela nasci desideria. Deinde reuocatis è cœlo oculis, dum suum, in quo degit exilium, quodq; euadere non licet, adspectat, iam lachrymæ doloris, & auidæ expectationis per ora decurrunt. Quæ quidem illius animam sedant, ac refrige

rant, suntq; reuera naturæ corporeæ vtiles, ad tuendas illius vires,& valetudinem, quo posit tantus amoris æstus, & impatientia, donec deferuescat, sustineri.

De meditatione extremi iudicij,& pœnarum inferni. Cap. xxvij.

1 
Vm animus noster in rei occursum horribilis totus in seipsum colligatur, omnemq; interim aliam abijciat cogitationem, ideò longè vtilissimum fuerit exercitium, præsertim conuersionis initio huiuscemodi argumentis exerceri: hac enim ratione mens vaga, tum ex timore,tum ex stupore distractionem vitat,interneq; stabilitur.Si mors, vt diximus,retractata,vim habet varias vniēdi cogitationes, multò magis quòd mortem consequitur,extremum nempè iudicium, & pœnæ tartareæ. Quæ si sæpè recogitabis,fiet tibi quod ait Sapiens:Memorare nouissima tua,& in æternum non peccabis. Non ab re dicebat Hieronymus; Si comedo,vel bibo,vel quid aliud ago, semper mihi videtur auribus meis insonare vox illa terribilis;Surgite mortui, venite ad iudicium. Quod quàm futurum sit horribile,non est quòd verbis tentemus aperire.Quicquid.n. est terribile,illius comparatione nihil est. Multa Deus ostendit in terris iudicia, vt fuit Vniuersi submersio per aquas diluuij, Sodomorum incensio per ignem, Aegypti plaga multiplex, Terræ hiatus in deserto. Quæ omnia simul composita eius cōparatione,quod in nouissimo die præstolamur,habent se,vt vmbra ad veritatem. Si per hanc vis considerationem tibi reddi ipsi, cōcipe primum, quàm fieri potest,iudicātis Christi conditionem: cuius nō aliud præ se fert aspectus,quàm vindictam, vt in priore eius aduentu aliud non præ se tulit, quàm mansuetudinem. A quo quippe sapientissimo non dabitur appellatio; cumq; sit potentissimus, euitari non poterit: cumq; sit Deus scientiarum, delitescere minimè fas erit, vel causari; cumq; odio prosequatur peccatum,vel minima nō manebit culpa indiscussa. Tunc tibi de tot erit reddenda ratiò causis, vt vel vnaquæq; sufficeret te perturbare. Iam quis tot poterit facere satis,quæ exigentur rationibus?;Qui tēpus insūpsisti? Qui corpus gubernasti? Qui moderatus sensus omnes? Qui cor custodisti? Qui diuinis respōdisti inspirationibus? Qui tot gratus extitisti beneficijs? Qua sanè in accusatione tot erunt testes,quot creaturæ; quæ tunc ita omnes conturbabuntur, vt si fieri posset,vel immortales præ timore morerentur. Magnus erit tremor ardentem conspicere mundum,ruentia ædificia, trementem terram, conturbari elementa,Solem obscurari,& Lunam,& Stellas,mori viuentem omnem creaturam,sepulchra aperiri, audiri tubā

extrema canentē, parari thronum, contremiſcere populos, aperiri cōſcientias, horrendos videre cacodæmonas, ſuccenſamq; inferni fornacem. Sed præ omnibus erit importabile ſignum in aere cōſpicere crucis, cum vniuerſis paſsionis inſignibus, audireq; iudicem tantam inimicis ſuis improperantē iniuriam; quibus lōgē minus eſſet intollerabilis gehenna, quàm audire, ab ipſo ſe perpetuò anathemate feriri, atque maledici. Sub huiuſcemodi meditatione nō à te effugiant ocioſi cogitatus (tametſi verē lethargicus ſit illi ſopor, qui huiuſcemodi nō excitatur ſtimulis) non tamen expaueſce, quin quantò difficilius experiris, eo acrius adnitere, vt proſequaris. Vide nū poſsis quicquā guſtare pœnas gehēnæ. Qua in re duo ſe offerunt immanitas nēpè, & perpetuitas, vnaquęq; per ſe ſufficiēs, quę vel adamātinū cor permoueat. Qui verò ex vtroq; ſimul non commouetur mortuus eſt, hisq; fidē nō habet, quæ noſtra annunciauit fides. Tametſi gehennæ non poſsit immanitas, neq; mente concipi, neque verbis exprimi, id tamen tantillum, quod tecum ipſe poteris capere, potens erit, vt tuas vniat affectiones, quæ noſtra in præſenti eſt principalis intentio. Statue igitur tibi primo ob oculos pœnarū vniuerſitatem. Quandoquidem in inferno captiuus eſt intellectus, vt non niſi cruciabilia meditetur: voluntas non niſi malum volet; reminiſci tantum mala poterit memoria, & etiā tranſacta recogitans bona, pœnam tantum hauriet, & dolorem. Ibi oculi non niſi horribilia contemplabuntur monſtra: reſonabunt aures non niſi ſtridoribus, & querelis: quid aliud palpabit tactus, quā ignē, & glaciem, & ſerpentes? guſtus quid ibi aliud inueniet cibi, niſi pœnā? Quid olfaciet odoratus, in ſentina poſitus, vbi omnes mundi eluuies congerentur? Imaginatio vnde niſi malo opplebitur? quādo illic quicquid horrebit mali, ſtatim aderit, longè auolabit mox quicquid vellet refrigerij? Acerbiſsimi ſunt ij cruciatus; ſed acerba non minus erit reproborum ſocietas, vermis, qui non moritur, obſcuriſsima nox perpetua, & ſuper omnia damni dolor; nempè diuinæ gloriæ priuationis abſque ſpe vnquàm illam recuperandi. Quòd eo pœnam ſuperat ſenſus, quò diuinæ priuatio pulchritudinis omnem excedit inferni deformitatem. Cui ſi addes meditationi perpetuitatem, vtiuè miſeris illis, ſi ad quamlibet maris Oceani guttulam poſt mille annos, milleſima eorum cruciatuum imminueretnr portiuncula, magnæ eſſet conſolationi, poſt immenſa adeò temporum ſpatia finem ſperare: totus introuerteris terroris plenus, & ſtuporis. Hic ſi perſeueras, breui aliū mutaberis in hominem. Animus enim tuus tali ex meditatione, ad contemptum compelletur mundi, peccati fugam, pœnarum horrorem, virtutis amorem, & quanquam initio horreas, lætanter feras, nā

in medio cômiſcebitur timori amor,demumq́; totus abſcedet timor, quemadmodum nox obſcura paulatim claram conuertitur in diem.

De altera extremi iudicij conſideratione. Cap. xxviij.

1 PAVLVS Apoſtolus diem extremi iuditij venturum eſſe dixit, ad modum furis in nocte, qua videlicet hora minimè exiſtimabunt homines. Ita.n. patri æterno placuit hunc diem eſſe incognitum mortalibus, vt non otioſa ſecuritate torperent,ſed vigilâtes omni tempore hunc præſtolentur aduentum. In ea die veniet Chriſtus iudex vniuerſalis,rationem poſiturus,cunctaq́; ſub Sole facta ſunt, adducturus in iudicium,& redditurus vnicuiq; ſecundum opera ſua:illic rationem exequiret omnium cogitationum, & affectionum noſtrarum, verborumq́; omnium,& factorũ,quæ dixerint,aut fecerint in carne mortales,& de ijs omnibus iuſtum ab eo feretur iuditium, adeò vt nec minima cogitatiuncula, neque vel leuiſsima affectiuncula poſsit diem illũ præterire, quæ non tunc in iudicium veniat. Erit autem dies iſta,dies verè admiranda,cuius non fuit alia ſimilis ab initio, ex quo cœpit eſſe tempus, neque erit vſque in conſumationem ſeculi. Erit nãque dies illa, dies iræ, & indignationis,dies tribulationis,& anguſtiæ;dies calamitatis, & miſeriæ; dies horrenda, & amara nimium omnibus; qui operati ſunt malum in impœnitentia,quiq́ue ex hoc ſeculo ſine pęnitentia deceſſerunt in malitia.

2 O dies noua, dies admiranda,dies ſemper memoranda, ſemperq́; nobis geſtanda ob oculos, digna quæ nũquàm ab oculis viuẽtium abſcedat. Quàm erit bonis iucunda,quàm à contrario malis amara, & intollerabilis, dies illa, quæ tam admirabili diuiſione in partes duas ſeparabit vniuerſam illã hominum congregationem; vt hi ſeparentur ad dexteram,illi ablegentur in ſiniſtram. Tunc.n.voce ſuauiſsima dicturus eſt Rex,& Iudex glorioſus his,qui erunt à dextris amicis,& electis ſuis. Venite benedicti patris mei, percipite regnum,quod paratum eſt vobis ab origine mundi: illis autem qui ad ſiniſtram aſtabunt, voce intonabit terribili. Diſcedite à me maledicti in ignem æternũ, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius. Statimq́; ex virtute huius ſententiæ talis fiet in turba illa diuiſio,vt impij recta ſint ituri in ſuppliciũ æternum, cui adiudicati fuerint: iuſti verò in vitam æternam, ad quã electi fuerint. Erit diuiſio, & ſeparatio iſta tam firma, ac ſolida, vt in æternum nullo vnquàm tempore ſit expectanda mutatio. Sempiterni nanq; roboris illud erit irreuocabile verbum nouiſsimæ ſententiæ, chaoſq́; magnum ponet, & firmabit iter iuſtos,& impios,vt nec ab his ad illos

ad illos aſcenſus, neque ad hos deſcenſus vnquam poſsit contingere: vt damnatis non ſit ſpes vlla, aut expectatio effugiendi tormenta, quibus adiudicati ſunt; neque electis metus vllus eſſe debeat perdẽdi aliquando vitam illam glorioſam, ad quam ſemel electi,& aſſumpti fuerint. Hinc.n.ſemel Deus loquetur, & non adijciet, vt loquatur iterũ. Tunc adimplebis electis tuis iuſtiſsimè iudex, quod olim in carne fuiſti pollicitus, dicens; vbi ſum ego, illic, & miniſter meus erit. Et iterum, ſi abiero,& præparauero vobis locum: iterum venio, & accipiã vos ad meipſum;vt vbi ſum ego, & vos ſitis. Tunc rapientur tibi ſancti tui obuiam in nubibus, in aera; & tecum erunt perpetuò, ſicut columnæ in templo tuo, & foras non egredientur amplius. Tunc pueros tuos omnes tecum es habiturus in cubiculi tuo,tum prudẽtes virgines oẽs ingreſſæ erunt ad nuptias: & clauſo oſtio exultabũt amodo ſancti tui oẽs in gloria,lætabũtur in cubilibus ſuis. Impij verò in puncto ad inferna deſcendent,illic æternis, & indiſſolubilibus vinculis alligandi, vt non egrediantur inde, donec perſoluant vſque ad quadrãtem nouiſsimum. Quia. n. dum tempus fuit operandi, neglexerunt operari opera tua: Quoniam in ęſtate (quando congregandum erat) pigri, deſideſq; fuerunt,idcirco in hyemis,& noctis tempore (quando operari nemo poteſt) fame torquebuntur in ſecula: quia dum ſeminandum erat,manus ſuas abſconderunt in ſinu, idcirco meſsis tempore inueniuntur bonis vacui: & quando ſatiabuntur electi in gloria, occurret eis quaſi viator ſempiterna egeſtas.

3 Rurſum quàm erit admirandum hoc ſpectaculum,tam innumeram hominum multitudinem, ad vnum vſque omnes ab Adam primo parente, vſque ad eum, qui nouiſsimus eſt naſciturus de homine, videre ad tuum tribunal in momento,in ictu oculi,ad ſonitum nouiſsimæ tubæ,exhiberi in reſuſcitatis corporibus,vbi ſe pariter inuenient primus hominum,& nouiſsimus; optimus,& peſsimus;ditiſsimus, & pauperrimus; nobilis, & ignobilis; ſanus,& infirmus; ſeruus,& dominus;ancilla,& domina; præpoſitus,& ſubditus; dux, & miles; imperator, & plebeius. Vbi nulla erit diſcretio perſonarum, nullus erit perſonæ reſpectus, non ibi locum habebit ſecularis dignitas, non pompa regia, non pulchritudo priſtina, non fortitudo corporis, non conditionis libertas,nõ ſtemmatis nobilitas: ſed tantùm conſiderabuntur vniuſcuiuſque merita,.& per ſola opera ponetur in tanta multitudine diſcretio, vt qui bona egerint, ad dexteram: qui verò mala conſtituantur ad ſiniſtram.

4 Erit autem admirabilis, & horrenda iſta diuiſio, quando illi, qui in hoc mundo fuerant vel natura, vel conſuetudine coniunctiſsimi,ab

inuicem

inuicem videbuntur separari, vtpotè pater à filio, mater à filia, coniūx à coniuge, socrus à nuru, socer à genero, frater à fratre, soror à sorore, amicus ab amico, vicinus à vicinò, socius à socio, atq; ita in ceteris omnibus, quibus vlla est, vel naturæ, vel consuetudinis peculiaris coniunctio, videlicet vt patre pro bonis operibus aduocato ad dexteram, filius pro malis facinoribus ablegetur ad sinistram, aut è contrario: item vt maritus locum bonum accipiat in dextera, vxor infelicē in sinistra, aut è contrario. Item vt duorum fratrum alter hic, alter illic locum accipiat. Qui nunc pariter vitam communem ducimus, vt vnanimiter in domo vna cohabitamus, vni mensę accumbimus, vno in cubili dormimus, vni studio incumbimus, vni actioni operam damus, per omnia amicissime conuiuentes adinuicem, ecce in illa hora forsitan adinuicem diuidemur separatione in perpetuum duratura: videlicet nos modò duo amici intimi inuicem colloquimur dulci, & amico colloquio, in illo die forsitā me ad sinistram reprobato, tu qui mihi nunc assistis, eligeris ad dexteram: fieri etiam poterit, vt te reprobato, ego eligar, forsitan ambo (quod auertat optimus Deus) ad sinistram reprobabimur, forsitan (quod in domino confido) vterque ad vnam iudicis dexteram congregabimur. Vides ambulantem socium cum socio; vides cohabitantem patrem cum filio; vides mulierem cū viro; vides amicum conuiuentem cum amico; similem considera venturam separationem, vel coniunctionem, quam quidem ita terribilē coniunctissimorum separationem tu ipse Christe nobis manifestè in sacro Euangelio ore tuo illo benedicto indicasti, dicens; Tunc duo erunt in agro: vnus assumetur, & alter relinquetur. Duæ erunt molentes in mola, vna assumetur, & altera relinquetur. Assumetur scilicet vnus ad gloriam; relinquetur, siue reprobabitur alter ad damnationem. Neminem illic saluabunt aliena merita, neminem item condēnabunt demerita aliena. Non saluabit patrem iustitia filij, neq; maritum virtus vxoris. Non item condemnabit iustum patrem impietas filij, neque maritum bonum vxor damnabit impia. Vnusquisque.n. vt ait Apost. onus suum portabit, & vnusquisq; pro se rationem reddet Deo. Iustus quoque (iuxta Ezechielis verbum) viuet in iustitia sua, anima quæ peccauerit, ipsa morietur.

5 O cor meum lapideum, ò mea in malo obstinata anima, ò duræ ceruicis ingenium, ò mens excæcata, ò pertinax in impietatem affectus. ò mea membra omnia ad bonum omne modo tarda, & flaccida, ò vires vniuersæ peccati miseriæ mancipia; quare non modò, dum tempus est, diem istum gestatis ante oculos? Quomodo non huius diei illius iram effugere valeatis? Qui fieri potest bone Deus, vt huius diei tam

patum ſimus memores, imò vt diei huius vlla vnquam obliuio hominem capiat, quę ſola nobis æterna, vel bona, vel mala, vel gaudia, vel tormenta, adducet? O vtinam ſit mihi dies iſta, quaſi ſignaculum ligatum ante oculos, vt ab ea nunquam intuitum mentis dimoueam. Dies.n.memorabilis eſt dies iſta, dies vtiq; præ omnibus ſemper obſeruanda mortalibus, vt configantur timore bono carnes noſtræ, & praua carnis in nobis reprimatur hac conſideratione laſciuia. Quis.n. non expaueſcet? quis non cauebit à malo, ſi illam terribilem nouiſſimæ tubæ vocem iugiter habeat ante oculos: Surgite mortui, venite ad iudicium? Ecce dies iſta, dies certiſsima eſt; dies ineuaſibilis, quam nemo hominum effugere, aut euadere poterit. Omnes.n.manifeſtari oportet ante tribunal iudicis, vt recipiat vnuſquiſq; mercedem, ſecundum opera ſua. Omnes, qui in monumentis ſunt, reſurgant neceſſe eſt. Qui autem omnes dicit, neminem excipit: nemo proinde ſe occultare poterit, nemo ſic abſcondere, vt comparere illic non debeat. Etiam ſi quis in intimis terræ deliteſcat viſceribus, etiã ſi mille præmatur ſaxis grauiſsimis, aut etiã rupibus fuerit opertus, etiam ſi in abyſsis maris deliteſcat altiſsimis, aut in profundo inferni, prodire illum neceſſe erit; velit nolit, vbi vox illa ſonuerit tubæ nouiſsimæ: Surgite mortui, venite ad iudicium. Non erit rex tã potẽs, nõ tã validus robore miles, qui poſsit voci illi reſiſtere, qui poſſit non venire aduocatus. Dabit.n.iudex tum voci ſuæ vocem virtutis tantæ efficaciæ, atq; virtutis eſſe faciet illam vocem ſuam, vt nemo illi poſsit reſiſtere. Non eſt itaq; quòd quiſpiam ſperet diem illum poſſe ſe effugere, nõ eſt quod occultari, aut abeſſe confidat, quãdo nouiſsimum iſtud exercebitur iudicium. Omnes prodire oportebit, omnes exhiberi, omnes manifeſtari ante tribunal illud vnicũ, ſingulos neceſſe eſt accipere iudicium ſecundum opera ſua.

De meditatione Paradiſi cæleſtis. Cap. xxix.



1 I nimiam præ pœnarum meditationem animus tuus induceretur in triſtitiam: in promptu eſt remedium, vt illum transferas ad iucunda meditanda cœlorum præmij argumenta, vt poſsis huius ſuauitate illius temperare amaritudinem. Vbi ſiſtere iuuabit mente, facilè ita lætos, vti aduerſos feres caſus, inſtar viatoris, qui ex continua patriæ recordatione nullibi conquieſcit, ſed quæcunque occurrunt, obliuioni mandat, & poſt ſe relinquit. Hoc retardari non debemus à ſtudio, quòd noſtræ perſtringat aciem mentis gloriæ excellẽtia, minuſq; à nobis apprehendatur, quàm damnatorum ſupplicia. Quemadmo

dum

dum Deus copiosius remunerat, quàm puniat: imò vel alacrius debemus contendere, quo est illustrior, gaudentes, quòd ab eius vincamur claritate, eoq; simus destinati, ad possessionem boni incomprehensibilis, quod cùm sit infinitum, nullum vnquam poterit sui adducere fastidium. Quòd pauci bonum illud multipendant, non aliũde fit, quàm ex ignoratione. Non.n.posset non concupisci, si agnosceretur. Vide quanti singulari afficiantur mundi huius bono, vel opum, vel voluptatum, vel honorum? Si omnia simul haberentut, ardentiori profectò prouocarent desiderio: multo maiori si nunquam finirentur. Si vis igitur amore patriæ capi, certum habeas, quicquid hic amari potest, eius comparatione vilissimum censeri lutum. Quãta est illa fœlicitas, cuius vel imagine pleriq; hominum capiuntur, cuius vel millesimam Petrus partem non degustarat in aspectu transfigurati in monte Christi, eoq; vel modico adeò est succensus, vt præ desidetio excedens, vellet ibi perpetuò esse? iam quid fecisset, si vniuersam eius Christus illam palàm aperuisset claritatem. enimuerò non potuisset, arbitror anima cohiberi corporeis claustris, sed auolasset, seq; in diuinam immersisset abyssum.

2 Ibi quicquid nostrum perfectè opus est, vt conquiescat desideriũ, largè habetur, omnis procul abest miseria: ibi vita sine morte, gaudium sine mœrore, absq; lassitudine quies, fœlicitas sine timore, amor sine pœna. Sũma, bonum omne, malum nullum, locus ibi amplius, lucidus, pulcher, securus, societas grata, optima, excellens, ꝑpetuum tempus, iam non mane distinctum, & vespere; sed in simplici permanenti æternitate, discurrunt ibi Angeli, ministrant Archangeli, triumphant Principatus, iubilant Potestates, imperant Dominationes, fulgent Virtutes, corruscant Throni, lucent Cherubin, ardent Seraphin. Verum ante omnia permouere te debet gaudium, quod ex amore oritur nimio, inter sanctos intercedente, & ab vno in alium mirabilter redundante. Vbi qui in gloria sunt æquales, vidẽtes se inuicem, vt amant, redamari, gloriam reduplicant, ita aliena, vt & propria gaudentes fœlicitate. Ita, & superiores ab inferioribus se amari videntes, amplius verò hi ab illis, & maiori etiam quã ipsi possint, se charitate complecti, gaudia ingeminant; cumq; sint innumerabiles, innumera dici possunt persentire gaudia. Ad hæc vti Virgo superexcelsa omnes in gloria superexcedit sanctos, etiam Angelos, ita & maior absq; proportione ex amore in illam oritur lætitia, quàm in alios omnes. Longè, & amplius in Christo homine, in quo super omnem creaturam se omnes conspiciunt amari sancti.

3 Grandia, & copiosa sunt hæc gaudia, sed eius comparatione, quòd ab

ab amore fit in diuinitatem ſpirante, nihil poſſunt dici; omnis.n.nihil eſt, collata creatori creatura. Sed hinc temerarium foret loqui, quãdo non alia eſt nobis hinc cognitio, quàm cæci ad colorẽ. Porrò ſi hæc minimè licuit paulò loqui, cũ fuiſſet contemplatus; quanto minus nobis, qui minimè ſumus contẽplati? Hoc vnum dicere poſſumus, fœlicitatem eſſe ſupra quam imaginari poſsimus perfectam: vbi nihil non deſiderabile aderit: vbi oculus, præter Solis pulchritudinẽ multò clarius, & præcellentius renouatus, nunquàm non præſentem habebit Chriſti humanitatẽ, & Virginem, corporaq; glorificata, luminoſa, impaſsibilia, ſubtilia, agillima: auris nullo nõ tempore nouos, & delectabiles hauriet ſonos, & diuinæ cãtica laudis: exatiabitur odoratus, non quidem vt nunc vaporibus, ſed odoribus ſupra omnem æſtimationem ſuauiſsimis. Idem dico de guſtu, non ex vitali indigentia, ſed ad perfectam delectationẽm incredibilibus replebitur ſaporibus: ſenſus interior eo excellentiora offendet obiecta, quo nobiliorem in formam inſtaurabitur; ſed excellentius in primam abſorbebitur intellectus veritatem; voluntas ſucceſa, exatiabitur citra faſtidium, deſiderabitq; ſine anxietate. Hæc conſideratio licet ſit infirma, citraq; comparationem à vero diſtans, multiplices tamen tibi pariet bonos affectus, hacq; ratione terrenis aſſuefacta mens voluptatibus, illas horrere incipiet, veri allecta boni deſiderio, ingemiſcetq;, quod ob peccatum tam diu exul facta ſit, dulciſq; erit illi omnis pugna ob tanti expectationem præmij.

De oratione mentali. Cap. xxx.



TERTIVS contemplatiuæ exercitationis actus, & gradus eſt, oratio mentalis; quæ aliud non eſt, quàm mentis in Deum aſcenſus, abſque verborum ſtrepitu. Cuius functio eſt, ea quæ lectione ſunt conquiſita, meditationeq; deguſtata, attentiſsima mentis acie petere, & efflagitare. In hac autẽ aliquãdo labor, aliquando delectatio ſentitur, id quòd facilè experieris. Idcirco ſunt admodum vtiles, quas vocant iaculatorias orationes; quas vt breuiſsimas, ita & frequẽtiſsimas eſſe oportet, omni in loco, omniq; tempore. Et quo frequentiores fuerint, eo erũt leuiores; quemadmodum facilius candela accenditur, vbi recens fuerit extincta, & non nihil adhuc tranſacti caloris retinet. Duplicem itaque eſſe orationem, & ſacra theologia, & ſancta mater Eccleſia docuerunt. Altera quidem vocalis eſt, iuxta illud Pſalmi; Voce mea ad dominum clamaui, voce mea ad dominum deprecatus ſum. Hæc etiã aut communis eſt, aut ſingularis. Communis quidem oratio eſt, quæ per

ministros Ecclesiæ in persona totius fidelis populi Deo offertur, ob idq; summa ratione institutum est, vt ministri Ecclesiastici huiusmodi orationes etiam alta voce pronuncient, vt ad notitiam omnium peruenire possint. Oratio verò singularis est, quę offertur à singulari persona, siue pro se, siue pro alijs. Hæc igitur aut vocalis, aut mentalis esse poterit. Adiungitur tamen vox tali orationi triplici ratione iuxta D. Thomæ egregiam doctrinam 2.2.q. 83.art. 12. Primum quidem ad excitandã interiorem deuotionem, qua mẽs orantis eleuetur in Deũ. Nam teste Aug. ad Probam; verbis & alijs signis ad augendum desiderium sanctum nos ipsos acrius excitamus. Secundo adiungitur vox ad reddendum debitum, vt scilicet homo Deo seruiat secundum illud totum, quod ex Deo habet, idest non solum mente, sed etiam corpore. Tertio adiungitur vox ex quadam redundantia ab anima in corpus ex vehemẽti affectione, iuxta illud Psalmi; Letatum est cor meum; & exaltauit lingua mea. Mentalis verò oratio congruentius, vtiliusq; contingit his, quorum mens sine huiusmodi signis est sufficienter ad deuotionem parata, iuxta illud Psalmi; Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea. Anna etiam 1. Reg. 1. loquebatur in corde suo, tantumq; labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur.

2 Porrò de hac mentali oratione Conc. prouin. Mediolan. par. 3. cap. de diuinis officijs, sic scripsit. Quia mẽtis oratio tantò præstantior ea, quæ solùm ore exprimitur, quãtò anima est excellentior corpore: pijs incredibile solatium affert, & fructum, eosq, quotidie nouis cumulat muneribus, in Deum quodam modo conuertẽs; Ideo Moniales præter horas canonicas, aliasq; orationes, quas ex officio habere debent, quotidie in chorũ vniuersæ conuenientes, nisi necessariò impediatur, saltem per horã mentalem orationem adhibeant; semihora videlicet post matutinum; itemq; post nonam, aut completorium, sublatis ad Deum mentibus pijs, & salutaribus rebus contemplandis. Præsertim verò vitam, doctrinamq; domini nostri Iesu Christi, atque eius sancta mysteria studiosè meditabuntur, passionem videlicet, mortem, resurrectionem, ascensum in cœlum, extremum aduentum ad iudiciũ beatorum gloriam, & damnatorum supplicia, aliaq; eiusmodi, quæ ad Dei gloriam, & propriam, proximorumq; salutem pertineant. Hoc quidẽ documentum persanctum esse, vniuersisq; Religiosis vtilissimum, nemo sanæ mentis est ignoraturus.

3 Sed iam modus orãdi tradẽdus est; quibus nempe mentalibus verbis tuum exprimere tacitus debeas affectum. In primis Spiritus Sanctus iuxta captum, & indigentiam nostram, id edocebit petere, quod expediat. Postulat .n. pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Deinde tot

tot redundant orationibus libri, vt magis verédum sit, ne nimia fastidium pariat abundantia, quàm vt ob penuriam deficiamus. Quando quidé vel sola dictio intimo enunciato sensu vberē frugē adferre pōt.

4 Huic rei si vaces, vltra patrū libros, totam inuenies scripturā precibus redundantem: poterisq; à teipso innumeras fabricare; Deum tibi statuens præsentem, tuamq; illi aperiens necessitaté. Probo tamen, vt in scripturis orationem inueniens, tuæ congruam necessitati, iuxta eam te exerceas: ad nostram.n. scriptæ sunt doctrinam. Ita si tribulatis, poteris corde fundere, quæ dixit Anna amaritudine correpta, verba ob sterilitatem, quam illi obiecerat eius æmula: aut Tobias, iniuria affectus post tot molestias ab ipsa coniuge; si vis pro proximo orare, à Paulo disce, & Moyse; quorum vnus voluit cum populo perire, alter anathema esse à Deo pro fratribus suis. Vide, & vti oret Abrahā pro Sodomitis, & Samuel pro Saul, quē Deus reprobauerat. Si à spiritualibus inimicis inuaderis, defende te, prout à crudelissimo Aman Hester orando se defendit; aut vti Iudith orando de Holoferne retulit victoriam. Si mors te vrget improuisa, disce ab Ezecchia cū lachrymis rogare misericordiam. Dubio.n. procul aut mortis reuocabis sententiam, aut patienter feres, & fructuosè. Longum foret singulos recitare scripturæ locos, vbi modus orandi docetur, sed singulariter te hortor, internè exerceri in Psalmis: in quibus ignita offendes verba, quibus omnes exprimas animæ tuæ affectiones. Si Deum vereris tuis iratum culpis, vide in sexto, & trigesimo septimo aptissima, vnde Deum tibi reddas placabilem, verba. Si vis misericordiam consequi, attentè insequere quinquagesimi conceptiones. Si vis stupore affluere diuinæ magnitudinis, exercere sicut octauo, & septuagesimo secundo. Hinc legimus, quòd cùm à maligno exagitaretur Saul spiritu, refocillari se sentiebat ad cantum psallentis Dauid. Quis enim adeò afflictus est spiritus, vt diuinas audiēs laudes, non conquiesceret: quibus maior redundat illorum pars diuinorum canticorum? Quis iam Dei non accenderetur amore, vbi audit verba illa: Diligam te domine? quis non confideret, vbi ait; Dominus illuminatio mea? quis non hilaresceret: vbi ait: Exultate iusti in domino? quis non in spem assurgeret, audiēs; Expectans expectaui dominum, & intendit mihi: Verum hinc fusius agere, esset metam excedere solitæ breuitatis nostræ, nostrumq; egredi propositum argumentum.

5 Quoniam Spiritus Sanctus non semper eodem vtitur modo, ideò iuxta eius varietatem motionum, infinities possunt orationes variari. Præstiterit igitur è multis vnam seligere excellentiorem, in eaq; crebro exerceri. Hanc verò nobis prouidit dominus noster Iesus Chri-

ctus,modum edocens orandi longè breuissimum, vtilissimumq; præ ceteris: in quo virtus omnis in ceteris omnibus diuisa,continetur. Hæc oratio in amore tota fundatur,eumq; excludit seruilem timorem, qui in veteri erat lege. Christo.n. mediatore, qui Deus dominus dicebatur,in patrem est conuersus; neque verò curat terrenas petere promissiones, sed potius regnum spectat Dei, solaq; contenta est patris sui voluntate,& breuiter,ex hominibus Dei facit filios. Huius breuē volo præcationis formulam subiungere,vt posis per teipsum latius te exercere. Dices igitur,magis corde, quàm lingua. Pater noster; iam non dubito, quin me audias, cum sis pater: Quis porrò pater filium non audit? Sed & si pater filium derelinqueret, tu non potes me derelinquere,quoniam esse meum omnino est à te, ego verò opus manuū tuarum sum;cumq; essem mea culpa disiectus, tu verbo tuo,per quod creasti pariter,& reformasti,& nunc es pater meus.

6 O pater noster. Qui es tu,& quæ tua bonitas? Enimuerò vndequaque apparet magna,& immensa;magna in creatione vniuersi,cùm inde non egeres, nihilo tamen inde factus maior,vti, & sine illo nō eras minor: magna in gubernatione,quàm nullo geris negotio, non minus vni prospiciens soli,quàm si nulla alia superesset cura;magna in sapiētia,magna in iudicio. Verū enimuero nullo in opere ita elucescit tuæ magnitudo bonitatis,quàm dum me dignaris post tot offensiones, vt te compellē patrem. Vnde planè mihi liquet, si alia non adessent testimonia,infinitam esse tuam benignitatem: Pater noster, tanta erat mearū grauitas culparum,vt nunquam ausus fuissem coram te apparere,nisi à tuo audissem filio,vt te compellem patrem: Cui cedit voci omnis diffidentia, timorq; omnis in amorem conuertitur. Qui verò in te omnes non habebo opes,si es pater. Imò à te solo spero exaudiri,in te omnis mea erit iacta solicitudo. Pater noster, hinc vniuersam disco legem, quoniam cùm sis noster,doces vt proximum diligam,nō quo sit mihi beneficus, aut sanguine cōiunctus,sed quoniam in illo est tui imago, qui es meus pater,cuius gratia teneor,quicquid tibi est simile amare,& vel meipsum odisse,si à te me alienat. Pater noster: qui es,tu vere es, ceteræ ex se non sunt creaturæ: quia non aliunde sunt, quàm ex te,qui vt dedisti, vt essent,ita in momenta conseruas. Te penes nihil omnia sunt,quoniam vti è nihilo sunt,ita in nihilum reuerterentur, nisi iugi tua sustinerentur præsentia: in te non est præteritum, vel futurum,sed ipsa præsentissima æternitas.

7 Qui es in cœlis. O quàm gaudeo patrem habere in cœlis: quo verbo moneor,iam non debere cor meū in terris habitare,sed ibi semper morari,vbi tu es pater meus. In te.n. omnis mea est hæreditas,quādo autem

autem mihi concedetur, vbi tu es habitare,& nunquam à te separari? Tu es in cœlis: imò nullius loci circunscriberis finibus, qui cęlum, & terram imples. Si tuam attendo prouidentiam, tu es super omnes cœlos, quoniam illa vniuersa complecteris. Si tuum firmamentũ, tu subter es omnia: quoniam omnia tibi innituntur. Si tuam specto subtilitatem, vniuersa penetras,& omni es interior creaturæ, quàm ipsa sibi. Qui igitur es tu in cœlis, si ita es supra vt infra, ita intus vti foris, ita omni in loco, vt nullibi non sis? O incomprehensibilis pater,& tamen in cęlis es: quoniam ibi magis elucent opera tua præcellentissima, manusq; tua eos est fabricata: tuoq; mouentur nutu: sunt etiam cœli nobilissima mundi pars vi, magnitudine, pulchritudine. Sed etiam tu in cœlis tuis habitas angelicis: vbi tua resplendet pulchritudo:es,& in animis iustorũ, qui vt patri, hospitium tib præbēt in corde suo:ò pater; quando talis erit anima mea, vt in illa possis, vti in tuo habitaculo, cõmorari? Fac tu eam, fide ornatam,& operibus,& omnigenis virtutibus, vt continenter dicere possim; pater qui in me es.

8 Sanctificetur nomen tuum. Cùm tu sis pater, iustum est, vt tuũ primum ambiam honorem: quemadmodum, & tu meæ solicitus es necessitatis. Sanctificetur igitur nomen tuum. At quando nõ fuit sanctũ nomen tuum, ò pater? Non ne est sanctitas tua immutabilis? Nonne tui nominis gloria infinita? Qui igitur mea fiet oratione sanctior? Sed peto, vt nomen in se sanctum, in nobis sanctificetur, animæq; nostræ eius virtute ab omni purgētur terrenis affectus macula, quo tibi coniũgatur patri suo, cui omnis displicet culpa. Nomen tuum, hoc est verbum tuum in nobis confirmetur, vt quemadmodum in illo habemus, vt simus, ita & cõfirmationem habeamus in gratia tui patris nostri. Sanctificetur in nobis nomen Christi tui, vt semper eius sequi possimus crucem,& nomē Iesu: vt in alio non habeamus spem salutis. Ita & nomen tuum pater, vt verè tui simus filij; sit semper insculptũ in nostro intellectu, voluntate nostra, lingua nostra: vt aliud in nobis non conspiciatur, quàm tui in æternum nominis gloria.

9 Adueniat regnum tuum. Quis porrò regnum impediat, si nõ aliunde sunt res, nisi quòd sui sunt regni portio? Tu regnas in toto orbe: At ego desidero, vt veluti pater, ex pietate gubernes,& nõ vti iudex, quoniam cogitatione nostra prius es pater, quàm iudex. Tu regnas in scriptura, quam spirasti. ego verò rogo, vt in tui gloriam toti aperiatur liber mundo, vt te omnes adorent. Tu regnas in Ecclesia tua: ego verò rogo, vt nõ aduersus illam præualeant eius aduersarij. Tuum regnum, tua est gratia. Ego verò te rogo, vt illa nos disponat, vt ita nos ea simus ornati, quēadmodũ tu es munificus, & liberalis. O pater noster,

fac nos per hæc media peruenire ad regnũ gloriæ tuæ in æternum.

10 Fiat voluntas tua. Ita tuus dixit filius, qui tuæ nunquam non morẽ gessit voluntati. Quid me æquum est dicere, qui voluntatẽ nunquam gero rectam, nisi quatenus tuæ cõformatur? Extinguatur semper omnis mea voluntas, quando sæpissimè non nisi malum nouit velle. Fiat semper voluntas tua, in qua omne meum situm est bonum, fiat inquã in aduersitate, & prosperitate, in vita, & morte; in omni meo opere, verbo, & cogitatione. Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra. In cęlo si quidem nõ est, qui tuæ resistat voluntati: ita fiat in corpore terreno, vti in spiritu: ita in peccatoribus, vt in iustis: ita in infidelibus, vt in Christianis. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Ita suos rogant paruuli patres. Quem autem ego rogem panem, si tuus prohibet filius cibi solicitudinem, & operimenti? Ceterum vult, vt te, & illum rogem, ne sim ego nimis solicitus; cùm sciam te nostri curam gerere, à teq; debeam expectare subsidium, tàm animæ, quàm corporis. Verùm lõgè excellentior est ille panis, quem tu mihi offers: egoq; magis indigeo. Da igitur panem supersubstantialem: nempè te ipsum, vt te semper anima mea pascatur esuriens. Hoc autem non semel in die, sed in horas, vt in te semper viuat vera vita anima mea. Tuaq; pascatur veritate meus intellectus: tuaq; meũ capiatur pulchritudine desiderium.

11 Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Ampla est pater tua liberalitas; qui das, posse alijs dimittere offensas, & ita nostrarum veniam obtinere: quę autem in nos cõmitti potest noxa, qui te semper offendimus? Quin si omnes aduersum nos insurgerẽt creaturæ, non sufficerent iniuriã vlcisci, quam aduersum te contraximus: tu .n. verus es pater, nos verò veri raro fuimus filij. Certè pater, si aliud non adesset tuæ bonitatis testimonium, hic planè panditur infinita: quando nullo ita negotio, grauia adeò condonas peccata, suffersq; à peccatoribus dici pater. Et ne nos inducas in tentationem. Tu es pater, tenerisq; tuis prouidere filijs: tu vides hostem nostrum præpotentem: nos verò infirmos: qui igitur resistẽmus, nisi vires præbeas, eiusq; cohibeas rabiem? Ne igitur permittas eum aduersus nos præualere, sed vti es pater, ita à peccato tuos protege filios. Breuem hanc scripsi formulam, vt tu à te ipso possis orando meliores tibi fabricare conceptiones, quàm sint litteris mandatæ: prout sanctus suggeret Spiritus. Plura, eaq; non inutilia hac in re te docebit Laur. Iust. lib. de casto connubio cap. 22. cui titulus est, de exercitatione, & profectu mentalis orationis.

1 VARTVS, & postremus, supremusq; contemplationis actus, peculiariori quadã ratione dicitur contemplatio, quæ reliquarũ præcedẽtiũ operationũ cõtẽplatiui exercitij finis est, à qua proinde denominationem, & vnitatẽ sortiuntur. Hæc igitur, Ricardo de S. Victore, & S. Tho. præstantissimis authoribus; locis superius citatis, sic definitur. Contemplatio est perspicax, & liber cõtuitus animi in res perspiciendas. Hæc porrò excedenti quodam amore adeò est purificata, defecataq;, vt animam suo quodam modo trãsformet; dicaturq; vtcunque potius esse in Deo quàm in se ipsa. Huc nõ peruenitur, nisi post multos labores, post plenamq; sui ipsius obtentam victoriam; instar Moysi, qui primum à turbis segregatus, mõtem conscendit, ieiunioq; purgatus, audit Dei voces internè, diuiniq; videt corruscationem fulgoris; demũ superlucẽtissimam ingreditur caliginem; vbi cæcutit oculus, quoniam in Dei contemplatione omnis deficit intellectus. Contemplationem autem alius quidam actus consequitur, videlicet admiratio. Quo sanè sensu D. Thomas Bernardum interpretatur, in lib. de consideratione affirmantem, primam, & maximam contemplationem esse admirationem maiestatis. Admiratio ergo est actus consequens contemplationem sublimis veritatis.

2 Ex eodem Bernardo quatuor sunt contemplationum præcipua capita, atq; species. Prima est admiratio maiestatis. Secunda est iudiciorum Dei: ex quorum consideratione manuducitur homo in contemplationem diuinæ iustitiæ. Tertia est beneficiorum ipsius. Quarta est diuinarum promissionum. Ex consideratione autem diuinorũ beneficiorum, & promissionum manuducitur homo in cognitionem diuinæ misericordię, seu bonitatis, quasi per effectus exhibitos, aut exhibendos. Consideratio verò rerum intelligibilium, quas ratio nec inuenire, nec capere potest, pertinet quidem ad sublimem contemplationem diuinæ veritatis, in qua finaliter contemplatio perficitur.

3 Porrò contemplatio coniunctam sibi habet ingentem delectationẽ quod adeò esse verum D. Tho. loco citato art. 7. existimauit, vt constanter asserat, quod delectatio contemplationis omnem delectationẽ humanam excedat: id quod duobus modis contingit, priori quidem modo ratione ipsius operationis. Vnicuique. n. delectabilis est operatio sibi conueniens secundum propriam naturam, vel habitum. Contemplatio autem veritatis competit homini secundum suam naturã, prout est animal rationale. Ob id nãque omnes homines naturà scire

appetunt, veritatisq; cognitione mirum in modum delectantur. Posteriori verò modo contẽplatio redditur delectabilis ex parte obiecti; idest quatenus aliquis rem amatam contemplatur. Non.n. solùm visio corporalis delectabilis est, quod ipsum videre sit delectabile; sed etiam eo quod quispiam videt personam amatam. Quoniam ergo vita contemplatrix potissimum consistit in cõtẽplatione Dei; ad quã nos charitas monet, inde conficitur, quòd vitæ contemplatiuæ non solùm insit delectatio ratione ipsius contemplationis, sed etiam ratione diuini amoris. Adde etiã q̃ delectatio spiritualis, potior est quàm carnalis, & ipse amor, quo ex charitate Deus diligitur, omnẽ amorem excedit. Item contemplator non difficilè fert, toleratq; quæcũque contraria existunt corporeis, sensibilibusq; delectationibus, vt cõtemplationis delectationem non amittat: libentissimoq; animo eam præfert delectationibus tàm venereorum actuũ, quàm cibi, & potus, & reliquorum bonorum mundi, vt gloriæ, dignitatum, aliorumq; huiusmodi rerum.

4 Quocirca iure optimo D. Grego. super Ezechielem sic ait; Contẽplatiua vita, amabilis valde dulcedo est; quæ super semet ipsam animam rapit, cœlestia aperit; spiritualia mentis oculis patefacit. Contemplationem quoque sapientiæ Salomon intellexit Sap. 8. cap. cùm dixit; Non habet amaritudinem conuersatio illius, nec tedium conuictus eius; sed lætitiam, & gaudium; & psal. 33. Gustate, & videte, quoniam suauis est dominus.

5 Non mediocrem profectò vtilitatẽ tibi allaturus est Laur. Inst. lib. de oratione, cap. 10. sex contemplationis gradus enumerans, quibus possis ad veræ quietis portum fœlici nauigatione perduci. Primùs cõtemplationis gradus in sola imaginatione cõsistit. Cùm videlicet, obstupescentes, corporea ista perlustramus, quæ sensu corporeo haurimus, deprehendimusq;, quàm sint multa, quàm magna, quàm diuersa, quàm pulchra, & iucunda. In ijsq; omnibus illius summæ diuinitatis potentiam, sapientiam, admirabilemq; munificẽtiam veneramur. Veneratione nanque omnimoda dignus est Deus, qui sua potentia cęlum ornauit syderibus, volucribus aerem, aquas piscibus, terrám multiiuga cum diuersitate animantibus, fructibus, arboribus, herbis, floribusq; innumeris. Secundus gradus in imaginatione, rationeq; adhibita exercetur, dum quispiã rimatur, atque perpendit vniuscuiusq; rei ordinem, dispositionem, causam, modum, & vtilitatem. Tertius gradus est, quando hac rerum visibilium speculatione subleuamur, efferimurq;, & quadam manuductione ad inuisibilia suspendimur, & cõscendimus. Hæc, n. visibilia creatorem suum confitentur, & quodam

suo modo clamant; Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Tunc siquidem contemplantis mens quadam admirationis dulcedine, & iocunda suauitate respersa, in Dei laudem prorumpit. Quartus gradus est, cùm seposito omnis imaginationis officio, solus animus ijs intendit, quæ imaginatio non nouit, sed quæ mens ex ratiocinatione colligit, vel ratione comprehendit. Vt cùm in cœlestium animarum, & spirituum beatorum contemplationem assurgimus; contemplantes regni cœlestis gloriam, deliciarum abundantiam, regis magnificentiam, ciuium supernorum numerum, naturam, & eminentiam. Quintus gradus est, quando ea, quæ ex diuina reuelatione cognoscimus, nulla nostra ratiocinatione integrè inuestigare sufficimus. Cuiusmodi sunt, quæ de diuinitatis natura, & essentia credimus, & diuinarum scripturarum auctoritate approbamus. Sextus est, quando animus illa ex diuini luminis irradiatione cognoscit, quibus humana ratio cedit, & euincitur transcenditurq;. Hinc emanans fluminis impetus lætificat contemplatoris animum memoria abundantię suauitatis Dei, ad Deumq; totis præcordijs amandum confertur. Hic est destinatus religiosi certaminis cursus, hic finis, hæc requies laborum, consolatio dolorum, & ipsa perfectio, veraq; hominis Deum quærentis sapientia.

De contemplatione passionis Christi. Cap. xxxij.



VONIAM in conficiendis contemplationibus plurimũ nos promouêre poterũt authorum exempla, quæ imitari posimus, idcirco pauculas contemplationes varia lectione collectas subijciam. In earum verò numero potissimum locum obtinet ad nostram vtilitatẽ sacra domini nostri Iesu Christi passio. Nihil profectò eorum, quæ in sacro continentur eloquio, sic humanum potest excitare affectum, mentem erigere, tæmperare laborem, peregrinationis tedium auferre, & æternæ fœlicitatis spem immittere, vt redemptionis humanæ sacrosanctũ mysterium. In illo siquidem diuinæ miserationis reseratur abyssus, cęlorum aperitur ianua, charitatis latitudo ostenditur, quantusq; sit homo, apertissimè manifestatur. Vile esse non potest, quod filij Dei sanguine comparatur. Habet in eo Christianus homo, cur gaudeat, habet quoque vnde tristetur. Tristari eum profectò decet, cùm se passionis Christi intelligit esse causam. Quam .n. Deus in mundum intulerat pacem homo inobediendo confudit. Ouem centesimam, descẽdit vt quæreret, vtq; in illa quam amiserat, restitueret pacem. Idcirco quidem ob huius rei commemorationem quoniam nostra causa gesta est, compassionis, ac tristitiæ mucrone transfigendi essemus. Pro

tuis itaq; facinoribus, ò homo cõtriſtare in Chriſto, atque de ipſius tibi collatis beneficijs gaude, lætareq; in illo. Te agnoſce in illo, tua in eius afflictionibus metire delicta, debita tua iam diu contracta in Chriſti membranis perlege. Ab eo autem loco exordiemur, quo comprehenſus fuit Ieſus, & in domum Annæ primum, deinde Cayphæ adductus eſt.

2 Irruentes in te benigniſsimè Ieſu, omni crudelitate manus inijciũt lupi feroces in agnum manſuetiſsimum, funibuſq;, & vinculis te crudeliter alligantes, inſanis clamoribus, & violentia multa ab horto te abducunt ad domum Annæ ſacerdotis, vbi poſt tumidam põtificis interrogationem, & tuam manſuetam reſponſionem ab aſtante impio miniſtro alapam duram, ſimul, & acrem obiurgationem ſuſcipis cum patientia. Hinc ad Caypham vinctus, vt eras, adduceris, vbi congregati erant, quærentes animam tuam, concilium ſcribarum, & ſacerdotum, quibus tuę captiuitatis miſeria ſummæ fuit exultationis materia. Nam ſicut exultant victores ſuper capta præda, & venatores ſuper fera comprehenſa; ita exultabant illi, cùm te quem tam diu ad mortem quæſierant, iam tandem ſuæ poteſtati vidiſſent traditum. Hic tu, pijſſime Dei agne, vt hoſtia in proximum immolanda alligatus, tuæ immolationis præſtolaris ſententiam. Hic totam noctem ducis inſomnem, in illuſionibus probriſsimis, quibus te afficiunt miniſtri impietatis, beatam faciem tuam velantes, & colaphis te cedentes, vt quaſi puerilem de te ſibi ludum facerent, ò nouum nimis ſpectaculum, ò ſcelus inauditum, ò incredibilis audaciæ fœdiſsimum facinus. En ſtat in medio hominum Deus, ſtat agnus in medio luporum, ſtat innocẽs inter noxios: verè modò circundederunt te vituli multi, tauri pingues obſederunt te. ſtat agnus in humilitate examinandus, & iudicandus; lupi ſedent in cathedris ſuperbiæ, vt iniquum iudicium contra ouiculam proferant. O concilium impietatis, ò cathedræ peſtilentiæ, dignæ profectò, quas cum ſuis ſeſſoribus aperiens ſeſe terra deglutiat. Sed non modo tibi placet vindictam exercere in improbos. Mane facto, à concilio ſuo te condemnatum, domine Ieſu Chriſte, adducunt ligatum ad Pontium Pilatum, apud quem de tua accuſatione, flagellatione, coronatione, & illuſione agitur. Tu verò in omnibus te mitiſsimũ, & patientiſsimum præbebas. Non maledicens, non reſiſtens, nõ comminans, ſed quaſi agnus coram tondentibus tacebas, & non aperiebas os tuum.

3 Contemplare itaque, quæ ibi pertulit opprobria Chriſtus, lictorum inſultus, & ſeruorum, exultantem phariſęorum, & ſcribarum lætitiam, ſed præ omnibus contemplaberis Petrum timore victum, ſuum negã-

tem

tem magiſtrum,& deteſtantem, & anathematizantem, quia non noui eum,& deinde reſpiciente eum domino compunctum,ſuum amariſsimè flentem peccatum. Cum quo poteris tu quoque recordatione tactus earum, quas irrogaſti domino, iniuriarum, dolore excitari pœnitentiæ. Quàm fuerit illi nox illa amara, ſcribere non poſſum: ſed in illa à temetipſo multa offendes, vnde condoleas. Amplius verò ſi ea attendas, quæ mane ſunt ſubſequuta, colliqueſies: prout ſunt ad Annam inflicta alapa,ad Caypham accuſatio, mox & apud Pilatũ,illuſio ante Herodem publica in populo diffamatio,crudelis flagellatio,& ſpineę coronę inflictio,coram populo pręſentatio,tumultuoſiq; clamores,crucifige,crucifige,in agnũ innocentem inclamantium. Durus ſanè fueris, ſi huiuſmodi ad obiecta immobilis perſeueras: at ſi ijs quæ ſubſequuntur, non ingemiſcas, eris vel certè immaniſsimus. Quòd cor non dirumperetur, vbi aduertat addictum ab iniquis hominibus morti Dei filium inter duos latrones, laceris graue portantem humeris lignum,à lictoribus armatis ad patibulum cõduci? Quis erat eius aſpectus,qui ex lachrymis,& ſudoribus, & ſputis, & ſanguine,& liuoribus,non iam hominis videbatur,ne dum Dei hominis? Quæ fuit matris exanimatio, tot inter cruciatus illum aſpicere, neque verò opem ferre poſſe? Quæ fuit turbatio, vbi nudus,expoliatus, dura ſuper arbore manibus,pedibuſq; confixus, in altumq; ſubleuatus à vi ingentium pendebat clauorum? Deſunt hic,& verba, & conceptiones.Neque verò alia melius poterat hic caſus ratione denotari,niſi vt,& terra tremeret,& ſaxa ſcinderentur, & totum pullo indueretur cœlum amictu,& angeli pacis amare flerent.

4 Si hoc compungi deſideras in ſpectaculo; recogita primum omni ex cõditione mortẽ domini tui fuiſſe immodicæ grauitatis: tum quòd ab ijs in crucem eſt actus; quibus prædicauerat,multaq; fecerat miracula, vnde iure poterat præmium expectare: tum quòd in ætate fuit ad patiendum aptiori, temporeq; celebriori, quando infiniti concurrebant populi: in locoq; inſigniori,& ſupplicio magis dedecoroſo,ipſiq; magis inconuenienti,qui Propheta habebatur,& vir Dei præter id quod nobilis adeò erat habitudinis,vt acrius eum;vel leuis punctiuncula penetraret, quàm vel grauis alium percuſsio. Fuit etiam membratim tortus,vt verè dici poſſet vir dolorum:diſcerptæ fuere manus, pedeſq; clauis: diſciſum pectus: ceſſereq; omnes ſuis iuncturæ locis: afflictum fuit caput ſpinis, facies,& barba vellicatibus, ſiti guttur: & totum flagellis corpus. Corporis igitur grauis fuit dolor, ſed longè grauior, quem internè pertulit ex compaſsione: quod pauci perpendunt: ſed noris creaturas omnes vix id potuiſſe ferre: quod ipſe eſt

perpessus, vt charitate omnes antecellebat. Et vt omittamus qua cruciabatur pietate ob matrem, ac discipulos, de illis tantum loquor, in quorum gratiam se frustra videbat mori: quibus ex eorum ingratitudine, ne dum frugifera; sed ex occasione maioris futura erat dānationis eius perpessio: quæ illi eo erat acerbior pœna, quo perspiciebat passionē suā toti mundo esse, vel superabundantissimā. His addas nō fuisse eius perpessionē diuisam, vt partim pro vno partim pro alio pateretur: sed ita fuit vniuersalis pro omnibus, vt & ꝓ vno quoq; singularis: ita vt verè arbitrere, sic illū pro te tantū passum, ac si pro alio minimè. Qua consideratione propellaris, vt culpam fugias, quæ tanti fuit causa doloris: tantūq; in te exorietur humilitatis lumen, vt nō solùm primum te arbitrere peccatorem, sed vel vnicum peccatorē cùm non aliud videas, quàm tuum peccatum: & quatenus in animum induces, tibi soli impensum fuisse bonum infinitum, quod omne bonum continet, nempe Christi vitam; eatenus, & tibi videbitur omne tibi soli vnitum esse peccatum, ac si in alio quàm in te, & per te illum nō esset inuenire. Ne mirere, si ad tantam te prouoco humiliationē: huc.n. te compellit infinitus diuinæ charitatis excessus, per Christum cruci affixum cui si magno non respondeas affectu, eris semper ingratitudinis notatus, & temporis. Si.n. ipse nihil sibi reseruans, se totum tibi in prædam exhibuit; qui non debes tu quoque totus in eius crucē transformari, vt Paulus, qui dicebat, Christo confixus sum Cruci? Quinimò iure merito teneris, ne dū vniuersis animæ tuæ viribus illi soli occupari, sed & eius in gratiā præparari, vt in omnia mala deturberis: & ita magno te ipsum odio insectari, vti æquum fuerat, infinitè eum à te amari. Vbi huc promptitudinis adueneris: quo iugi Christi cruci affixi contemplatione peruenitur, tunc abundè Deum amabis: & quoniā tanta reperitur in illo charitas, teipsum etiā diliges, & proximum. Ita sanctū te prouehet odiū in sanctū amorē: vti amor tui ipsius vitiosus ad amittēdū Deū te adducebat, teq; ipsum, & omne bonum. Ecce quātū tibi oritur luminis ex tuorū actuū meditatione, & mysteriorū redēptoris. Ideoq; hortatū te velim, vt tua eū semper associes meditatione: & præsertim in cruce, vbi ex amore tui languescens, ad redamandū te prouocat. Aspice illum vti succensam fornacem, suis & plagis vti spiraculis, flammas emittere amorosi ignis. Audi eius verba inde resonantia omnem apta, quæ vel surdam frangant aurem, vbi ait, pater ignosce: rogo & tu tuorum veniam peccatorum, vbi ingemiscit se derelictum, pollicere tu nunquam illū derelicturum; vbi fideli latroni paradisum elargitur, confide & tu, tantæ exemplo largitatis. Ora illum cum Ioanne, vt matri commenderis suæ: eiusq; extrema in siti, ne pigeat

geat ſaltem tui offerre lachrymas cordis, eiuſq; demũ in manus ſpiritum tuum reſigna; vti ipſe moriens patri fecit ſuo. Hac referes ratione compunctionis fructum, quem vbi guſtaueris, & ampliori te diſponet affectui. Ideò meditans ſocium te præbe illis, qui ad crucem perſtiterunt, vnaq; cum illis diſce ingemiſcere. Opem fer illis, qui lacerum deponunt corpus in mœſtiſsimæ gremium matris: iuuet eius audire lamẽtationes ſuper filio, ſuperq; peccantium crudelitate, nunquã non eius renouantium vulnera, quorum in numero teipſum aſcribe. Manum porrige illis, qui ad ſepulchrum illum ferũt: lachrymiſq; eius riga vulnera: non minus gratum obſequium erit, quàm ſi pretioſo vngeres vnguento, neq; verò illi vale dicas, niſi prius cor tuum illius hæredem relinquas ſepulturæ. Non tibi hic aliquid deerit ruminandum, nunc Virginem conſolando, nunc Petri audiendo lamẽtationes, & diſcipulorum, nunc cum pijs parando vnguenta mulieribus, nunc cogitatione ſæpè eius inuiſendo vulnera, iam noua exultando, quæ patrib. in lymbo apparuit luce ob Chriſti animę præſentiam, donec cũ triumpho rediuiuus reſurgens, cœlum lætificat, & terras, multoſq; conſolatur dies diſcipulos ſuos, demumq; illis aſpiciẽtibus in cœlum reuertitur, & aliquanto poſt in ſpecie ignis Spiritum mittit Sanctum, eque hominibus Dei facit filios: non ab re volens te edocere mentis introuerſionem, & in fundo cordis tui orationem, varia percurri Chriſti myſteria. non. n. inuenies fructuoſius argumentum, in quo mens tua efficaciam ſentiat maiorem contra omnem ſui diuiſionem, quàm ſit iſtud; ea enim in terras deſcendit Dei filius ratione, eaq; operatus eſt myſteria, vt per hæc ſpectacula, mentẽ tuã diuinæ attraheret vnitioni. Vti. n. vnitũ carni verbũ Dei operabatur in terris: ita, & per illud anima tua primũ ex fide, deinde etiã, Deo vnitur per contemplationem.

5 Ne dum quidem praxim, ſed & ſpeculationẽ te docet Crucifixus: qui ſi perfectè intelligeretur, omnem Theologicã illico euolueret quæſtionem. Sed altus adeò eſt eius ſenſus, vt non niſi ab illis capiatur, qui altiſsimè ſe humiliant. Si quid ſit Deus vis agnoſcere; ne mundi conſulas ſapientes: quorũ quidam Deum negauerunt eſſe: quidam ab eo auferebant inferiorum rerum prouidentiam; alij multos comminiſcebãtur Deos; & huiuſcemodi figmenta: ſed crucem contemplare, cuius illuſtrabitur mens tua lumine, vt cognoſcat vnum Deum eſſe, infinitæ bonitatis, quam oſtendit in infinito crucis exceſſu: cùm autem ſit infinitus, non poteſt eſſe niſi vnus. Contemplare dein eius ſolicitudinem ſalutis noſtræ gratia: neque anceps eris de eius prouidentia. Contemplare modum redemptionis: indeq; poteris colligere ſummæ eſſe ſapientiæ, & iuſtitiæ, quando ita vltus eſt peccatum, deluſitq; princi-

pes.

pes tenebrarum. Non valuerunt philosophi quidam animam hominis cognoscere, an sit immortalis. Req; adeò in graui cecutierunt, quam videbis in cruce dissolutam quæstionem: cùm etenim in ea carũ adeò exoluerit Deus pro eius redemptione pretium; certos nos reddit, eã nedum immortalem esse, sed Dei formem, aptamq; in Dei transformari imaginem 2. ad Corinth. 3. aliàs sapiens non esset infinitum impendens pretium pro re corruptibili, & nihili. Eodem in lumine perspicies quãta sit diaboli nequitia, qui plurimos ad innocẽtissimi mortem cõpulit, quanta sit eius rabies, nisi eam Deus cohiberet. Quanta Dei bonitas, quæ eadem ratione, qua bonum arbitrabatur diabolus præpedire animarum, promouit salutem, maiori hauriens è malo maius bonum. Vbi & bonorum potes agnoscere benignitatem spirituũ, qui ob mundi salutem sustinuerunt eorum in crucem agi dominum. Cruce melius edoceris, quàm spernenda sit mundi vanitas, quàm exẽplo alio, si reminiscaris, quanta cum exultatione, & honore exceperint populi Christum in die Palmarum: & vix post sex dies versus est applausus in opprobria. Vbi addisces, prosperitati nõ fidere humanę, sed potius appetere à mundo contemni, tuo cum domino. Vti.n. semper fallit prosperitas: ita & tribulatio sensum adaperit interiorem.

6 Ad hæc, quàm sit peccatum abhominabile, nõ in aliqua comperies scriptura, prout in crucis intuitu: quę palàm facit, quanti sit ponderis; quando vt deleret peccatum, proprium Deus tradidit filium. Porrò si desideras peccatum horrere, contemplare subinde Christum in cruce: à quo addisces sexcentas præeligere mortes, potius quàm peccato assensũ præbere: & sequẽter tibi inorietur virtutis amor, digna q̃ est ex seipsa amari absque præmio, vti in cruce est videre, vbi Christus potius elegit cum pœna virtutem, quàm vitã cum probro: ostẽdens quẽadmodum ipsa sibi est præmium virtutis, ita & secum aduehere vitiũ pœnam. Difficilè est mente concipere, quæ sit vel inferni miseria, vel paradisi gloria, quoniam non nisi vmbram videmus ad veritatem; & quicquid inde scriptum est, se habet veluti punctus, ad vniuersi ambitum: sed quatenus exprimi possunt incomprehensibilia, aio, te vtrunque in cruce contemplaturum. Quoniam nisi gloria paradisi, gehennæq; cruciatus essent inæstimabiles; nunquàm diuina incarnata sapiẽtia, dirissimam vsque adeò mortem sustinuisset, infinitumq; effudisset sanguinis sui pretium. Demum quoniam lõgum foret prosequi, quicquid offert crux argumenti, ibi addiscas volo, bene moriendi artem, tui insectando magistri exemplum: qui te monet, vt mortis tempore, omni exutus terrena affectione, omniq; abiecta peccati sarcina, libens eum bibas calicem: diuinæq; te resignes voluntati, prout ipse fecit.

Scias proinde aſsidua crucis meditatione, præ omni alio exercitio, tunc temporis reddi animam fortem, & fidentem. Rationabile eſt.n. vt cùm tu ſæpè eius compaſſus fueris morti, eo magis ab ipſo conſolere in morte tua, quo te pietate excedit. In cuius rei argumentum, Virgo, Magdalena, & Ioannes fidelisſimi crucis ſocij, præ ceteris ſingulari in morte dotati ſunt priuilegio; multorumq́; eſt ſententia abſq; dolore eos fœliciter obdormiſſe.

De admiratione contemplatiua. Cap. xxxiij.



1 OSTQVAM cõtemplationis exempla tradidimus, reliquum eſt, vt admirationis contemplatiuæ, quæ contemplationis actum conſequi ſolet, formam ex non contẽnenda lectione ſubnectamus. Prima autem fit admiratio, quòd filius Dei omnium dominus, tãtam in ſua natiuitate paupertatẽ, atq; humilitatem oſtenderit. Narra obſecro, Virgo benedicta, vbi tam dulcem natum pannis inuolutum reclinaueris? Ediſſere quæſo, nobilis, & pia mater; vbi tantum illum tuum, ac patris æterni filium, feciſti primam accipere requiem? In humili, duro, & frigido iumentorum præſepio. Quid ita bona mater, quare in præſepio tantum regem tanti regis filium, voluiſti reclinare? Quoniam nõ erat nobis locus in diuerſorio, ita vt ob loci cõmodi defectum neceſſe mihi fuerit cum meo ſponſo, & cuſtode Ioſeph, in neglecta domuncula, in vili tugurio, in communi iumentorum ſtabulo hoſpitij locum accipere: vbi neque lectus erat, neque cunabula; ſed iumentorum tantùm præſepia. Hic me neceſsitas compulit, & cœleſtis pater voluit, filium meum parere. Quid ais virgo mater? Mater virgo quid narras? Putas vera poſſunt eſſe iſta, quæ loqueris? Tuus iſte recẽs natus filius, nonne ipſe eſt, de quo in ſecretò tecũ colloquẽs, dixerat Angelus; Quod filius eſſet vocandus altiſsimi, quodq́; thronum eſſet accepturus patris ſui Dauid, atque in domo Iacob regnum habiturus in æternum? Certè ad hæc tam magnifica promiſſa, rei veritate implẽda tenue nimis videtur eſſe principium, iſta quam tu loqueris, tam humilis natiuitas tantæ humilitatis initium, humano iudicio, malè cõgruum videtur eſſe præludium, & pro noſtra æſtimatione debile præparamentum ad tantam, quãtam ille pollicitus fuerat, celſitudinis gloriam. Quid enim? An regis eſt natiuitas iſta, quam te narrante ſtupẽtes audiuimus? Ita ne ſolent naſci in ſtabulis reges? In derelictis tugurijs, & caſulis ſolent parere regum matres? Siccine tractari ſolent partu æditi regum filij? Vilibus ſcilicet inuolui pannis, in præſepio reclinari? Quis vnquam à ſeculo horum audiuit ſimilia? Audiuimus ſubinde, eos qui in infima cõditione

ditione quaſi in ſtabulis,& caſulis nati fuerant, procedente tempore tandem ad regni conſcendiſſe faſtigia. A ſeculo verò non eſt auditum, regis filium in ipſo ſuo ortu regem exiſtentem, ita humili, ita abiecta natiuitate prodijſſe in mũdum. Nihil in hac natiuitate apparet regiũ, nihil magnificũ,humilia ſunt omnia,plebeia,tenuia,humilia, abiecta. Quis igitur credat regem hunc eſſe, quem ita in tanta humilitate videmus naſcentem,nihilo oſtendentem regium? Si rex eſt, qui naſcitur,vbi caterua nobilium? Vbi miniſtrorum millia? Vbi pompa regia? Vbi equorum,& armorũ apparatus? Vbi clangentes tubæ; quæ per terram noui regis ortum prædicent? Si iuſta verbum Angeli,filius altiſsimi eſt tuus iſte filius,ipſe ergo eſt,de quo per Prophetam dicitur; Domini eſt terra,& plenitudo eius,orbis terrarum, & vniuerſi,qui habitant in eo. Et iterum alio in loco: In manu eius ſunt omnes termini terræ,& altitudines montium ipſius ſunt. Ipſius eſt mare,quoniam ipſe fecit illud,& ſiccam manus eius formauerunt. Et iterum; ſi filius altiſsimi eſt tuus filius,ipſe ergo eſt, qui per Prophetam alium loquitur, dicens; Cœlum mihi ſedes eſt,& terra ſcabellum pedum meorum. Ac rurſum: Cœlum,& terram ego impleo. Quam ergo poteſt habere veriſsimilitudinem,quòd tu nobis, ò bona mater,de tuo narras filio,nimirum idcircò natum eſſe in ſtabulo,& reclinatum in præſepio, quoniam non erat vobis locus in diuerſorio? Quid.n. erat cœli,& terræ dominus,an non potuit commodum ſibi locum eligere,quemcunq; voluit,vbi primam acceperit requiem? Scilicet iſtud tuum eſt, ò æterna patris ſapientia,inſcrutabilem conſilium,quod tibi ex obedientia patris pro nobis viſum eſt aſſumere, atque perficere, vt per tuam humilitatem,auſteritatem,& paupertatem,nos genus humanum, ad altitudinem,delitias,& diuitias noſtra ſuperbia olim perditas, ita reduceres. Quod tuum conſilium Paulus Apoſt. tuorum ſecretorum bene conſcius,lucidè nobis enarrauit dicens. 2. ad Corint. 8. Scitis fratres gratiam domini noſtri Ieſu Chriſti,quia cùm diues eſſet, propter nos egenus factus eſt,vt nos ſua inopia diuites faceret.

2 Adijciamus etiam hoc loco alteram cõtemplatiuam admirationẽ, præ exceſſu amoris,quẽ nobis in ſacroſancta Euchariſtia Chriſtus demonſtrauit. O ſtupendum miraculũ,ò ineffabile,& incomprehenſibile ſacramentum,in quo nobis tu nunc ad patris dexterã ſedens in cœlis,ipſum tuum corpus,& ipſum tuum ſanguinem donas in terris: corpus verè idem,quod olim in cruce clauis perfoſſum pendebat, nunc autem glorioſum in dextera maieſtatis Dei reſidet,& ſanguinem verè eundem,qui olim de corpore beato è vulneribus in pretium redemptionis, & reconciliationis humanæ effluxit. O inaudita dilectio. O chari-

O charitas nō visa, ò ante hac nūquā gustata suauitas. Quis vnquam tale aliquid audiuit, amicum ab amico recedentem in memoriale reliquisse totum semetipsum, proprium scilicet corpus suum, & proprium sanguinem? Non vulgaris erat dilectio, qua diligebat Ionathas Dauid; anima nanque Ionathæ conglutinata fuit animæ Dauid, & dilexit eum quasi animam suam. Et quid in signum dilectionis Dauidi præstitit Ionathas? tunicam, qua erat indutus, dedit eam Dauidi: reliqua item vestimenta sua vsque ad gladium, & arcum suum, & vsque ad baltheum. Profectò non vulgaris hæc erant amoris indicia, longe tamen abest, qui vestimenta tantum, & arma donat, ab eo, qui dat proprium corpus, & sanguinem: neque dat solùm, sed in cibum, & potum dat ore sumendum, dat manducandum in viscera. Sic tu nos suauissimi filij patris dilexisti, vt teipsum non solùm patri dare volueris pro nobis in oblationem, & hostiam, verùm etiam nobis in cibum, & potum. Denique cùm tēpus veniret transeundi ex hoc mundo ad patrem, non te passa est charitas tua prorsus absentem à nobis fieri, ne secundum humanitatem quidem. Nam secundum diuinitatem planè impossibile scimus, te vlli loco abesse; qui cœlum, & terram adimples. Fecit itaque charitas tua, vt licet ad patrem rediens, nihilominus nobiscum etiam secundum humanam naturam permaneres, vt in patris dextera gloriosus residens, apud nos simul in occulta humilitate lateres. Verùm illic in magnifica gloria vniuersis ordinibus manifestus, & præ ceteris eminenter conspicuus, hic in humilitate sub vilium specierum tegumento occultus. O rem admirandam, ò sacramentum incomprehensibile; te omnium dominum, & creatorem cœlos, & terram tuæ maiestatis præsentia adimplentem, ab eis tamen nequaquam comprehensum; te angelorum dominum, qui in patris dextera tua præcellenti claritate vniuersos angelicos ordines lætificas, ad nos velle accedere, apud nos latere, & demorari sub vilium creaturarum tuarum speciebus, claritatem, & maiestatem tuā sub modici panis, & paucissimi vini speciebus abscondens.

3 Insuper, & hoc à nobis exigis, vt qui in te credimus, tuęq; salutis desideramus effici participes, te talibus tectum operimentis ore sumamus: ad refocillationem, & nutrimentū animarum nostrarum. Et qui te ita cum reuerentia debita dignè susceperint in vera fide, spe firma, & recta erga te dilectione, in memoriam amarissimæ passionis tuæ, his tu inuisibili tua operatione bona omnia adauges. His tu in anima virtutem multiplicas, hos de virtute facis in virtutem progredi, hos tu in omni bono reddis constantes aduersum omnia, quæ illis vndecunque potuerint obuenire, siue à propria carnis praua concu-

piſcentia, ſiue à diaboli prauis ſuggeſtionibus, ſiue à blandis maligni mundi illectamentis, & incantationibus. Sic tu hoc in ſacramento dignè pro debita tibi reuerētia in cor fidele, & humile ſuſceptus, omnia tecum bona adfers animæ, & quæ in ea inueneris, confirmas, atque multiplicas. Quemadmodum è contrario qui te indignè ſuſcipiunt, permanentes in ſordibus vitiorum, abſque pœnitentia, aut emendationis propoſito, ob præſumptionem indignam, & tuæ maieſtati illatam contumeliam, in mala plura, & maiora iuſto tuo iudicio permittuntur incidere, vt in ſordibus ſuis ſordeſcant amplius, & diabolo fiāt indies magis ſerua mancipia. Qui. n. tuum corpus, & tuum ſanguinem manducat indignè iuxta ſancti Apoſtoli inſtructionem, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus tuum, & ſanguinem pro debita reuerentia: quaſi non aliud ſit ad tua ſanctiſsima ſacramenta accedere, quàm alium cibum ſumere.

4 In calce verò te admonere non deſinam, vt vberrimum excerpas fructū præter alios, qui ex cōtemplationis celſitudine naſcitur. Quoniam, qui eam vitam, quæ in contemplatione poſita eſt, ardentiſsimè, & verè amant, nulla ſe arrogantia, ac prædicatione efferunt, neque ad Angelos propius accedere præ ceteris gloriantur. Sed contra, quo ſublimius in Dei contemplationem eriguntur, collataq; diuinitus beneficia mente ſua euoluunt, magis, magiſq; diuino illo fulgore perſtringuntur, & confunduntur. Imò certè hominem in puram ſui notitiam nunquàm peruenire conſtat, niſi prius Dei faciem ſit contemplatus, atque ex illius intuitu ad ſeipſum inſpiciendum deſcendat. Nam, quæ nobis omnibus ingenita ſuperbia eſt, iuſti ſemper nobis videmur, integri ſapientes, & ſancti, niſi cœleſtis illius iuſtitiæ, ac puritatis fulgore, noſtræ iniuſtitiæ, fœditatis, ſtultitiæ, & impuritatis cōuincamur. Non autem conuincimur, ſi in noſipſos duntaxat reſpicimus, & non in dominum quoque, qui vnica regula eſſe debet, ad quā iudicium hoc exigatur. Etenim cùm ad noſtri amorem natura ſimus omnes propenſi, vel minima quædam iuſtitiæ ſpecies pro ipſa integra iuſtitia nobis abundè ſatisfacit. Tametſi verò multa in nobis apparent, quæ imperfecta videntur, quod paulò minus fœdum eſt tanquàm puriſsimum arridet, quàm diu mentem noſtram intra humanæ naturæ fines continemus: non ſecus, atque oculus, cui nihil alias obſeruatur niſi nigri coloris candidiſsimum eſſe iudicat, quod tamen ſub obſcura eſt albedine, vel aliqua etiam fuſcedine aſperſum.

5 Quin ex corporeo ſenſu propius idipſum adhuc diſcernere licet. Nam ſi vel terram reſpicimus meridie, vel intuemur, quæ aſpectui noſtro circuncirca patent, validiſsima, perſpicaciſsimaq; acie videbimur

nobis

nobis præditi: at vbi in Solem suspicimus, atque intentis oculis contemplamur, vis illa, quæ egregiè in terra valebat, tanto fulgore protinus premitur, & confunditur, vt fateri cogamur, illud nostrum in considerandis terrenis acumen, vbi ad solem ventum est, propè merā hebetudinem esse: ita & in reputandis spiritualibus nostris bonis re vera contingit. Quantisper enim extra terram non respicimus, propria iustitia, sapientia, virtute pulchre contenti, nobis suauissime blandimur, & tantum non semidei videmur; at verò si semel cœperimus cogitationem in Deum erigere, atque expēdere qualis sit, & quàm exacta iustitiæ, sapientiæ, virtutis eius perfectio, ad cuius amussim, exigenda sint, quòd antea in nobis iustitiæ prætextu tātopere arridebat, mox sordescet, quod mirificè imponebat sapientiæ titulo, pro extrema stultitia fœtebit; quod virtutis faciem præseferebat, miserrima impotentia esse arguetur. Adeò diuinæ puritati malè respondet, quod videtur in nobis, vel absolutissimum. Hinc, idest ex huiusmodi contemplatione, non inanis gloria, non tumor, non elatio, aut superbia, sed horror ille, & stupor processit, quo passim scriptura recitat perculsos, atque afflictos fuisse sanctos, quoties Dei præsentiā sentiebant, & ad ipsum contemplādum assurgebant. moriemur, dicebatur vulgo, quia dominus apparuit nobis. Imò videas Prophetas ad Dei gloriam sic concuti, & consternari, vt mortis horrore concidant, ac penitus absorbeatur, & pœnæ nulli sint.

6 Inde colligemus, hominem humilitatis suæ agnitione nunquàm satis tangi, & affici, donec se ad Dei maiestatē contemplandam cōparauerit. Ideò & historia Iob ad prosternendos ex propriæ miseriæ cōscientia homines, potissimum semper argumentum à diuinæ sapientiæ, virtutis, puritatisq́; descriptione ducit. Abraham enim Genes. 18. ex quo proprius ad conspiciendam Dei gloriam accessit, melius se terram, & puluerem agnouit. Elias 3. Reg. 19. Recta facie eius accessum expectare non sustinet. Tantum est in aspectu formidinis. Ecquid faciat homo cœlesti illa contemplatione super se raptus. Gloriabitur ne? Num alios præse contemnet? Imò verò putredinem, & vermē se penitus agnoscet, cùm ipsos quoque Cherubinos velare ipso pauore faciem suam coram tanta maiestate viderit.

7 Hoc scilicet est, quod Propheta Isaias dicebat cap. 24. Erubescet sol, & confundetur luna, cùm dominus exercituum regnauerit. Hoc est, vbi claritatē suam extulerit, ac propius hominum mentibus ipsam contemplantibus admouerit lucidissimum quodq́; præ illa tenebris obscurabitur. Ad illam pulchritudinem aspirant fideles mentes contemplatione sua, non vt assequantur, nam id non est sanè in nostra po-

ceſtate, ſed vt ſuſpiciant, admirentur, & quoad poſſunt, imitentur. Mox illis in ipſa ſua conſideratione occurrit, omnis boni fontem illum eſſe iugem, & perennem, cuius contemplatione fruuntur. Statim vident illius beneficio ſolius in tam immenſa bona ſe eſſe aſcitos, vt nihil iam ſe habere de quo glorientur, quaſi non acceperint intelligant, ſed omnia referant accepta illi, cuius ſanguine potati ſunt, atq; redempti, & cuius maieſtate in æternũ fruentur, atque pulchritudinem reuelata facie perpetuò contemplantes, in eandem ſpeciem transformabuntur. En, qualis ſit euaſurus noſter ſincerus, religioſusq; contemplator.

FINIS LIBRI TERTII.



ORDINIS

ORDINIS CANONICORVM REGVLARIVM ELVCIDATI,

Liber Qvartvs.

L. Ioanne Trullo Aragonio Authore.

Totus hic liber in explicanda Regula D. Augustini versatur.

TITVLVS.

¶ Regula Apostolica Clericorum, siue Canonicorum Regularium ab Aurelio Augustino Hipponensi Episcopo edita.



De commendatione Authoris, & Regulæ. *Præludium j.*



1 Ccipite disciplinam meam, & non pecuniam; doctrinam magis, quàm aurum eligite. Prouer. 8. Quemadmodum pater artem aliquam filium docturus, prius ostendit, quid ars illa sit, ad quid vtilis, vt puer volũtarius reddatur. His verò prætermissis, ad huiusmodi artem voluntatem non habet; Quòd nimirum videmus in pueris, studio litterarum deputatis, qui inuito animo scholas petunt, eo quod nesciant magnam litterarum vtilitatem. Sic & in hac re nostra si quis percunctetur, quid causæ est, quòd tam segnes sumus ad Augustini regulam discendam, & percipiendam? reuera, quia nescimus eius virtutem, amplamq; eius bonorum fertilitatem omnino ferè ignoramus parum etiam proficimus, quoniam quid sit in ea obseruandum, exactè non intelligimus.

2 In exordio igitur huius nostræ enarrationis amplissimam vtilitatē, aut horisq; illustrem splendorem breui sumus explicaturi. Nam multis cōmendare superfluum censeo. In adagijs.n. fertur, vino vendibili non opus est suspensâ hædera; sic res quæ seipsam commendat, haud opus habet longis, alienisq; laudum præconijs. Ea igitur Salomonis verba proposita iure suo nobis inertibus, & frigidis pius parēs Augustinus proferre potest. Sapientia.n. quam in sua regula tradidit, verè pretiosior est omnibus pecunijs, quibuscunq; opibus, cunctisq; argenti,& auri thesauris; quare,& meritò percipienda, & plusquam pecuniarū congeries amanda est. Gloriatur sanctus rex Psal. 11. se in via testimoniorum Dei delectari, sicut in omnibus diuitijs, nobis quoque hoc Augustini documentorum promptuarium perscrutandum est, imò toto corde exquirendum, tota anima concupiscendum, superq; aurum,& topazion diligendum. Nam si Euangelici negotiatores sumus,& bonas margaritas quærimus; ecce vna pretiosa margarita inuenta est. Nec vllam, quæ maioris pretij sit, facilè comperies. Hāc animarum studiosus amator Augustinus in nostro pectore figere vehementer desiderauit. Dāda ergo sunt omnia, vt hæc sola margarita cōparari queat, omnesq; carnaliū sordes affectuū ab oculis cordis abstergēdę sunt eis, qui in schola Christi post Religionis ingressū venerabilibus student institutis, vt hanc vberem regulæ vtilitatē assequi valeant.

3 Nos tamen candidissimi viri, ne D. Aurelij Augustini fœlicissimæ huius Religionis nostræ institutoris, atque parentis, vel adoptionem, vel nomen frustra accepisse videamur, non siccis labijs, sed pijs, breuibusq; præconijs in ipsius regulæ ingressu hunc splendidissimum, faustissimumq; progenitorem vtcunque attollere, & concelebrare maximè decet. Et quanquā indoctior ego,& impuro etiam forsitan ore, non illo dignam satis possim orationem præstare, sintq; sua erga nos omnes immortalia merita, longè profectò maiora, quàm mortalis vlla facundia; ardore tamen mentis impulsus, ab illius laudibus me cōtinere nec possum, nec debeo. Quid.n. tàm arduum, magnumq; susceptū, quod feruēs charitas,& de sanctis Dei fiducia nō assequi possit,& semper assequuta non fuerit? Augustino præsertim ductore? tuo nanque auspicio, tuoq; nomine pater Aureli, regularem hāc viuendi formam adorsi sumus. Te magistro in ea rectè, beateq; viuimus, te duce, fœlici cursu ad incorruptibilem, & gloriosissimam cęli palmam anhelamus, atque contēdimus. Tibi quidē omnis ætas, omnis sexus, omnis status, omnisq; conditio tantùm debet, vt qui iam te non veneratur, aut nō sincero cordis affectu, cultuq; prosequitur, is vel excors sit, vel prorsus iniquus: qui nec mereatur amplius solem inspicere, quando

tuum

tuum fulgorem, tuæq; doctrinæ lumen nequeat intueri. Sed neque sa-tis ipsis vt fruatur, dignus appareat elementis, cùm tuis tot, tãtisq; vitæ pabulis se aut pigeat, aut nesciat saginare, te etiam cogitans, non in vnius gentis, vel ætatis vtilitatem concessum, sed in publicam omniũ salutẽ, & vitã, sempiterno diuinæ prouidẽtię munere de cœlo delapsũ, in quo nesciat quid primũ admiretur, an vitæ sanctimoniã, an magnitudinem animi, an vbertatem ingenij, an facundiã, & nitorẽ eloquij, an doctrinam auream, & salutarem, infinitis penè voluminibus disseminatam? quæ dum secula steterint, quotidianos, & admirabiles pietatis fructus certo est allatura.

4 De cuius ingenij sublimitate, atque fulgore, vt ad vos patres, sermo iam redeat, si cum reliquis, vel sanctissimis, vel doctissimis, quos aut vsquam vidimus, aut vnquam legimus, viris, comparatio fiat; quid aliud de beato, plenoq; hoc domicilio sapientiæ, & scientiæ Dei, quid aliud inquã, quàm quod diuus, eruditissimusq; Hieronymus pulchrè ingenueq; testatur, erit mihi dicendum? cuius ad vnguem verba sunt ista. Augustinus Episcopus volãs per montium cacumina, quasi aquila, & ea, quæ in montium radicibus sunt, non considerans, multa cœlorum spatia metitur, terrarumq; situs, & aquarum circulũ claro sermone pronunciat. Qui.n. in lignum fructuosum ascendere vult, paulatim superiora, & maiora poma carpere festinat. Nos autem paruuli sumus, infirmiq;, & minores. Si inferiora cogitare voluerimus, nobiscum benè agitur. De quo etiã pulcherrimè beatus Isydorus ait; Omnium hominum studia Augustinus ingenio, vel scientia superauit sua. Nam tanta scripsit, vt diebus, ac noctibus non solùm scribere libros eius quisquam, sed neclegere quidem occurrat, neq; alio sensu in eius laudem singulare illud præconium mater Ecclesia concinit, quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi luna plena in diebus suis lucet, quasi sol refulgens, sic iste refulsit in templo Dei.

5 Iam verò vt de tanto ingenij pelago ad illius sanctitatem vela flectamus, sine qua scientia magis animum inflat, quàm ædificet, vt inquit Apostolus. Se enim putauit frustra sapere, quicquid ad virtutem, sanctitatemq; non saperet. Quamobrem perscrutationem omnẽ suã, curam, diligentiam, studium, ad eam comparandam ardentissimus retulit. Etenim cùm Christianæ militiæ primis initiatus insignibus, sub fidei iugo venisset, seq; veluti leonem deuictum, atque captiuum ad Christi vexillũ prostrauisset; quale contriti cordis, & efferuescentis pęnitentiæ signum dedit? Qui delicta iuuentutis, ignorãtiæq; suæ publico piaculo, publicaq; confessione diluerit, & tredecim libris, quos cõfessionum inscripsit, fecerit omnibus nota, maximeq; defluerit. Non

hoc loco modestiam, non temperantiam, non humanitatem erga omnes præcipuam, non perpeſsionem laborum, perpetuamq; aduerſus hæreticos dimicationem, & luctam extollã. Quę omnia præclara, ſummaq; facinora latè ſunt nota. Vir eſt Auguſtinus, Deum immortalem quã ſanctus, quàm doctus, quale ſpecimẽ Reipublicæ Chriſtianæ: quo vno multis ritibus, multis ſtatutis, moribus, cæremonijs pijs, ac venerandis eſt illa innixa, nec iniuria. Fuit.n. in viro illo ſtudium vberrimũ, cognitio ſacrarum ſcripturarum exactiſsima, iudicium acre, & extersum, ingenium ad miraculum acutum. Fuit ipſe ſincerioris pietatis diligentiſsimus propugnator, moribus manſuetiſsimis, & ad charitatẽ Euangelicam effictis, atque expreſsis, vitæq; integritate, ſanctitateq; inſignis, & adorandus; quæ omnia perſequi, ne volumine quidem iuſto poſsis, ne dum præludio. Nihil enim neq; prophanæ prætermiſit eruditionis, neq; ſacræ, quod non attingat, & exponat. Atque hæc omnia miro ingenio, maximo acumine, eruditione exculτiſsima, ſtilo mundo, & exterſo; qualis authorem per omne diſciplinarum ſcriptorumq; genus verſatũ exercitumq;, & res illas magnas, & præſtantiſsimas, & eos, quibus cùm diſputabatur, decebat.

6 Quod verò magis ad rem attinet noſtram, exclamare grato iã animo libet, candidiſsimi patres. O nos beatos, ò nos fœlices, qui vitæ inſtituta, & morum formam immortali dono ab Auguſtino deducimus. Sit mihi fas iactanter loqui, ac proſilire præ gaudio, dentq; veniã ceteri. Gloriari poſſe videmur ante alios principe optimo, Regula optima, legibus optimis. Nã cùm quadruplicem regularis vitæ normã probè conſectetur Eccleſia. Primam quidem, quæ à magno Baſilio ortum ducit, originis vetuſtate, penes graios nobilitatam. Alteram Auguſtinianam, quam ſequimur. Tertiam Benedicti monaſtica diſciplina claram, ac venerabilem. Poſtremam Franciſci aſperitate vitæ, numeroq; pollentem: inter has omnes, vt mihi videtur, tantùm noſtra hæc eminet, quantùm ſuper mortales ceteros ſapientia, atq; virtute, inq; reliquo omni genere laudis ſe omniũ maximus tollit Aurelius. Quis poteſt dubitare, vlla omnino potiora eſſe viuẽdi præcepta, quàm quæ tulerit in primis optimus, deinde peritiſsimus, ſapientiſsimus inſtitutor, atq; magiſter? Hunc ſapienter igitur, qui religioſam rem colunt, maiore ex parte inſtitutorem ſuſcipiunt, profitentur, ſectantur, ac tenent. Nec ſic mortalibus vſui aurora eſſe videtur, nec ſuum ſydus ijs, qui æquora nauigant, quàm præclara, & ſancta iſta, quam diximus Regula, quibus propoſitũ, & cura eſt de religioſa vita, atq; ſanctiſsima. Hæc imprimis ad ſe venientibus portum tutiſsimum aperit, & iter in cœlum directiſsimum ſtruit; nihil alligans, nihil præcipiens,

nihil

nihil vetans nō prorſus rectè, atq; ſanctiſsimè: nec eadē mollior, nec horridior, ſed planè ſingulis congruens, ab diſcipulorum Chriſti exēplo, vitaq; detracta, mediocritatem illam tenens, quæ inter nimium, & parum poſita, iure laudatur; contemplationi deſeruiens, actionem nec deſerens: & quod legis eſt proprium, nō diſputans: ſed breuiter ſanè præcipiens, admonensq; quod quiſque ſequatur, quod agat, qua in patres veneratione, charitate in fratres, mãſuetudine in ſubditos. quomodo veſtibus, quomodo cibis, quo cultu, quo ritu, quo ordine ſingulis, vel fruendum, vel vtendum ſit rebus.

7 Præterea alias videre licet regulas, quæ nō paucas corporis obſeruantias imponunt. At verò Auguſtini regula circa ſpirituales actiones plurimum verſatur. Cuius generis ſunt dilectio Dei, & proximi; cordium vnitas, & concordia morum, & quæ his ſimiles exiſtũt. Quis autem neſciat ſpiritus exercitia corporeis exercitationibus longè præcellere? Nam, & ſpiritus corpori, & legi carnali lex ſpiritualis præminere exiſtimantur. Duo quidem religioſorum genera, cùm ipſæ religiones in Dei Eccleſia oriri cœperunt, fuiſſe nouimus, anachoritarum, ideſt ſolitariorum, & cœnobitarum, hoc eſt in congregatione viuentium. Deinde verò temporũ ſucceſſu, atq; diſcurſu D. Benedictus regulam ad exemplar priorum cœnobitarum condidit, quæ quidē in Eccleſia Dei eximiæ eſt auctoritatis. At verò Auguſtiſsimus noſter Auguſtinus ad vitæ Apoſtolicæ exemplar ſuam regulam compoſuit, & conformauit. Quis autem ambigat, vitam Apoſtolicam vitæ cunctorũ viuentium citra alicuius iniuriam eſſe præferēdam? Quòd ſi antiquitatem etiam deſideres, nec id ad laudum ſuarum præconia deerit. Siquidem Auguſtiniana regula non ſolùm alias poſteriores, recentioresq; regulas, ſed etiam ipſam Benedictinam multis ſanè annis præit; atque præcedit, plurimorum virorum illuſtrium cenſura comprobata, diuerſorumq; Conciliorum acerrimo iudicio diſcuſſa, atque laudata, nec hactenus cuiuſquam maligni obiurgatoris calumniam paſſa eſt. Qui diſcendi cupiditate trahuntur, veros, gnarosq; rerũ, quas cupiunt, ſibi eruditores, magiſtrosq; aſciſcunt, quibus formandos ſe tradant. Vt philoſophi Ariſtotelem: Medici Galenum. Sic Paulum primã eremi lucem Antonius ſibi propoſuiſſe narratur. Sic Antonium magnus Hilarion, ſic Hilarionem Monachorum reliqua, cœnobitarumq; frequentia magno ſtudio eſt imitata. Nos autem quidquid eſt ſanctimoniæ, religionis, doctrinæ, virtutis, decoris, & laudis, nullo admirabiliore, vel magiſtro, vel duce auſpicari iam poſſumus. Confertote nunc cum hoc viro omnes omnium inſequẽtium poſtea temporum ſanctos, admirabileſq; in Eccleſia Chriſti patres, & proceres; confertote inge-

nia omnia, omniumq; actiones, & ocia; an huic, vnquam tam in ocio, quam in negotio, aut superiorem, aut similem dabitis, vel auditu, vel visu? Quid enim habet orbis Christianus hoc doctore, vel magis aureum, vel augustius? vt ipsa vocabula nequaquam fortuito, sed numinis prouidentia videantur indita viro. Auro sapientiæ nihil pretiosius, fulgore eloquentiæ cū sapientia coniunctæ nihil mirabilius. Sunt alijs aliæ dotes, prout visum est Spiritui Sancto, qui pro suo arbitratu partitur singulis iuxta mensuram fidei in Athanasio suspicimus seriam, ac sedulam docendi perspicuitatem: in Basilio præter subtilitatem exosculamur piam, ac mitem suaui loquentiam. In huius sodali Chrisostomo sponte profluentem orationis copiam amplectimur; in Cypriano spiritum veneramur martyrio dignum, in Hilario grandi materiæ parem grandiloquentiam; atque, vt ita loquar, cothurnum admiramur. In Ambrosio dulces quosdam aculeos, & Episcopo dignam amamus verecūdiam. In Hieronymo diuitem scripturarum penum optimo iure laudamus. In Gregorio puram, nulloq; fuco picturatam sanctimoniam agnoscimus; ac ne longum faciam, habet itidem, & ceterorum quisque ex eiusdem spiritus munificētia virtutes suas, quibus sese piorum hominum affectibus variè commendant. At non arbitror alium esse doctorem, in quem opulentus ille iuxta, ac benignus spiritus dotes suas omnes largius effuderit, quàm in Augustinum; quasi voluerit in vna tabula viuidum quoddam exemplar Episcopi representare, omnibus virtutum numeris absolutum, quas post Christum Episcoporum principem, Petrus, & Paulus requirunt in his, qui pascendum domini gregem susceperunt.

8 Est planè noster Augustinus, sal terræ; qui probè intellexit ad se expectare illa, quæ sibi data fuit, sapientia, & virtute, non solùm populos sibi commissos, sed & alios plurimos condire, & erudire ad veritatem, atque iustitiam. Quomodo salis est per inditam sibi singularem virtutem carnes à corruptione seruare, & cibos omnes condire, vt bonum de se fundant, gratumq; saporem; sic sua interesse putauit per doctrinā veritatis ceteros simpliciores à corruptiōe, & putredine mortis ad vitam immortalem custodire, & eo pacto spiritualiter quoque condire, vt non fœterent, sed essent odor bonus, & sapor gratus Deo in odorem suauitatis. Pastoris enim interest, vt quasi sale sapientiæ, scientię, virtutis, & vitæ sanctę exemplo, homines in statum beatitudinis, & virtutis sanctæ conseruet; humoresq; illorum carnalium operum exiccet, peccatorum, vitiorumq; virus auferat, putredinem male cōuersationis detergat, & vermē libidinosæ cogitationis interficiat. Id quod Augustinus abundè, egregieq; præstitit.

9 Est item Augustinus lux mundi;quoniam ad hoc electus fuit, vt per suæ prædicationis ministerium, ad quod assumptus fuit, mundus illuminaretur Euangelicæ veritatis lumine. Omnis profectò, quæ apud sanctos doctores est tradendæ doctrinæ ratio, duabus potissimũ partibus posita est, vt est à sapientibus viris diligenter obseruatum. Historia videlicet, & oratoria; Vtranque sanè Augustinus ditissimè expleuit. Siquidem in historia,si scripta sua diligenter euoluas,non tantùm antiquitatem commemorat, aut temporum monumenta, locorum, hominum, rerumq; gestarum, vt prophani solent scriptores; sed & exempla æquitatis,consumatæ iustitiæ, vitæ optimæ, fidei, atq; virtutum omnium imitanda proponit. In oratoria verò ad virtutem mortales semper excitat,& acuit, hortatur, dehortatur, consolatur nonnunquam,genus omne flagitij insectatur acerrime, vt hæreticorũ cultum,scelus perfidiæ,fallacias,& prestigias hominum,expilationes pauperum,& oppressiones, maximè verò neglectum, atq; contemptionem diuinæ legis. Docet etiam quale sit Dei ingenium, quæ eius voluntas,quid in nobis potissimum spectet, quibus rationibus illius voluntati humana omnia studia sint accommodanda. Sed, & ad pœnitentiam vocat omnibus modis, & ad excitandam hominum oscitantiam,& socordiam, iram Dei minatur, & grauissima in nepharios homines intentat supplicia,vt eos à flagitio, & perdita vita reuocet. Ad erigendos præterea cadentes animos, & desperationi proximos diuinas promissiones, & antiqua in electos homines beneficia, quibus exuberantem suam bonitatem declarabat, proponit. Erit proinde Augustiniana lectio nobis & accõmodata, & vtilis, omnibusq; modis per se magnifica, & salutaris. Vides huius lucis vberrimos fructus? Præterea non potest ciuitas illa latere homines, quæ in edito loco, in vertice montis constituta est, sic neque Augustinus, qui in eminenti gradu constitit, in doctorum Ecclesiæ numero primus constitutus, latere potuit, neq; in occulto sibi tantùm viuere; sed orbi toti factus est manifestus, vt ad eum, tanquam ad tutissimum refugij locum fideles populi confugiant,sub eiusq; cura,protectione,& eruditione,à tyranni insultibus reddantur securi. Quomodo solent ciuitates esse munimentum, & securitas suorum ciuium, & eorum qui ad ipsas confugerint,contra hostium insultus.

10 Sed neque solent quidem homines candelam,aut facem accendentes accensam ponere sub modio,aut vase aliquo coopertam, vt lumen occultetur, sed postquàm accensa fuerit,cãdelabro eam superponunt, & in loco eminentiori constituunt, vt de beneficio luminis eius participare possint omnes, qui in domo, aut loco illo sunt. Et ad singulos

eius loci angulos valeat lumen dispergi. Ita nec Augustinus arbitratus est, ad hoc sibi fuisse collatam doctrinam illam cœlestem, eoq; lumine superno accensum,& illuminatum, vt sibi soli viueret, quasi sub modio latens, sed in communem totius orbis vtilitatem sibi dari cognouit hoc diuini luminis beneficium.

11 Quapropter beatissimi Augustini merita in tuto posita, securi iam magnificemus, qui gubernaculum fidei viriliter tenẽs, anchoram spei tranquilla iam in statione composuit, & plenam cœlestibus diuitijs,& æternis mercibus nauem optato in littore collocauit; qui contra omnes aduersarios scutum timoris Dei, tandiu sine defatigatione tenuit, donec ad victoriam perueniret. Quid enim fuit totus vitæ illius cursus, nisi vnius cum vigili hoste conflictus.

12 Quot hic cæcis à via veritatis errantibus, & de summa iam in profundum rupe pendentibus amissum reddidit visum,& illum, quo Christus videretur, reparauit intuitum? Quot hominum auribus surdis,& infidelitatis obturatione damnatis, ad percipiendam vocem cœlestiũ mandatorum pretiosum infudit auditum, vt vocanti Deo ad misericordiam responderet per obedientiam? Quot intrinsecus vulneratos angelici oris arte,& orationum ab infirmitate curauit? Quot per longam incuriam peccati labe resolutos,& quanta lepræ contagione perfusos, castigationibus, exhortationibus, Deo in se operãte mundauit? Quot hominum animas viuentes in corpore iam defunctas,& delictorum mole obrutas, ac sepultas, ad emendationem, tanquàm ad lucem vocando, Deo resuscitauit.

13 Huius celeberrimi doctoris ardens memoria ad ipsius heroicorum operum enarrationem linguam nostram euocauit: Qui iam ad tranquillam, omnisq; perturbationis expertem vitam translatus est, eoq; nauigium appulit, vbi deinceps non poterit metuere naufragium, nec vllam animi deiectionem, aut dolorem. Hunc sanctissimum virum miris laudibus sublimem effert Cælestinus huius nominis primus, in epist. 1. ad Episcopos Galliæ. Augustinum, inquit, sanctæ recordationis virum pro vita sua, atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec vnquàm hũc sinistræ suspitionis saltem rumor aspersit; quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, vt inter magistros optimos etiam ante à meis decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, vtpotè qui vbique cunctis,& amori fuerit, & honori. Hunc ipsum Augustinum, illustrissimum latinorum doctorum synodus Florentina nuncupauit. Ceteras eius & animi,& corporis dotes breuitatis ratio intermittere, finemq; dicendi maturare me planè cogit. Id potissimum vnum hortor, atque commoneo, vt ere-

ctiore

ctiore iam animo ad propositã palmam curramus alacres,perq; summi nostri huius vestigia patris, cœlestia petentes nunquàm, vel transuerso quidem crine ab eius institutis,præceptisq; aberremus. Sic Augustino duce verè digni,sic fortes humanorum contemptores,sic hostium victores gloriosi,sic postremò vitæ beatæ municipes cum angelis in æternitate futuri.

De vi obligatoria Regulæ Augustinianæ. Prælud. ij.



1 Ec infrugifera,nec à re proposita aliena esse mihi videtur celebris illa D. Thomæ disputatio.-22.q.186.art.9. Dum percunctatur; An Religiosus semper mortaliter peccet,cùm ea, quæ in regula continentur, transgreditur?illius verò præclari doctoris sententia his paucis cõtinetur. Votum professionis,paupertatem,continentiam,& obedientiam potissimum respicit;alia verò omnia ad hæc tria ordinantur. Idcircò horum trium transgressio ad mortale obligat. Aliorum autem violatio non obligat ad mortale,nisi propter contemptum Regulæ ex diametro aduersantem professioni,per quam quispiam vouit regularem vitam: vel certè propter præceptum, siue oretenus à prælato factum, siue in Regula expressum. Hoc enim esset facere contra obedientiæ votum.

2 Hæc quidem sẽtẽtia sic vtcunq; explicatur.D.enim Gregor.lib.1. Moral. comparat vitam secularem mari fluctuanti, vitam autem religionis portui tranquillo. Sed si quælibet transgressio eorum, quæ in Regula continentur, Religiosum obligaret ad peccatum mortale,status religionis esset periculosissimus propter multitudinem obseruantiarum. Non ergo quælibet transgressio eorum,quæ in Regula continentur,est peccatum mortale. Secunda ratio, tametsi Religiosi voto professionis ad seruandam Regulam astringuntur, cùm tamen profitentur Regulam, non vouent seruare omnia, quæ sunt in Regula, sed vouent regularem vitam,quæ in tribus prędictis essentialiter consistit: vnde fit,vt in quibusdam religionibus cautius aliqui profitentur, non quidem Regulam, sed viuere secundum Regulam, tanquàm secundũ quoddam exemplar, id quod per contemptum tollitur. In quibusdã autem religionibus adhuc cautiùs profitentur obedientiam secundũ Regulam. Quo quidem modo professioni non contrariatur, nisi id quod est contra pręceptum Regulæ:trãsgressio verò, vel omissio aliarum obligat solùm ad peccatum veniale.Tertia ratio,non omnia quæ continentur in lege traduntur per modum præcepti,sed quædam proponuntur per modum ordinationis cuiusdam, vel statuti obligãtis ad

certam

certam pœnam, quemadmodum etiam in lege ciuili non facit semper dignum pœna mortis corporalis transgreſsio legalis ſtatuti. Ita nec in lege Eccleſiæ omnes ordinationes, vel publica ſtatuta obligant ad mortale. Ergo ſimili ratione omnia ſtatuta Regulæ ad mortalem noxam non aſtringunt. Hactenus ex D. Tho. Adde etiam, quòd non omnia, & ſingula contenta in Regula obligẽt ad mortale, docetur expreſsè ex determinatione Eccleſiæ de fratribus Minoribus facta in Clem. Exiui, de verb. ſignif. Qui quidem fratres profitentur ſeruare Regulã. Decernitur tamen illic, quod ex profeſsione ſuæ Regulæ non tenentur ſub præcepto ad omnia, quæ ſunt in Regula, ſed ad ea tantùm, quæ in illa ſunt de præcepto.

3 Ad dilucidandam verò Regulæ vim, atque poteſtatem, plurimum conducet breuis quædam commentatio ex non contemnendis authoribus concinnata. In primis igitur animaduertendum eſt, Henricum Gandauenſem fuiſſe opinatum, omnia contenta in Regula Auguſt. cadere ſub præcepto, quẽ Summa Angelica libenter inſequitur; ob idq; eam regulam Summi Pontificis indigere declaratione aſſerit. Præcipua verò huius opinionis ratio eſt illa, quæ ab illo verbo Præcipimus, in eius frontiſpicio conſcripto ſumitur: ait enim. Hæc igitur ſunt, quæ vt obſeruetis præcipimus in monaſterio conſtituti. Deinde dictio Igitur, illatiua in quibuſdam codicibus non legitur.

4 Hanc verò opinionem exhibilant, & refellunt magiſter Humbertus hoc loco, Io. Dominicus, & Guido Bayſus Bononienſis Archidiaconus, qui Regulã ipſam declararunt, & D. Anton. 3. par. tit. 16. cap. 1. §. 6. Et Silueſt. in verbo Religio, 1. q. 11. Eandem opinionem S. Tho. & alter Tho. Caietanus ſtrenuè confutauerunt. S. Thomę aſſentiuntur vniuerſi iuris Canonici doctores, præſertim Felinus, & Panor. in cap. Nam concupiſcentiãm, de conſtitut. Aduerſus quam non parui momenti eſt illa conſideratio, quòd verba illa citata planè intelligenda ſunt non de ijs, quæ in Regula dicenda, tradendaq; erant; ſed de duobus charitatis præceptis, quæ vice prologi tanquàm fundamenta author præiecerat, & conſtituerat, id quod apertè conſtat. Vtitur. n. dictione illatiua Igitur, quam in nonnullis codicibus breuitatis cauſa ſublatam eſſe cenſemus. Secunda ratio, nulla. n. profectò Summi Pontificis interpretatione in re conſpicua, ac dilucida opus eſſe arbitramur. Illa nanque Henrici opinio, Silueſtri iudicio ſtolida eſt, quippe quæ illuſtriſsimo doctori Auguſt. imponit, adſcribitq; cum voluiſſe, aut ſenſiſſe ſub præcepti obligatione tot minutula conſtituere, quæ vix etiam à viris perfectiſsimis obſeruari poſſent. Cuius generis eſt illud in inceſſu, ſtatu, habitu, & in omnibus motibus veſtris nihil fiat, quod cuiuſ-

cuiusquã offendat aspectum, & alia similia. Tertia ratio, dictio Præceptum, longiuscula significatione pro admonitione illic ab Augu. vsurpatur; frequenter.n.in scriptura monitiones paternæ patris præcepta vocantur, vbicunq; ex forma præceptũ est, non tamen ex materia, aut intentione. Quarta ratio, omnia quæ in Regula continentur, in triplici sunt differentia, vt citati testantur authores: quædam.n. substãtialia sunt, vt præcepta Dei, & Ecclesiæ, & tria præcipua vota. Hæc quidẽ ad mortalem noxam obstringunt. Quædam verò media sunt, ac declaratoria, potissimum decernentia, quemadmodum substantialia illa, quæ primum locum obtinent; seruanda sint. In hoc quasi secundo prædicamento collocantur, quæ de non habendis, aut celerrimè finiẽdis rixis pro præcepto charitatis ritè custodiẽdo traduntur, quãdoque Pręposito, idest Priori, vel Presbytero, idest Episcopo obediatur, quo obedientiæ modus præscribitur. Quòd etiã quispiã nolit fœminas appetere, vel ab eis appeti, id quòd castitatis votũ exornat. Nõ dissimile illud est, quòd habeatur victus sub vno cellario, vestitus sub vno vestiario, libri sub vno librario, quodq; nemo accipiat occultè litteras, aut munus aliquod, quæ omnia ad fugiendã proprietatẽ viam sternunt, atq; complanant. Hæc sanè omnia sub præcepto cadere peritis videtur. Quoniã verò hic dè præcipientis intentione, ac mente non constat, sed neque certa, limitataq; pœna subiungitur, sic limitanda, enarrandaq; sunt, si materia eorum sit præceptiua, hoc est de se prohibita iure naturali. Dicitur autem materia præceptiua, authore Syluestro in verbo Pręceptum q.3. quando est de necessarijs ad iustitiam, vel ad charitatem, vel ad diuinam reuerentiam.

5 Cautè tamen, ac prudenter illud mente retinẽdum est, quod Anto. loco superius citato asseruit, dicens; Maximè verò videtur textus Regulæ instare circa perfectissimã expropriationem in particulari; qualia omnia illa sunt, quæ de communi cellario, vestiario, librario, atque muneribus nunc retulimus. Aduersus quæ absq; causa ineuitabili alicui Prælato dispensare non licet. Alia tandẽ sunt in Regula cõscripta, tanquã adiumẽta quędã ad Religionis ornatũ. Hæc verò non obligãt, nisi vt consilia. Huius tertij generis est illud; Carnem vestrã domate, &c. Et illud Codices singulis dieb. petãtur, & quę huiusmodi sunt.

6 Scitus quoq;, ac elegans est secundus responsionis modus, quẽ Caietanus loco citato nobis subministrauit. Inter obligationem, inquit, ad mortale peccatum, & libertatem ad opera consiliorum, media interiacet obligatio ad veniale. Itaque sub præcepto cadit omnis obligatio, aut quidem ad mortale, aut certè ad veniale. Vitare.n. etiam tenemur venialia. Quocirca quia præcepta, vt contra consilia distinguũtur,

tur,

tur,non obligant necessariò ad mortale, sed ad mortale, vel veniale, manifestò fit consequens, vt meritò ex ignorantia processisse censeatur,ex præcepti affirmatione determinatè inferre peccatum mortale, vel ex negatione præcepti ad mortale inferre quod est de cõsilio,medium.n.situm est ipsum veniale. Quæ res multos scriptores latere videtur. Ne verò suspiceris,nouam me ingerere doctrinam, consule D. Thomam in multis quæstionibus: quando videlicet differit de præceptis fidei,spei,charitatis,prudentiæ,iustitiæ,fortitudinis,& temperantiæ:perspciesq; multa sub præcepto comprehendi, ad venialem tantũ culpam obligantia. His adde,quod August. in Regula ad hunc modũ vsus est præcepti nomine,cũ dixit; hæc sunt, quæ vt obseruetis præcipimus,in monasterio constituti,ex illo.n.præcepto obligantur professores illius Regulæ ad obseruandum omnia ibidem mandata. Non tamen idcirco transgressores mortali peccato innodantur. Quoniam verbũ Præcipimus,habet quidem vim obligatiuã, sed nõ determinate ad mortale; quare ex illo verbo nõ licet talẽ obligationem inferre.

7 Tertius responsionis modus, qui superiora dilucidat,ab Humberto hic traditur. In verbis quidem diuinis quædam reperiuntur,quę habent in se modum,& intentionem præcepti, vt hæc mando vobis,vt diligatis inuicem,sicut dilexi vos. Quædam verò habent præceptum in intentione,quamuis non in modo,vt non furtum facies. Quædam autem habent præcepti modum,sed non intentionem, vt sanationem surdi,& muti Christus præcepit,ne cui dicerent. Quis.n. audeat asseuerare,Christi animum fuisse obligandi eos ad mortale peccatũ cum miraculorũ Christi pręcones afficerẽtur. Simili sanè iudicio,atq; cẽsura improbabile iudicãdum est, sacrum Augustinum, virum alioqui sapientissimum,etiam præcipiendi locutione vtentem intendisse, ac voluisse vniuersa sub pręcepto concludere,tantamq; damnationis materiam ijs administrasse, qui pro salute animarum quęrenda ad suam Regulam confugissent.

8 Vsus est autem non inutiliter præcipiendi verbo,quòd vehementer optaret,& vellet omnia seruari. Ad exprimendam igitur suam voluntatem, ac feruens desiderium,non vsus est alio simplici verbo. Ne vlla daretur occasio ex tenui loquendi modo,pigritiæ humanæ negligẽdi mandata Regulæ. Vt Marc.6. præcipit Discipulis ipse dominus, ne quid in via tollerent,nisi virgam tantum. In ipsis quoque sacris litteris quædam reputantur exhortationes, vt si quis te percusserit in vnã maxillam,præbe ei & alteram, quod quidem consilium est. Sed cùm Luc.7.dicitur, mutuum dantes, nihil inde sperantes, licet sit idem loquendi modus,reputatur tamen præceptum. Iuxta vulgatam etiam homi-

hominum locutionem,vtentes verbis imperatiui modi, non ſemper imperamus,ſed aliquando inuitamus, nonnunquam conſulimus, aut adhortamur,nec verbum pręcipere,ſemper eſt propriè per auctoritatem imperare: Sed potius anticipare,præmonere, inſtruere, docere, vnde & artium magiſtri vocantur præceptores,doctores, inſtitutores. Sic Plinius lib.18. cap.24. ait; Heſiodus, qui princeps omniũ de agricultura præcepit; & ideò eorum documenta,præcepta dicuntur. Vnde præceptum aliquando pro iuſsione; aliquando pro diſciplina, ſiue documento, ſiue admonitione, aut pro documẽto tradito ad aliquam artem percipiendam accipitur, id quod peruulgare eſt. Et noſter Alphonſus Toſtatus Epiſcopus Abulẽſis in Exo.tom.2.fol.35. & in Leu. fol.192.10.explicuit dicens; Hoc verbum Præcipio interdum ſignificat admonere,interdum docere. Quemadmodum etiam Apoſtoli,ac Iudæi,qui à Chriſto doctrinam fidei ſuſceperunt,vocant ipſum præceptorem ſuum,eiuſq; ſalutares doctrinæ rectè Euangelica præcepta appellantur. Ad hæc quando dixit Matth.4.Saluator ad Petrum, & Andream. Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. Non vtiq; per imperium dixit. Enimuerò veniẽs Ieſus de deſerto,vbi quadraginta diebus,ac noctibus in oratione Dei latuerat,incognitus omnibus,quomodo imperaſſet piſcantibus caſu repertis? Non igitur imperantis eſt illa locutio,ſed inuitantis. Præterea Hierem.35.legimus Rechabitis à patre fuiſſe dictum. Non bibetis vinum, domũ non ædificabitis, vineas non plantabitis. Hæc non ſunt imperata,quia patriã poteſtatem longè excedebant,ſed documenta pij patris;multum momenti ad colendam pietatem habentia. Vnde huiuſmodi ſolent doctrinæ, poſitiones, exhortationes, & redargutiones. Sic iudicandum de verbis nonnullis Regulæ Auguſtinianę.

Quòd ſi adhuc interroges,qua via præcepta à conſilijs,& exhortationibus dignoſcemus? Reſpondet Humbertus,Virorum ſapientium iudicium, & doctrina, & ratio nos docebunt, quænam ſint præcepta, quæuè conſilia,aut ſimplices exhortationes. Hanc.n. diſcernendi regulam in ſacris ſcripturis intelligendis obſeruamus, cùm ipſæ eãdem, vniformemq; loquendi formam nobis proponunt. Huic noſtræ ſententiæ patrocinatur Dom.Sotus libr.1.de iuſt.& iure art.4.vbi exquirit ſignum, quo dignoſcendum eſt, quænam lex obliget ad culpã, quæ verò minime. Sunt autem iuris interpretes,qui aiunt; leges, quibus ſubnectitur pœna,non obligare ad culpam; quam opinionem ob manifeſtam falſitatem art.5.idem Sotus multis rationibus damnat,& reprobat ex S. Tho. 2.2.q.108.art. 4.Caietanus verò inſinuat in materia de ieiunio opus eſſe,vt lex proferatur cum additione,quod obligat

ſub

sub peccato vel mortali, vel veniali, & idcircò lex; quę illud non explicat, non obligat ad culpā. At verò contra Caietanū sentimus; leges .n. nunquam ferri consueuerunt cum huiusmodi accessione, sed ex operibus, natura, & grauitate illud est perpendendū. Quocirca fidissima regula est. Omnis lex, quæ absolutè fertur, idest, quæ cōtrarium non explicat, obligat ad culpam vel venialem, vel mortalem secundū pretiū operis. Ratio verò manifesta est, quoniam lex secum adfert obediētiæ præceptum: obedientia autem per se est virtus, & inobedientia peccatum. Quare opposita legislatoris voluntas id explanare debet, si velit suam legem ad culpam non obligare.

De potestate Regulæ, et Canonicarū Constitutionum. Prælud. iij.

1 
Ro ampliori verò tàm Regulę Augustinianę, quàm Canonicarum Constitutionum explanatione, pauca quædam documenta ex præclaris authoribus diligenter accipienda sunt. Primū documentum, nulla lex humana, etiam iusta obligare potest transgressorē ad culpā mortalem, nisi ea sit circa materiam, quæ possit sufficientem causam præbere ad iniungendam talem obligationem. Etenim legislator nihil sine legitima causa, & ratione pcipere potest. Alioqui vt Aristoteles docet 5. & 8. Eth. censetur tyrannus. Nam longè à ratione naturali abhorret, vt de quacunq; re leuissima Regula statuatur, aut pręceptum ad culpam mortalē obligans. Esset quidem crudelior politiæ spiritualis, quàm corporalis seueritas. Nā hæc pro re leui neminē ad corporalem mortem adigit, igitur nec illa ad mortem spiritualem. Huic quidem sententię suffragatur, atq; consentit Ricardus de S. Victore in tract. de differentia peccati mortalis, & venialis. Mortale peccatum, quantum mihi videtur, triplici ratione distinguitur. Mortale est, quod à quouis non potest committi sine graui corruptione. Item mortale est, quod nō potest committi sine graui lęsione proximi. Mortale demum est, quod non potest committi sine magno contēptu Dei. Cetera verò omnia mihi venialia videntur. Grauē igitur semper oportet esse rem, circa quam mortale peccatū committi possit. Ex hac regula conuincitur crassa quorundam Prælatorum, præsertim Religiosorum ignorātia, qui sibi suadent, posse subditis suis quidquid voluerint, cum obligatione ad culpam mortalem præcipere. Hinc nonnūquam præceptis: præcepta addunt; pro leuibus causis, quę parū, aut nihil ad Religionis obseruationem faciant, obedientiæ necessitatem iniūgunt, vt propter silentij violationem, aut propter tardum ad chorum accessum, aut propter solam vnius lactucæ sine licentia manducationem.

tionem. Hæc enim omnia,& his similia non sunt tanti valoris, vt Religiosi grauiter noceant. Nisi fortè cuiusquam adiunctæ circunstantiæ grauitas aliud persuaserit,aut certè alicuius grauis scandali ratio habeatur. Caueant igitur Prælati,ne in eos illud Ezechielis cap.34. verè contorqueatur.Cũ austeritate imperabitis eis,& cũ potentia. Et illud Saluatoris nostri.Imponunt onera grauia, & importabilia; Matth. 23.

2 Secundum documentum, si lex aliqua obligat transgressorem ad culpam mortalem propter iustam causam præsentem, cessante tali causa,cessat & ipsa obligatio.Exemplo fiet res manifestior; si propter graue scandalum,quod inde verisimiliter timetur, pręciperet Pręlatus sub obligatione ad culpam mortalem, ne aliquis Religiosus accędat ad hortum communem cõuentus,aut ne accedat ad certam secularis hominis domum,aut certam personam non alloquatur, quoties scandali occasio manet, ipsa etiam obligatio ad culpam mortalem perseuerat.Si verò scandali occasio est prorsus ablata, tunc obligatio præcepti ad culpã mortalem erit penitus nulla; etiã si ipse Pręlatus nõ reuocauerit præceptum suum,sed velit subditum adhuc manere eadẽ obligatione constrictum.Omnis.n. res per quascunque causas nascitur,per easdem dissoluitur. Sublato igitur scandalo, aufertur quoque ipsa obligatio.Id tamen admonendum, non satis esse partialẽ causam cessare, vt legis obligatio cesset. Exemplum esto. Quamuis quispiam virtutum exercitijs carnem suam spiritui planè subiecerit, ad ecclesiastica tamen ieiunia obseruanda tenetur: quia repressio carnis non est sola causa,propter quam indictum est ab Ecclesia ieiunium; sunt enim & alię,vt mentis eleuatio in Deum,augumentum meriti, & præmij,quę satis sunt ad obligationem ieiunij imponendam.

3 Tertium documentũ; lex humana de re graui aliquid statuens obligat transgressorẽ ad culpam mortalẽ,aut venialem iuxta variã legislatoris voluntatẽ, quæ ex varijs ipsius legis verbis conijci potest, & nõ aliunde,nisi fortè legislator ipse consuli posset,& suam voluntatẽ voce exprimeret. Quartum documentum ad comprehendenda verba denotantia obligationẽ ad culpam. Quidquid in iure Canonico statuitur per verbum præcepti, aut æquipollentis præcepto, denotat illius canonis trãsgresionem esse culpam mortalem. Quod quidem apertè colligitur ex Clem. Exiui de paradiso.§. cùm autem. Nam Pontifex eo in loco nõ ait,hoc esse peculiare in Regula fratrum Minorũ, quam tunc interpretatur: sed ad illius interpretationem, præsupponit tanquam ex iure manifestum,verba significantia præceptum, & verba illis æquipollentia, habere vim exprimendi obligationem ad culpam mortalem:quamuis autem in iure Canonico ita se res habeat, non ta-

men inferendum est, idem in omnibus alijs statutis necessariò intelligendum. Nam, & in lege diuina multa sub verbo præcepti conscribuntur, quæ tamen non ad mortale, sed ad veniale duntaxat obligāt. Verba igitur præcepti sunt, præcipio, mando, iubeo, prohibeo, inhibeo, veto, interdico. Verba æquipollentia præcepto sunt, debeant, teneātur necessariò, necesse est, non licet, non potest: vel si hæc verba adderentur, videlicet in virtute sanctæ obedientiæ, aut sub interminatione gehennæ, apertissimè declararetur obligatio ad culpam mortalem. Verba autem imperatiui modi nequaquā præcepto ęquipollent, quidquid Panor. in cap. vestra. de cohabitatione cler. &c. senserit. Siquidē, & magna esset præceptorum congeries, & consilia Euangelica præceptis æquipollerent. Quoniam sub imperandi forma proferuntur. Præterea hoc verbum oportet, non semper eandem ostendit obligationē; Aliquando nanq; dicit necessitatem præcepti, vt in cap. 1. de præscriptio. lib. 6. aliquando dicit solam rationis congruentiam, & honestatē, vt in cap. 1. 25. quæst. 1. Idcircò nec præcepto æquipollere censebitur. Quintum documentum; si verba talia sunt, quæ apertè non indicent præceptū, nec æquipolleant verbis præceptiuis, qualia sunt ista, decernimus, statuimus, ordinamus, volumus, sancimus. Tunc diligēter aduertēdum est, an pœna aliqua illic statuatur cōtra trāsgressores: quæ si talis est, qualis non nisi pro peccato mortali infligi potest, ex illa pœna adiuncta, conuincitur intentione legislatoris fuisse obligare transgressorem ad culpam mortalem. Pœnæ huiusmodi sunt excommunicatio, degradatio, priuatio ecclesiasticæ sepulturæ, mors, carcer perpetuus, confiscatio omnium bonorum, infamia. De irregularitate verò, & suspitione dubia res esse videtur, quòd illæ aliquando pro sola veniali culpa, aliquando sine vlla culpa imponuntur. Consule hac in re Alphonsum Castrum eruditissimum virum lib. 1. de potestate legis pœnalis cap. 5.

4 Ex omnibus superioribus facilè cognoscemus prę̄stantem Augustinianæ Regulæ rectitudinem, maximè verò si quam pulchris qualitatibus exornetur, didicerimus, iuxta Isydori amussim exactam, qua optima cuiusque Regulæ bonitas ponderatur: ait ergo Isydorus lib. 5. Ethim. cap. 3. lex religioni congruat, disciplinæ conueniat, saluti proficiat. Prima igitur bonæ legis conditio ad legem spectat æternam, quæ fons est totius rectitudinis: idcircò eam religioni congruere necesse est; nempe qua Deus colitur, qui primus statuendus est finis nostrarum actionum. Hoc. n. ipsum, & Plato lib. 1. de legibus, agnouit. Regula autem Augustiniana nihil est aliud profectò, quàm lex, & præscripta forma, quę humanas actiones in debitum finem beatitudinis

titudinis cœlestis ducit; & præterea mensura, & regula ad exemplar æternæ,naturalisq; legis posita; est etiam in Dei cultu exercendo maximè occupata. Secunda bonæ legis conditio est in ordine ad naturalem legem,quæ alterum est eius exemplar. Ob idq; disciplinæ omnino conueniens. Disciplina.n.(vt Plato secũdo dialogo de legibus docet) est puerorum educatio,morumq; nostrorum institutio:idem ergo est disciplinæ conuenire,quod regulam esse moribus componendis appositam. Quæ quidem disciplina tradenda hominibus est secundũ eorum naturam.Iam verò quàm vigilans sit bonorum morum præceptrix Augustini Regula,omnibus exploratum est. Tertia, legis rectæ conditio est respectu finis,vt lex saluti, incolumitatiq; hominũ proficiat.Vocatur.n. hic salus optima animi dispositio, qua ab ingruentibus affectionibus,& prauis moribus,qui nostræ sunt calamitates, præseruamur incolumes.Est autẽ Augustini Regula vniuersis animę morbis curandis antidotus vtilissima.

5 Præter has verò iustæ legis conditiones, alias quoq; Isydorus tradidit lib.5.Ethim.cap.21.quæ referuntur,dist.5.cap.erit autem. Erit, inquit,lex honesta, iusta, possibilis,secundum naturam, secundũ patriæ consuetudinem,loco, temporiq; conueniens, necessaria, vtilis, manifesta quoq;, ne aliquid propter obscuritatem in captione contineat,nullo priuato commodo,sed pro communi ciuium vtilitate conscripta. Ex quibus tamen omnibus eas duntaxat excerpemus,quæ nostro negotio aptius conuenerint. Honesta igitur ea lex esse dicetur, quæ turpis non est,quæ nimirum oculos, & aures non offendit. Quales erant apud miseros illos Ethnicos ritus, & leges suorum templorum, vt lex Bacchanaliorum,quæ & crapula,& obscœna hominũ nuditate celebrabantur. Item lex iusta, & possibilis sit oportet. In tribus enim humana disciplina posita est; primum vt rationi sit exequata,eius in cunctis lineam tenens; in quo ratio iustitię consistit.Deinde humana disciplina in hoc consistit, quòd sit in nostra facultate, more,& vsu,legum præscripta sequi. Hoc ergo est,quod ait, possibilis secundum naturam, hoc est secundum cõditionem eorum,quibus lex imponitur. Possibilitas.n. legis ex ciuium ingenio,conditione, & qualitate sumenda est. Hanc etenim Isydorus naturam vocat. Non enim pueris,& ætate nondum firmis,senioue confectis eadem iuberi exercitia conuenit,& laborum grauamina, quæ alijs firmioribus, & validioribus rectè iniungi possunt; neq; tot ieiunia,aut spiritualia officia sunt lege à secularibus exigẽda,quot à viris religiosis exquiri possunt.

6 Nonnullæ verò ex reliquis conditionibus recitatis ad hominum salutem spectant.Debet. n.lex homines & à malo retrahere, & in bonũ

promouere. Ob idq; sit lex necessaria, videlicet ad cauendum incommoda, & nocumenta, quibus peruertimur. Vtilis autem erit, si in bonum promoueat. Legum autem necessitati, & vtilitati plurimum obest ipsarum multitudo, qua subditi obruuntur. Sufficiant ergo quæ penitus sunt necessariæ; nam ipsa multitudo fit statim impossibilis. Postea etiam confestim leges redduntur quasi aranearum telæ, quibus muscæ irretiuntur, non leones. Legum enim immodica congeries hoc vnum præstat, vt boni, & mites; qui tot legibus non indigent, circunsepti viuant; peruicaces autem, & indomiti plures leges habeant, quas pessundent ad suas explendas libidines. Hæ profectò bonarum legũ conditiones mirum in modum Augustini Regulæ quadrant, quæ nusquam non modestiam, mediocritatem, prudentiam, & rectitudinem obseruat.

7 Illud etiam hoc loco enucleandum, cur videlicet hoc sacri Augustini opusculum Regula nuncupetur? Qua in re Hugo de S. Victore in suo cõmentariolo in hanc Regulam, qui sæpè à nobis citandus est, sic proloquitur. Hæc præcepta, quæ subscripta sunt, ideò Regula appellantur, quòd in eis nobis rectè viuẽdi norma exprimatur. Regula autem dicitur, eo quòd rectè regat, vel rectè doceat. Et quod nos Regulam dicimus, Græci canonem appellãt. Hinc etiam Græco nomine Canonici, idest Regulares appellati sunt hi, qui in Monasterijs constituti, iuxta regularia præcepta sanctorum Patrum Canonicè, atque Apostolicè viuunt. Hos quidem tanquàm charissimos fratres in hoc opusculo alloquitur, & summo studio instruit Augustinus. Regula etiã dicitur norma, qua lineæ diriguntur, quasi mensurã regens; per trãslationem verò dicitur breuis rerum præceptio. Eandem rem perdoctè explicat magister Humbertus in exordio suarum enarrationũ huius opusculi, qui etiam crebro à nobis in medium adducetur. Regula, inquit, bifariam dicitur, vel à rectitudine, qualis illa est, quã vtuntur scriptores, lignarij, & cementarij. Dicitur etiam à regendo, vt in traditione scientiarum; iuxta priorem quidem significationem, siue deriuationem, hæc regula distortas, tortuosasq; hominum vitas dirigit; gibbi quoque superbiæ, atque superfluitatum per ipsam complanantur; quin & homines quadrati efficiuntur lapides ob virtutũ culturã, ædificioq; cœlesti aptissimi fiunt, & iuxta cementariorum artem diuersi, multiq; in vnum ædificium coniunguntur, & coeunt. Lineæ quoque scripturarũ, idest mores, actionesq; nostræ rectissimè fient, si Regulæ Augustinianæ rectitudinem secuti fuerimus. Demum iuxta sciẽtiarum methodum egregias, certasq; viuendi sanctiones nos hic habemus, quas ante oculos nobis semper proponamus. Eadem Regulæ

ethymo-

ethymologia docetur in cap.Canō,& in cap.Regula.dist. 3. Nā & ius Ecclesiasticū appellatur Canonicum. Vnde ius canonicum,ius regulare nō ineptè dixeris: quam denominationē ex eo accepit, quòd ex regulis priscorum Patrum ad rectam viuendi normam institutis deductum fuerit. Est nanque ius canonicum, quod ciuium actiones ad finē æternæ beatitudinis dirigit. Hæc de ethymologia, notationeq; Regulæ dicta sint. Sed iam textum ipsum aggrediamur.

De charitate Dei, & proximi. Cap. j.

¶ ANTE omnia fratres charissimi diligatur Deus, deinde proximus: quia ista præcepta sunt principaliter nobis data. Hæc sunt, quæ vt obseruetis, præcipimus in monasterio constituti.

ENARRATIO TEXTVS.



1 QVEMADMODVM in amœnissimis pratis, sic & in hac Augustiniana Regula multos, & varios video lectionis flores, & amplum rosarium; multas verò violas, nec pauciora lilia, sed & varium vbique, & copiosum spiritus fructum disseminatum, & multam odoris suauitatem. Imò verò non tantummodo pratum, verum & paradisus est diuina hæc institutio: non.n.fragrantiam solùm nudam habent eius flores; sed & fructum, qui animam nutrire possit. Porrò qui metallorum terram excoquunt, postquàm in caminum ipsam iniecerint, non tantùm auri massas tollunt, sed & paruas bracteolas multa cū sedulitate colligunt. Quoniam igitur, & nos aurū Augustinianis haustum metallis excoquimus, nō in fornacem iaciētes, sed in animæ nostræ cogitationes immittentes; non flammam accendentes, sed ignē spiritus excitantes, & paruas micas cum diligentia colligamus. Si etenim breuis est Regula, sed multa virtus. Quoniam & gemmæ nō in corporis mole, sed naturę pulchritudine pretium habent, sic & Augustinianæ institutiones. Secularis doctrina multas iactans nugas, & multa detinens auditores loquacitate, vacuis remittit manibus, nullum neque magnum, neque paruum lucratos emolumentum. Hæc autem proposita Regula, non huiusmodi, sed in contrarium tota, per modica verba omnibus aduertentibus disciplinam affert. Quin, &

multis fortè verbum vnũ sufficiet hinc excerpsisse, vt totius vitæ initium habeant. Postquàm igitur tanta adest copia, nos ipsos excitemus, & vigili mente quæ dicuntur, suscipiamus. Ad magnam.n.profunditatem sermonem dimittere paramus.

2 Præstãtissimus noster institutor, sacer Augustinus fœlicissimũ, auspicatissimumq; sumpsit exordium ab ipsis Dei præceptis, ea statim in operis frontispicio nobis proponens. Intelligens sanè mandata Dei præmittenda esse mandatis hominum. Quin potius in præceptis diuinis vniuersas alias præceptiones, institutionesq; fundari, atq; superstrui, maximè necesse est. Alioqui.n.siccæ, sterilesq; esse deprehendentur. Quoniam verò plenitudo legis est dilectio, charitasq; in Deum, & proximum, singula Dei præcepta, prolixitatem euitans, nõ enumerauit, sed ea duo duntaxat huc contulit, in quibus vniuersa lex pendet, atq; Prophetæ. Est etiam & altera ratio, quòd quanuis vnaquæque Religio nihil sit aliud, quàm præclara quædam virtutũ, atq; perfectionis schola; est tamen altera prior veræ scientiæ, veræq; pietatis celebris schola, nempè mandatorum diuinorum obseruatio. In qua quidem optimus quisq; Religiosus ante omnia, principaliq;, primario, & accurato studio instruendus, erudiẽdus, ac exercitandus est. Omnis quidem homo natura scire desiderat, nec te à communi nascentium lege alienum esse puto. Si ergo in perdiscendis alijs scientijs plurimum olei insumere, ingentes libros versare, noctes insomnes ducere non recusas, hanc etiam certissimam veræ scientiæ mandatorum Dei scholam intrepidus ingredere. Futurum est.n.vt sapientissimus euadas. Rex ille Dauid ab hac mandatorum Dei schola eruditissimus prodijt psal. 118. dicens; Super inimicos meos prudentẽ me fecisti mandato tuo; quia in æternum mihi est. Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. Super senes intellexi, quia mãdata tua exquisiui. Hanc dico ob causam: quia studui in volumine legis diuinæ, sedulò meditando in mandatis Dei, & perquirẽdo, quæ sit voluntas eius bona, beneplacens, & perfecta, datus est mihi intellectus veritatis, & scientia vitæ super inimicos meos, super senes venerãdos, quod amplius est super erudita magisteria eorum, qui me docuerant, ne dum super coætaneos meos. Prælege totum psalmum, planeq; perspicies in ipsis Dei mandatis sitam esse veram sapientiam, æquitatem, iustitiam, & retributionem multã. Quapropter sicut in argento viuo omnia supernatant, solo auro in fundum subsidente: ita meritò in pectore hominis Christiani cuncta supernatare deberent; sola autem meditatio legis diuinæ, eaq; iugis ad imũ fundum descendere. Congruo igitur ordine primo loco ante præce-

pta

pta regularia, Dei vniuersa præcepta compendio comprehensa promulgantur, & proponuntur. Tertia quoq; subdi potest ratio, quòd quemadmodum in construenda domo primum locū fundamenta obtinent, quæ quidem si firmissima semel ieceris, quidquid superstruxeris, stabile erit: si quoq; in Religionis structura ad verum religiosum conformandum, Dei mandatorū obseruatio, quasi stabile fundamentum præiacitur, vt reliqua regulæ præcepta, & exactè obseruentur, & longo, diuturnoq; tempore constent. Addidit autē August. illud verbum, vt obseruetis, quoniam metuenda est illa sententia. Seruus, qui scit voluntatem domini sui, & non facit, plagis vapulabit multis. Audiamus ergo sacra pij Domini præcepta, simusq; memores eorum ad faciendum ea, Beati sunt.n. qui Dei verbum audientes, custodiunt illud, Luc. 11.

3 Iure verò hoc loco dubitaueris; An Religiosus transgrediens præceptum Dei contentum in Regula, vt præceptum de diligendo Deū, & proximum, grauius peccare censeatur, quàm si in Regula non cōtineretur, ceteris paribus? Respondet Caiet. 2.2.q.186.art.9. cuius sententiam amplectimur, quòd præcepta Dei, vel iuris naturalis, si in Regula statuantur seruanda, tenetur professor illius Regulæ, ex duplici capite illa seruare, scilicet ex diuino iure, & ex sua regula; non .n. absurdum existimandum est, à iure preceptum, iterum præcipi ab alio iure, vel iudice, vt si ieiunia Ecclesiæ, rursus in Regula iniungantur. Nec propterea tamen omnia præcepta diuina in Regula contenta, iudicanda sunt cadere sub præcepto Regulæ. Fieri enim potest, vt tantùm sub simplici statuto Regulæ cadant vim præcepti alioqui non habentia. At verò quamuis sub præcepto Regulæ cadere fateamur, propterea nō erit duplex peccatū, aut alterius speciei circunstantiam habens, sed erit grauius peccatum, quoniam peccati species ex parte præceptorum non attenditur.

4 Præstans ille magister Hugo de S. Victore lib. 4. de anima cap. 12. tom. 2. erudite quidem de charitate disserit, docens nos, extinguendā prius esse cupiditatem, si rectè velimus amplecti charitatem. Sicut.n. radix omnium malorum cupiditas est, ita radix bonorum est charitas. Totam magnitudinem diuinorū eloquiorum secura possidet charitas, qua Deum, & proximum diligimus. Si non vacat omnes paginas sanctarum scripturarum perscrutari, omnia inuolucra sermonum euoluere, omnia sacrarum litterarum secreta penetrare; tene charitatem, vnde omnia pendent. Sic fiet, vt teneas, quod ibi didicisti, tenebis etiam quod non didicisti: ille nanq; tenet quod patet, quodq; latet in diuinis sermonibus, qui charitatē seruat in moribus, sine cha-

ritate diues pauper est; & in ea pauper, diues. Charitas in duris perferendis est fortis; in bonis operibus hilaris; in tentationibus tutissima; in hospitalitate latissima. Inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima. Sũma Apostolicæ doctrinæ hæc est, vt nemini quicquam debeamus, nisi vt inuicem diligamus, ad Rom. 13. Charitas sic complectitur omnes amicos, vt etiam dilatetur vsque ad inimicos. Illos oblectet, vt ex amicis non efficiantur inimici, illos inuitet, vt fiant ex inimicis amici. Sed quisnam poterit charitatis præconium cõgruis sermonibus explicare? Quæ nec in cœlis est sola, nec in terra remanet destituta, in terra habet contubernium amicorum, in cœlo consortium possidet angelorũ; laborat in mundo, requiescit in Deo. Extat etiam exiguus eiusdem authoris libellus tom. 2. de laude charitatis, qui te mira animi delectatione afficiet.

De diligendo Deum. Consideratio j.

1 HARITATIS præceptum erga Deum, & proximum à Christo præceptore nostro Matth. 22. cap. edoctum est, dum ait; Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua. Hoc est maximum, & primũ mandatum. Secundum autem simile est huic; Diliges proximum tuum, sicut te ipsum; idipsum ab Augustino in fronte prolatum est. At quonam pacto charitatem assequi, & legitimè præstare possimus, à nobis nunc edisserendum est, prius verò de charitate in Deum. Sanè quæ ad Deum charitas est, ea non tantũ in doctrinæ præceptis est posita. Neque. n. aut luce gaudere, aut vitam diligere, aut eos charos habere, à quibus geniti, educatiuè sumus; à quoquam didicimus. Sed simul atque constitit homo, insita ei naturalis quædã rationis est vis, quæ in seipsa amandi necessitudinis initia continet. Quã vbi schola diuinorum præceptorum excepit, & diligenter excolere, & scienter alere, & Dei munere ad maturitatem vsque perducere cõsueuit. Quamobrem dabimus operam, vt intus occultam in nobis diuini amoris scintillam, Deo duce, excitemus.

2 Ceterum prius te magna mentis solertia præ nosse paucis oportet, quis, quantusq; ille sit Deus, qui tantopere tibi diligendus proponitur. Creauit quidem ipse omnia, hæcq; ante oculos nostros apposuit, vimq; ea cognoscendi nobis elargitus est, vt æternum, & incomparabilem esse illum, qui hæc condidit, planè intelligeremus. Totus itaque mundus est tanquàm liber quidam, in quo diuinam potentiam, sapiẽtiam, & bonitatem agnoscas. Potentiam, nam nemo alius tanta facere potest; sapientiam, quia omnia mira varietate disposita sunt, & non

inuenies in eo toto, vnam rem per omnia alteri ſimilem. Bonitatem, quia nihil ſua vtilitate caret, etiam venenoſa, & quæ nobis inutilia videntur; vidit.n. Deus cunćta quæ fecit, & erant valdè bona, Gen. 1. Diſcito igitur ex ſitu, pulchritudine, magnitudine, celſitudine, longitudine, duratione, & eiuſmodi rebus, vt adores eum, ac confidas, diligas, timeas eum, qui talia, tantaq; finxit. Et ſi in his creaturis aliquem defećtum deprehenderis, diſcas id Deum permiſiſſe, ne in creaturis hæreres, oblitus tui creatoris. Sic etiam in hoc libro legerunt ſanćti, qui per fidem viderunt aptata eſſe ſecula per Deum, & per ipſum gubernari, ſic pſal. 103. Beneficia, pluuiæ, tépora frućtifera, teſtimonia ſunt, quibus Deus ſe etiam malis reuelat, & ad ſe vocat. Hic beneficentiſsimus Deus à te vehementiſsimo animi ardore amandus eſt.

3 Prima itaque ratio, qua noſtra ſponte ad Deum diligendum impellimur, hæc eſt, quod rerum pulchrarum natura appetentes ſumus. Itẽ ſponte noſtra, quidquid neceſsitudine aliqua, propinquitateq; coniũćtum nobis eſt diligere; & ijs, quicunque bene de nobis meriti ſunt, charitatem omnem præſtare conſueuimus ſine præuia dolłrina. Verùm quid eſt, quæſo, pulchritudine diuina admirabilius? Quæ notio Dei maieſtate excogitari gratioſior poteſt? Quod deſiderium quis ſecum comminiſci queat, cuiuſmodi eſt illud, quod animæ vitijs omnibus perpurgatæ, diuinitus ingeneratur? Adeò vehemens, adeò magnum? Quæ verè, ſincereq; dicere illud Canticorum 2. poſsit, vulnerata charitate, ego ſum. Inexplicabiles prorſus, nec vlli pro dignitate enarrabiles, quæ è fulgurãtiſsimo fonte illo diuinæ pulchritudinis intermicant, ac proſiliunt fulgetræ. Nulla eas oratio dignè repreſentet, nullus percipiat auditus, licet luciferi prænitidum iubar, licet lunæ ſplendorem, licet ſolis radiantiſsimam claritatem dicas, obſcura iſta ſunt, ſi cũ eius fulgore cõparentur; vt nullius prorſus pretij, ſi horũ ſimilitudine gloriã illã velis exprimere pluſq; à vera luce diſtant, ſi cum ea conferantur, quàm diſtet profunda nox, & cæcę nolłis tenebre à clariſsima luce meridiana. Tantę iſtius pulchritudinis dignitatem nemini licet corporis oculis contemplari. Siquidem animo tantũ, & cogitatione vtcunque apprehenditur. Ea ſi quando ſanćtorum virorum quempiam circunfulſit, intollerabilem illorum in animis defixum deſiderijs aculeum reliquit; quippe qui, cùm vehementer eos vitæ huius tederet, in voces illas erumpere ſoliti eſſent: Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, & quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Et diſſolui, & eſſe cum Chriſto longè melius eſt; vehemẽter.n. vitam hanc veluti tetrum quẽdã carcerem abhorrebant, quorum mẽtes Dei amor perſtrinxerat. Sic igitur, duce natura hominum

animi ad rerum pulchrarum expetitionem excitantur. Quamobrem charitate erga Deum carere malum est, malorum omnium lōgè grauissimum. Est enim alienatio à Deo, auersioq́;.

4 Secunda ratio, quòd si ijs etiam, qui geniti sunt, naturalis erga suos progenitores charitas inest, quam & bruta in matres habere animaduertimus, ne id committere velimus nos, vt bruta animantia immanitate antecedere videamur: qui & alieno à nostro conditore animo simus, ac voluntate, nullaq́; in illum charitate propensi, vel ob id vnum certè quod is est, qui nos procreauit, mirabiliter diligere, & charitate summa complecti deberemus, perpetuoq́; de eius memoria nō secus pendere, quàm de parentū suorū memoria teneri infantes soleāt.

5 Tertia ratio, inter eos autem, ad quos diligēdos natura incitamur, is præstat, qui benè etiam de nobis meritus est. Atque hæc animi affectio non hominum peculiaris est solùm, verùm etiam cum omnibus ferè animantibus communis est, vt eos diligant, à quibus beneficium acceperunt. Cognouit enimi, nquit Isaia cap. 1. bos possessorem suū, & asinus præsepe domini sui. Nolim autē id dictum esse de nobis, quod sequitur, Israel autem me non cognouit, & populus me non intellexit. Nam de cane, alijsq́; animalibus quid attinet commemorare, quā insignem beneuolentiam declarent, & gratitudinem in eos, à quibus ipsis alimenta præbentur? Quænam autem obsecro, inueniri orationis facultas potest, quæ data nobis à Deo beneficia dignè satis queat explicare? Quæ quidem numero adeò sunt multa, vt numeri vim omnem effugiant: propter vnumquodque etiam illorum, illius voluntati obsequi deberemus. Ac nimirum hoc loco missa cetera faciam, nulla sit igitur mentio solis exortuum, missæ fiant lunæ conuersiones, aeris multiplex contemperatio, quattuor temporum vicissitudines, aquæ cùm cœlestes, tùm etiam terrestres, mare ipsum vnà cum vniuersa tellure, terrestria, aquatiliaq́; animantia, nihil de tot volucrum generibus dicatur, taceantur innumerabiles inter se animalium differentiæ, quid quod hæc omnia in famulitiū, obsequiumuè hominis ordine decentissimo condita sunt? Illud quidem prætermitti non potest, etiam si maximè velimus, quod cùm ad imaginem, ac similitudinem suam hominem Deus procreasset, eiq́; honorem illum habuisset, vt se ipsi noscendum tradidisset, ac rationis participem effectū mirabiliter vnū præ ceteris animantibus honestasset, eamq́; esset facultatem largitus qua se rerū pulchritudine, quæ in paradiso esset intuenda, cū iucūditate oblectaret, eorumq́; omniū, quæ in terris cernerentur, imperiū detulisset, postea serpentis fraude delusum neutiquā neglexit, sed angelos custodiæ causa adhibuit, Prophetas ad vitia reprehendenda, ac magistumeri,

gisterium,& doctrinam virtutis misit. Nos tamen nihilominus obstinati,eius imperio obsequi recusamus: diuina tamen bonitas neutiquã nos destituere potuit. Sed contra reuocati sumus à morte ad vitam ab ipso domino nostro Iesu Christo.

6 Quarta ratio; qua quidem in re auget miraculi magnitudinem beneficij modus. Siquidem cũ in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens,infirmitates nostras tulit, languores portauit, & pro nobis vulneratus est,vt nos liuore eius sanaremur,ignominiosissimam mortem sustinuit, vt nos ad gloriosam denuo vitam reuocaret, locaq;, in quibus perpetua frueremur quiete præparauit.

7 Quinta ratio: porrò ipse adeò bonus est,vt neque gratiam sibi pro his vllam referri postulet,sed satis habet,si pro ijs, quæ largitus est, à nobis modo diligatur,quæ omnia quandocunque mecum ipse considero,terribilis me quidam cum mentis consternatione horror inuadit,metuentem videlicet, ne si aliud agendo in rebus futilibus,ac vanis animum occupauero, à Dei charitate deiectus,Christo dedecori sim.Demon.n. ipse omni conatu efficere studet,vt datorum nobis à Deo beneficiorum,Deiq; ipsius memoriam ex animis nostris reuelat; is post hanc vitam contemptionem domini nostram contumeliosè exprobrabit, & aduersus nos gloriabitur.quòd cum nos ipse, neque crearit,neq; pro nobis mortem subierit, sibi tamen spretis Dei præceptis,obsequentes habuerit.

8 Sed tandem in Dei amore discendo,exercendoq; & consulamus, & audiamus sponsam Cantic. 2.diuino amore captam.Est.n. huius artis doctrix eruditissima.Fulcite, inquit,me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.Cõtingit profectò interdũ,amãtes præ amoris excessu tã grauiter languere, vt neq; cibũ,neq; potum valeant sumere, penitusq; macie conficiantur,atque contabescant. Cuius tei exemplũ in lib. 2.Reg.ca.13.de Amnon primogenito regis Dauid legimus. Qui Thamar sororé fratris sui Absalon, vsque adeò deperibat, vt per singulos dies attenuaretur macie,magisq;,ac magis indies in semetipso contabesceret. Nonnunquam etiam subita huiusmodi passione afficiuntur amãtes, vi ipsa amoris ad intima vsque cordis penetrãte, vt quasi exanimes sine vitæ indicio remanere videantur. Quemadmodum ij,qui vel præ frigore nimio, vel prę fatigationis excessu,animi deliquium pati solent.Cùm autem sic viribus sensuum, membrorumq; officijs destitui amantes cœperint,mox accurrentes qui circũstant, odorifera quælibet poma, vel aromata naribus applicant, oriq; si possunt,imponunt. Aromaticis etiam liquoribus, & vnguentis faciem,

ciem, membraq; perfundunt; & confricant, vt vires conseruentur, aut certè redeant, quæ abire iam cœperant.

9 Hinc sumpta comparatione ex eo, quod in amore carnali ad sensũ euenire nonnunquam cernitur, sponsa ad exprimendum singularem sui amoris affectum, & excessum, languere se dicit amore, atque ob hoc, quasi à circunstãtibus puellis, & pedissequis postulat fulciri, siue confirmari odoriferis floribus, odoriferisq; pomis stipari, circundari, & sustentari, vt eorum odore recreata sustentetur, ne prorsus à sensu, & vita fiat aliena. Languor autem iste, cuius hic sponsa meminit, tunc in anima fideli inuenitur, quando sic tota in sponsi amorem fertur, & quasi liquefacta resoluitur, vt sui prorsus oblita, quid de se agatur nesciat, & ad omnia, quæ hic inferne aguntur, quasi stupida, & insensibilis iaceat, vt nec videre aliud posſit, aut velit, nec audire, nec gustare, nisi suũ dilectũ: ita vt cũ Apost. dicat ad Gal. 2. Viuo aũt iam non ego, viuit verò in me Christus. Qui etiam languor amoris per liquefactionem animæ videtur significari, dicente eadẽ hac sponsa Cãt. 5. anima mea liquefacta est statim, vt dilectus loquutus est. Solent.n. huiusmodi passionem tunc maximè sentire sponsæ, cùm post longam absentiam, & vehemens desiderium, aspectum vident, aut vocem audiunt sponsi præsentis. Per flores autem, & mala, quibus sponsa nostra fulciri debet, & stipari, cùm languet amore, rectè odorifera illa, saluberrimaq; dicta, & facta domini nostri Saluatoris intelligimus: vt ipsius verba mellitissima floribus, facta autem, & opera præclara fructibus comparemus. His.n. floribus, ac fructibus, in suo languore sponsa fidelis anima fulcitur, stipatur, reficitur, sustentatur, & roboratur, ne prorsus deficiat. Vix.n. seipsam ferret tantæ moræ impatiens, desiderioq; nimio fatigata, facilè deficeret, si nõ interim suauissimis sponsi sui eloquijs, & actionibus consolaretur, quorum attẽta meditatione, assiduaq;, & profunda recogitatione semetipsam pascit interim, & sustentat, donec tẽpus adueniat, vt facie ad faciem eũ videat, & ore ad os eundem alloquatur; quemadmodum sponsa dum amore sponsi absentis languet, illius verbis, & promissis, litterisq;, & munusculis, quæ apud se tenet, interim se consolatur, quasi fastidium redimens, & tempus fallens, donec ipsius fruatur præsentia.

10 Sed ad præceptæ dilectionis verba, nostra redeat oratio; hoc sanè est mandatum maximum, & omnium primum; Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & tota fortitudine tua: videlicet ex toto affectu voluntatis, ex toto intellectu, & cognitione animæ, ex tota mentis intentione, & ex omnibus corporis, animæq; viribus. Hoc est mandatum omnium pri

mum,& maximum; quo maius dari non potest; quoniam quidem totum complectitur, quod Deo homo debet, & omnem hominis erga Deum dispositionem tradit: neque aliud mandatum est, cuius obseruatio æquè hominem Deo gratum faciat, aut cui deceat amplius intendere.

11 Vbi Christus verba dilectionis Dei satis abundè multiplicauit,atq; diffusè explicuit, ne nesciamus Deum esse plusquã nos, & super omnia diligendum. Est.n.nostræ salutis stabile fundamentum, sine quo irruentibus tentationũ vẽtis tota spiritualis superædificatio nostra cor rueret. Est, inquam, ille, sine quo vita in nobis non consisteret, & ad quem omnia quæ agimus, referri debent. Nobis minimum sit, varijs linguarum generibus nos loqui prophetare, arcana scripturarum mysteria nosse, & tanta magnitudine fidei valere,vt montes è loco dimoueamus,& alio trãsferamus,vel nostras facultates in vsus pau perũ distribuamus; hæc.n.omnia,& istis similia, si præcepto dilectionis Dei cõparata fuerint,haberi debẽt quædã minima. Idcirco Apost. 1.ad Cor.13. His omnibus enumeratis ait; Si charitatem non habuero, nihil sum. Itaque præceptum dilectionis Dei omnibus alijs præponamus, quia nobis secum afferet peccatorum remissionem; nam Magdalenæ remittuntur peccata multa, quoniam dilexit multum; itẽ conferet sanctificationem; corda quoq; nostra, vt boni operis fructus Deo gratos ferre valeant, disponet.

12 Vult.n.Deus per nos multò magis diligi, quàm timeri; vnde, perfecta charitas foras timorem pellit. Deniq; seruorum est dominũ timere, & filiorum patrem diligere. Rursus timor sub necessitate præcepti seruos includit, sed amor filios in libertate continet. Sed cur nõ ames eũ, in quo est vita sine morte, sanitas sine infirmitate, pulchritudo sine difformitate, bonorum copia sine paupertate, scientia sine ignoratione, honor sine inuidia? Ex istis profectò in vnum deductis, quasi vinculo indissolubili nos cõstrinxit,vt illum amemus, quem etiã ex naturæ instinctu ex eo amare debemus, quòd nos prius dilexerit. Nam eramus inimici, quando Deus pater nos tantum dilexit, vt pro nobis redimendis vnicum filium tradidit, vt charitas eius semper esset cordibus nostris impressa, & tàm diu grandesceret, donec perfecta, & absolutè consumata esset: itaque illum tanquàm omnium bonorum,quæ habemus, largitorem, pium consolatorem, solicitum gubernatorem,& æternum glorificatorem diligamus, à quo, per quem, & in quo vniuersa, quæ ad beatitudinem animæ spectant, constituit: nisi illum dilexerimus, legis mandata non obseruasse conuincemur; in quã Ioan.14. dicit; Si quis diligit me, mandata mea seruabit.

13 Fortafsis tamē à profunda dilectione illius nos remorabũtur quædam aduerfa fortuito contingentia; fed ne noceant nobis, in mentem veniet, nos hæc, & maiora promeruiffe; & fi illa patienter fuftinuerimus, in noftrum conuertentur commodum, tefte Apoft. ad Rom. 8. dicente; Scimus quia diligentibus Deum omia cooperantur in bonum. Quotquot.n.veræ dilectionis radices habent in diuinum amorem fixas, tentationis tempore à Deo non recedunt, fed contra quo plus tentantur, eo ardentius opem illius poftulant. Sicut.n.flamma ignis leni vento agitata vim fuam exerens, aurũ, vel argentũ purgat; ita Deus in fornace tentationis probat, quantũ eum fui diligunt: aduerfa patienter fuftinentes, operam non perdent, fed pro mercede laboris coronam vitæ promiffam Deum diligentibus percipient. Eft fanè dilectio creatoris mẽtibus hominum naturali inftinctu infita, quafi quoddam virtutis feminarium. Igitur omnibus alijs præferenda. Interrogator ille pharifæus tantum erat à vera dilectione Dei elõgatus, quantum ortus Solis ab occidente diftat, quoniam ex diametro contrariantur amor, & odium, quo ipfe totus in necem Chrifti flagrabat, pefsimo liuore commotus, cui quafi tacito dicebat Chriftus, mundi honores, auri, & argenti pondera, pretiofos veftimentorum ornatus, prædia, poffefsiones, animalium armenta dilectione Dei poftpone, quantùm.n.in aliquo præcedentium tu vltra modum occupaberis, tãtùm à diuino amore elongatus eris, & Deũ minus diligere cõuinceris.

14 Oportet militem, fi fplendida hoftium victoria potiri velit, lorica circummuniri, ipfa nanq; lorica fua ftructura vniuerfum corpus, nequid difcrimini expofitum appareat cooperit. Quæ charitatis, peccatorum multitudinem operientis figuram congruenter præ fe ferre videtur. De qua perpulchrè Paulus ait; State induti loricã iuftitię. Et iterum; nos qui diei fumus, fobrij fimus, induti loricam fidei, & charitatis. Nam ipfa charitate, ne periclitemur, fulcimur, & contegimur. Vnde beatos illos vocat regius Pfaltes; Quorum remiffæ funt iniquitates, & quorum tecta funt peccata: illorum autem tecta cenfentur peccata, quæ charitatis vmbraculo, tanquàm lorica, & fplendido veftimento, ne in Dei confpectu videantur, operta funt. In charitate igitur omnes virtutes, omnia dona, omnia charifmata, omnia molimina, omnia denique opera, atq; præclara exercitia, vt radij folares in ipfius Solis centro, & diuerfæ, ac variæ lineæ in pyramidis cono vniuntur, atque fimul coniunguntur: & at ab eodem fonte diuerfi pafsim fcaturiunt riuuli, veluti ab eodem Sole diuerfi difperguntur radij; non fecus à charitate omnia charifmatũ dona profluunt, ac proficifcuntur, & vt à corde fingula membra vitam defumunt; fic hominis

nis opera charitate vireſcunt, fit.n.alioqui ſicut æs ſonans, aut cymbalum tinniens; nihil deniq; eſt.

15 Præter hæc, ipſa charitas dicitur eſſe naturæ durioris, fortioris, adtiorisq; ad reſiſtendum peccatis, tenebrarumq; principibus, & illorũ conatibus; quod Canticis atteſtantibus fortis ſit vt mors dilectio, & dura ſicut infernus æmulatio; quodq; aquæ multæ non potuerint extinguere charitatem; nec flumina obruent illã, nec flantes venti deſtruent, quibus omnibus tentationes, & ſuggeſtiones ſignificantur, quibus paſsim obluctatur charitas.

16 Hac Dei charitate Chriſtianus miles contectus, Deum ſuper omnia ardentius diligit, illius gloriam, & honorem vigilantius ambit, cuius beneficio omnem intellectum, omnem voluntatem, omnem memoriam, omnem conatum, omnem cogitatum, ſe deniq; totum illius famulitio dedicat. Illi ad nutum obſequitur, illius mandata exactius obſeruat, imò huius pręſidio carceres, vincula, inſuetos agones, quoſcunq; labores, pericula, ac terriculamenta quantumuis atrocia, imò mortem ipſam omnium terribiliſsimam non modo non formidat, ſed & hæc ipſa vltro plerunque ſubit, nec arridentis fortunę inſoleſcit flatibus, nec voluptatum titillatione allicitur, nec bonorum diſpendio coſternatur, aut dæmonum inſultibus periclitatur, ſed tanquàm miles fortis, ac loricatus omnium hoſtium conatibus validè obſiſtit.

17 Quid amplius? Ex afflictionibus agnoſcitur etiam erga nos Dei dilectio. Nam quem diligit dominus, erudit; flagellat autem omnem filium, quem recipit. Fieri non poteſt, teſte Teophylacto in epiſtolã ad Hebr. cap. 12. vt quiſpiam inueniatur dilectus Deo citra afflictiones. Nonne igitur latrones, & fures flagris ceduntur? Filij ne, & illi ſunt? Minime gentium; non.n.dixit, quiſquis flagellatur eſt filius, ſed omnis filius flagris tractatur. Latrones igitur non filiorũ inſtar flagellantur, verũ vt ſcelerati puniuntur. Hinc autem cùm prius dixiſſet Salomon Prou.3.caſtigat, intulit poſtea flagellat. Vt non veluti ſceleris vltionem, ſed veluti eruditionẽ, & inſtitutionem intelligas flagellationẽ filij, quẽ recipit, quem admittit, hoc eſt quẽ excipit, quem præ ceteris ſibi vendicat, aſſumit, & vſurpat. Ex quibus quidã putabant ſeſe à Deo derelictos, ex ijs oſtendit eis, quòd fuerint curæ Deo. Si, inquit, afflictionib. caruiſſetis, nothi fuiſſetis, illegitimiq; filij, & nõ genuini, cui.n.parentum nothorũ inſtitutio, & ornatus curæ eſt; Quia verò affligimini, ex his ſupereſt vobis ornatè, atque eleganter viuere, perinde ac iuſti, & filij Dei. Planum eſt autẽ, & irrefragabile, quod filijs offeratur Deus, atque illorum curam gerat, vt ne vacantes inſtitutione abeant, atque hinc eos hæreditate abdicet. A Deo igitur tentatio-

tationes adducuntur; quòd si à Deo, ad commoditatem omnino nobis cedent. Ipse nanque primo scopo nos tentare videtur, eiq; sic placet ad depositionem, & reiectionem peccatorum; vel ad probationem, & examinationem fidei, plures etiam coronas cùm tribuit, tùm permittit. Id verò nos dolore maximo afficere deberet, quod dilectionis defectu multiplicatur iniquitas. Siquidem radix omnium malorum est ipsa charitatis refrictio.

De diligendo proximum. Consideratio ij.

1 VANDO de charitate in Deum satis iam disputatũ est, res ipsa postulat, vt de secundo mandato differatur. Prius tamen quis proximus sit, enodabimus. Quæ à se distincta sunt, & nihilominus sine medio iuncta, illa sibi proxima dicimus, & quidem secundum id, quo sine medio coniuncta existunt. Secundum naturam pinum pino, pirum piro proximam esse constat, etiam si loco quàm longissimè distent. Secundum situm verò pinum pyro proximam fatemur, si proximè illam crescat, etiam si natura sit ab illa, quàm alienissima. Quod te præmonitum voluimus, vt incipias animaduertere, primo hominẽ posse homini proximum esse, non vna tantùm ratione, sed varijs, sed plurib. nempe natura, gente, sanguine, religione, redemptione, fœlicitate, & gloria. Et alium quidem pluribus, alium verò paucioribus rationibus. Secundo, non dici hic quempiam proximum, quia situ, aut sedibus, aut accidente; sed quia natura adeò est propinquus, vt propinquior esse nequeat: quia si propinquior fieri potuit, non erat vtique proximus. Quis igitur meus proximus secundum sensum mandati? Sic quærebat legisperitus à Saluatore. Luc. 10. Cui arguta admodũ, & pulcherrima quadam parabola demonstrauit Saluator, omnem hominem omni homini esse proximum. Nam dominus, audita interrogatione legisperiti, mox suspexit, ad modum ingemiscentis, & admirantis ineptiam hominis, quod ipse enutritus in lege, & titulo eruditionis candidatus, velut dubius interrogaret de eo, cuius idiotæ, imò bruta animantia satis exactam notitiam habent. Omne.n.animal diligit sibi simile, & homo proximum suum: idq; instinctu naturæ, etiã si nihil vnquàm de lege, vel euangelio audierit. Idcircò ei vltimo loco dixit, vade, & tu fac similiter, hoc est, tu simili modo intellige, reputa, æstima tibi proximum, quemcunque cognoueris hominem esse, illiq; sedulò misericordiam impende, dum in necessitate constitutum videris: etiam si nec genere, nec gente, nec religione, nec amicitia tibi proximus existat, etiam si Arabs, aut Scytha sit. Quod quidem D.Au-

D. Auguſt. lib. de doctr. Chriſtiana cap. 30. luculenter explicuit.

2 His præmonitis B. Greg. tractans illud Ioan. 15. Hoc eſt præceptũ meum, vt diligatis inuicem. lib. 40. mor. hom. 27. ait: Cùm omnia ſacra colloquia Dominicis plena ſint præceptis, quid eſt, quòd de dilectione, quaſi de ſingulari mandato Dominus dicit; Hoc eſt præceptũ meum: niſi quòd omne mandatũ de ſola dilectione eſt, & omnia vnũ præceptũ ſunt? Vt autem multi arboris rami ex vna radice prodeũt, ſic multæ virtutes ex vna charitate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis: ſi non manet in radice charitatis. Præcepta ergo dominica & multa ſunt, & vnum: multa per diuerſitatem operis, vnum in radice dilectionis. Cui conſonat illud Auguſt. Omnia quæ præcepit, aut docet ſcriptura ad nutriendam, & corroborandam charitatem, & ad vincendam, & extinguendam cupiditatem valent, totamq; magnitudinem, & amplitudinem diuinorum eloquiorũ poſsidet charitas, qua Deum, proximumq; diligimus. Neruos itaq; noſtros, omnemq; vigilantiam huc intẽdere oportet, vt ad diligendũ proximum de cordibus noſtris, etiam ſi multum obduratis, excutiamus ſcintillulas quaſdam, quibus in amorem proximi inflammemur. Haud ſecus, atq; ſtrues lignorum accenditur, excuſſo ex ſilice igniculo, ferri ictibus. Iam. n. audiuimus Chriſti præceptum, iam verę amicitiæ noſtræ principium cognouimus, nempe in imagine Dei: nam ad eius imaginem, & ſimilitudinem conditi ſumus, qua capaces vniuerſi ſumus æternæ fruitionis in domino.

3 Præter rationes, quibus omnis homo omni homini re vera proximus eſſe demonſtratur, ſunt, & aliæ, quibus peculiariter omnis Chriſtianus omni Chriſtiano eſt proximus, qualibus nec infideles cum fideli, nec infideles inter ſe conuenire poſſunt. Sunt autem iſtę rationes eſſe membra eiuſdem corporis ſub eodẽ capite, habere eundem Deũ patrem, eandem Eccleſiam matrem, eundem redemptorem Chriſtũ, eũſdem viuificatorem Spiritum Sanctum, eandem fidem, eadem ſacramenta, idem pabulum ſalutis, verbum Dei, eũdem aduocatum, & mediatorem, dum peccamus, eandem ſpem eiuſdem vocationis ſupernæ, dum peregrinamur à domino, vt ex varijs epiſtolarum Pauli locis colligere licet. Hæc inquam omnia, dum eadem habemus nos Chriſtiani, vt ſanè omnium æquè participes eſſe poſsimus, an non rectè proximi dicimur? Rectiſsimè igitur, iuſtiſsimeq;, ac ſummis de cauſis nos inuicem iuxta ſalubre Chriſti mandatum vehementi amore proſequi tenebimur.

4 Audi rurſus præceptorem noſtrum, Chriſtum Ieſum Ioan. 13. ſic diſſerentem. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut

dilexi

dilexi vos. Iterum Ioannis 15. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Admodum serio inculcans hanc præceptionem, velut eximium quid antea non auditum. Nonne in lege veteri id ipsum scriptum erat? Cur igitur nouum appellatur, quod tàm vetus esse conuincitur? Ea sanè ratione hoc loco dicitur mandatũ charitatis nouum, non quod recens datum sit: sed quia noxia vetustate pulsa, totum hominem innouat, vt sit noua creatura in Deo, & renouetur interior homo de die in diem. Etiam si is, qui foris est, corrumpatur. Et re vera qui afficitur erga proximũ suum, quomodo erat affectus erga suos Christus, nouus homo efficitur, nouus intus in corde, nouus foris in conuersatione, totus alius quàm antea erat totus Azimus, totus Christianus, nihil spirans præter spiracula vitæ, nihil quærens præter ea, quæ Dei sunt, & aliorum. Sic sanè hunc locum interpretantur Augustinus, atque alij vetustissimi Patres.

5 Aptissimus quoque, & hic alter sensus est, ideò vocari nouum mandatum: quia nunquàm antea datum. Antea quidem præceptum erat; Diliges proximum tuum sicut teipsum: verùm à Christo præcipitur, diligite inuicẽ, sicut dilexi vos. Dilectionis, quæ antea præcipiebatur, exemplar erat dilectio sui ipsis: dilectionis verò per Chrstum præceptæ exemplar est dilectio, qua Christus dilexit nos. Illa sequitur formam iuris naturalis: quia amicabilia quæ sunt ad alterum, naturaliter surgunt ex amicabilibus, quæ sunt ad seipsum secũdum philosophos. Ista verò ordinem ingreditur rerum supernaturalium. Nam Christus dilexit nos diuinè affectu plusquàm naturali, vel humano, purè gratis, purè spiritualiter, purè propter Deum, nostramq; salutẽ, purè ad omnium, quæ habuit communionem, aliud nihil spectãs, quàm vt nos secum vnum faceret cum Deo vt Ioan. 17. non semel repetijt. Præcipit ergo, vt euangelicæ philosophiæ discipuli ita se mutuò diligant, sicut ipse dilexit nos. Vbi dictio. Sicut, nòn quantitatis, sed similitudinis significationem habet, vt simili modo nos diligamus, nempè diuinè, spiritualiter, gratuitò, alijs impendẽtes, quantum commodæ pro loco, ac tempore, nostrisq; facultatibus possumus.

6 Habet etiam charitas erga proximum sua incrementa, & gradus, quorum primus est; Diligere proximum sicut te ipsum. Secundus, diligere proximum, sicut Christus dilexit nos. Tertius, sic affectum esse amore erga fratres, vt velis omnia tua tàm illis, quos diligis, quã tibi communia esse. Quo gradu cœperunt sese diligere Christiani post datum Spiritum Sanctum Act. 2. & 4. cap. Quem Religiosi imitantur. Quartus, ac supremus charitatis gradus est, ponere animam suam pro fratribus suis, maiorem.n. hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam

mam suam ponat quis pro amicis suis, nam qui impendit Christianę. amicis suis, nõ solùm quod habet quodq; põt, verùm etiã hoc ipsum quod est nimirũ animam suã, ac vitam, is profectò summũ perfectę dilectionis symbolum exhibuit. Itaque ad diligendum proximũ nos Christus impellere volens, hoc certissimum argumentum, quòd sui essemus discipuli, designauit, non si stupenda miracula operaremur, sed si nos mutuò diligeremus. Dicens Ioan. 13. In hoc cognoscẽt omnes, quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Insignem igitur Christianorum, & discipulorum Christi profectò est, mutuus reciprocusq; erga se amor. Hoc sanè in proximum amore feruebat ille domini famulus Moses, cum Exod. 32. de libro Dei, in quo scriptus erat, deleri se petere non dubitauit, si populo non condonatũ esset delictum. Itemq; Paulus ad Rom. 9. apertè optare ausus est, vt ipse pro fratribus suis anathema esset à Christo.

7 Diliges igitur proximum tuum ad formam, & exemplum dilectionis, qua te ipsum diligis, ita videlicet vt omnẽ hominem quatenus Dei imaginem in se gerit, in Deo, & propter Deum diligas, illiq; bonum æternum ad quod creatus est, ex bono affectu optes, similiter, & bonũ virtutis, quo ad illud bonum fœlicitatis æternæ pertingitur, quomodo sibi vnusquisque bona eiusmodi cupit maximè. Item, & bona corporis, & fortunæ, quomodo, & quantum pro animæ salute proximo cõmoda fuerint, sic illi opes eadem; quemadmodum vnusquisque sibi in ijs cupit salubriter esse prouisum. Deniq; vt proximo facias quicquid tibi fieri velis, & nihil proximo facias, quod tibi nolis fieri. Post primũ iam antenarratum præceptum, non est aliud isto maius. Summatim. n. complectitur, quicquid est homini, vt rectè erga proximum se gerat necessarium in duobus his mandatis, tota lex pendet, & pendent Prophetæ omnes. Quæcunque. n. per multa particularia præcepta, exortationesq;, & comminationes lex docet, atq; Prophetæ, omnia summatim in his duobus præceptis continentur, & ex eis dependent, atq; elliciuntur omnia tãquàm ex gemino fonte totius æquitatis, & ex eis sui vigoris robur accipiũt. Omnia nanque quibus erga Deum instruũtur homines, summatim in priore mandato continentur; quæcunque verò ergã proximum instituunt, in posteriore.

8 Sed quis rectius nominari debet noster proximus benignissimo Iesu in salutem omnium homine facto? Istud nobis ipse reuelauit sub parabola hominis in valle Hierico per latrones vulneratis à sacerdote, & leuita transeuntibus despecti, & à Samaritano, scilicet Christo, generis humani custode diligentissimo benignè consolati, ipse est, qui fecit nobiscum misericordiam suam, quod autem sit Dei, & hominis filius,

lius,est à nobis duplici nomine diligẽdus,de quo Ioã. cap. 17. ait; Hæc est vita æterna,vt te cognoscant Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Si quis nostrum esset à barbaris captus, & ab eis in vincula coniectus,paulò post ad mortẽ ducendus,superueniret autẽ quispiã, eum à manibus inimicorum,seu periculo mortis liberans, nonne illũ maximè diligeret? Hoc pro nobis egit Christus. Iterum testatur scriptura nihil esse homini vita sua charius,iuxta illud Matth. 16. Quam dabit homo commutationem pro anima sua? Christus autem sui corporis vita nos chariores habuit,quia illam posuit redemptionem pro multis,vt pœnam quam meruimus persolueret,& nos supernæ beatitudinis cohæredes institueret. Ideò sub forma hominis imprimis diligendus est,post cuius dilectionem homines cuiuscunque status,& nationis diligamus, quod diuinitatis imago in illis reluceat, & cunctis animantibus præstent. Sicut enim rex in sua imagine vel honoratur, vel contẽnitur;simili quoque ratione Deus,vel in nomine diligitur,vel spernitur,vnde Ioannes ait? Qui fratrem quem videt, non diligit; Deũ quem non videt,quomodo potest diligere? Si tu enim fratrem, quem oculis intueris,& cum quo familiariter conuersaris,non vis amare similẽ tibi in imagine Dei,eiusdemq; naturæ,atq; essentiæ secundũ corpus, & animam; quanam ratione poteris Deum amore prosequi,quẽ videlicet videre non potes, cum quo nullam habes familiarem conuersationem, & à quo modis omnibus tàm longissimè distas?

9 Fortassis tamen à dilectione proximi ex eo alienaberis Christi miles, quòd cùm noueris Deum grauiter offendisse, vel tibi nocumento fuisse. Ceterum ne isto commonearis incommodo, recolito ex doctri Apostoli, quòd Deo inimici eramus, & peccatores grauissimi, quando nos tanto amore prosecutus est, vt filium pro nobis in mortẽ tradiderit; rursus scriptum esse Deum posse ex lapidibus, idest grauissimis peccatoribus Abrahæ filios suscitare; quòdq; colores elegantis picturæ, ex eo non despiciuntur, quod sint tenebris operti, & in præsentia tibi non appareant. Cur ergo proximos imagine Dei insignitos, quòd hodie conscientias habeant peccatis pollutas,ac deformes, odio habebis? Sicut lumen Solis superueniens, illos colores reddet oculis tuis gratissimos, simili modo Deus peccatores cœlestis gratiæ lumine iustificatos, tibi manifestabit maximo amore dignissimos. Iterum, nonne alicuius sancti imaginem ex vili materia formatã, aut carbone super parietem cum varijs lineamentis effigiatam, in honorem Sancti, quem repræsentat veneraris? Cur hominem,cũ Dei imaginem gerat, non diliges?

10 Itaque non solùm amicus, verùm etiam inimicus, etiam nocentissimus

ſimus diligi debet, dicente ſcriptura; Diligite inimicos, quoniã hæc eſt volũtas Dei, in eo legis præcepto manifeſtata. Sicut.n. auis niſi fuerit duabus alis adiuta, in altum ſuſtolli nequit, niſi homo etiam gemina lampade dilectionis Dei, & proximi ornatus fuerit Deum ex toto corde non diliget, quia vtrunque legis præceptum ex eadem radice egreſſum non obſeruabit. Ex eo autem dilectionis mandato multa proximo debemus. Primum, infirmitates ſpiritus, & corporis illius ſupportare, iuxta illud Apoſt. ad Galat. 6. Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Dei. Propterea tamen eum in peccatis non foueamus, ſed quæ ex infirmitate carnis commiſerit peccata, ad tempus diſsimulemus, & interea pro virili auxiliũ ei præſtare ſtudeamus, vt à lacu miſeriæ peccati, tanquàm luto fecis reſurgat. Si verò quædã commiſerit non mala ex ſe, & ignorauerimus, quo animo ab eo facta fuerint, in rebus dubijs iudicium benignitatis habeamus, neque dubia in malam partem diſtorqueamus, facti exploratores operum proximi vltra modum curioſi. Si autem nouerimus illum in varias tentationes incidiſſe, & illis ſuccubuiſſe, nobis perſuademus illas fuiſſe nimis vehementes, quæ ſi nos apphehendiſſent, illis ſuccumbere potuiſſemus. Itaque non ſimus in proximos ſubauſteri, ſed miſericordes.

11 Radix quidem omnium malorum eſt ipſa charitatis penuria, atq; defectio. Hinc.n. eſt, quòd alter alteri non reconcilietur, alter alterũ non diligat, non miſeratur, nulla erga alium tangatur miſeratione. Quod & Chriſtus dixit Matth. 24. Quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. Quoniam ergo hoc noſtro ſeculo admodum abundans eſt in terris iniquitas, quoniam ſcãdalis plenus eſt mundus, multorum charitas quàm frigidiſsima eſt; quorundam quidem penitus refrigeſcit, ſiue extinguitur; aliorum verò licet non penitus extinguatur, attamen vacillat, & obſcuratur aliquantulum, multumq; periclitatur. Quemadmodum.n. frigus abundans, calorem extinguit, atque expellit, vel certè imminuit; ſic iniquitas, quæ eſt velut quoddam animæ frigus, cùm abundauerit, & excreuerit, feruorem charitatis, quæ eſt velut ignis, & calor quidam, extinguit in nobis, facitq; refrigeſcere. Porrò natura nos inter nos ipſa cõglutinant, æquè, ac reliqua animalia. Verùm homines parum intelligunt. Vniuerſalẽ quoq; oportet eſſe dilectionẽ rectam, id quod Teophylactus cõprobat ex eo Pauli loco 2. ad Theſ. 1. Quoniam ſupercreſcit fides veſtra, & abundat charitas vniuſcuiſq; veſtrum in inuicem. Ideſt augmentum ſumit charitas veſtra, qua vos mutua proſequimini dilectione. Non hunc quidem diligebant, illum verò non itẽ, verùm æqualis erat omnium erga omnes dilectio. Quod.n. ait, vniuſcuiuſq; veſtrum, atq; in

inuicem, hoc significat; Nimirum si diligamus partē, vel aliquos, nō est charitas, sed dissentio potius. Si.n. Dei causa diligis, omnes dilige; sin particulariter diligis, humana ea est amicitia. Signum itaque perfectæ in Deum charitatis, proximi charitas est: si quis.n. dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Rectè quidem Paulus ait; Charitas non quærit quæ sua sunt, non æmulatur, nō cogitat malum, non gaudet super iniquitate, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, non agit perperā, non inflatur, non est ambitiosa, charitas nunquàm excidit.

12 Huic autem sublimiori, excellentioriq; virtuti quattuor tribuunt geometricas dimensiones, logitudinem, latitudinem, sublimitatem, atque profundum; sic attestante eodem Paulo ad Ephes. 3. In charitate radicati, & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus Sāctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum; quibus quidem dimensionibus diuersæ charitatis designantur species. Ipsius quidem charitatis longitudinem, nihil aliud dici, ac esse iudicabis; q̄ bonorum operum perseuerantiam, laborumq;, & tribulationum in hoc seculo inuincibilem tolerantiam; charitatis autem latitudo non solùm vsque ad amicorum, sed & inimicorum, & eorum, qui te oderunt munificentiam, ac dilectionem protenditur; quàm Paulus significat dicens; os nostrum patet ad vos, ò Corinthij, cor nostrum dilatatum est. Cui concinit regius psaltes, latum mandatum tuum nimis. Hanc aūt charitatis latitudinē, qui perfecta charitate plenus est, his verbis abundantius cōmendat; Bonus pastor animā suam ponit pro ouibus suis. Et quæcunque vni ex minimis his fecistis, mihi fecistis. Et iterum; Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos; vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est. Charitatis verò sublimitatē eam esse intelligimus, qua Deus omnipotens propter se, suamq; supereminentē maiestatem, ac superefluentem bonitatem super omnia modis omnibus, ex toto corde, tota mente, & cunctis viribus à nobis vnicē, sēper colitur, atq; diligitur; Hinc autem abditam, occultamq; charitatis profunditatem notato ex Luc. 10. Diliges ex toto corde tuo, quid .n. profundius, quid inscrutabilius humano corde? At quid interim diligas attende, non.n. dicit, Cœlum, terram, Solem, Lunam, stellas, vitulos, arietes, serpentes, simulacra gentium, argentum, & aurum, aut opera hominum, vel quiduis infimum vile, ac mutabile amandū decernit. Sed diliges, ait, ex toto corde Deum tuū, qui verissima est, imò ipsamet omnibus supereminens sublimitas. Quid .n. excelsius, quid sublimius, quid altius, quid Deo præstantius cogitari potest?

Cuius immensa est, infinita, atq; incomprehensibilis maiestas. Cum autem perstricto sermone dicat Lucas, diliges proximum tuum; effluens charitatis notatur latitudo; cùm verò strictim subiungat, sicut teipsum, facile charitatis deprehenditur longitudo. Non.n. suijpsius charitas sine quopiam terminabilis est. Nec carnem suam, aut seipsum quis vnquam odio habuit. Nec est mortalium quisquā, qui æterna fœlicitate priuari velit, aut frui recuset. Omnes.n.natura sibi benè esse volunt, quo immensa sui, finemq; nunquàm habitura charitatis declaratur longitudo.

De concordia domus. Cap. ij.

¶ Primum propter quod in vnum estis congregati, vt vnanimes habitetis in domo, & sit vobis anima vna, & cor vnum in Deo.

ENARRATIO.

1 PRINCIPIO quidem nos hic meminisse conuenit eorum, quæ superius astruximus, hanc videlicet Augustinianam Regulā ad Apostolicæ vitæ exemplar fuisse cōscriptam, ex actionibusq; Apostolorum desumptam: qua ratione Apostolica iure nuncupatur. Primus igitur canon, qui nunc proponitur, Apostolicus est, ac mutuò acceptus ex cap. 4. Act. vbi legimus: multitudinis autem credentiū erat cor vnū, & anima vna. Ad perspicuam huius canonis expositionē, quid cor, quid item anima sit, paucis pertractandum est: Cor, carnea pars corporis animati, vt Physici docent, est primum sentiendi organum, domicilium vitæ, sedes caloris, fons sanguinis vitalis, homini quidē collocatum intra læuā papillam; ceteris verò animantibus in medio pectore: primùm viuit, vltimumq; moritur. Quod quia inter reliquas corporis partes, viuēdi vitæq; fōuēdę primas obtinet: ideò voce cordis valdè metaphorice vtitur scriptura, dum dicit; Laua à malitia cor tuum Hierusalem. Item, in corde eorum scribam legem meam. Itē, auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneū. Quę quidē metaphora apud Prophetas frequens est. Est igitur cor in anima affectus rationalis, idest affectus, qui iudicio, & ratione aliqua fertur, quocunq; fertur, qui alio nomine dicitur animus. Quo quidem eligimus, sapimus, conamur, audemus: pertinent autem ad cor ho-

minis desideria, vota, studia, conatus, functiones, ardor, zelus. Hūc sensum comprobare videtur S. Th. 2. 2. q. 44. art. 5. videlicet, vt cordis nomine, voluntas ipsa, aut voluntatis actus intelligatur. Nam sicut cor corporale est principium corporalium motuum, ita etiam voluntas, & maximè quantum ad intentionem finis vltimi, est principiū omnium spiritualium motuum. Adde, quod cordis nomen frequenter sacrę litterę pro voluntate vsurpant, vt. n. à corde motionum corporis principium sumitur: ita voluntas reliquas omnes animæ vires moderatur, ac regit. Tria autem sunt principia actuum, quæ mouētur à voluntate intellectus, qui significatur per mentem, vis appetitiua inferior, quæ significatur per animam; & vis executiua exterior, quæ significatur per vires. Alij verò asserunt, cor in sacris litteris sumi pro parte animæ superiori, in qua voluntas est, & intellectus. Nec enim cor est, aut volūtas sola, aut mens sola, sed vtrunque simul. Cùm .n. cor iuxta sacra eloquia intelligat, & diligat, & credat, necessariò fit, vt simul & intellectum complectatur, & voluntatē. Est igitur cor pars animę supera. Nunc porrò dicamus de anima, prout rei propositæ conuenit; anima, inquit Arist. est principium vitæ: quidquid. n. nobis est sensuum, vitaliumq; operationū, id totum habemus ab anima; qua migrante è corpore, migrat cum ea tota, & omnis viuendi, agendiq; potestas. Ideoq; accipitur subinde anima pro ipsa vita, qua viuimus, vt Ioan. 12. Qui amat animā suam, hoc est vitam suàm, qua corporaliter viuit, perdet eam.

2 His præmonitis, propositi loci sensus est, multitudinem Christianorum habuisse idem cor, hoc est eadem desideria, vota, studia, conatus, functiones, ardorem, zelum, atq; affectionem. Item & eandē animam, idest idem vitæ institutum, conformitatem, & perseuerantiam. In ea. n. congregatione, atque domo, idem est cor, in qua eorūm omniū intentio, quæ in Deum referatur, est eadem. Illic est idē intellectus, si Deo subdatur; illic etiam eadem est anima, vbi omniū appetitus secundum Deum regulatur.

3 Hunc ergo Apostolicum canonem sacer Augustinus hoc loco renouauit, atque etiam locupletauit. Explicans hanc vnanimitatem in domo, idest in monasterio habitantium in Deo esse habendam, atq; colendam: quæ quidem vera sit, non ficta concordia ad operandum bonum, ad sectandam iustitiam, ad Deo inseruiendum. Vt simul & corpore, & spiritu cohabitemus. Quid. n. attinet, si vna nos domus contineat, disgreget verò diuersa voluntas? Deus .n. attentius animi, q̄ loci vnitatem prospicit. Ecce iā in vna domo plures homines sumus; diuersi mores, diuersa corda, diuersæ animæ; hæc verò omnia in vnū

con-

coniungat vna intentio, vnusq; amor in Deum. Facilè autē hæc cōmunis concordia obtinebitur, confouebiturq;, si vnusquisq; sibi persuadeat, vt post monasterij ingressum propria voluntate exuatur, illius vestigia sequens, qui dixit; Non veni facere voluntatem meam. Et iterum; Pater non sicut ego volo, sed sicut tu. Hæc.n.ad conciliādam concordiam certa via est, si vnusquisque in bono non suam, sed alterius voluntatem exequi, & explere velit, id quod eximiæ humilitatis præclarum iudicium est. Ad hanc capessendam concordiā mirū in modum, membrorū ad caput enucleata similitudine, ad Rom. 12. cap. nos Paulus hortatur, dicens; Odientes malum, adhærentes bono, charitatem fraternitatis inuicem diligētes: honore inuicē præuenientes. Discordiarum seminariū paucis quidem verbis nobis expressit Hugo de S. Victore lib. 1. de claustro animæ cap. 18. tom. 2. Sunt enim nonnulli, qui delicatam, ac voluptuosam esse credunt religionem, expertem laboris, vacantem otio; habitum religionis temere arripiunt, votumq; solenne emittentes, professionis vinculo constringuntur. Cùm autem religionis ordinē, consuetudinesq; suæ carni aduersantes nouerunt, in hæc verba prorumpunt. Putauimus pondus religionis leuius esse: quis.n.ferat claustri tedium, diuturnitatem silentij, pondus laboris, & cibi parsimoniam? Sanè tria sunt quæ pacem cohabitantiū turbare solent; quando videlicet quispiam ira cōcitatur, aut pro seipso, aut pro amico, aut denique pro cōmodo. Hæc tria repulit Abraham Gen. 13. dum habitaret cum nepote. Primum remouit dicens; Non sit rixa inter me, & te; Secundum cum diceret; Neq; inter pastores meos, & pastores tuos. Tertium reiecit, dum inquit; Tota terra ante te. Hoc est si de me, si de amico, si de possessione dissensio est; omnibus cedo. Si autem moribus non conuenit; discede à me.

4 Iam audiamus ipsum August. suæ Regulæ expositorem tract. 14. in Ioan. Nostis, inquit, quàm multi crediderunt, quando omnia, quæ habebant ad pedes Apostolorum vendita posuerunt, vt distribueretur vnicuiq;, sicut opus erat: & de illa congregatione sanctorum quid dicit scriptura? erat illis anima vna, & cor vnum in Deum. Charitas.n. de tot animabus fecit animam vnam, & de tot cordibus fecit cor vnū. Multorum ergo fratrum cor vnum, propter charitatem: & multorum fratrum anima vna, propter charitatem. Multæ animæ sunt multorū hominum, sed si se diligunt, vna anima est. Rursus tract. 18. charitas, quam misit hominibus Deus, de multis hominum cordibus fecit cor vnum, & multas hominum animas, fecit animam vnam; sicut de credentibus, seseq; inuicem diligentibus scriptum est in Actibus Apost.

erat illis anima vna, & cor vnum in Deo. Si ergo anima mea, & tua cùm idem sapimus, nosq; diligimus, fit anima vna: quantò magis pater Deus, & Filius Deus in fonte dilectionis Deus vnus est? Ecce illi tot millia erant, & cor vnum erat. Ecce tot millia erant, & vna anima erat. Sed vbi? In Deo. Accedant ad Deum, & vna anima est omnium. Charitas enim Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, multas animas facit vnam animam, & multa corda facit vnum cor. Quód si exquiras breui interrogatiuncula; quid lucri est ex concordia, & vnanimi sententia? Glorificare quidem non solùm vno ore, verùm etiam vna anima, non natura, & substantia, sed eadem, vnaq; mente, & concordia; Deum, & patrem domini nostri Iesu Christi, ad Rom. 15.

5 Illo quidē Apostolico canone, manifestò exprimitur charitas, qua Christus voluit suos agnosci, simul autem conueniebant primi credētes, tum vt mutuis sermonibus consolarentur, exhortarentur, & roborarentur. Frater. n. qui adiuuatur à fratre, tanquàm ciuitas firma, & melius est duos esse simul, quàm vnum tum vt indicarent, se malle cū pijs ad tempus affligi, quàm cum impijs delitiari: sicut Moyses improperium Christi præposuit omnibus thesauris Aegyptiorum. Illic rursus commemoratur nobis constantia, & concordia: quæ duo si volumus florere, in primis sunt necessaria. Perseuerantia scilicet in bono, & vnanimitas inter nosipsos, & in rebus agēdis omnibus; benè autem in templo agebant, vel perseuerabant; qui verum Dei templū, & cultum construere debebant. Erant in templo deprecantes, vt Act. 2. legimus, & Deo gratias reddentes, & mutua confabulatione semetipsos exhortantes, aliosq; quoscunque possent, ad Euangelicum fœdus allicientes. Hoc egregio, prestantiq; suorum animorum instituto cōuentum faciebant, quòd vtinam vniuersi cœnobitæ exactè imitentur. Summam igitur concordiam, & perfectissimam proximi dilectionem ostendit, cum dicit; cor vnum, & animam vnam eis fuisse. Pij idem cor, & voluntatē habēt, etiā si lōgis, multisq; locis, ac tēporib. seiūcti sint.

6 Eundem canonem non absque vtilitate denarrat D. Hilarius in ea verba Psal. 132. Ecce quàm bonum, & quàm iocundum habitare fratres in vnum. Seruata scienter ea ratio à Propheta est, vt bonum, iocūdumq; sociaret, quia non omne quod bonum est, iocundum est: neque quod iocundum est, bonum est. Iocundus est luxus, sed bonum nō est. Est enim in illa lasciuiæ amœnitate detrimentum, & salutis, & famæ. Bona est tolerantia iniuriæ, sed iocūda non est. Illud ergo quod bonū, & iocundum esse Propheta, demonstrat, est scilicet habitare fratres in vnum: non humanas tantum cohabitationes, nec terrenarum domorū

commu-

communionem David dicit, Nam fratres ob hæc ipsa tectorum consortia diffidentes videmus: sed nouit esse Apostolus communem, & religiosam domum, dicẽs; vt scias quemadmodum te oporteat in domo Dei conuersari. Itaque bonum, & iocundum est in vnum habitare fratres, cùm in vnum habitant, conuentum Ecclesiæ congregant, cùm fratres nuncupantur, vnicæ voluntatis charitate concordes sunt. Ad primam.n. Apostolorum prædicationem hoc præcipuum fuisse credẽtium præconium legimus, quod dicitur; Erat.n. omnium credentium cor vnum, & anima vna assensu, eadem voluntate non dissonans fide socia amoris, ac sententiæ vnanimitate perfecta: Hoc est, idipsum nos sapere, amore eodem contineri, per vnius sensus sententiam vnanimes permanere, non per æmulationem separari, neque per inanis gloriæ studium dissidere: non sua sed aliorum cogitare, vt ea quibus alienæ voluntates in concordia detinendæ sint, assiduè cogitemus.

De concordia bona. Consideratio j.



1 CONCORDIA authore S. Th. 2.2.q.29. art. 1. propriè sumpta, est ad alterum, quatenus diuersorum cordium voluntates simul in vnum consensum conueniunt, & q. 37. art. 1. Concordia ex charitate producitur, quatenus charitas multorum corda cõiungit in aliquid vnũ, quod est principaliter quidẽ bonũ diuinũ, secũdariò autem bonũ proximi. Hanc sanè concordiam graphicè depinxit B. Greg. lib. 21. Moralium cap. 15. in ea verba Iob: Humerus meus à iunctura sua cadat, & brachium meum cum ossibus suis cõteratur. Liquet profectò, quòd brachium corpori per humerum iungitur. Et sicut per brachiũ bona operatio, ita per humerum socialis vitæ coniunctio designatur. Quia nimirum qui patientiam seruare contemnit, socialem vitam citius per impatientiam deserit: à iunctura etenim humerus cadit, cùm aduersitatis aliquid ferre animus non valens, fraternam concordiam relinquit, & quasi membrum separatur à corpore, cum is qui operari bona poterat, à bonorũ omnium abscinditur vniuersitate. Neque.n. vnquam seruari concordia, nisi per solã patientiam valet. Crebro nãq; in humana actione nascitur, vnde mentes hominũ vicissim à sua vnitate, ac dilectione separentur, & nisi ad aduersa toleranda se animus præparet, proculdubio humerus corpori non inhæret: hinc vtile tibi documentũ desume concordiã patiẽtia conseruari, aliqui statim petiturã, hominesq; discordia dissidentes, quasi mẽbra à corpore cadere.

2 Chrysostomus concordiæ vim explicat homilia. 34. in Genesim, de rixis pastorum Abrahæ, & Loth agens in ea verba; ecce an non omnis

terra coram te est: Discede à me, si tu ad sinistram, ego ad dexteram: si tu ad dexteram, ego ad sinistram. Considera optimos mores, & insignem modestiam huius iusti; aucta sunt armenta, multiplicati greges affluxerunt diuitiæ multæ, & statim discinditur concordia. Antea erat pax, & charitatis vinculum, nunc rixa, & contentio. Vbi.n.meum, & tuum, illic omne litium genus, & contentionis occasio: vbi autem hæc non sunt, ibi secura versatur pax, & concordia. Et vt discas, audi quid dicat B. Lucas de ijs, qui ab initio ad fidem conuersi sunt. Erat, inquit, omnium cor, & anima vna: non quòd vnam animam habuerint omnes: quomodo. n. cùm in diuersis corporibus fuerint? Sed concordiã illorum nobis demonstrat. Iam nisi plurimæ æquanimitatis fuisset iustus ille, succensuisset forsitan. Secundum hinc accipe documentum, multitudinis concordiam adhibita modestia incolumem perseuerare. Rursus idem Chrysostomus inferius homilia. 35. sic ait; Nihil profuit Lotho primatus, & electio. Nã ex hoc non solùm nihil vtilitatis ei accreuit, sed ecce captiuus etiã abductus est, & didicit re ipsa, quod multò satius ei fuisset, vti consuetudine iusti, quàm separatum in libertate viuere. Ecce.n.vt diuisus est à iusto, & putabat se in maiori esse rerum vbertate, & copia, repente factus est seruus, carens domo, carens & foco; vt discas, quantum malum sit diuisio, & quantum bonum concordia. Et quòd conuenit, non maiora temere capessere, sed potius humilitas diligenda est. Tulerunt Loth, & sarcinas eius. Quantò melius erat cum Patriarcha viuere, & omnia ferre: ne concordia solueretur; quàm separatum, & electis potioribus, in tanta repente pericula incidere, & in Barbarorum venire potestatem? Hinc disce, concordiæ maximam vtilitatem, quam humilitas conseruat: vbi.n.concordia, ibi bonorum confluxus, ibi pax, ibi charitas, ibi spiritualis lætitia: nullum bellum, nulla rixa, nusquam inimicitiæ, & contentio. Sed hæc omnia è medio tolluntur per concordiam, bonorum omnium radicem, quæ omnia illa mala simul repellit. His adiunge, quod authore Augustino, concordia ciuitates construuntur, destruuntur autem discordia: estq; concordia in ciuitate, quod harmonia in musica. Postremò idem Chrysostomus in 2. comment. in Matth. homilia. 26. docet infidelitatem, & iniquitatem concordia frangi. Pax enim bona est inter bonos fideles, & iustos, vt in quibus est vnius fidei munus, vna sit vitæ concordia. Nam fides per verbum quidem Dei nascitur, per pacem autem seruatur, & per charitatem nutritur. Si ergo aliqua dissensione fideles fuerint separati, hęc est mala discordia, sicut ait dominus; Omnis domus in se diuisa, non stabit: sic separata fraternitas à semetipsa consumitur, dicẽte Apostolo ad Galat. 5. Si autẽ inuicem mordetis, & criminamini,

videte ne ab inuicẽ conſumamini,pax autẽ mala eſt inter infideles, & iniquos,vt quib.eſt vna malitia;ſit vnus ad maleficiendum conſenſus. Si ergo aliqa occaſione infideles, & iniqui ab inuicem fuerint ſeparati,hæc eſt bona diſcordia:quia in pace bonorum fides,& iuſtitia ſtant, infidelitas autem, & iniuſtitia iacent.

3 Concordia bonorũ virorum potentiſsima eſt,iuxta illud Prouerb. 18. frater,qui adiuuatur à fratre,quaſi ciuitas firma. Vnde ſciendum, quòd religionem ingrediens,aduerſus dæmonem certamen aſſumit, nihil autem magis formidare dæmon agnoſcitur, quàm charitatis vnitatem, quã vehementer expaueſcit, videns nos hoc tenere in terris, quod ipſe in cœlis ſeruare contẽpſit.Idcircò ſanè ſancta Eccleſia terribilis eſſe, vt caſtrorum acies ordinata deſcribitur, Cant. 6. Quoniã quemadmodum hoſtes timore concutiuntur, quando caſtrorum aciẽ bene ordinatam, & ad bellum coniunctam perſpiciunt. Ita nimirum diabolus pauore corripitur, quando ſpirituales viros, virtutum armis accintos, in vnitate concordiæ viuere conſpicit, victuſq; vehementer dolet. Cùm eos, per diſcordiam diuidere,& diſſecare, penetrareq; nõ valet. Sola.n.ſtudioſa concordia potentias, arcum, ſcutum,gladium, & bellum, vniuerſaq; eius arma mirum in modum confringit.

4 His adde, quæ Auguſt. tradidit lib. 19. de ciuit. Dei cap. 13. Pax, inquit, corporis, eſt ordinata temperatura partium. pax animæ irrationalis, ordinata requies appetitionum. pax animæ rationalis, ordinata cognitionis, actioniſq; conſenſio. pax corporis, & animæ, ordinata vita,& ſalus animantis.Pax hominis mortalis,& Dei immortalis, ordinata in fide, ſub æterna lege obedientia. pax hominum, ordinata concordia. pax domus, ordinata imperandi, atque obediendi cõcordia cohabitantiũ. pax ciuitatis, ordinata imperandi, atque obediendi concordia ciuium. Pax cœleſtis ciuitatis, ordinatiſsima,& concordiſsima ſocietas fruendi in Deo, & inuicem in Deo. pax omnium rerum, tranquillitas ordinis. Ordo eſt parium, diſpariumq; rerum ſua

5 cuiq; loca tribuens diſpoſitio. proinde miſeri, inquantũ miſeri, vtiq; in pace non ſunt. tranquillitate quidem ordinis carent. nam in pace perturbatio nulla eſt. Hæc Auguſt. qui eleganti profectò exemplorũ varietate, noſtram, quam inquirimus,domus concordiam, nobis explicuit. Empedocles Agrigentinus omnia iungi concordia, & amicitia dicebat; diſiungi verò,& ſeparari diſcordia, & lite. Ideo quattuor primis naturæ elementis has duas potentias addebat, amicitiã,& diſſidium. Erudimur itaque ab Auguſt.omnia bona pace conſtare:quòd ſi ita eſt, mala omnia in diſcordia, & diſſenſione ſita erunt. Quo magis demiror eſſe homines tàm peruerſæ naturæ, vt diſsidia, bellũ, pu-

gnas non secus, ac vitas, & animas suas diligant. Pacis nomen, tem maximum, & perniciosissimum malum exhorreant; digni profectò, qui extrinsecus, & intrinsecus habeant, sentiant, perpetiantur, quod tantopere expetunt, dissidium.

5 Est quippe pax Christianorũ, vt athleta Christi martyr ait Cyprianus, mentium serenitas, animarum eorum summa tranquillitas, cordis simplicitas, amoris vinculum. Hæc simultates tollit, bella compescit, comprimit iram, superbiam calcat, discordes sedat, inimicos cõcordat, amicos multiplicat, cunctis est placida, non quærit alienum nihil deputat suum, docet amare, quia non nouit odisse; Nescit extolli, nescit inflari. Qui autem amplectitur hanc pacẽ in mentis suæ hospitio, mansionem præparat Christo; quia Christus pax est, & in pace consueuit requiescere; Quæ cùm exercetur à Christiano, consumatur à Christo. Hanc qui amauerit, hæres erit Dei; qui contempserit, rebellis Christi. Dominus.n. Iesus Christus ad patrem remeans, hæreditarium bonum docens, pacem suam cultoribus suis reliquit, dicẽs, Ioan. 14. Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Hãc pacem qui accepit, teneat: qui perdidit, repetat; qui amisit, requirat; quoniam qui in ea inuentus non fuerit, abdicabitur à Patre, exhæreditabitur à Filio, & efficietur alienus à Spiritu Sãcto. Cùm igitur discordia sit ira acerbior intimo odio, & corde concepta; sit discordiarum finis aliquando, & à diuturnis dissensionibus conquiescamus.

De concordia mala, & discordia. Consid. ij.

1 
OLITE arbitrari, quod venerim pacem mittere in terram, non veni mittere pacem; sed gladium; ait Christus Matth. 10. quem locum in vtrisque commentarijs Chrysostomus non absque magna vtilitate explanauit. Ideò dominus bonam misit separationem in terram, vt rumperet malam coniunctionem: quòd si interroges, quomodo igitur pcipit, cùm ad suscipientium domos ingrederentur, pacem omnibus dicere? aut quomodo angeli clamabant Luc. 2. cap. Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis? Quomodo et omnes Prophetæ pacem tempore ipsius futurã prænunciarunt? Quia videlicet præcipua, singularisq; pax tunc præstatur, quando quod tabo, vel sanie corruptum est, abscinditur, atque proijcitur; quando factiosa, & improba pax repellitur, aut omnino destruitur: Sic certè cælis terra coniugi potest. Nam & medicus hoc modo reliquum corpus conseruat facilè, si quod reduci ad sanitatem non potest, cæciderit, atque abiecerit. Et militiæ dux ad soluendam militum conspirationẽ, alte-

alterum in alterum concitat. Sic in turre factũ vidẽmus, quando perniciosa illa pax per discrepantiam dissoluta, tranquillam, atq; laudabilem pacem reddidit: sic etiam Paulus eos, qui aduersus se conspirabant, diuidebat, atq; dissipabat Act. 23. in bello verò Nabuthæ nõne improba multorum concordia perniciosissima fuit? nec.n. semper concordia laudanda, cùm etiam latrones magna inter se concordia, conspirare sciamus. Non igitur ex proposito Christi, sed ex mente, animoq; hominum vitioso bellum erumpit. Nam ipse certè vellet, vt omnes vno consensu veritatem amplecterentur, verùm quoniam resistunt, atq; reluctantur, bellum prorumpit.

2 Venenum discordiæ perspicuè extricat D. Th. 2.2. q. 37. art. 1. dicẽs; discordia quãdoq; est ex peccato vnius tantũ, vt putà cùm vnus vult bonum, cui alius scienter resistit: quandoque autem est cũ peccatò vtriusque, vt cùm vterque dissentit à bono alterius, & vterq; diligit bonum proprium. Facere ergo discordiã, per quam tollitur bona concordia, quam charitas facit, est graue peccatum; vnde dicitur Prou. 6. sex sunt, quæ odit dominus, & septimũ detestatur anima eius: Septimum autem ponit eum, qui seminat inter fratres discordias. Sed efficere discordiã, per quam tollitur mala concordia, scilicet in mala voluntate, laudabile est. Hoc quidẽ modo laudabile fuit, quòd Paulus posuit dissensionem inter eos, qui erant concordes in malo. Nam & dominus de se dicit Matth. 10. Non veni pacem mittere, sed gladium. Quo in loco Caiet. dubitationem excitat de actu Pauli Act. 23. quòd Paulus excitauit Pharisæos, & Saducæos ad suas proprias opiniones, ac voluntates, vt ex eis solueretur concordia eorundem cõtra Paulum. Constat.n. non esse facienda mala, vt veniant bona. Respondet verò, licitum esse permittere, & vti malis, vt eueniant bona, quãuis non liceat facere, aut inducere ad mala, vt veniant bona. Aliud igitur fuit Pauli intentum, & aliud permissum. Existimauit siquidem Paulus, vtrosque proprias opiniones sectaturos, ac per hoc concordiã contra eum tollendam: intendit autem solùm excitare Pharisæos in defensionem resurrectionis, ac etiam defensionem sui ipsius, atq; per hoc permittere Saducæorum pertinaciam exercendam. Non.n. ex intentione Pauli Saducæi in actum suæ hæresis prodierunt, sed ex eorum propria voluntate, qua parati erant, proposita quęstione de resurrectione, illam impugnare. Eandem recepit sententiam Isydorus lib. 3. de summo bono cap. 3. Quandoquidem amicitia in rebus tantũm bonis habenda est. Nam qui ea in malo vtuntur, non sibi amici, sed inimici existunt, & sicut optandum est, vt boni pacẽ habeant adinuicem, sic animo cupere licet, & decet, vt mali sibi inuicem sint di-

scordes.

ſcordes. Id quod Paulus Apoſt. approbat, qui malos contra ſe diuiſit, quos in necem ſuam concordaſſe conſpexit. Inde & in lege, mare rubrum, hoc eſt concordia malorum hominum diuiditur, vt electorũ via tẽdens ad beatitudinem, nõ impediatur. Impeditur autem iter bonorum, ſi mare, hoc eſt vnitas non diuidatur iniquorum.

3 Perſanctè quidem Hugo de S. Victore hic nos admonet, dicens; Quod ſi ego voluero explere, facereq; voluntatem meam, iſte ſimiliter ſuam, ac ille ſuam, fiunt diuiſiones, oriuntur lites, iræ quoque, & rixæ, quæ ſunt opera carnis; teſteq; Apoſt. qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. Sunt quidam in cõgregatione in ſuo ſenſu obſtinati, ſapientes in oculis ſuis; quod animo ſemel conceperunt, hoc quaſi ex ratione defendunt, nec ſe alijs, ſed alios ſibi applicare contendunt. Quibus ſibi non obtemperantibus, ſtatim commouentur, ac perturbantur. Hi quidem ſeniorum mandatis rebelles ſunt, inobedientiæ, & impatientiæ affectibus perperã occupati. In eos quidem Apoſt. ſententia competit; Euanuerunt in cogitatiónibus ſuis, obſcuratumq; eſt inſipiens cor eorum. Dicentes .n. ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt propter ſuperbiam, magna ſiquidem ſtultitia eſt, alijs ſe velle præferre. Contra verò magna eſt ſapientia, omnibus ſe iudicare inferiorẽ. Hinc dominus diſcipulos ſuos, inter quos ea erat contentio, quis eorum videretur eſſe maior Matth. 20. & Marc. 10. illico ad humilitatis concordiam reuocat, dicens; Qui maior eſt veſtrũ, erit ipſe veſter ſeruus, & ipſe filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & animam ſuam dare redemptionem pro multis.

4 B. Greg. 3. parte Paſtoralis admonitione. 23. & 24. ait; Diſcordes admonendi ſunt, vt certiſsimè ſciant, quia quãtiſlibet virtutibus polleant, ſpirituales fieri nullatenus poſſunt, ſi vniri per concordiã proximis negligunt. Scriptum quippe eſt ad Galat. 5. Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax. Et rurſum ad Epheſ. 4. Solliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. At ſæpè nunnulli quo quædã ſpecialiter dona percipiunt, ſuperbiendo donũ concordiæ, quod maius eſt, amittunt. Admonendi ſunt etiã diſsidentes, vt nouerint, quòd tandiu nullum boni operis Deo ſacrificium immolãt: quandiu à proximorum charitate diſcordant. Scriptum nanq; eſt, Matth. 5. Si offers munus tuum ad altare, &c. vade prius reconciliari fratri tuo. Ex qua præceptione penſandum eſt, quorum hoſtia repellitur, quàm intolerabilis culpa monſtratur. Admonendi ſunt diſcordes, vt mentis oculos ad conſideranda infima aperiant, quòd ſæpè aues vnius eiuſdẽ generis ſeſe ſocialiter volando non deſerunt; & quòd gregatim animalia bruta paſcuntur. Admonendi etiam ſunt, qui iurgia ſeminant,

vt cu-

vt cuius sint sequaces, agnoscant. De apostata quippe Angelo scriptũ est, cùm bonæ mesi inserta fuisset zizania, inimicus homo hoc fecit Matth. 13. cap. de cuius etiam membro per Salomonẽ dicitur Prou. 6. Homo apostata, vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia seminat. Qui ergo iurgia disseminat, Angelum superbientem imitatur.

5 Ad manifestandam huius mali noxiam qualitatem ex Caiet. in verbo, discordia, discamus oportet, discordiam, quæ importat voluntatum segregationem, & charitati contrariatur, ex suo genere peccatũ esse mortale, iuxta S. Tho. loco citato, quando scienter ex intentione aliquis à bono diuino, vel proximi, in quo consentire tenetur, dissentit. In re autem modica, vel quando aliquis existimat hoc esse bonũ, & alius contrarium credit, non est mortale: nisi procedat ex ignorãtia eorum, quę quispiam scire tenetur, vel adiungatur pertinacia, quę sit mortalis. Discordare autẽ in his, quæ sunt de consilio, ad quæ quis non tenetur sub præcepto, non est mortale. Quia non excludit charitatem. Est etiam quandoque peccatum mortale, quando ex discordia infertur notabile damnũ proximo in bonis corporalibus, vel spiritualibus; hoc.n.est contra proximi dilectionem. Vnde sæpenumero consiliarij mali ex superbia, vel malo animo mortaliter peccant, nolentes concordes esse cum alijs in bono reipublicæ, vel quærentes bonum proprium, potius quàm commune. Constat hoc esse maximũ peccatum, cùm talium oblationem Ecclesia repellat. 90. distinct. cap. oblationes.

6 Apostolorum summa cura fuit Act. 6. seruare vnitatem, & concordiam. Sic Paulus ad Philipp. 2. si qua consolatio in Christo, si quod solatiũ charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eandem charitatem habẽtes, vnanimes, idipsum sentientes. Discordia profectò venenũ est sæuum, ac crudele in congregationibus: omne enim regnum in se diuisum desolabitur. Discordia, ac dissensio in Ecclesia fidelium plus intulit damni, quàm externa persecutio: non pastores, sed lupi sunt, qui nedum concordiam læsam resarcire non curant, sed insuper vnanimitatem impediunt, ac nihil non agunt, ne discordes ad concordiam reuertamur; num sic fecerunt Apostoli? Vides, ex discordiarum semina innumera mala oriri.

¶ Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.

ENARRATIO.



1 MNIS monastica Religio consilijs Euangelicis, vita, & opere exprimendis potissimum insistit, cuius singulæ portiones in Euangelio conscriptæ, laudatæ, ac consultæ inueniuntur. Sūt autem primariæ partes monastices, Continentia, Paupertas, Obedientia. Porrò his tribus contextis fit funiculus triplex, qui iuxta sapientem Eccles. 4. difficilè rumpitur, fitq; holocausti victima omni suauitatis odore gratior. Nā mente virgineus, aut probè continens, & simul spiritu perituris rebus maior, omnia velut stercora despiciens, suiq;, vt totus sit Dei, abnegator per fidem, & charitatem erga Deum, primum efficitur omni munitione inexpugnabilior, quasi virtus quædā viua in Deo, & quidē virtus armata, si adsint, quæ in instituto monastico adesse debent: nimirū abstinentia, vigiliæ, ieiunium, psallendiq; studium, lectio sacra, disciplina, pars nulla temporis vacua sine opere. Quæ quidem adeò sunt cognata monasticæ, vt sine illis Religiosus sit hoc ipsum, quòd corpus sine spiritu, arx sine portis, ac propugnaculis, auis implumis, sepulchrum dealbatum.

2 Religiosus efficitur holocaustum medullatum Deo, de quo Dauid Psal. 65 holocausta medullata offeram tibi. Inter holocaustum autem, & sacrificium hoc interest, quòd omne holocaustum sacrificiū est, sed non omne sacrificium holocaustum, in sacrificio pars pecudis, in holocausto verò totum pecus offerri solet. Vnde holocaustum latina linguā, totum incensum dicitur. Cùm igitur electum quid de rebus tuis, aut de te ipso omnipotenti Deo offers, sacrificium est. Cùm verò temetipsum Deo deuoues, offerendo illi, quod es, quod habes, quod potes, in primis cor contritum, & humiliatum: deinde propensum voluntatem ad obediendum, & omnem, quam præstare vales in opere Dei functionem, reuera holocaustum est, velut adipe de spiritu Dei, & dulcium lachrymarum pinguedine ab ardore cordis intinctum. Hoc autem modo seipsum offert Religiosus per votum solenne, dum abnegatis, quæ mundi sunt, quæ carnis, aut oculorum, quæq; ad superbiam vitæ pertinent, se obstringit ad ea, quibus, & spiritus liquescit in Deū, & caro in seruitutem spiritus redigitur, & amor mundi extinguitur, nempè ad continentiam, obedientiam, & paupertatem, iuxta modum

monasticæ Regulæ in Ecclesia comprobatæ, olim nomine Nazaræorũ appellati seipsos vouebant Deo. Nazaræus itaque efficitur omnis bonus Monachus, id est sanctus, siue consecratus, ac separatus Deo, vtiq; in hoc Christo redemptori suo sociatus, hæ itaque tres eximiæ virtutes sunt præcipuæ, quæ monachismum, siue integram Religionẽ cõstituunt. Quæ reliqua sunt politiam, seu disciplinam domesticam cõcernunt, vt sit inter multos vnio, pax, cõcordia, sitq; virtuti sua laus, quod verò diuersum est, iusta vindicatione non careat.

3 Hæc omnia ea ratione explicuimus, vt doceamus mẽtẽ, animumq; sacri nostri institutoris Augustini fuisse in hac sua Regula constituere, tradere, & pertractare tres illas substantiales perfectæ Religionis partes, vt earum exercitio, obseruationiq; optimus quisq; Canonicus totus intenderet. Auspicatur autem à paupertate, quæ per proprij abdicationem, & communis vitæ exercitationem facili negotio obtinetur, retineturq;. Quemadmodum.n. qui in balneum ingrediuntur, vestimentis se omnibus denudant, ita & qui colendæ pietatis causa ad Canonicam vitam accedunt, omni rerum vitæ huius materia exuti monasterium ingrediantur, oportet. Hic igitur est secundus Apostolicus Canon, isq; maximè annotandus. Desumitur autem ab Aug. ex cap. 2. & 4. Act. Apost. Nec quisquàm eorum, quæ possidebat, aliquid suũ esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Neq;.n. quisquã egens erat inter illos: quotquot.n. possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apost. Hæc D. Lucas. Quo in loco Chrysostomus ait: Ob magnam dantium alacritatem nullus erat indigus. Non enim partem quidem dederunt, partem autem reconderunt; neque omnia quidem, sed quasi propria: sic inæqualitatẽ è medio eijciebant, & in multa abũdantia viuebant, & cum multo honore hoc faciebant, neque.n. in manus audebant dare, neque cùm fastu suppeditabant: sed ad pedes afferebant, & illos dispensatores permiserunt fieri, & dominos fecerunt, vt quasi ex communibus postea insumantur, & non quasi ex proprijs: id etiam conferebat ad hoc, ne vana gloria extollerentur. Nonne diuisio semper minora commoda affert, vnanimitas autem, & consensus incrementum? sic qui in monasterijs nunc viuunt; quemadmodũ olim fideles, quis mortuus est fame? Quis non liberaliter educatus est? Nunc tamen hoc timent homines, magis quàm in immensum, & inexhaustum pelagus incidere.

4 Obserua diligenter loquẽdi modum, nemo.n. hoc, aut illud suũ esse dicebat, verbo nanq; etiam proprietas exploditur. Quare iure suo eruditus Gerson in opusculo contra proprietarios ait: Si ergo prohi-

bet August. expressè verbum proprietatis, à fortiori, & factum. Si proprietatis verba pronuncianda nō sunt, proprietas ipsa exercenda nō est. Si proprietatis verba interdicuntur, ne proprietas inter Canonicos nominetur, quàm vehementi affectu ab August. ipsis vetita fuisse proprietas existimanda est? Huic expositioni consentit Card. Turrecre. in cap. non dicatis. 12. q. 1. dicens; Attende, quantum voluerit B. August. communem vitam obseruare. ponit.n. non solùm præceptū circa virtutem, cùm dicit: sint vobis omnia communia; sed prohibitionem circa vitium oppositum dicens: Non dicatis aliquid propriū. Itē adeò vult hoc seruari, vt non solùm in re non inueniatur proprietas, sed etiam nec in ore, cùm dicit, non dicatis. Signo verò vniuersali, omnia quęcunq; sub possessione cadunt, cuiuscunq; naturæ sint, manifestè complexus est. Quamobrem, expositore Hugone, nec debemus aliquid habere proprium, aut quicquā dicere meum, sed nostrum, vt tunicam nostram, & domum nostram. Qnemadmodum.n. omnia in communi habemus, sic & omnia communi nomine appellare nos decet.

5 Rectè quidem Ambrosius Choriolanus in commentarijs Regulæ commento.3. rem hanc contemplatus est. Apostolicam.n. vitam ducentes, nec habere, nec dicere aliquid proprium decet, sed communia omnibus, communi etiam vocabulo sunt appellanda. Etsi nanq; ab vno bona aliqua spiritualia, seu temporalia proficisci videantur: illa tamen sibi vendicare minimè debet. Quoniam Deus, à quo cuncta bona dimanant, vel suorum confratrum obsecrationibus, vel vt illa confratribus communicet, elargiri dignatus est, eoq; modo ceteri vel cooperantes sunt; vel certè contentes sint iuxta Dei voluntatem, necesse est. non.n. si scientiam, si sapientiam, si quodcunq; aliud donum summa Dei bonitas cuipiam donat, id tribuit, nisi vt suorum sit munerum dispensator; Charitas quoque, qua in monasterio constituti feruere debent, quæ sua sunt, non quærit. Ipsa etiam proprietas rixarum, contentionum, litium, omniū denique est mater discordiarum, quarum viros religiosos vndique expertes esse maximè conuenit, Cęsarius quoq; refert, conuersum quendam Ordinis Cisterciensis cùm vita discederet, dominicū corpus sumere non potuisse; quoniā quinq; solidos apud se tenens, non fuerat confessus. Quidā etiam Monachus B. Antonium in retinenda proprietate decipere satagens, ab accipitribus, vulturibus, & alijs rapacibus auibus totus est dilaniatus. Sed quid alios commemoro? quàm seuerus noster Aurelius in proprietarios extiterit, ex sententia, in Ianuarium lata apertè dignoscitur in sermone ad presbyteros, dicens; Malè Ianuarius vixit, & ma-

lè moritur: malè quidem vixit, quia quod suum non erat, secretò tenuit: malè etiã moritur, quod in fine se non cognoscens, in suoq; sensu obstinatus, nobis ignorantibus, testamentum fecit; & filium, quẽ in seculo habebat, ditauit. O vtinam saltem in fine hoc nobis dixisset, vt orantibus nobis, veniã impetrasset. Nec eum fecisse pœnituit, propterea de meis non est, nec dum viueret, erat. Ligantes igitur manus cadaueris eius, ponentes in panno centum, & vndecim siclos, quos in pariete cellulæ retinebat absconsos, & flentes super eũ, dicatis, pecunia tua tecũ sit in perditionẽ. Non.n.licet eã nobis seruis Dei collocare, vel ponere in victu, vel vestitu, vel in opere monasterij, quoniã pretiũ dãnationis est. Deus omnipotens sua rerũ dispositione ad abijciendũ execrabilem, contagiosumq; proprietatis morbum, ad conseruandamq; communitatem nos etiam impellit. Non.n. solis iustis Solem, Lunam, pluuiam, & omnia terræ nascentia, omnesq; fructus dedit, sed ea in communione collocauit ille, qui Solem suũ oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. Quin etiã sacram suam crucem, siue passionem non iustis tantũ, sed peccatoribus etiam, impijs, & sceleratis communem esse voluit. Propterea idem August. in sermone de tribus generibus Monachorum, paupertatem sibi congratulatus, hoc pacto fratres alloquitur. Igitur fratres mei, licet in cathedra Episcopali me videatis, paupertatem mihi tamen charam sponsã tenere congratulor. Nam ipsa est Christi sponsa, sanctorum possessio, beatorum vita, fidelium securitas, Clericorum ornamentum, Monachorum vita, nobilium pulchritudo, diuitum magnificentia. Hæc est .n. illa sancta paupertas, quam qui tenet, & amat, nulla potest indigẽtia laborare. Nec mirum cùm ei detur omnium dominus possidendus, qui est omnibus in se sperantibus thesaurus in paupertate, solatiũ in solitudine, gloria in abiectione, honor in contemptu, & in omni protectione vmbraculum. Demum in sermone primo de communi vita Clericorum, qualis esset vita sua, indicans, ait. Ecce quomodo viuimus, nulli licet in societate nostra habere aliquid propriũ. Ambrosius etiam in lib. de viduis inquit. Quibus nihil est proprium, nihil deest, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, vbi omnia sunt oblectamenta bonorum. Probè quidem sentit Beda Act.4. dicens; Qui ita viuunt, vt sint omnia cõmunia in domo, Cœnobitæ vocant, Quæ vita tantò felicior est, quantò statum futuræ gloriæ magis imitatur. In quo erunt omnia communia.

6 Pars piorum ipse Deus est, vt docet Hugo, si ergo volumus huiusmodi hæreditatem possidere, tales quoq; nos exhibeamus, qui digni simus, & possidere eum, & ab eo possideri. Cùm auro verò, & argẽ-

to, alijsq; huiusmodi rebus religioso Deus pars fieri dedignatur. Ego (inquit Hieronymus) non accipio hæreditatē inter ceteras tribus, sed quasi Sacerdos, & Leuita viuo decimis, & alteri seruiens, Altaris oblatione sustentor, habens victum, & vestitum, his contentus ero. Beati n. pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Nobis igitur famem, aut egestatem formidare non licet. Ait .n. Christus; Primùm quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijciētur vobis. Rursus ait; Considerate volatilia cœli, quæ non laborant, neque nent; & pater vester cœlestis pascit ea. Quantò magis vos modicæ fidei. Scio abundare, & penuriam pati, ait Pau. Rursus; in fame, & siti, in ieiunijs multis, in frigore, & nuditate. Amplissimus hic nobis campus offerebatur ad disserendum de interdicta proprietate. Sed quoniam copiosè admodum de ea lib. 1. disputabimus, vlterius consulto progrediendum est.

7 Illud vnum est enarrandum, attendendū esse, quàm grauiter animaduersum sit in vitium proprietatis, ipso etiam initio corruscantis Euangelij Act. 5. cap. Sic n. Lucas ait: Vir autem quidā nomine Ananias cū Saphira vxore sua vēdidit agrum, & fraudauit de pretio agri, conscia vxore sua, & afferens partem quandam ad pedes Apostolorū posuit; & paucis interiectis, Ananias audiens verba Petri, cecidit, & expirauit. Rursus, vxor eius concidit ante pedes Petri, & expirauit. Et factus est timor magnus in vniuersa Ecclesia. Quo in loco Chrysostomus Hom. 12. sic ait; Narraturus de Anania, & Saphira; volēs ostendere virum, qui pessimè egerat, prius memor est Iosephi, qui benè fecerat. Quia cùm tanta esset multitudo, tanta faciens, tantaq; gratia, ac tanta signa, à nullo horum emendatus, sed semel auaritiæ excæcatus, perniciem illam suo capiti conciliauit. Sed vnde euenit misero illi hoc facere? Nunquid necessitas, vel violentia quædam erat? Nunquid inuitos vos trahimus? Sed Satanas tētauerat cor suū, vt Spiritu Sancto mentiretur, vide dilectè, quomodo non permittebant Apostolos vendere, sed ipsi vendebant, & illis pretia dabant. At non sic Ananias, sed subtrahit aliquid de pretio agri, quem vendiderat. Ideò & punitur, tanquàm nō benè in hac rē se habens, & deprehensus rerum propriorum fur. Hic sermo etiam nostri temporis sacerdotes plurimū taxat. At dixerit fortasse quispiam, quòd valdè acerbè illos tractarit. Dic sodes, quæ est illa seueritas amara? Si is qui ligna collegerat, Num. 15. lapidatur, quantò magis qui sacra diripit, sacrilegus? Etenim pecuniæ illæ iam sunt sacræ. Igitur qui voluit sua vendere, ac distrahere, iterumq; accepit de illis, sacrilegus fuerit. Si autem qui de suis accepit, sacrilegus est: multò magis qui de alienis.

Quamuis.n.è vestigio non sequatur supplicium, non putes impunita derelinqui. Vides, quòd hoc crimen imputatur, eo quod pecunias suas accepit, quas consecrarat. Quare accepit, postquàm promisit? Tale quiddam & in veteri lege accidit. 1. Paralip. 2. quãdo Charmi deprehensus est anathematis fur. Attamen nosti quantam & ille, vt facinus admisit, pœnam luit. Sacrilegium .n. valdè graue, & magno contemptu plenum. Iudas sacrilegus fuit, sed non offendit hoc alios discipulos; nullus ergo offendatur, etiam si quidam sacrilegi sint. Vides quanta mala pecuniarum cupiditas facit? Hoc exemplo admonitus cordatus Canonicus secum reputet, quanto studio sacrilegã proprietatem, tanquàm lethalem pestem sit euitaturus.

8 Non verbis tantùm, sed re ipsa charitatem mutuam primi credentes ostendebat, omnia in commune conferebant, quod quisque poterat, siue spiritualia essent, siue temporalia, quemadmodum Exod. 25. in fabricatione tabernaculi, populus certatim conferebat aurum, argentum, pilos caprarum, &c. Cogitabat quisq; apud se; En is homó, & si pauper sit, tamen eundem habet Deum, Christum, fidem, baptisma, spem, charitatem, promissionem; cur igitur eum extraneum iudicarem ab infimis illis bonis, qui mihi æqualis est in summis? Vides igitur in primitiua Ecclesia renouatum esse statum innocentiæ, quem Religiosi sequuntur; vides quòd non aliter temporalibus vsi sunt, q̃ vtimur aqua fluminis: quantum.n.necessum est haurimus, atque sumimus, reliquũ aquæ verò ad alios fluere sinimus: ita sanè viris Religiosis vtendum esset temporalibus. Vendebant quidem illi possessiones, sentiebant se reperisse thesaurum absconditum, quem vt seruarent, non cunctabantur omnia sua exponere, dicentes cum Paulo; Omnia quæ mihi erant lucra arbitratus sum, vt stercora; sicq; in ipso statim primordio Ecclesiæ illud Pauli impleuerunt. Qui emunt, sint tanquàm non possidentes. Non amicis tantùm, sed singulis; nõ aliquibus ad superfluitatem, alijs nihil habentibus, sed prout cuiq; opus erat, ò verè religiosam vitam, quid obsecro deesse potuit, vbi singuli in commune conferebant, quod habeant? Quomodo inuidia potuit habere locum, vbi qui plus habebant, non sibi quicquam retinentes, vltro alijs communicabant? Sed nec lites, & contentiones locum habuere, vbi communia erant omnia: contrarium in nobis experimur. Nostra itaque maximi refert, hos præstantes duces subsequi, si Religiosorum nomine digni esse velimus.

De origine Euangelicæ paupertatis. *Consid. j.*

1 ICTVRO mihi de sanctæ paupertatis exortu obseruandum est, variá esse paupertatem. Est.n. paupertas, quã pateris; est quam eligis. Illam parit vel necessitas, vel rerum indigentia contra voluntatis affectum. In istam te inducit volentem spiritus fidei, religioso quodã amore commutandi caduca æternis, terrena cœlestibus. Illa pœna peccati est; ista vehiculum ad portum fœlicitatis. Illa qui stringitur miser est, quia patitur, nec eluctari potest, quãquam conetur. Istam vel fugientem sequitur homo pius spontanea deuotione; & dimittere non vult, nec rogatus quidem, vel impulsus: Illa inter media, seu indifferentia; ista verò inter eximia bona euangelica est collocanda. Quam Baptista fortiter inchoauit, Christus insigniter verbo, factoq; cõmendauit, spiritus autem Dei mox post primum illapsum visibilem in corda hominum consumauit, ac velut in politiam quandam digessit, ad ipsam millibus Christi fidelium conuersis; quam rectè spontaneã, fidelem, euangelicam appellamus. Ea demum, & viam veræ Philosophiæ colendæ struit, & centuplum pro dimissis rebus accipit, & omnia mundi bona possidet. Insuper, & ius ad regnum Dei tribuit, eaq; omnia in hoc seculo; superaddens denique in futuro seculo vitã æternam, cuius nunc paupertatis tractationem exordimur. Hic autem nõ agimus de quorundam philosophorum paupertate, qui propter admirationem quandam inter homines, & philosophandi commoditatem, eam coluere.

2 Principio quidem nisi paupertas, quam spontaneam fidelem, euãgelicã dicimus permagnam haberet vim virtutis colendæ, & mire expeditam faceret philosophiam euangelicam, profectò non esset illata mundo simul cũ euangelio salutis. Ioannes præcursor domini, & primus prædicator euangelij, ipse dimissis omnibus factus est incola deserti, contentus locustis, & melle syluestri pro esca, & cilicio de pilis Camelorum pro vestimento, prædicans regnum Dei, & dicens; Qui habet duas tunicas, det non habenti Matth. 3. & Marc. 1. & Luc. 3. Post hunc venit filius Dei, dicens Matth. 8. Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet. Et ipse prædicãs regnum Dei dixit Luc. 14. Omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Vnde & adolescenti dixit, Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me. Post filium verò missus est Spiritus Sanctus visibiliter in specie flammarũ,

& ita igni fecit pectora credentium, vt dicat scriptura Act. 2. Omnes etiam, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia, possessiones, & substantias vendebãt, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat. Idipsum Act. 4. prolixius recensetur. Ad hæc duces fidei constanter intonant, Matth. 19. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, Christum dominum nostrum, nudum nudi; nõ tantùm retia nostra, & nauiculas, sed omnia quæ mundi sunt, & acquiri à nobis possint, relinquentes; potissimum autem Paulus ad Philip. 3. ait. Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam.

3 Nec est in Ecclesiã hoc vitæ genus sine certa, eaq; amplissima promissione Dei introductum. Enimuerò Saluator ab Apostolis interrogatus, respõdit; Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, & omnis qui reliquerit domum, &c. propter nomen meum, cẽtumplum accipiet, & vitam æternã possidebit, Marc. cap. 10. Centies tantùm nunc in tempore hoc, &c. Et in futuro vitam æternam. Centuplum autem illud est ius, siue actio ad ipsum regnum cœlorum. Cuius postea dabitur realis possessio, cum pro tribunali dicetur, Matth. 25. Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Ius autẽ ad tantum regnum, an nõ centies melius est omni auro, omnibusq; possessionib. quæ hic dimitti possunt? Idcirco Matth. 5. Christus dixit; Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnũ cœlorum. Et licet plerique putent sermonem esse de humilitate, sciendũ est tamen, humilitatẽ quidem parentem esse, & nutricem, indiuiduãq; comitem paupertatis euangelicæ. At verò sermo Christi etiã de paupertate, quæ diuitijs opponitur, intelligi põt. Quòd manifestius fit ex Luc. 6. cap. dicit. n. simpliciter; beati pauperes, siue mendici, vt Græcus textus verti potest, & mox subdit horrenda, quædãuè aptata contrarijs eorum, quibus antea beatitudines coniũxerat, dicens; Væ vobis diuitibus, qui habetis cõsolationem vestram. Væ qui saturati estis, &c. Addita est autem vox spiritu, vt constaret Christum tantũmodo locutum de ea paupertate, quæ spiritu fidei suggerẽte eligitur, partim humiliationis, partim salutiferæ commutationis causa, quo te æques mi nimis, imò omnibus te minorem facias, atque pro onerosis diuitijs, quòd centupliciter vberius, suauiusq; possidetur, obtineas. At carere rebus mundi non necessitate, non infortunio, non natura, sed spiritu propriæ volũtatis per fidem, hoc beatum prædicat Christus; beatum,

6 inquam, quoniam talium est regnũ cœlorum. Non vtiq; erit, sed nunc illorum est, nunc enim illud verum ius habent, quomodo crebro ius

habetur in rem ante actualem possessionem eius.

4 Nec tantummodo acquiritur, pro dimissis bonis tẽporalibus præfatum ius ad regnum Dei; sed simul etiam suauissima quædam affluẽtia rerum huius mundi, quousque cupis, & satis est virtuti euangelicæ colendæ, comparatur. Ideo.n. Marcus addidit particulam illam, in tẽpore hoc. Habent autem ad vsum, non ad opes, aut proprietatẽ possessionis, accipiuntq; spontanea donatione aliorum per flumina charitatis, sic disponente Spiritu Sancto, qui vnus singulorum corda tãgit, dirigit, patefacit ad singula commembra mystici corporis; haud secus, atque vnus spiritus vitalis singulorum membrorum vires, opes, officia conuertit in vsum aliarum partium eiusdem corporis, quantùm cuique opus est, & sufficit.

5 Considera, qua magnitudine spiritus Paulus 2. ad Cor. 6. loquitur: quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquàm nihil habentes, & omnia possidentes: ibi.n. explicat dulcedinem, diuitemq; remunerationem paupertatis Euangelicæ. Quasi diceret, nos qui nudi nudum sectamur Christum, videmur quidem mundi hominibus, instar mendicantium, egere rebus: at locupletes reddimus quàmplurimos, non solùm bonis spiritualibus, sed & temporalibus. Quis.n. pauperum in Hierusalem subleuauit inopiam, nonne ego? Quis autem peperit Ecclesiæ diuitias, quibus opulenter sustentat ministros suos? Nonne sancta illa primorum credentium paupertas? Nam, & tum temporis cum nihil videbantur habere Apostoli, possidebant omnia. Quod quidem sic intellige; in monastica quidem vita omnis professus omnia, quæ monasterij sunt possidet, nihil tamen suum habet, quia omnibus per votum renunciauit. Omnia ergo possidebant Apostoli, quia de omnibus, quantum libuit, in sua potestate habebãt, idq; per spontaneam, piamq; aliorum communicationem. Omnia nihilominus dimiserant, quia omnium rerum dominium, & proprietatem à se abdicauerant: habentes rursum, quæ aliorum sunt, adeò ad nutũ, vt nihil eis defuerit, sed nec possunt magis voluptati esse opes diuitibus, quàm hominis sancto sua paupertas voluntaria. Hinc Apostolus quasi tristes, scilicet iudicamur à ceteris, semper autẽ gaudentes. Non.n. alias letamur, & alias mœremus, sed semper gerimus intus merum gaudium Spiritus Sancti. Quale est virtuti proprium, habens in se prægustationem eius dulcedinis, quæ in cælis est, finemq; nescit. Atq; hæc, cui coniunctim accrescunt in tẽpore isto pro ijs, quę dimisit, nonne tibi centies tantũ accepisse videtur?

6 Rogo autem, quale potest adferre gaudium, aut dulcedinem tenuiter victitare, dure cubare, inopia, inediaq; premi, qualia pauperibus

euangelicis primitiuæ Ecclesiæ quotidiana fuere? Sed accipe responsum. Quemadmodùm venter satur, super omnibus cibis nauseat; ita bene vacuatus stomachus, vel solo pane, & aqua delitiatur. Subinde magis quàm si super regijs lautitijs quispiā epulo pōt. Post lōga quippe ieiunia, post feruorē, aut orandi, aut quid peragēdi in opere Dei, quicquid apponitur, delitiæ sunt, sapit beta, sapit faba, sapit ater, siccusq; panis. Nec dissimiliter, vt ijs, qui diætim somno indulgent, omnis lectus est insuauis, neque vllum ceruical satis sub capite aptatum: ita ijs, qui naturæ per vigilias vim faciunt omnis locus pro suaui lecto est, cubant commodè super terram, suauiter super scanna, & saxa. Prout miles post productas excubias, stertit profundum, altumq;, etiā quouis in loco. Et vnde gaudium? Nonne ex eo quod voti cōpos effeceris? Cur opes tibi stant animum? Nonne quia & vsui sunt ad finē, quo tendis? Itaq; quā fit voti sui compos perueniendo ad desideratas propter Christum inopiam, famem, nuditatem, cur obsecro non gauderet, habens quòd vult, quodq; quærit, & quo sibi quàm optimè esse, secundum spem promissæ salutis arbitratur? Verè igitur Paul. dixit de se, ac alijs euangelicæ paupertatis sectatorib. quasi tristes, semper autem gaudentes. Verè & Lucas de cæsis Apostolis asserit Act. 5. Ibant gaudentes à conspectu concilij, quia digni habiti sunt, pro nomine Iesu contumeliam pati. Nec alienum haberi debet, quod inseruit Christus discipulorum auribus; Matth. 5. Nempè sub maledictis, & persecutionibus gaudēdum, atq; exultandum, eo quod eorum merces copiosa est in cœlis.

De laudibus vitæ communis monasticæ. Consid. ij.



1 RENVNCIATIO, siue dimissio rerum temporaliū propter Christum fit multifariam. Primò, nudè eas relinquendo absq; vlla de illis dispositione. Quomodo Apostoli relictis omnibus secuti sunt Iesum, Luc. 5. ac alijs locis. Secundò, relinquendo certo quodam modo. Et hoc iterum bifariam, vel vendendo quæ habes, vt distribuas pauperibus, de quo modo inquit Saluator, ad adolescentem; si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me, Matth. 19. vel conferendo omnia in communem vsum, dimissa proprietate, vt iam non sint amplius tua solius, sed omnium, omniūq; vsibus inseruiāt, quodq; superest ad sinum pauperum recurrat. Prout factum est post acceptum Spiritū Sanctum Act. 2. & 4. quæ certè praxis horum modorum in Ecclesia Christi in hodiernum vsque diē tùm in conuentibus monasticis, tùm extra tales conuentus; Nunc verò

magis in monasterijs,& non sine voto obseruatur. Vt autem euangelicè,atque vtiliter fiat,necesse est,vt cor omnium sit vnum, hoc est studium commune,quo idem quærant omnes,idem velint, eodem tendant. Anima insuper vna,vt nemo sibi viuat,sed quisq; quod est,quod habet, quod potest,omnium existimet esse.

2 Vt perspicias magnitudinem,simul,& rationem perfectionis, quæ est in ea paupertate euangelica,atque monastica, qua nemo dicit aliquid suum esse,sed omnia in communi cum alijs possidet,D. August. est consulendus,serm. 25.de verb. Apost.sic inquiês: legimus in libro, qui Apostolorum Actib. adscribitur, tãtam sub memoratis viris deuotionem plebis fuisse,ita populi Christiani floruisse primitias,vt post acceptam fidem nemo domum propriã sibi defenderet, & nemo suũ aliquid vendicaret,sed iure fraternitatis essent illis cuncta communia, scilicet,vt qui eodem consortio Religionis tenebãtur, eodem consortio fruerentur & vitæ,hoc est, vt quibus erat vna fides, esset vna substantia, & quibus erat communis Christus, communis esset & sumptus. Nephas enim putabant Religiosi viri cum sibi participem non asciscere in substantia, qui particeps erat in gratia. Atque ideò charitate fraternitatis omnibus communiter vtebantur; quia maior est fraternitas Christi,quàm sanguinis. Sanguinis enim fraternitas similitudinẽ tantummodo corporis refert; Christi autem fraternitas vnanimitatem cordis, animæq; demonstrat. Vere ergo frater ille est,qui tàm corpore,quàm vnanimitate germanus est. Verius,inquam,frater est,cuius idem spiritus,& voluntas in fratre est. Melior ergo est fraternitate sanguinis,Christi fraternitas: quoniam interdum illa sibi inimica est. Illa inter se communia cum æmulatione diuidit; hæc etiam cõgratulatione communicat. Illa in consortio sæpè despicit germanos; hæc assumit frequenter alienos. Beata igitur plebs,quæ dum plures in Christo habet diuites,nullum in seculo habet indigentem;& quæ dum æternas cogitat diuitias, à fratribus temporalem repulit paupertatẽ, Omnia.n. vendebant,& pretia ante Apostolorum pedes ponebant,vt erogaretur, prout cuique opus erat. Non verebantur,ne esurirent ipsi, dum timebant,ne alius esuriret. Hæc Augustinus, vbi doctè profectò,& cordate enucleat vim, & rationem perfectionis, quam retinet ibi expressa,ibiq; inchoata possesio rerum in communi.

3 Communis rerũ possesio inter beneuolos principio nihil prorsus in se continet, vnde meritò culpari posset. Nihil.n.pugnat aduersus ius gentium, nihil contra ius ciuile. Nihil etiam continet seruile, aut coactionis: Quia procedit de spontanea vniuscuiusque voluntate: nihil ociosum, Fit.n.intuitu pietatis expeditus colendæ. Deinde habet

vnde toti mundo præclara, & venerabilis esse debeat. Est.n. verè secundum naturam optimè dispositam, qualis fuit tempore innocétiæ, & qualis erit rursus in cœlo. Et insuper ad amussim conformis euangelio Christi. Est expedita properatio ad perfectionem, vt patet ex verbis, & factis Christi, & Apostolorum eius. Est mutatio melioris pro eo, quod bonum est, aut saltem non malum. Nam meum, & tuũ non sunt mala, etiam si nonnunquàm sint à malo, & non rarò malorũ, & dissidiorũ causa. Est reditio ad primitias Spiritus Sancti, qui mox vt datus fuit, in primis velut eximium quiddam docuit viuere in communi. Est præludium eius societatis, quæ expectatur post hanc vitam in cœlis. Siquidem in cœlis regnum commune est vniuersis sanctis, prout clarè insinuat Saluator, Matth. 25. Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Multi benedicti regnum vnum, vnanimiterq; possidendum. Est denique status quidam firmans hominem in vno, ne amplius circumambulet in circuitu. Qui.n. euangelicè habent omnia communiter, sibi imponunt statũ, vt deinceps præter cælestia nihil quærant in terris, apprehendẽtes praxim illius dicti Apostolici. 1. ad Tim. 6. habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.

4 Porrò quicquid de contemptu rerum prædicat euangelium, in hoc profectò genere vitæ, quàm pulcherrimè sese demonstrat. Quicquid de vera pietate, nusquàm adest vberius. Fieri.n. non potest, vt qui tàm amicè communicant bona sua temporalia, quæ vsu consumũtur, non communicent multo studiosius sua bona spiritualia, videlicet doctrinam fidei, adhortationem, orationem, fructuum bonorum operum, gaudium in prosperis, subuentionem in aduersis, & omnem affectum cordis, quæ vsu consumi non possunt: sed quo communicatur liberalius, eo fiunt & vberiore in se, & hæro suo vtiliora. Quàm igitur bonum, & quàm iocundum habitare fratres hoc pacto in vnum?

5 Accedit quoque præeminentijs iam dictis, quòd doctores Theologi. 4. sent. dist. 47. attestantur, luculentius verò Dom. Sotus ibidem q. 1. art. 2. dignitatem iudicandi in die generalis iudicij non quibuslibet sanctis ob quæcunq; merita, sed solis Apost. eorumq; sectatorib. propter perfectum paupertatis statum esse concedendam. Ex eo loco Matth. 19. Vos qui sequuti estis me in regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis, & vos super sedes duodecim. Idest non stabitis inter illos, qui iudicandi sunt: sed assidebitis iuxta sedem maiestatis meæ, non promiscuè in vno communi sedili, sed singuli in sedibus singulis, quod ad maiorem honoris cumulum accedit. Nec tamen sedebitis honoris gratia, vt propè me sitis.

Sed

Sed quòd mea ego autoritate facturus sum, id vos tanquàm mei ministri facietis: iudicabitis, inquam, duodecim tribus Israel, idest totā iudicandorum vniuersitatem. Quo in loco Christus Apostolis se omnia reliquisse asserentibus respondebat. Quia.n.iudicium de operib. misericordiæ explicandum est, esuriui enim,&c. Illi qui per erogationem omnium bonorũ, statum paupertatis elegerunt, vnoq; Religionis actu,& voto cuncta misericordiæ opera exoluunt, alios iudicabũt. Et quia statum paupertatis professi ab omnib. suppeditantur, despectiq; cunctis habentur, æquum est, vt super omnes exaltentur.Hoc.n. est humilitatis præmium. Idcircò promittitur pauperibus regnũ cœlorum, non tantùm generali ratione,sed singulari, qua regum est, ciuium causas iudicare,ac definire.Nam propter singularia merita, peculiaria recipiet vnusquisque præmia. At verò propter omnimodam omnium bonorum abiectionem, vt liber se homo totũ obsequio Christi tradat, meritò iudicis dignitate est insigniendus.

De ratione distribuendi bona communia. Cap. iiij.

¶ Et distribuatur vnicuique vestrùm à Præposito vestro victus, & tegumentum: non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes; sed potius vnicuique, sicut cuique opus fuerit. Sic.n.legitis in Actibus Apostolorum, quia erant illis omnia communia; & distribuebatur vnicuique, sicut cuiq; opus erat. Qui aliquid habebant in sęculo,quando ingressi sunt monasterium, libenter velint illud esse commune: qui autem non habebant, non ea quærant in monasterio, quæ nec foris habere potuerunt. Sed tamen eorum infirmitati, quod opus est, tribuatur: etiam si paupertas eorum, quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat inuenire. Tamē non ideò putent se esse fœlices, quia inuenerunt victũ, & tegumentum, quale foris inuenire non potuerunt.

ENARRATIO.



1 VM facer August. superiori capite proprietatem eliminauerit, vitamq; communem, communiaq; bona constituerit: nunc communium bonorum, quibus tota familia alenda est, ac sustinenda, distributionem aggreditur. Ea autem quattuor partibus constat; videlicet, quibus sit distribuendum, aitq; vnicuique: à quo? A Præposito. quid? Victus, & tegumentum. Qualiter? Non æqualiter omnib. Hic est tertius Apostolicus canon desumptus ex cap. 4. Act. quem etiam locum hic citat, & refert August. Sed iam dictiones quasdam enarremus. Præpositi nomine hoc loco Prælatus intelligitur. Siue Abbas sit, siue conuentualis Prior, aut Præpositus, vel quocunque alio nomine nuncupetur; ipsi n. Prælato bonorum communium distributio hic adscribitur, eademq; ratione, & administratio. Eam tamen distributionem, administrationemq; per alios nempè ministros, & officiales exercere potest. Quam rem iam recentiora iura declararunt. Præterea non tantum victus, & tegumẽtum vnicuique sunt subministranda per distributionem, sed etiam omnia alia necessaria: Hæc tamen duo potiori iure sunt commemorata, quia sunt, & quotidianæ, & maioris necessitatis, sub eisq; reliqua cõprehenduntur. Sic n. dominus remp. Christianam instituit, vt ijs, qui spiritualibus vacarent officijs, alij tẽporalia præstarent. Constitutum est. n. vt qui altari deseruiunt, de altari viuant. 1. ad Cor. 9. Dignus est. n. operarius mercede sua. 1. ad Timot. 5. Opus est tamen, vt ei seruiamus, à quo pascimur. Cogitandũ nanque nobis est, quam ob causam nobis victus, & tegumẽtum contribuatur, ob eam nempè, vt totum desiderium nostrum in id feratur, vt primum regnum Dei, & iustitiam eius quæramus, proptereaq; hæc omnia adijciantur nobis. August. quoque mentem planè nobis explicuit Ambrosius Choriolanus com. 4. quoniã in sacro Apost. collegio, vt expeditius possent verbo Dei vacare, nonnulli fuerunt ad ministrãdum instituti, ad eundem modum noster August. sua monasteria moderabatur, vt in eis quidam spiritualibus vacarent, quidam verò tẽporalia administrarent, propterea alios voluit esse Præpositos, alios subditos. Præpositorum interest subditis temporalia administrare, q̃ ad victum, & tegumẽtum attinent; subditorũ autem refert, spiritualibus studijs operam dare, vt lectioni, orationi, & contemplationi insistere in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus cœlesti domino quotidie deseruire, à quibus tamen muneribus nec Præpositi eximũtur, sicuti nec subditi ab administrãdi cura, cùm eis fuerit iniunctum.

Subditis.n. cõpetit in quibuscũq; reb. honestis, suis obsequi Prælatis.

2 Cùm author inquit. vnicuique vestrum victus, & tegumentum à Præposito vestro distribuatur, neminem profectò excipit: à Præpositi etenim mente personarum acceptionem alienissimam esse oportet: quãdoquidem omnes Religiosi altari seruiunt, omnes etiam laborãt. Iuxta illud Dauidicum Psal. 126. Surgite postquàm sederitis, qui manducatis panem doloris.

3 Quod si tanto studio mundi sectatores suis principibus inseruiũt, nullis parcentes laboribus, vt eis complaceant ad consequendam humanam, caducamq; mercedem: quantò magis nos bonis operibus diuinæ celsitudini placere vehementer enitemur, æternum præmium suscepturi? Est autem Deus princeps noster, creator, redemptor, saluator, glorificatorq; noster.

4 Illis quidem verbis, non æqualiter omnibus Prælatum instruit noster author, docereq; contendit, diuersas esse Religiosorum corporis constitutiones, ingenia, mores, affectus. Proinde prudẽtis Prælati partes sunt hæc omnia dignoscere, vt vnicuique prout eius exigit conditio, indigentiaq; postulat, prouideatur. Quare si in seculo delicatè nutritis, aut infirmis, aut in prædicandi, docendi, monendiq; munere occupatis delicatioris alimenti quidpiam tribuatur: Id quidẽ reprehendi non debet. Sic verò id decurtandum est, vt in monasterio seculares non videamur, in quo profectò blanda, lenia, mollia, delicata, & quæ carnem fouent, quærenda non sunt.

Qui aliquid habebant in seculo, &c. In hac secunda parte huius capitis statuit Augu. quartum Canonem Apostolicum, quo præcipitur, vt ingressi monasterium, omnia sua bona in communitatem conferãt: vt optimi, primiq; Christiani factitarunt. Dignum.n. eis videbatur, vt qui communem habebant gratiam, communem haberent substãtiam. Et quibus vnus erat spiritus, vnus esset & sumptus. Taxat igitur eos, qui sua bona in monasterium quidem deferunt, diffidentes tamẽ de communi distributione, noluerunt totam suam substãtiam in cõmune penu reponere, sed propter senectutem, vel infirmitatem partem bonorum ad futuras necessitates leuius ferendas sibi reseruauerunt, imitati Ananiam, & Saphiram, qui Act. 5. Portionem quandam pretij diuenditi agri sibi retinuerunt, partim Religiosi, & partim seculares effecti. At verò vt Hugo hic docet, duo relinquenda sunt propter Deum à viris Religiosis, nempè facultas possidendi, & voluntas, siue appetitus habendi. Nam Christus ait. Qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Et iterum. Qui vult venire post me, abneget semetipsum. Illud pertinet ad substantiam,

ſtantiam, hoc ad voluntatem. Non.n. ſufficit exteriorem relinquere ſubſtantiam, niſi interiorem abſcendamus concupiſcentiam. Vnde & ſubdidit, qui autem non habeat, &c. Nam & illi, qui nihil foris habebāt, intus habent, quod propter Deum relinquere poſsint, videlicet voluntatem habendi. Vnde ſcriptum eſt, non concupiſces. Carnalis igitur appetitus reſecandus eſt.

6 Primum ergo iubemur habita deſerere, deinde terrena non quærere, vt poſtea liberiores redditi, ad cœleſtia anhelare poſsimus. Additum eſt autem verbum libenter, ne ea propriorum bonorum collatio ex neceſsitate, aut vi aliqua, ſed ex bona voluntate fiat. Inquit.n. Apoſt.2.ad Cor.9. Non ex triſtitia, aut ex neceſsitate; hilarem.n.datorem diligit Deus. Libenter igitur terrena largiamur, quibus cœleſtia nobis comparemus. Quicunque tamen illi fuerint, ſiue diuites, ſiue pauperes, ſiue nobiles, ſiue ignobiles, quicunque in Religionē ſeſe receperunt, æquum eſt, vt de Chriſti annona victitent. Dignus eſt.n. operarius mercede ſua. Ob Religionem igitur ſuſceptā, quæ illis neceſſaria ad vitam tranſigendam prouidè ſubminiſtrat, Religioſo ſuperbire nòn licet. Itaque qui antea paupertate præmebantur, in Religione abundatiam, aut delitias non quęrant, in quorū perſona Hieronymus ad Nepotianum ſic loquitur. Natus in paupere domo, & in tugurio ruſticano, qui vix milio, & cibario pane ventrem rugientem ſatiare poteram, nunc ſimilam, & mel faſtidio. Eoſdem Bernardus increpat, cùm honores affectant. Plerique, inquit, in domo Dei nō patiuntur haberi contemptui, qui in ſua non niſi cōtemptibiles eſſe potuerunt. Ibique volunt honorabiles videri, vbi honores ab omnibus contemnuntur. Magna ſanè abuſio eſt, vt in loco paupertatis, vbi diuites penuriam incurrunt, pauperes ſuperfluitatem quærant. In loco afflictionis, vbi delicati mortificantur, homines ruſticani res delicatas affectent. In loco vbi viri honorati eligunt abijci, abiecti honorari cupiant; & qui proprio labore victitabant, ibi ocioſam vitā ducere velint. Et vbi celebres viri abſcondi volunt, vt eorum vita cum Chriſto in Deo abſcondita ſit, ibi ipſi prius ignoti, nulliusq; nominis, celebre nomen ſibi acquirere contendant. Et vt Bernardus ait. Qui antea in

8 ſuo oppido, vel vico vix cogniti fuerunt: modo circumeuntes prouincias, & curias frequentantes, regum, & principum familiaritates aſſecuti ſunt. Iſti quidem ſocij ſunt eorum, qui dominum ſequebantur, non propter virtutes, ſed propter panes, quibus Ioan.6. eos ſatiabat. Oculos dextros erutos habent. Ideoq; ad bellandū ſunt inepti. Coercendi igitur ſunt, qui quamuis in ſeculo pauperem vitam gerebāt, in monaſterio tamē magis conqueruntur, quàm illi, qui diuites fuerūt

De

De forma vtendi rebus communibus. Consid. j.

1 ANE plurimum mihi probatur Humberti sententia, qui asserit ab August. fuisse apposita illa verba, à Præposito vestro, ne quispiam falsò opinaretur, sibi licere ꝑpria auctoritate res communes accipere, ac expêdere. Id.n. nequaquã licet citra Præpositi, vel Prælati facultatem, & distributionem. Quædam.n.sunt sic communia alicui vniuersitati, vt cuicunque liceat accipere partem pro suo libito, vt ex oppidi nemore ligna. Quædam verò sunt eo pacto communia, vt totum à toto possideatur, & nihil partis à parte. Hoc quidem posteriori modo Religiosis sunt omnia communia; nulli.n.eorum in singulari licet aliquid possideri, nisi iuxta leges traditas. Cum.n. non sit sui iuris, nulla ratione sibi in re aliqua ius vsurpare debet, absque Superioris facultate. Præsertim verò si id quod sibi arripit, sit iam alteri assignatum, atque concessum. Duriusq; fiet, si cum sociorum turbatione, aut tumultu illud fecerit.

2 Ex dictis duo inferuntur: Primum, Religiosus non potest donare, nisi vel cum Superioris licentia, vel si habeat legitimam administrationem, vt ex iusta causa donet. Solus.n.ille donare potest, qui habet rei dominium, vel proprietatem, si alioqui iure non prohibetur. Secundum est, Religiosus non potest eleemosynam facere. Ex S.Tho. 2.2.q.32.art.8.ad 1.arg. Monachus, inquit, si habet dispensationem à Prælato commissam, potest eleemosynam facere de rebus monasterij, prout sibi est commissum. Si verò non habet dispensationem, quia nihil proprium habet, tunc non potest facere eleemosynam sine licētia Abbatis, vel expressè habita, vel probabiliter ꝑsumpta, nisi fortè in articulo extremæ necessitatis, in quo licitũ est ei furari, vt eleemosynam daret. Nec propter hoc efficitur peioris conditionis, quia sicut dicitur in lib. de eccles. dogmatibus. Bonum est facultates cum dispensatione pauperib. erogare. Sed melius est, pro intentione sequêdi dominum, simul omnia donare, & absolutum solicitudine egere cũ Christo. Hæc Thomas. Idipsum docet Card. Turrecrem. in cap. non dicatis; 12.q.1. addens insuper, quòd in casu extremæ necessitatis ꝑsumitur elargitio eleemosynæ Superiori placere. Sed nec tunc propriè Monachus dat, sed reddit, quod est indigentis in extrema necessitate, in quo omnia sunt cõmunia, & debētur in tali necessitate existēti.

3 Præterea ea verò, quæ hactenus diximus, duo adhuc hic sunt aduertenda. Alterum quidem, vt omnis caueatur introductio, seu cõsuetudo, aut etiam fraus ad rapienda bona communia, quacunq; id

arte, prætextu, siue colore fiat. Vbi .n. huiusmodi ianua hominibus fraudulentis semel aperitur, breui quidem bona communia dilabentur, & dilapidabuntur. Spiritualia autem sine temporalibus diu consistere non possunt. Alterum est, studiosissimè esse elaborandũ, ne Augustiniana Regula, vt Lesbia Regula traducatur, & infametur. Erat .n. insula, in qua lapides præ sua intractabili duritiæ, nequibant cudẽdo quadrari, vt adaptarentur ad regulam. Ideoq; viceuersa regula, quæ idcirco non ferrea, sed plumbea erat, flectabatur, vt gibbo lapidis adaptaretur: vt iuxta regulæ curuitatem deprehenderetur in muro sedes, vel sterneretur locus, cui aptius insideret. Quo fit, vt cùm lex ob necessitatem ex æquo, & bono rebus accõmodatur, illã Arist. 5. Ethic. cap. 10. obliquitatem non tribuerit vitio, sed laudi, propter inconstantiam rerum humanarum. Defectus .n. huiusmodi non sunt in lege, sed in rebus ipsis humanis, quarũ casus nequeunt certius cõprehendi. Eo tamen casu Superioris auctoritas, adhibita matura deliberatione, adhuc requiritur. Ceterum extra talem necessitatẽ meritò male audit regula Lesbia, vt puta cùm lex, vel ad principum voluntatẽ inflectitur, vel alias ob causas, non mores ad legem collimantur, sed lex ad morum corruptelam detorquetur. Faxit Deus Opt. Max. vt sancta Augustini Regula in regulam Lesbiam, siue in plumbeam, aut cæream nunquàm pertranseat, aut conuertatur. De dubitationibus proprietatem attingentibus lib. 1. copiosè disseruimus.

4 Occurrit hic nobis Aluarus Pelagius lib. 2. de planctu Eccl. art. 56. cap. quòd incipit, ad illud quod dicit oppositor. Qui in dubiũ vtcunque reuocare vr̃. An Regula Augustiniana sit censenda Apostolica? contendens aliam Apost. Regulam depingere. Quoniã Regula Apostolorum propria, & immediata alia fuit à regula multitudinis credẽtium. B. autẽ Augustinus fundauit Religionem suã directè iuxta Regulam communitatis, seu multitudinis credentium, & non iuxta Regulam propriam, & immediatam Apostolorum. Nã verba, quæ Aug. citat in Regula ex Actibus Apost. apertè dicuntur de communitate generali credentium, non tamen de cõmunitate propria Apostolorum; quasi altera, & prior sit communitas Apostolorum; altera verò, & posterior sit communitas multitudinis credentium. Nobis tamen cordi non est hic contentionibus inseruire. Præsertim cùm ipse Aluarus libenti animo fateatur, Regulam Augustinianã rectè dici posse Regulam Apostolicã, tùm quia fuit ipsa primis credentib. ab Apostolis data, tùm etiam quia ipsi Apostoli aliquo tempore vixerunt in illa communitate generali credentium, & tanquàm eorum capita illã Regulam seruauerunt. Hæc Aluarus.

1 PARSIMONIA appetitum hominis compescit, & cohibet, ne superflua requirantur, hæc virtus à Macrobio parcitas, ab Andronico per se sufficientia nuncupatur, vt author est D. Tom. 2.2.q. 143. art. 1. Ipsa etiam legitima proles est temperantiæ. Temperantiæ verò Regula est necessitas huius vitæ, videlicet vt rebus vtamur ad necessitatem præsentis vitæ. Igitur rerum superfluitas à viro Religioso non solùm requirenda non est, sed etiam longè profliganda. Solet.n. multorum malorum esse abundans seminarium. Idcircò D. August. prudenter præscripsit, compresssitq; Regulam distribuendi bona communia illis verbis, sicut cuique opus fuerit, non sicut cuique libuerit. Porrò sacrum Conc. Trid. sess. 25. de regularibus cap. 2. rem acu tetigisse videtur, dicens: Mobilium verò vsum ita Superiores permittant, vt eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, cõueniat; nihilq; superflui in ea sit, nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur. Quam rem amplius explicuit Bened. 12. in Const. Canonicorũ Regul. tit. de victualibus, & alijs ministrandis, dicens: Sufficienter, & decenter esse omnia vnicuique ministranda, iuxta suppetentiam facultatum, & iuxta conditionẽ, seu qualitatem regionis, idq; tempore congruo. Qui autem semel superfluitati assuescit, indigentiã vix sustinere poterit. Inter opera verò, quæ in bonorum genere computantur, non infima est parcitas, vt hominem venerandũ, celebremq; efficiat. Cuius rei insigne est nobis exemplum Ioan. Baptista, qui ex parsimonia nomen sanctitatis sibi comparauit Matth. 3. Ipse.n. Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, esca autem eius erant locustæ, & mel siluestre, & sequitur: tunc exhibat ad eum Hierosolyma, & omnis Iudæa. Sanctitatis.n. auctoritate homines mirũ in modũ, & ad se imitandũ, & ad pœnitentiã peccatorum peragẽdam alliciebat.

2 Hugo de S. Victore hic nos admonet, hanc Regulam distribuendi bona communia, non sic esse interpretandam, vt abundanter omnia distribuantur, quasi omnimoda indigentia sit è monasterio propulsanda. Quamuis.n. Act. 4. scriptum sit, neque quisquam egens erat inter illos, scriptum etiam de ipsis Apostolis legimus, quòd Deo seruiebant in fame, & siti, in frigore, & nuditate. In huiusmodi ergo negotijs valetudinem naturæ, non carnis voluptatem nos attendere decet. Plus enim appetit carnalis voluptas, quàm necessitas, quam ob rem ait Hugo; In eo quod dicitur, vnicuique quod opus est, tribuatur, hic modus obseruandus est; sic nutriatur caro, vt tamen seruiat, & iterum sic reprimatur

primatur caro, vt non superbiat. Sic seruetur, foueaturq; necessitas naturæ, vt abscindatur superfluitas concupiscentiæ. Igitur vituperandi sunt illi, quorum tota mens est, atque fœlicitas, vt bene pascantur, bene vestiantur, & summo studio cuticulam curent. Ii quidem Christum sequuntur, vt illi, quibus ipse dixit; Quæritis me non quia vidistis signa, sed quia mãducastis ex panibus meis. Scriptum quidem est psal. 16. satiabor, cùm apparuerit gloria tua? Illa ergo satietas existimanda est nostra fœlicitas.

3 Hanc sanctam parsimoniam tria mala in monasterijs corrumpunt, vt docet Cardinalis Caiet. 2.2. q. 188. art. 7. Primum est multitudo promiscua eorum, qui ad Religionem recipiũtur absque maturo delectu. In quorum numero non pauci sunt temperantiæ, parsimoniæq; acerrimi osores. Secundum est immodicus sumptus rerum, quas necessariò insumere oportet, perspecta hominum nostri seculi conditione, qualitate, & imbecillitate. Nam quòd triginta Religiosi hac nostra tempestate exigunt, paulò ante, aut certè olim ad centum Religiosos alendos sufficiebat. Olim vestes veteres, & laceræ, resarcitæ tamen in vsu erant, hodie verò ærarium magnum consumitur in coemẽdis vestibus. Tertium est vitæ imperfectio. Quoniam Religiosi in vitæ perfectione defecimus. Quo fit, vt ad nos consolandos, & in officio continendos, maiores sumptus, atque largiores delitiæ requirantur. Quamuis natura paucis contenta esse consueuerit, sed nõ delectationibus assuetus appetitus. Abijcitur quidem tanquàm infelix, abiectarum vestium horror, fouentur consuetudo, atque etiam prodigalitas illorum, qui pauperes quidem esse volunt, ea tamen lege, vt nihil eis desit ad suum appetitum explendum. Huius ergo laudabilis parsimoniæ nos Caietanus commonefacit, dicens: Si Religiosi perfectioni vitæ efficacem operam darent, solis necessarijs ad vitam contenti essent, exiguaq; eis immineret cura ad victum parandum. Nam eo quòd à perfectionis studio ob negligentiam, ob vsum rerum non necessarium Religiosi destiterunt, Deus etiam eis non aperit manum virorum secularium, qui in alendis, agendis, locupletandisq; monasterijs, sua bona insumere solent. Cuius rei euidentissimum est argumẽtum, quòd vbicunque vir aliquis perfectæ vitæ nominatur, & creditur, vltro omnia à fidelibus offeruntur.

4 Si autem quanta ij, qui Deo non mundo seruiebant, cibi, ac potus, vestium, aliarumq; rerum vilitate, parsimoniaq; vsi fuerint, considerauerimus; victum illorũ contemplantes, oppiparas helluonum cœnas, & immoderatas vini potationes corpori æquè, atque animo noxias, vestiumq;, & aliarũ rerum superfluitates facilè contemnemus.

Nam primi illi humani generis parētes Adam, & Eua, quandiu in paradiso fuere, arborum fructibus aliti sunt. Eiecti quoq; non nisi pomis olere, frugibus vescebantur, & aquæ frigidæ potu. Carnium verò, & vini vsus ad diluuij vsque tempora dilatus est, nempè post duo millia, & ducentos quadraginta duos annos. Post hæc Noe primus vineam plantauit, vinum bibit, & inebriatus detectis verendis iacuit in decore, ita vt spectantibus ludibrio esset. Viginti panibus hordeaceis centū homines pauit Helisæus; quinque panibus hordeaceis turbam quinque millium Dominus satiauit. Vtrunque miraculum. Sed nos attendamus hordeacei panis esum, nec in veteri, nec in nouo instrumento fuisse despectum. Pudeat nos id panis genus respuere, quo Prophetæ, & Apostoli, & cū Apostolis Dominus vsi sunt. Daniel, Ananias, Missael, Azarias, Babylone captiui, contempta regis mensa, legumina comedunt, & aquam bibunt: & eis, qui regis epulis enutriti erant, apparent rubicundiores, obesioresq;, eisdem à Deo datā scientiam legimus, & disciplinam in omni libro, & sapientia. Danieli autem intelligentiam omnium visionum, & somniorum. Præcursor Io. Baptista Spiritus Sancto repletus, antequàm natus, locustis in deserto, & syluestri melle pascitur; Apostoli spicas segetum manibus confricant, & hoc tàm simplici cibo esuriem leuant. Panes etiam hordeaceos, atque pisciculos edere soliti sunt. Iacobus frater domini vinum, & siceram non bibit, carnes nullas comedit. Petro Apostolorū principi post Ascensionem domini, panis cum oliuis, rarò cū olusculis cibus fuit, vt moderati victus exemplum foret ijs, quibus parsimoniæ præcepta dabat. Demum plurimi eremitarum, sancti Abbates oluscula, & arborū fructus cum pane comedisse leguntur. Postremò egregia sunt hac in re D. Hieronymi admonita. In cibis, inquit, vestris minimè refulgeat coquorum industria, non ciborum nobilitas appetitū moueat, sed fames? Non apponantur incitamenta libidinum, sed quę possint famem extinguere. Tanta sit in sumendo sobrietas, tanta, talisq; parcitas, vt venter potius conqueratur, q̃ gaudeat, non egeat in digerendo stomachus medicinis, ructum potius vacuatio, quàm nimia repletio inducat. Optimus est in omni re modus, & laudabilis vbique mensura. Corpus non frangendum, sed regendum est. Ne in lectione, in psalmis, nec in vigilijs solito quid minus facias.

5 Non ab re hic fuerit temperantiam, eiusq; comites superioribus attexere ex Hugone de S. Victore in libello de fructibus carnis, & spiritus cap. 15. tom. 2. Temperantia nanque est in illicitos animi impetus, rationis firma, & discreta dominatio. Eius autem comites sunt discretio, morigeratio, taciturnitas, ieiunium, sobrietas, afflictio car-

nis,

nis, contemptus seculi. Discretio est in dijudicandis rerum causis, prouida humanorum motuum moderatrix ratio. Morigeratio est seruata propria virtute, se iustè, pieq; moribus secum commorantium cōtemperare. Taciturnitas est cùm quadam fructuosa animi quiete à verbis etiam vtilibus linguę suæ coertio. Ieiunium est interiorum vigilantia, discreta parsimoniæ custodia. Sobrietas est pura ab illecebris vtriusq; hominis temperātia. Dicta sobrietas, quòd ab ebrietate seorsum, ac separata sit. Afflictio carnis est per quam lasciuæ mentis seminaria, castigatione discreta comprimuntur. Contemptus seculi est, ex intuitu caducorum, ratione inductus amor æternorum.

Aduersus eos, qui delitijs vacant. Consid. iij.



C OMNES huius mundi delitię, quibus peccatores fruuntur, feces quasdam habent gustus pessimi, & intolerabilis; quæ modo quidē ab illis non gustantur, quàm sint amaræ, verùm iustus iudex has feces illis reseruabit in tempus vltionis, atque in diem iudicij adducet eas, ac tunc quidem illos gustare, imò velint nolint epotare compellet, cùm iuxta illud Apoc. 18. Tantùm illis dabitur de tormentis, quantùm prius in delitijs fuerāt glorificati. Rursum, qui delitijs vacat, innumeras habet molestias, licet de facili, & tanquàm ex fontibus ipsi prouētus affluant, ex delitijs tamen nascentia patitur mala, & futurorum incertitudinem. Hic autem in securitate semper est, & in voluptate, qui victus tenuitati semetipsum assuefecit. Non.n.ita semetipsum miserum vocat, quoniam opiparæ mensæ particeps non est; sicut gaudet, futurorum non metuens incertitudinem. Ex delitijs verò quanta sint mala, nemo nescit. Duplex quidē est bellū & animæ, & corporis; duplex

G est sanitas, duplex bonū. Somnus sanitatis in homine parco. Nā mēsura quidē semper est desiderabilis, immodestia verò nequaquā. Modicę scintillæ multam lignorum pyram superpone, iam non ardentē videbis ignem, sed multū insuauem fumum. Viro valdè forti, & magno onus impone vires excedens, & cum onere videbis humi iacentē, & proiectum. Multum onus ingere nauigio, & graue feceris naufragium, quale quidem & hoc est. Sicut insuper plenis nauigijs multus est tumultus nautarum, gubernatoris proretæ, & remigum, qui superiora quidem in mare iaciunt, inferiora verò & seipsos perdentes pereunt, & quod omnium est turpissimum, os posteriorum partium assumit vsum, & illud fit ignobilius. Si verò in ore tanta turpitudo cogita, quanta sit in anima hominis delitijs dediti. Nam & illic omnia tenebræ, omnia tempestas, omnia caligo, multus cogitationum cla-

mor, dũ præmuntur, & tribulãtur, ipsa calumniã anima proclamante, omnibus sese accusantib. aduocantibus, supplicantibus interiorẽ fimum alicubi reponi; & postquàm eiectus fuerit, nec ita sedatur tempestas, verùm & febris, & ægritudines.

2 At verò inquies, quo modo licet hos cernere delitijs vacantes, bene valentes, qui super equos vehuntur? Quid temere nugaris ægritudines nobis dicens? ego quidem ægroto, & distrahor, & deturpor; ego qui non habeo quod comedam. Sed reuera lachrymis digna sunt ista verba: pedibus verò dolentes, qui vehiculis gestantur, compeditos, vnde, quæso, videbimus? Sed sunt quidam, qui bene valent, quoniã non solis vacant delitijs, verùm & laboribus. Nam da mihi hominem semper se pinguefacientem, sine dolore iacentem, curantem nihil, licet infinitorum concurrat medicorum multitudo, ab ægritudinibus eum eruere non poterit; nec.n. ita se habet rei natura. Ex his.n. quæ mittuntur in ventrem, non solùm alimentum efficitur; quoniam nec in ipsa nutrimenti natura totum est nutritiuum, sed eius quidem aliquid in secessum dissoluitur, hoc autem in nutrimentũ: igitur si perfectè quidem conficiatur, & proprium acceperit locum, & sanum quidem, & bonum in proprium currit locum; superfluum autem, & inutile descendit, & excernitur. Si verò nimium ingeratur, & quod ex eo nutritiuum est, noxiũ efficitur. Et vt exempli gratia loquar, quo res manifestior reddatur. Tritici quidẽ hoc est siligo, hoc farina, hoc furfur; igitur si mola quidem sit idonea molere, hæc omnia superauerit, si verò plus inieceris, confunderis omnia. Itidem & vinũ, si congruã cocturam, & temporum assequatur temperiem: citra hæc quidẽ, omnia confusa sunt; post hæc verò hoc quidem in fecẽ subsidet, hoc autem in spumam exilit, hoc verò in gustantium vsum, & hoc est bonũ, quod nunquàm facilè subuertetur; Quod verò dicunt tropiam, neq; vinum est, neque fex, omnibus commixtis. Hoc & in flumine quispiam viderit, cùm aquarum vortex efficitur. Sicut tunc mortuos videmus pisces adnantes, & fimi crassitudine oculis captos: itidem & in nobis efficitur, quũ multus ingluuiei superne fluxerit imber. Postquàm omnia commouerit, mortuas adnare facit cogitationes pridẽ sanas, & in puro viuentes.

3 Postquàm igitur ex multis est exẽplis damni magnitudo nobis ꝓbata, hos beatos vocare desinamus in his, quibus miseros vocare decebat, deflere verò in quibus beatos oportebat appellare, & mediocritatem diligamus. An non audimus, & medicos dicentes, egestas sanitatis est mater? Ego verò non tantum corporalis matrem sanitatis egestatem dico, verùm & animæ, hæcq; Paulus verè medicus cla-

mat, ab Augustino hic adductus. 1. ad Tim. 5. inquiens; habentes autem victum, & vestitum, his contenti simus. Pareamus igitur ei, vt in bona valetudine, quæ facere decet, agamus. Dic.n.mihi, si quis tibi cicutam dedisset habendam: nonne pręter naturam foret? Si quis lapides, & ligna: nonne auersatus fuisses? & meritò, præter naturã.n. est. Tale quid sunt, & delitiæ. Sicut.n. hostibus vrbem subeuntibus, & obsidione facta, & perturbatione, multus efficitur tumultus; ita fit, & in anima, subrepente vino cum delitijs. Hinc tumultus, molestiæ, contentiones, & rumores, oculi liuidi vino indulgentibus fiunt. Quid ebrio turpius? familiaribus derisibilis, derisibilis inimicis, apud amicos miserabilis, infinita dignus damnatione, fera magis est, quàm homo. Multa nanque voracitas leonis est, & vrsæ], & meritò, non .n. habent rationalem animam: & tamen & illa si plus necessitate, & mensura ipsis à natura definita comederint, totum corpus corrumpunt; quantò nos autem magis?

4 Propterea nobis in breue ventrẽ Deus coarctauit, propterea breuẽ statuit cibi mensuram, vt animæ curam gerere doceret. Ipsam nostri compositionem discamus, & vnam in nobis partem hanc operationũ habere viderimus. Os nobis, & lingua ad laudes est assignata diuinas, guttur ad vocem; Et propterea nos naturæ necessitas constrinxit, vt nec inuiti cadamus in nimiam repletionem. Itaque nisi delitiæ labores haberent ægritudines, & infirmitates esset fortè tolerandũ: Nũc verò tibi naturæ terminos posuit, vt neque volens transgrediaris citra damnum. Nonne voluptatem quæris? Hanc ab eo quòd satis est, inueniens. Nonne sanitatem? Et hanc. Nonne securitatem? & hanc. Nonne libertatem? Nõne corporis robur? Nonne bonã habitudinẽ, & animi solertiam? Nonne vegetationem? Ista sunt hic omnia bona; in illa verò cõtraria, iniucunditas, mala habitudo, ægritudo, illiberalitas, impensa; Vnde igitur omnes ad hanc concurrimus? Ex morbo. Dic .n. mihi, quare quod lædit, ægrotus inquirit? Nonne & hoc ipsum ægrotare signum est? Quare claudus rectè non ambulat, cùm hoc ipsum non ex corpore fit, nec eo quòd ad medicum ire nolit. Rerum.n. hæ quidem temporariam habent voluptatem, pœnam autem perpetuam? Hæ verò contrarium, patientiam quidem temporaneã; delectationem verò continuam; Itaque tàm mollis, & ignauus, vt ꝓ futuris præsentia non despiciat, statim capitur.

5 Dic mihi, vnde captus est Esau? Vnde præsentem voluptatem futuro proposuit honori? Ex segnitiæ, & mollitiæ. Hoc autẽ ipsum vnde? Ex nobisipsis. Cùm igitur delitijs vacaturus es, considera voluptatis momentaneum, & damnum (verè siquidem damnum est cum

propria pernitie tot ab sumere pecunias) ægritudines, infirmitates, & contemne delitias; Quot tibi vis enumerem ex delitijs mala perpessos? Noe Genesis 9. Factus est ebrius, denudatus, vide quot ex hoc orta sunt mala. Esau per ingluuiem primogenita perdidit, & ad fratricidium animum dedit. Populus Israel sedit manducare, & bibere, & surrexerunt ludere Exod. 32. propterea dicitur Deut. 6. Cùm mãducaueris, & biberis, memento domini Dei tui in præcipitium.n. ceciderunt, in delitias delapsi. Vidua illa delitijs vacãs, viua mortua est. Et iterum; Impinguatus est, & incrassatus, & recalcitrauit dilectus. Et iterum Apostolus ad Rom. 13. ait; Curam carnis ne feceritis ad cõcupiscentias. Non promulgo nunc ieiunium, sed tollo luxum, præcido delitias propter vtilitatem; Tanquam.n. torrens omnia delitiæ subuertũt, nihil est quod eas coerceat, eijciunt tandem ex regno. Quid amplius? vis frui delitijs? Da pauperi, voca Christum, vt & postquam mensa remota fuerit, habeas quibus fruare delitijs. Nam nunc quidẽ non habes, & meritò? Tunc autem habebis. Vis delitiari? animam pasce, trade ipsi cibos, quorum consuetudinem habet, eam ne fame perimas. Tempus belli, tempus certaminis nunc est, tu verò sedes in delitijs, non vides, & regijs præpositos in exterioribus castris tenuiter viuentes? non est nobis lucta aduersus carnem, & sanguinem ad Ephes. 6. Tu verò luctaturus temetipsum impinguas, stat stridens dẽtibus aduersarius, tu verò diffunderis, & mensis vacas. Christus fame tabescit, tu verò voracitate temetipsum distendis, duæ immodestiæ, quid.n. mali non faciunt delitiæ? sibi ipsis contrariæ sunt.

6 Nescio quo modo nomen hoc habeant; sed sicut gloriã, quũ ignominia sit; & diuitię cũ sit paupertas, vocatæ sunt; sic & delitiæ, cùm iniucunditas sit. Nunquid.n. mactandi sumus, quoniam nosipsos saginamus? Quid lautam vermibus mensam apponis? quid maiorem alis saniem? Quid fœtentes sudorum fontes reponis? Quid ad omnia temetipsum reddis inutilem? vis oculum fortem fieri? fac corpus robustum? nam & in chordis, crassa quidem, & immunda ad cãtus suauitatem inutilis est; Vndiq; vero rasa, intensa est, & cõsonantissima. Quid animam obruis? Quid parietem facis crassiorem? Quid multum fumum, & nebulam, cùm vapores tanquàm caligo quædam vndiq; reddantur? Si non alius quispiam, te saltem athletæ doceant. Quoniam gracilius corpus est, & fortius, & anima fortior aurigæ similis est, & equo. Sed illic vides, sicut in his qui delitijs vacant, & carnosis; Sic & equi, carne fluentes motus sunt difficilis, & multos aurigis labores præbentes optabile est, facilem, & expeditum agentem equum brauium accipere; cùm autem eum auriga trahere cogitur, & frequentissimè

ſimè cadentē ſtimulans, nec ita quidem excitare poteſt, licet ipſe ſit valdè peritus, victoria priuabitur. Ne ergo noſtrā contemnamus animam propter corpus calumniam patientem, verùm, & illam faciamus perſpicaciorem, alas ei leues nectamus, molliora vincula, rationibus eam paſcamus. Satis eſt, quantum. Vt valeat corpus duntaxat, tātùm vt ſit robuſtum, gaudeat, & non doleat. Vt quum ita bene noſtra diſpoſuerimus, ſummam poſsimus virtutem apprehendere, & æternis potiri bonis, Chriſti Ieſu gratia, & miſericordia.

De humilitate ſectanda. Cap. V.

¶ Nec erigant ceruicem, quia ſociantur eis, ad quos foris accedere non audebant. Sed ſurſum cor habeant, & terrena vana non quærant: ne incipiant eſſe monaſteria diuitibus vtilia, non pauperibus, quia ſic diuites illic humiliātur, & pauperes illic inflantur. Rurſus etiā illi, qui aliquid videbantur eſſe in ſeculo, non habeant faſtidio fratres ſuos, qui ad illā ſanctā ſocietatem ex paupertate venerunt. Magis autem ſtudeāt non de parentum diuitum dignitate, ſed de pauperum fratrum ſocietate gloriari. Nec extollātur, ſi cōmuni vitæ aliquid de ſuis facultatibus contulerint, nec de ſuis diuitijs magis ſuperbiāt, quia eas ipſi monaſterio partiuntur, quàm ſi eis in ſeculo fruerentur. Alia quippe quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur, vt fiant: Superbia verò etiam bonis operibus inſidiatur, vt pereant. Et quid prodeſt diſpergēdo dare pauperibus, & pauperem fieri: cùm anima miſera ſuperbior efficiatur, diuitias contēnendo quā fuerat poſsidendo? Omnes ergo vnanimiter, & concorditer viuite, et honorate in vobis Deum inuicem: cuius templa facti eſtis.

ENRA-

ENARRATIO.

1  ANTA est humilitatis vis, atque potentia in erigenda monastices structura, vt iure suo post abdicationem bonorum depulsam, ac communem vitam constitutam, ipsa secundũ obtineat locum. Quapropter noster August. illius pertractationem diutius differre nõ potuit. Est.n. sancta humilitas primarius lapis monastici ædificij. Ea tamen methodo nos August. humilitatem docet, vt amaram superbiæ radicem prius è cordibus nostris euellere conetur.

2 Super tria autẽ firmissima sedilia humilitatis ꝑfectio cõquiescit, authore Hugone de S. Victore lib. 3. de anima c. 31. vt videlicet attẽdat homo, quid fuit ante ortũ; Quid est ab ortu vsque ad occasum; quid erit post hanc vitã. Vnde.n. superbiat homo, memoria repetens, quòd fuerit vile semen, & sanguis coagulatus in vtero; postmodum in deserto huius vitæ miserijs expositns, & peccato; ac tandem cinis, & esca vermium futurus in tumulo. Semel igitur persuasum habeto, æstimationis propriæ abiectionem maximi fieri, magnoq; pretio haberi apud Deum, apudq; optimos quosque Religionis cultores. Omnis profectò diuinæ paginæ sermo in id tendit, vt homini bonum humilitatis persuadeat, & superbiæ malũ declinandum attentius admoneat; præsertim cùm in altero salutis & vitæ, in altero ruinæ principium cõsistat. Est autem humilitas ex intuitu propriæ conditionis, vel conditoris voluntaria mentis inclinatio. Est quidem humilitas radix arboris virtutum. Eximia est illa Christi sententia Matth. 5. prolata. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Alij sunt spiritu diuites; alij quodammodo de spiritu nihil habentes; alij spiritu pauperes. Spiritu diuites sunt superbientes; de spiritu nihil habent nimis pusillanimes. Spiritu pauperes, humiles sunt. Superbiẽtes ea per elationem faciunt, quæ praua sunt; pusillanimes ea, quæ facere decet, prætermittunt. Humiles tandem humilitate ducti, optima quæq; aggrediuntur, & operantur. Paupertas itaq; spiritus, quæ vera humilitas est, nihil habet defectionis, nihil superfluitatis, ꝑ viãq; regiam ad beatitudinẽ supernam nos ducit. Amplectamur ergo virtutem humilitatis, si cupimus obtinere in regno cœlorum locum celsitudinis: ad summitatem virtutum, non potentia, sed prompta humilitate peruenitur; nihil ergo habeamus humilitate præstantius, nihil amabilius. Hæc est .n. præcipua conseruatrix, custos, & origo virtutum omnium; nihilq; est quod nos ita & hominibus gratos, & Deo faciat; quàm si vitæ meritò magni, humilitate infimi sumus. Nã hæc homi-

hominibus sola perfectio est, si imperfectos se esse nouerint. Sancta vitæ ratio processu gaudet, & crescit; cessatione torpescit, & deficit. Proinde quotidianis, ac recentibus virtutũ incrementis mens instauranda est. Demum, humilitas omnibus virtutum operibus ordinem statuit, & modum, easq; mẽti inserit, insertasq; custodit. Ipsa est medicina animarum fidelium saluberrima, quæ omnibus consulit; quoniam tumentia spiritus vlcera comprimit, tabescẽtia reficit, deprauata corrigit, excrescentia tollit. Nam quemadmodum mel concordat in confectionibus medicinæ cum omnibus diuersitatibus specierum; sic ex humilitatis dulcedine condiuntur omnia genera virtutũ. Quisquis ergo cupit diuinitatis obtinere fastigia, humilitatis ima sectetur. Quisquis quietem supernæ patriæ amat, humilitatis culmen in moribus diligentissimè teneat. Quid tendis pedem vltra te? Cadere vis, non ascendere; à gradu incipe, & ascendisti.

3 Quinq; autem præceptiunculis totum negotium absoluit. Prima est, qui ex paupertate in monasterium se contulerunt, ceruicem non erigant, aut superbia rapiantur, eo quod in nobili diuitum, honoratorumq; virorum consortio cooptati, atque recepti fuerint; eorumq; colloquio, consuetudineq; gaudeant, quos antea alloqui formidabãt. Huic verò depellendo morbo salubre medicamentum esto, corda voluntatesq;, ac vniuersas affectiones sursum in cœlum, quæ Dei omnipotentis sedes est, diligenter extollere; terrena verò, quæ vana sunt, atque caduca, & breui peritura, non quæritare, sed generosè contẽnere, pedibusq; conculcare. Aeternæ etiam sapientiæ gustus, attentaq; Dei cognitio eundem morbum ab anima depellit, adeò vt vlterius mundo viuere, eiusq; blanditijs vti non sinat. Id quod suo nos exemplo Paulus docuit ad Galat. 1. dicens; Cùm autẽ placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me, vt Euangelizarem illum gentibus, continuò non acquieui carni, & sanguini. Nam quemadmodum oriente sole, noctis caligo repellitur, ita se in humani cordis penetralibus diuina luce fundente, præteritorum vitiorũ fugantur tenebræ, & Christianæ puritatis dies serena refulget: ex huiusmodiq; gratiæ nouo splẽdore reformatur mens hominis, & virum mutatur in alterum. Displicet ei quod ante placuerat, omnia mundi oblectamenta iam non arrident, sed ei vilescunt, diuitias honoresq; maxima arbitratur incommoda esse: carnis insuper curam, exquisitos cibos, sordescentis impudicitiæ voluptates, ornatus vestium pretiosarum, conuiuiorum lasciuiam, choreas, & obscœnos hystrionum iocos, idq; genus alia, alacri animo, vt stercora contemnit, quoniam infiniti ponderis abscon-

ditum

ditum lætatur se reperisse thesaurum, idest Christum, in quo omnes sapientiæ, & scientiæ Dei thesauri reconduntur.

4 Huius verò suæ præceptiunculæ rationem suggerit; Alioqui.n. futurum est, vt monasteria, quæ in animarum vtilitatem, atque salutem constructa fuere, diuitibus quidem frugem adferant, pauperibus verò perniciem conferant, si illud experimento comprobetur, diuites in eis humiliari, pauperes verò turgidos reddi, atque inflari. Probi igitur pauperes mente perlustrent omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum esse, descendens à patre luminum, qui pro sua largitate, ac beneplacito suscitat à terra inopem, & de stercore erigit pauperem, vt collocet eum cum principibus. Audiantq; Paulum prædicantē, gratia Dei sum, id quod sum. Sursum ergo cor habeant; hoc est in Deum gratias, atque suspiria transmittant: beneficiorū Dei magnitudinem secum cogitantes, & cognoscentes, & in ardentissimum illius amorem seipsos excitantes. Rursus animaduertant, ceruicem erigere insignis superbiæ indicium esse; superbis autem Angelis nec cœlum vtile fuit, superbis quoque hominibus inutile fiet monasterium. Nam & si sanctus sit locus, sanctus sit habitus, sancta etiam opera videantur. Ea tamen omnia vrens superbiæ ventus infrugifera reddet. Maxima autem esse solet, atque vberrima monasteriorum vtilitas. In eis enim facilius seculi peccata cauentur. Quæ verò. Iam cōmissa sunt, commodius purgātur. Maiora quoque operum merita cumulantur. Cristas igitur vnusquisque deijciat, & humilitatem strenuè colat. Omnis quidem superbiam Religione est detestanda, vehementius verò in pauperibus. Quantò.n. commendabilior est humilitas in viro excellenti, tantò acrius reprobanda est superbia in homine abiecto. Adde etiam, quòd diuitum superbia non sine magna occasione oritur. Nam diuitiæ in superbiam hominem præcipitant, dicēte Augustino, vermis diuitum superbia est; Nam vt ex putredine nascitur vermis, sic ex diuitijs turgidus animus. At verò, pauper vnde superbiat, non habet. Quin potius paupertatis indiuiduam comitem, ipsam esse humilitatem, vt plurimum cernimus.

5 Illud verò annotatione dignissimum, quòd significanti loquendi forma vsus sit August. ad exprimendam nobis detestandam superbiā, dum ait; Non erigendam esse ceruicem, idest collum extendēdum nō esse. Sic.n. idem prorsus vitium significatur. De superbiente autē homine Iob cap. 15. verba facit, dicens; Cucurrit aduersus Deum erecto collo. Quemadmodum ad Deum currere dicitur, qui magno desiderio boni affectus, bonis operibus Deum sibi demereri studet, iuxta illud Psal. 118. viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor

meum:

meum: ita aduersus Deum currere dicuntur, qui ex affectu, & animo deliberato gaudent facere mala, quibus Deus offenditur. In erecto autē collo, superbia, pertinacia, & contemptus designatur: quemadmodum è contrario, demittere collum, aut ceruicem inflectere, humiliantis se, atque submittētis est indicium. Eorum autem omnium, quæ hic de superba impij præsumptione dicuntur, euidentissimum legimus exemplum, in impio illo Nicanore; qui præter illam superbam comminationem, qua sanctissimo templo, & loco comminabatur, etiā Deo se ex aduerso opponere est ausus, quasi ex æquo cum eo certare paratus 2. Mach. 15. Cùm. n. Iudęis per necessitatem ipsum sequentibus iussisset arma sumere in die Sabbathi ad debellandum Iudam: illi verò præcarentur eum, non ita ferociter, ac barbarè agere, sed honorem tribuere diei sanctificationis, interrogauit infœlix ille, si esset potens in cœlo, qui imperasset agi Sabbathum? Cumq; rursum illi dixissent, esse dominum viuum in cœlo, potentem, qui septimam diem agi iussit. Miserrimus ipse intolerabili blasphemia; Et ego, inquit, potens sum in terra, qui impero sumi arma, & impleri negotia regis. An num hic vides rectum collum aduersus Deum, & ceruicem pinguissimam, atque durissimam? Sed quem illa ceruix habuerit exitum simul considera. Post paulùm Dei iudicio corruit in pręlio Nicanor; nefaria manus quam contra dominum sanctam Dei extenderat, cum humero abscissa est, & contra templum suspensa, caput quoque impium præcisum fuit, & in summa arce suspensum: & blasphema illa lingua infrusta concisa, particulatim data est auibus.

6 Secunda Præceptiuncula, quæ in diuites profertur, hæc est. Qui ex populari diuitum fastu in monasterium aufugerunt, pauperes fratres, nec spernant, nec fastidiant. Imò verò pauperum fratrū societate glorientur, parentum diuitum dignitatem, & gloriam cōtemnere, ac obliuione sepelire magno studio enitantur. Nec de diuitijs in monasterium collatis eos superbire decet. Nemo igitur siue ditior, siue potentior, siue nobilior, siue sapientior, aut doctior fuerit, quempiam alium aspernari debet, aut fastidire. Nam vt Paulus admonet 1. ad Cor. 1. infirma mundi elegit Deus, & ignobilia, contemptibiliaq;, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius, videlicet neque potens in potentia sua, neque sapiens in sapientia sua, neque diues in diuitijs suis, neque nobilis in sua nobilitate. Non enim est personarum acceptio apud Deum ad Rom. 2. Nam idem dominus, diues in omnes, qui inuocant eum, ad Rom. 10.

7 Fratrum quidem triplex est genus natura; vt omnes homines sunt fratres fide; vt omnes Christiani religione; vt Religiosi eiusdem pro-

fessionis. Qua ergo sana mente illum hominem aspernaberis, qui triplici iure fraternitatis tibi coniunctus est, nempe natura, fide, atque professione regulari? Huc accedit quod angelicæ naturæ sublimitas pauperes non fastidiuit, imò astare eis, & ministrare consueuit Matth. 18. cap. Videte, ne contemnatis vnum è pusillis istis, dico enim vobis, quoniam Angeli eorum semper vident faciem patris, qui in cœlis est. Non paucos Religiosos huius qualitatis cõperies, qui si generosi esse ab alijs sciantur, inani gloria corripiuntur. Alij verò difficilè se continent, quin interdnm verba obiter proferant, quibns se nobiles esse aperiant. Sunt iterum alij, qui his dictis nondũ satiati, maiores se vẽditant, & iactant, quam reuera in seculo fuerunt. Sed valeant hæc delitamenta, quæ profectò non quæ Dei sunt sapiunt, sed Gentilium futilem vanitatem maximè redolent.

8 Præterea pauca quædam ad litteram dilucidandam ex Humberto huc adducemus. Duplex quidem est superbia; quædam latens in cogitatione Eccl. 6. cap. Non te extollas in cogitatione animæ tuæ, velut taurus Altera verò apparens exterius, quæ in quibusdam actib. exterioribus propalatur, vt Eccl. 13. Qui communicauerit superbo, induet superbiam. Volens ergo August. vtranq; superbiam in diuitibus resecare, duo coniunxit. Primum, ne extollantur, videlicet in corde. Secundum, nec de suis diuitijs superbiant, videlicet in opere. Ad hæc, annotato triplici nomine in hoc capite ab August. Religionem fuisse vocatam. Nempè vitam communem, monasterium, & sanctam societatem: vt his tribus nominibus nos trium votorum emissorum cõmoneret. Dicitur.n. sancta societas, contra libidinis immundiciem: appellatur communis vita, contra sacrilegam proprietatem: Monasterium etiam, quod Monachorum statio, siue habitaculum est, nuncupatur propter obedientiam.

9 Deinde noster author suam secundam pręceptiunculam pulchra ratione corroborat, peculiarem superbiæ conditionem exprimens, quoniam tanquàm vafra, versutaq; bonorum operum corruptrix, virtutibus etiam callide insidiatur, vt earum opera euanescant, & pereant: ex quo fit manifestum, superbiam ceteris vitijs deteriorem esse; alia.n. vitia mentem humanam exterminant. Superbia verò omnis peccati initium existit, prima est in peccando, vltima in conflictu remanet. Nam cùm strenuus Religionis cultor cetera vitia deuicerit, & ad virtutum culmen conscenderit, tamen acris sibi lucta restat cõtra superbiam, quam nisi pro virili expugnauerit, in ceteris quamuis heroicis operibus frustra oleum, & operam se impendisse intelligat. Quam rem scitè, acuteq; August. sequentibus verbis enodauit, cùm ait; & quid

prodest

prodeſt, &c. Quaſi apertius dixiſſet, quid prodeſt cum ſuperbia paupertas? Perpende miſerum illius Phariſæi ſtatum, quem Luc. 18. cap. Chriſtus graphicè depinxit. Superbia, inquit Hieronymus, in cinere, & cilicio latet. Egregia quidem eſt Choriolani expoſitio com. 13. vt feruentiores eſſent Religioſi ad ſuſpicienda documẽta, quę de euitanda ſuperbia tradiderat, eius deteſtabilem, malignantemq́; naturam adiecit: edocens ipſam cunctis iniquitatibus, vitijs, atque peccatis nequiorem eſſe. Quoniam quæcunq; alia iniquitas exercetur quidem in malis operibus, vt fiat, hoc eſt vt illa perpetrẽtur, illaq́; mala ſequantur. Superbia verò non ſolùm mala perpetrare intendit, ſed etiam bonis operibus inſidiatur, vt pereant, inutiliaq́; ſint apud Deum. Id quod Auguſt. lib. de natura, & gratia manifeſtius reddidit, explicans; omnia vitia in malefactis tãtummodo valere, ſolam ſuperbiam etiam in rectè factis cauendam eſſe, in quibus pede celeriori, & obrepit, & ſuperuenit. Cetera vitia ſimilia ſunt leoni, qui apertè iraſcens, apertè inuadit; ſuperbia draconi eſt ſimilis, qui occultè inſidiatur. At verò quantò difficilius eſt occultas effugere inſidias, quàm manifeſtos impetus euitare, tantò ceteris vitijs & nequior, & periculoſior eſt ſuperbia. Hunc duplicem finem eſſe ſuperbiæ agnoſcito: mala nempè vniuerſa committere, & bona omnia tollere. Quo fit, vt rectè ſcriptum ſit, initium omnis peccati eſſe ſuperbiam.

10 Quiſquis ergo vitam, moreſq́; ſuos ſanctè inſtituere deſiderat, neceſſe eſt, vt ante omnia ſuperbiam fugiat, quæ ſicut origo eſt omnium criminum, ita ruina cunctarum virtutum. Cetera nanque vitia ſolas illas virtutes impetunt, quibus ipſa deſtruũtur; vt luxuria, pudicitiam: ira, patientiam. Sola verò ſuperbia contra cunctas animi virtutes ſe erigit; & quaſi generalis, ac peſtifer morbus omnes corrumpit. O ſuperbia, peccatum maximum, peſtis mortifera, nocens calamitas. Tu de angelo diabolum feciſti, & homini mortem intuliſti. Angelum. n. de cœlo, imò & hominem de paradiſo expuliſti. Tu Spiritus Sancti repugnaculum exiſtis. Tu turrim Babylonicam euertiſti, linguam confudiſti, proſtraſti Goliam, ſuſpendiſti Aman, interfeciſti Nicanorem, peremiſti Antiochum, Pharaonem ſubmerſiſti, & Sennacherib interemiſti, cuncti denique ſuperbi tua cauſa deiecti fuerunt; ſedes ducum multorum propter te Deus deſtruxit, & radices Gentium ſuperbarũ arefecit. Nihil ita oculos diuinæ maieſtatis ab exordio mundi offendit, vt ſuperbia. Inſuper nocumentum ſuperbiæ hac in re perpenditur: quod in operibus bonis duo ſunt, videlicet gloria, & vtilitas; quorum primum Deus ſibi reſeruauit, alterum nobis dedit; vnde ſi Dei partem quærimus, alteram amittemus. Quemadmodum ramuſcu-

lus trunco ſuperplantatus. Omnem terræ humorem, omnemq; virtutem arboris ad ſe trahens, totius arboris fructum ad ſuam naturam reducit; ſic quæcunque bona opera facias, ſi planta ſuperbiæ adfuerit, totam maſſam corrumpit. Nam quemadmodum ſtillicidia aquæ, quæ in cacuminibus montium non quieſcunt, ſed inde ad concaua vallium defluunt, ibiq; colliguntur tantò copioſius, quantò valles fuerint profundiores; ſic dona gratiæ in ſuperborum cordibus non quieſcunt, ſed in humilium mentibus colliguntur tantò exuberantius, quãtò humiliores extiterint. Nihil ita à pueritia B. Hierony. vitare conatus eſt, quàm tumentem animum, & ceruicem erectam, Dei contra ſe odium prouocantem. Hinc contra ſuperbientem Saul dicitur 1. Reg. 15. Cũ eſſes paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es, ac ſi apertè diceretur. Cùm tu te paruulum conſpiceres, ego te præ ceteris magnum feci. Nunc autem cùm magnus ſis tibi, deſpectus es mihi. Humilitatem igitur Saluatoris noſtri, tanquàm optimum aduerſus ſuperbiam medicamentum, tibi ob oculos animi ponas.

21 Tertia præceptiuncula ad abigendam ſuperbiam profertur. Omnes itaq; vnanimem, concordemq; vitam viuite, & mutuo honore vos proſequimini. Dum.n. vos inuicem honoratis, Deum ipſum in honore veſtro maximè honoratis, & colitis. Dei.n. templa peculiaria Religionis ingreſſu facti eſtis; cuius intra vos imaginẽ continetis. Quòd & Paulus teſtatur. 1. ad Cor. 3. dicens; Neſcitis, quia templũ Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis; Si quis autem templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Templum.n. Dei ſanctũ eſt, quòd eſtis vos. Rurſus cap. 6. an neſcitis, quoniam membra veſtra, templum ſunt Spiritus Sancti? Docet autem Baſilius in epiſtola ad Gregorium theologum; Prima hac nos ratione templum Dei effici, quando nec terrenis curis ꝑpetuus tenor memoriæ iinterpellatur, nec improuiſis turbationibus intellectus tumultuatur: Sed hæc omnia effugiens vir amore Dei præditus, ad Deũ ipſe ſecedit, tũ affectus foras quatiens, qui ad intemperantiã prouocant; tũ in ijs ſtudijs libenter verſans, quæ ad virtutẽ ducunt. Hanc autem concordiã, & mutuum amorem citra dubiũ vobis præſtabunt ſacræ illæ ſorores, paupertas, atque humilitas, quæ profectò charitatis, & mutui honoris fecundæ ſunt progenitrices.

[1] *De corde ſurſum efferendo, & terrenis vanis non quærendis.* *Conſid.* j.

1 SVrſum in cœlo cor habere, terrenaq; vana non quærere ſuis Canonicis D. Auguſt. hoc loco præcipit; in quo quidẽ præclariſsimo proloquio non tàm verba, quàm ſecretiſsima rerum diuinarum myſteria proponit, quæ toto Regulæ decurſu enarrat, doce-

docetq; nos pulcherrimis sententijs, rationibus, & tropis, quanta animi magnitudine mundũ nobis adblandientem, & res humanas despicere debeamus. Toto conatur studio vir sapientissimus, ijs qui honestis vitæ officijs rectè sunt instituti, quiq; Euangelicam sitiunt Philosophiam, persuadere, mundana quæque prorsus esse contemnenda, & magno, ac constanti animo deserenda, & omnia quæ in pulcherrimo huiusce inquieti, ac turbulenti mundi, & decidentis seculi spectaculo cernuntur, esse vana, nec summis honoribus, alijsq; caducis bonis esse fidendum, sed soli Virtuti, soliq; Religioni, ac Pietati iugiter inuigilandum: nec deniq; tutissimam in his, quæ pereunt, defigendam esse cordis nostri anchorã: etenim quo magis immodico istarũ rerum studio, & anxia cura tenemur, & obuincimur, eo magis torquemur, & diuexamur. Hæc sola inexplebilis rerũ expetendarũ cupiditas, imò potius insania, nos reddit deliros, vecordes, & stolidissimos, totumq; hominẽ à syncera rerum diuinarum contemplatione abducit, & auocat. Putemus suauissimas huius mundi delitias esse fallacissima syrenum incantamenta, & veneficia.

2 Hæc igitur Augustiniana sententia, quin & tota ipsius Regula, peculiarem videtur habere energiam, & vim quandã singularem, eamq; non mediocrem, ad persuadendum Religiosorum animis, mundi, & omnium, quæ in eo cernuntur, siue geruntur, verum contemptum, perfectamq; cordis ab his omnibus, quæ sub Sole videntur abdicationem. Quæ quidem persuasio non illis tantùm, qui speciali aliquo voto arctioribus vitæ semitis, spontè sua se astrinxerunt, verùm etiam Christianis omnibus ad propositum æternæ vitæ præmium inoffenso pede contendere cupientibus vehementer vtilis est, atque imprimis necessaria: nisi promissi sui, quod in sacri baptismatis fonte corã Deo, & sanctis angelis emiserunt, ac iureiurando confirmauerunt, transgressores, & violatores haberi velint. Quid.n.est aliud satanæ, & põpis eius omnibus abrenunciare, quod omnes nos fecimus, quicunq; in sanguine Christi baptizati sumus, quàm mundũ, & omnia quæ sunt in mundo, despicere, atque pro nihilo pendere? Omne.n.quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. 1. Ioan. 2. & 5. estq; totus ipse in maligno positus. Propter quod etiam non immeritò & ipsum, & quæ sunt in ipso, omnia ex affectu proijcienda censuit Ioãnes, suosq; filios (ea siquidẽ tenerioris amoris nominatione suas ouiculas dulcis pastor, dilectus discipulus gaudebat compellare) ne illis per affectum dilectionis inhærerent, solicitè præmonuit, palàm cõtestatus vniuersos, vt mũdi osores se exhibere studeant, si Dei amatores haberi, & esse velint. Si qs

diligit mundum, inquiens, non est charitas patris in eo.

3 Neque verò solus Ioan. aduersus mundum sic strenuè depugnat, verumetiam ceteri Apostoli in suis diuinis, quas nobis in monumentum perpetuum reliquere litteris, vix vsquam non aduersus mundū, & ea quæ in ipso sunt, constanti voce exclamant, & quasi vno ore cõclamant. Omnium denique validissimè, & efficacissimè, Christi superbenedicti, vnius veri magistri nostri dicta, & facta, siue potius facta, & dicta (quandoquidē hunc ordinem Spiritus Sanctus in Apost. Actuum descriptione prælegit, tanquàm ad instruendos, & commouendos homines, quorum gratia ille sua omnia & fecerat, & dixerat, magis efficacem, & validum.) Ad istuc ipsum, idest ad contemnendū mundum cum omnibus, quæ sunt in ipso, imò ad penitus odiendum, atque execrandum cum suo tenebroso principe nos prouocant, incitant, impellunt, ac velut violentia quadam sancta compellunt. Qua quidem in re pulchra quædam, & peramœna pijs mentibus sese offert consideratio, circa suauē paginæ veteris ad paginam nouā concentum, apertamq; consonantiam: nihil.n.aliud concionatorius ille Ecclesiastes veteris paginæ liber, per longas disputationes, & deductiones prolixas, multiplicesq;, per exempla varia, & ferè per particularia singula discursus docet, vel agit, nisi quod noua pagina tota per sanctorum Apostolorum, atq; ipsius Apostolorum magistri absolutissimam doctrinam, exemplo operum non minus quàm sano verborū compendiosissimè simul, & efficacissimè agit. Nimirum, vt vniuersa ista sub sole sensibus nostris obiecta, & subiecta affectibus, forti animo, & corde magno doceamur contemnendo transire, ac penitus nihili faciendo supergredi: ad ea verò quæ supra Solem sunt, sensui quidem abscondita, sed fidei non ignota, sola verè bona, sola rationalis creaturæ amore digna, tota vi memoriæ, tota mentis acie, toto affectus studio, omnium denique virium conatu transcendere; Imò transilire, imò (ne fortè moram vsquam nobis contingat fieri noxiam, aut periculosam) transuolare studeamus.

4 Videlicet, vt vbi noster est thesaurus, ibi sint & corda nostra, Matth. 6. Vbi nostrum est corpus, illuc conuolent iuuentute spiritali renouatæ aquilæ: vbi caput agit, illic agant & membra: vbi mensæ accumbit dominus, illic in circuitu assistant serui: vbi in patris dextera gloriatur filius naturalis, & primogenitus, ibi corpore absentes, spiritu præsentes congaudeant cohæredes, & adoptitij. Denique, vt tales nos modo per terrenarum (quas sibi vulgus somniando confingit) fœlicitatum contemptum, ac indefessum veræ pietatis, quæ ad omnia valet, exercitium exhibere studeamus, qui digni aliquando habeamur, promissio-

missionem illam pietati debitam in præmium accipere, idest verã illã, ac solidam felicitatem, ad quam obtinendam ab optimo, pijssimoq; Deo conditi sumus, perpetua securitate possidere, vbi post laborem modicum, magna nos expectat requies, post passiones vix momentaneas, easdemq; leuissimas, incomparabile pondus gloriæ nunquàm intermoriture nos manet: quando assignata pro operibus bonis optima, & maximè optima mercede, amodo iã dicit spiritus, vt requiescamus à laboribus. Apoc. 14.

5 Hunc nimirum esse scopum declamationis concionatoriæ ipsius Salomonis, tùm exordium ipsum, siue thema initio sermonis magno põdere propositum, tùm conclusio ipsa prolixæ, ac vehementioris disputationis tàm seria in fine totius operis, tanta cum auctoritate, & maiestate, quasi in signaculum pietatis apposita, apertè testantur, ac nimis quàm euidenter demonstrant. Vanitas vanitatum, conscendens suggestum, è pulpito declamans præter concionatorũ morẽ purpuratus ait Ecclesiastes; Vanitas vanitatũ, & omnia vanitas. Quid habet amplius homo de vniuerso labore suo, quo laborat sub sole? descensurus tãdẽ è pulpito, & concionem dimissurus orationem finiens, Deum time, inquit, & mandata eius obserua, hoc est.n. omnis homo, & cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium, pro omni errato, siue bonum, siue malum sit. Quid illo dici potuit vehementius, atque ad persuadendum omniũ quæ fiunt sub Sole contẽptũ efficacius? Isto rursùm quid potuit dici vtilius, atq; ad obtinendã veram fœlicitatẽ cõpendiosius.

6 Denique illa omnia tàm varia inter thema illud tàm splendidum, & conclusionem, istam tàm seriam, ad illius quidem declarationem, huius verò constabiliti onem, interiecta leguntur de multiplici seculi vanitate, & varijs hominum insanijs, quibus sese frustra distendunt, & ab vno solo verè summo bono elongant, ac penitus alienos reddunt, non illi modo qui infimum in plebe locum obtinent ignobile vulgus: verum etiam pleriq; eorum, qui doctores se, & rectores profitentur, ac gloriantur aliorum, duces ceci, errantes, & in errorem mittentes, quã hæc inquam, omnia apertè Euangelicæ Christi doctrinæ consonare inueniuntur; quàm aptè illius exemplis quadrant omnia videlicet, quæ Sapiens Ecclesiastes tàm luculenter, quàm efficaciter disserit, de contẽnendis mundi huius delitijs, & carnis voluptatibus, de non magnificandis temporalibus diuitijs, de execranda auri, atque argenti, aliarumq; possessionum intermina cupiditate, de abijciendis pro terrena substantia, vel acquirenda, vel conseruanda curis superuacaneis, de ipso quoque scientiæ, aut sapientiæ humanæ studio immodico, quòd nonnullis altiori animo sine Deo altiora se quærentibus viscus est non

minus tenax, & laqueus non minus perniciosus, quàm alijs quibusdã crassiori ingenio crassa ista concupiscentibus auri, atque argenti congregandi, & variæ supellectilis coaceruandæ immodicum desiderium alijsq; huiusmodi occupationibus vanis, quæ à vero, & serio pietatis studio, vel auocare prorsus, vel certè demorari, & vehemẽter impedire animos hominũ solent fugiendis. Hæc inquam omnia tàm copiosè ab Ecclesiaste dicta, tàm eleganter ante oculos posita, tàm ornate cõposita, tàm frequenter, & opportunè repetita, & varijs moralium sentẽtiarum passim insertis documẽtis, quasi flosculis quibusdam redimita, non alio spectant, quàm vt illud animis hominum ad virtutem capessendam ex corruptione vitiatæ originis alioqui tardioribus, persuadeant, ac vel inculcando ingerant, vel etiã insculpant, quod multò post illo suo plusquàm melleo ore, & labijs plusquàm roseis Magister noster IESVS CHRISTVS simplicissimo nos sermone edocuit. Attẽdite, inquiens, Luc. 21. ne grauentur corda vestra crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ, ne fortè superueniat in vos repentina dies illa. Tanquàm laqueus. n. superueniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. Et rursus, Videte, & cauete ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiusq; vita eius est, ex ijs quæ possidet. Et Matth. 6. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi erugo, & tinea demolitur, & fures effodiunt, & furantur, sed thesaurizate vobis thesauros in cœlo, vbi nec erugo, neq; tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Et iterum; Nolite soliciti esse animæ vestræ, quid mãducetis, & corpori vestro, quid induamini, & alia huiusmodi, quibus plena sunt sacrosanta Euangeliorum volumina.

7 Quæ quidem domini nostri simplicia, & humilia verba licet viris spiritualibus, & perfecti in Spiritu Sancto iudicij, qui iuxta Apostolũ ad Heb. 5. pro consuetudine in diuinis sententijs exercitatos habent sensus multò sint sapidiora, solidiora, & efficaciora dictis, ac scriptis quamlibet secundum exteriorem verborum faciem magis, compositis, vel ornatis aliorum quorumcunq; imperfectioribus tamen, & rudibus, vtpote qui adhuc vel in totũ, vel magna ex parte carnales sunt, aut animales, vel omnino nihil, vel parũ admodũ spiritus Christi habẽtes, diuinarumq; rerũ expertes, quibus pro sui iudicij ruditate, & infantili teneritudine solidus ille verborum Christi cibus nondum sapit, vel proficit, fieri poterit, vt ista nostra doctrina non parum proficiat, paulatimq; illos ad robur qualecunque perducat.

8 Quo etiã cõsilio gloriosissimus ille inter sanctos Ecclesiæ doctores Augustinus, vt nos ad contemptũ mundi huius prouocaret, & omne quod in mundo cerneremus, putaremus esse pro nihilo, eã nobis sen-

tentiam protulit, ex Ecclesiaste, Christiq; Euangelio, atq; Apost. doctrina deprömptam, videlicet vt sursum cor haberemus, terrenaq; vana negligeremus. Neque id sanè mirum, quandoquidem in hanc rem sapientissimus Ecclesiæ doctor, diuina sapientia, humanaq; experientia plenus, in regula sua sic totus fertur, sic vniuersum in eam videtur effundere ex industria spiritum, sic omnes ingenij neruos in eam exerit, vt etiam gentilis quilibet non possit, non vehementer commoueri, si in huius regulæ attentiori lectione aliquantisper fuerit commoratus. Sed hic quidem in hoc Ecclesiastis themate aduertendum est, dũ ait; Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, neq; frequentem earundẽ vocum replicationem esse superuacaneam, neq; sine causa abstractis magis vocibus, quàm concretis, vt vocant, afferri sermonem, vt maluerit dicere, omnia esse vanitatem, non contentus dixisse vana omnia. Vtrunque.n.horum, eandem ferè rationem habet. Nam & replicatio illa multiplex, & abstractarum vocum vsus, æquè ad exagerandum rem, & pondus adijciendum sententiæ faciunt: huiuscemodi.n. replicatio magnam habet vehementiam. Primũ quidem, illa quæ per genitiuũ sit suo nominatiuo coniunctum, vt hic dicitur; Vanitas vanitatum. Ita.n.proferre solemus, quæ sunt insignia notatu, vt florẽ florum appellantes rosam. Deiparam Virginem MARIAM, virginem virginũ salutantes, omniũ supremũ regem, & dominũ CHRISTVM regem regum, & dominantium dominum vocitantes, quod nomen in sacra Apocalypsi etiam vestimento ipsius,& fœmori inscriptum fuisse legimus cap. 19. Dicens ergo vanitatem vanitatum, insignem,& maximam indicat vanitatem. Deinde quòd non contentus semel dixisse, Vanitas vanitatum, denuò replicat, atque etiam tertio simpliciter vanitatem enunciat, magnam habet vehementiã: vt in Psal.48. & 95. legimus; Psallite Deo nostro, psallite regi nostro, psallite, sic ergo nostram excitat pigritiam ad habendũ huius mundi, suæq; vanitatis maximæ contemptum, & vilipendium.

9 Non ineptè, sed scitè quidem August. adiecit particulam illam sursum, vanitatem mundi significaturus, quoniam in cœlo supra Solem, in æterna beatitudine omnia solida, stabilia, fœlicia, perpetuaq; sunt, id quod cap. 1. idem Ecclesiastes innuisse videtur, dicens; Vidi cuncta, quæ fiunt sub Sole, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus. Sub Sole dixit, idest super terram, non supra Solem. Luculenta quidem oratione Laur. Iustin. lib. de disciplina mònastica cap. 2. nos docet, quòd ex admonitionibus domini IESV, ex consideratione vilitatis, & instabilitatis rerum temporalium, ex comparatione spiritualium gaudiorum, ad mundi contemptum seculi amatores efficacissi-

mè admoneantur, & manu ducantur.

10 Reliquum igitur eſt, vt rerum vanarum cógitationes, & affectiones peccatorum longè à nobis propulſemus; Quoniam ſicuti corpus muſcæ circunuolitant, & moleſtare ipſum, morſibusq; impetere non deſinunt, & ſi inſidere permittãtur diutius, vehementer pungunt, ac nocent: ita cogitationes, affectionesq; malæ peccatorum animam aſsiduè circunuolitant, & infeſtant moleſtiſsimè, nunquàm ceſſantes à vexatione, ſemper paratæ aculeum infigere, & ſanguinem elicere, ideſt ad conſenſum, titillante delectatione, pertrahere, ſibiq; locum quietis parare, vt poſsint in anima ſe figere, ipſiq; fixius hærere. Quæ niſi mundanæ vanitatis conſideratione, flabellum tenente, abigantur, niſi illis ſedulò reſiſtatur, ſi ad vllam moram permittantur inſidere animæ, ſtatim perſenties vulnus, & nocumentum non paruum accipies. Sunt etiam quaſi muſcæ permoleſtæ fugiendi ipſi dæmones, qui perpetuò in morem muſcarum nos circundant, & ſordibus paſcuntur peccatorum mordere, vulnera infigere, & ſanguinem elicere deſiderant, honorum, diuitiarum, & voluptatum cuſpide iniecta, atq; incuſſa. Nã & Beelzebub princeps dæmoniorum Deum muſcarum ſonat: maxima quidem illorum ignorantia eſt, qui ſpe mundi blandimẽtis allecti, fallacem eius dulcedinem ita amplectuntur, vt omninò neſciant, hominem bullam eſſe. Quapropter quidam Sapiens rogatus, quidnam eſſet homo, viatorem eſſe reſpondit, aſsiduè tranſeuntem, qui magno ſudore in pelago p̃ mille procellas, ac tempeſtates iactatus, crebroq; anhelitu, gradu citato, nulla interpoſita quiete, quo maiori põt curſu', die, ac nocte contendit ad mortem. Quamobrem Paulũ idipſum cum Auguſt. concionantem ad Coloſ. 3. audiamus; quæ ſurſum ſunt, quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, quæ ſurſum ſunt, ſapite, non quæ ſuper terram.

De nobilitate generis in Monaſterio non iactanda. Conſid. ij.

3 GENERIS nobilitate gloriandum non eſſe, palàm docuit Chriſtus, Luc. cap. 3. cùm Iudæos viperarum genimina eſſe vociferabatur. Et ideò admonebantur claritatẽ ſibi magis operis, quàm nobilitatem generis vendicare, quòd nulla in ſucceſsione prærogatiua ſit, niſi fidei aſtipuletur hæreditas. Quare Matth. 15. cùm Chriſtus in petitione Chananeæ, dixit; Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Irael, ait Ambr. Pſal. 43. Hoc in loco velut dubitaſſe quoſdã cognoui, quid ſit illud Chriſti dictum? quaſi nobilitatem generis electi ad ſaluandas animas quæſiſſe videatur, qui venit, vt omnes redimerẽtur.

tur. Quorum dubitationem quasi ineptam subridet Ambr. Christus enim nobilitatem generis ad saluandas animas non quæsiuit. Sed hoc ipsum argumentnm elegantius perstrinxit idem Ambr. libro de Nabuthe Iezraelita cap. 13. cui elegans titulus præfigitur; Quàm stulta sit superbia diuitum gloriantium de nobilitatis prosapia. Et quod meritum hæredum non in auro, sed in virtute consistat. Quid.n.inquit, superbis diues? Quid dicis pauperi: noli me tangere? Nône sic vtero conceptus, & natus es ex vtero, quemadmodum & pauper est natus? Quid te iactas de nobilitatis prosapia? Soletis, & canum vestrorum origines, sicut diuitum recensere; soletis, & equorum vestrorum nobilitatem, sicut consulũ prædicare. Ille ex illo patre generatus est, & illa matre editus: ille auo illo gaudet, illis se proauis attollit? Sed nihil istud currentem iuuat, non datur nobilitati palma, sed cursui. Deformior est victus, in quo, & nobilitas generis periclitatur. Caue igitur diues, ne in te erubescant tuorum merita maiorum, ne forte, & illis dicatur: cur talem instituistis? Cur talem elegistis hæredem? Nõ in auratis laquearibus, nec in porphyreticis orbibus hæredis est meritum. Laus ista non hominum, sed metallorum est, in quibus homines puniuntur.

2 Chrysostomus ait Matth. 1. cap. Hom. 3. De nobilitatis contemptu præclarum protulit testimonium Matth. in genealogia Christi, commemoratis fœminis vilibus, & non satis honestis. De Thamar.n.sic ait. Quid nobis talis recordationem infers historiæ, qua adulterium turpe continetur? Quia si nudi tantummodo hominis describeretur genus, meritò hæc reticuisset. Sic autem magis virtus eius, ac pietas refulgebit. Venit.n.Christus, non vt nostra fugeret opprobria, sed vt ea potius extingueret. Natus tales progenitores habere dignatus est, nihil de nostris vilitatibus erubescens. Vt nos quoque nunquàm erubescamus de vitijs parentum: sed vnũ illud quæramus, nobilitari ꝓpriarum honore virtutum. Huiusmodi.n.etiam si alienigenam habeat matrem, etiam si fornicatione pollutam, vel quolibet eiusmodi dedecore sordidatam, nihil tamen de eius, aut vilitate fuscabitur, aut crimine polluetur; si propria virtute decoretur, parentum suorum non decoloratur opprobrijs, neque verò vt tantummodo nos doceret, hoc fecit, sed etiam vt reprimeret Iudæorum tumorem. Quia.n. illius nobilitatis, quæ ad animam pertinet, insignia negligebant, nimiumq; insolenter de Abrahæ stirpe gloriabantur, virtutem parentum defensionem suorum rati esse vitiorum: idcircò in ipso euangelij principio docet, non alienis, sed proprijs esse gloriandum virtutib. Hæc quippe nostræ nobilitatis est prærogatiua, vt siue seruus sit aliquis, siue nobi-

lis, nihil huic plus minusùe accedat? Sola .n. hic requiritur voluntas, mentisq; generositas. Ex hac vtili, veraq; eruditione inferēdum est, duplicem esse nobilitatem, alteram corporis, alterā verò animæ. Animæ autem nobilitas nobis comparanda est. Hoc .n. veræ nobilitatis splendore Apostoli, qui, & principes nominantur, mirificè claruerūt. Ad refutandas .n. corporeas genealogias, sic adhuc pronunciare dicet: Nemo est omnino, nec de virtute, nec de vitio parentū, aut laude aliquis dignus, aut culpa: nemo inde verè aut obscurus, aut clarus est. Imò vt quod incredibile videtur, dicamus, nescio quomodo magis ille resplendet, qui ex parentibus à virtute prorsus alienis, ipse tamē fuerit de virtute mirabilis. Nullus igitur in superbiam de gloria parentum eleuetur, sed considerans progenitores domini, omnē reprimat mentis tumorem. Christus hic nascitur ex Ruth idolatra, Raab meretrice, Thamar incesta, Bethsabee adultera; ex quibus tamē multa bona prodierunt. Sic generis maculas Christus non horret.

3 Nullum ferè hominum genus est, quod non aliquid dedecoris habeat. Cuius rei, sic Deo volente, causa est, vt intelligamus nihil esse in hac vita omni ex parte beatum. Quis credidisset peccata, & sordes etiam ad Christi genealogiam penetrare potuisse? Ita igitur ordinauit altissimus, vt nihil esset tàm splendidum, quin alicunde tenebrarum maculis fœdaretur, vt videlicet non glorietur omnis caro coram Deo. Ferat ergo opprobrium gentis quisque suæ, siquidem & Christus ipse pertulit. Homo in diuitijs, delitijs, & honore gloriatur, at vir spiritualis libenter gloriatur in infirmitatibus suis: imò pudet gloriari, nisi in cruce, idest in abiectione, & ignobilitate.

4 Profectò parum illustris est, qui præter imaginē, & cognomen, nihil habet nobilitatis. Pulcherrimum autē nobilitatis genus est, quod sibi quisque proprijs virtutibus conciliat. Quid .n. prodest ei, quē sordidāt mores, generatio clara? Aut quid nocet illi generatio vilis, quē mores, & virtutes adornant? Quid profuit Cham, quòd fuerit Noe filius? Nonne separatus de medio filiorum, qui secundum carnē fuerat natus, secundum animam factus est seruus, nec familia eius sancta potuit defendere impios mores? Et quid Timotheo nocuisse creditur, quòd fuerit ex patre gentili. Aut quid nocuit Abrahæ, quòd patrem habuit Tharam, luteorum deorum cultorem? Nonne separatus à genere suo positus est in caput fideliū, vt iā non diceretur filius peccatorum, sed pater sanctorū? Vnde Sostratus olim tibicen, cùm quidam ei obiectaret, quod ex ignobilibus prognatus esset parentibus; atqui, inquit, ob id ipsum debui magis laudari, & in admiratione esse, quòd à me genus initiū cœpit. Eximia quippe virtus sponte sua, suum

 conse-

consequitur decus; nec vlla speciosior statua, quàm honorifica, bene actæ vitæ memoria. Omnes habent generis originem lutum, tùm ij, qui in paupertate magna viuunt, tùm ij, qui in purpura, & bysso nutriūtur. Nec Religio conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum. Seruum, & nobilem de moribus pronunciat; quoniam apud Deū non generis nobilitas, non gradus elegantior, sed vitæ melioris actio comprobatur. Sola apud Deum libertas est, non seruire peccatis. Elegit. n. Deus ignobilia, & contemptibilia huius mundi, vt potentes, ac nobiles ad humilitatem adduceret 1. ad Corint. 1. Nam & alias frustra sibi aliquis de nobilitate generis applaudit, cū vniuersi paris honoris, & eiusdem apud Deum pretij sint, qui vno Christi sanguine sunt redempti; nec interest; qua quis conditione natus sit, cùm omnes in Christo æqualiter renascamur. Nā & si obliuiscimur, quia ex vno omnes generati sumus; saltem id semper meminisse debemus, quòd per vnum omnes regeneramus.

5 Vera nobilitas Christiana est, quòd filij Dei sumus iure creationis, id quod Paulus Act. 17. in Areopago Atheniensi concionabatur, dicens; Fecitq; ex vno omne genus hominum, in ipso. n. viuimus, & mouemur, & sumus, sicut & quidam vestrorum Poetarum dixerunt; ipsius. n. & genus sumus, genus ergo cùm simus Dei, &c. Et Isaiæ 64. Tu domine pater noster es. nos verò lutum. Tu fictor noster. Et opera manum tuarum omnes nos. Item sumus filij Dei, gratia adoptionis. Atque etiam ratione hæreditatis æternæ ad Rom. 8. Considerāda quidem sunt verba relata in cap. pen. §. nos igitur, de præben. Attendētes, quod non generis, sed virtutum nobilitas, vitæq; honestas gratū Deo faciunt, & idoneum seruitorem. Ad cuius regimen non multos secundum carnem nobiles, & potentes elegit. Sed ignobiles, & pauperes. Eandem nobilitatem plenè expressit Chrysostomus Matth. 6. Hom. 20. in illud verbum, Pater noster, dicens. Similiter etiam docet generalem orationem facere pro fratribus. Non enim dicit. Pater meus qui es in cœlis, sed Pater noster, vt pro communi corpore precē fundas, vt vbi quæ non tàm propria commoda, quàm proximorū pietas. Quo quidem ipse, & inimicitias interimit, & superbiam reprimit, & explodit inuidiam, & introducit matrem bonorum omnium charitatem, & humanarum rerum inæqualitatem prorsus expellit, & miram regis cum paupere æqualitatem honoris ostēdit, si tamen in maximis, & ad æternam gloriam necessarijs comunione sociemur. Quid enim noxe de terrena ignobilitate metuendum est, quando cœlesti omnes nobilitate coniūgimur? Cumq; nullus alio amplius de illo honore possideat, neque locuples paupere, neque dominus seruo, neque

iudex ministro, neque rex milite, neque philosophus barbaro, nec sapiens imperito: cunctis.n. vnam, atque eandem nobilitatem donauit Deus, cùm dignatus est omnium pater vocari.

6 Sed illud fortaßis te in admirationem rapiet, quòd plerosq; nonnunquam audies, qui nuda sanguinis nobilitate gloriantur, nō æquo eos animo ferre, si dixeris, nullam esse veram coram Deo, & homine nobilitatem, nisi quæ à virtute primùm deriuata, secum virtutem habeat sociam. Ob id.n. quorundam maiores à Cæsaribus, testimonio etiam insignium, stemmatum, & armorum adhibito, fuerunt nobilitate donati, exornatiq;, quoniam inter ceteros virtutibus, pijsq; gestis ad suorum imitationem claruerunt. Plebeios quoque non improbos dicentes audies. Dictu mirum, quod illi stomachantur, si audiãt, nobilitatem veram, à virtute primum deriuari, cum potius sibi gaudẽdum esset, atq; lætandum, quod nobilitas eorum à tàm eximia, & pulchra radice, videlicet virtute, prodierit? Virtute .n. quid excellentius? Quid pulchrius? Nonne antiqui illi perhibuere, nihil Deo videri similius virtute, vt quæ suo splendore Deum non aliter imitetur, atque pictura, & rei imago rem ipsam? Quæ quidem si oculis cerneretur (veluti Cicero, & Plato affirmarunt) mirabiles in se, & ardentes excitaret amores, vnde, & plerique Philosophi maximi in ea summum bonum collocauerunt, pro eaq; conseruanda per quam plurimi duram subire mortem haudquaquam recusauerunt. Nã vt ethnicos prætereamus, legimus in sacris literis, Ionathan potius offensam patris, & salutis periculum subijsse, antequàm erga Dauid desereret pietatis virtutẽ. Sic quoque Abimelech. 1. Reg. 26. legimus, pro hospitalis gratiæ officijs necẽ potius suiipsius, quàm proditionẽ fugiẽtis amici subire voluisse. Cur ergo tàm ægrè illi ferunt, si pronuncietur, nobiles nō esse, nisi qui virtutem sectentur, ob quam sui maiores nobilitari meruere?

7 His tamen omnibus respondendum censeo, qui nudam nobilitatẽ suorum maiorũ iactant, bonis moribus foras reiectis, plurimùm eos à suis parentibus degenerare, eamq; viam planè abhorrere, quæ ducit ad virtutem, quæ cùm sit dura, & ardua (vt de littera Y Pythagorica Maro tradit) vitiorum verò sit mollis, rari sunt, qui eã ingredi, ac persequi velint. Proptereaq; non admodum mirum iudicabitur, si pauci verè nobiles reperiantur. Hoc ipsum Christus subsignificasse videtur Matth. 7. cùm ait; Angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitã, & pauci sunt qui inueniunt eam. Ea autem via Christus est, & virtus. Quicunque ergo verè nobilitari desiderant, Christum sequãtur, in quo omnis virtus sita est. Nam primi illi Christianæ reipub. Senatores, ac Principes sanctißimi, videlicet Apostoli, si exquiras quales

conditione,

conditione, ac genere fuerint? Piscatores erant, atque pauperculi, & laboriosi artifices. Sunt tamen perquàm eximia nobilitate condecorati, electiq; Senatores, & Principes, eo quòd relictis retibus, sequuti sunt Christum, facti deinde Piscatores hominum. Ab hoc enim fonte vera nobilitas dimanare conspicitur.

8 Insignis quidem eruditio illa est, quàm tradit tom. 5. in Matth. cap. 19. q. 209. Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis, sacrarũ scripturarum vigilantissimus perscrutator, qui nostro Salmanticensi Collegio S. Bartholomæi fuit decus amplissimum. Edisserens enim verba illa. Omnis qui reliquerit fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, percunctatur, quanam ratione, atq; modo huiusmodi enarratæ personæ propter Christum relinquantur? Docetq; id tripliciter fieri. Primùm quantum ad conuersationẽ, siue consuetudinem. Id quod in omnibus Christum sequentibus planè contingit. Illis .n. omnibus abiectis, Christum sequebãtur, quocunque locorũ pergeret. Suorum ergo consanguineorum conuersationẽ aspernantes, vt Christũ sequerentur, magnum meriti cumulum apud Deũ sibi comparabãt. Deinde huiusmodi personæ relinquuntur, quoad gaudium, & consolationem, & vtilitatem, quæ ex charis consanguineis percipi solent. Illud verò verissimè contingit, cùm quispiam propter Christi sequelam, suos omnes consanguineos missos faciens, Religionem ingreditur. Tunc. n. illorum conuersationis consuetudinisq; non solùm iacturam facit, sed etiam delectationem, & gaudium, & vtilitatem deperdit. Quæ quidem res sic manifesta fiet. In seculo. n. remanens poterat à consanguineis temporalia emolumenta percipere. Ingressus verò Religionẽ, id minimè potest, cùm ei nihil possidere liceat. Delectationem quoque amittit. Nam si is fuerit ex nobili prosapia bene natus existens in seculo, citra mortale peccatum poterat de sua nobilitate aliquantulũ gloriari. Cùm verò se ad Religionem contulit, id nequaquam licebit. Siquidem transiens ad Religionem, contempsit omnia, etiam se ipsum vt solùm Christum lucrifaceret, eiq; totus inhæreret. Ob eam igitur rationem nec superbire, nec gaudere illi amplius licebit de quantumuis illustri, vel nobili prosapia. Postremò huiusmodi personæ relinquũtur propter diuinum cultum, si nobis ad id impedimento fuerint. Hoc autem loco illud animaduertes, ab hoc insigni doctore nobilitatis iactantiam sub peccati noxa in Religioso fuisse damnatam. Est profectò Platonis de generis nobilitate sententia in primis elegans; nemo rex non ex seruis est oriundus, nemo non seruus ex regibus. Omnia ista longa varietas miscuit, & sursum, deorsumq; fortuna versauit. Quis ergo generosus? Ad virtutem à natura compositus. Et sacer Hieronymus

ronymus ad Cellant. ait; Nescit Religio Christiana personas excipere, nec conditiones hominum, sed animas inspicit singulorum. Ille quippe apud Deum præest potior, non quem nobilitas generis, nec decor corporis, nec dignitas seculi; sed quem deuotio fidei, & sancta vita commendat. Sola.n.apud Deum libertas est, non seruire peccatis; summa apud eum nobilitas est, clarum esse virtutibus. Hanc igitur Christianam Philosophiam Religiosus rectè edoctus, facilè intelliget, quantum dedecoris sibi pariat in erigendo nobilitatis carneæ cristas, atque ceruicem. Quare iure optimo Aluarus Pelagius lib. 2. de planctu Ecc. cap. 24. inter vulgatiora Monachorum scelera, nonum illud recenset, quod gloriantur de nobilitate sua, & potentia amicorũ: proptereaq; ad libitum viuere; alij alijs dominari volunt; cùm tamen Religio omnem nobilitatem tollat. 27. q. 2. cap. scribit. Et de purgatione canonica cap. nobilis, in glossa: Ingenuus. Quæ asserit. per monachatum amitti nobilitatem. Vnde ex vulgato iuris peritorum prouerbio nobilitas in Religione prorsus extinguitur: Quoniam in Religione non attenditur nobilitas, nec consideratur, vt docuerunt Panor. in cap. dudum, de elect. & Spec. de statu Monach. Quòd si vrgeas, nobilitatem quoddam esse ius sanguinis immutabile, ob idq; auferri non posse? Respondeo per ingressum Religionis non deperdi ius sanguinis, & nobilitatis; sed id tantùm assero, inter Religiosos, nec attendi, nec considerari sanguinis nobilitatem, vt iurisperiti docuerunt, cùm omnes Religiosi, propter propriæ voluntatis abdicationem sint æquales, Quare nullo dolore, nulla verecundia eos in Religione occupari decet, in quos ea solent dici: cœlo patre, aut tellure matre nati sunt, aut è quærcubus, & saxis ortum traxerunt. Quòd si præclaram suæ animæ nobilitatem Religiosus dilucidè intueri velit, eã profectò perspicuè, acuteq; conscriptã, depictamq; tradit Hugo de S. Victore lib. 3. de anima cap. 23. tom. 2. Hinc fit, vt gloriam mundanam illi superbi Religiosi venentur, & cum hominibus secularibus colloquia, & consuetudinem frequentem habeant. Verè igitur Augustinus ait; Diuitum parentum dignitate non esse gloriandum. Demũ Basilius in moralibus regula 61. admonet aspernandos non esse eos, qui adiuuant gratiã domini, propterea quòd nullius pretij esse ipsi videãtur, abiectiq; cum huiusmodi hominum genere Deus, vt plurimum solitus sit delectari. Rursus idem Basilius sermone de abdicatione rerum, sic Religiosum admonet; Caue, ne generis nobilitate subnitare. Neuè ob eã causam honores consectere, qui enim carnalis est, non capit ea, quæ sunt spiritus, sic.n. inani animi elatione certaminis socios tuos supplãtabis, & grandẽ super te peccatorum molẽ non aggerere non poteris.

De humilitate colenda. Consid. iij.

1 ISCITE à me (ait Iesus Præceptor noster) quia mitis sum, & humilis corde, Matth. 11. Humilitatis. n. virtus Christi seruo vsque adeò est necessaria, vt sine illa vana sint cetera: Quam etiam qui verè possidet, cum ipsis, vt ita dixerim, Angelis omni reliqua in re de fœlicitate ferè certare potest: Hæc. n. fundamentum, & culmen bonorum omnium dici meritò potest: & diadema decoris possidentibus illam: de quà pulchrè Apostolus ait. 1. ad Cor. 15. Insipiens, quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur. Iobq; sanctissimus: Qui humiliatus fuerit, erit in gloria: & qui inclinauerit oculos suos, ipse saluabitur. Extitere quàm plurimi priorum temporum, nostræq; ætatis memoria, ne minutim singulorum exempla conquirã; eruditi planè, maximisq; virtutibus pręditi, & in omni laude, ac dignitate principes; qui quoniã præstantissima hac caruere virtute, miserabili tandem casu, naufragioq; perierunt, eorum operibus insidiante superbia: de quibus Prophetæ sententia illa est admodum grauis psal. 52. Dissipauit dominus ossa eorum, qui hominibus placent. Confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos: & quidem grauis, nam si eorum ossa sunt dissipanda, quid porrò reliquum erit in his, quod inane, lubricumq; non sit; Cùm nihil solidi in se habeat exossatum corpus humanum? Aut sanè quo perfugio fouendi iam erunt, cùm eos spreuerit Deus? Quos tùm maximè spernet, cum videlicet cuiq; mercedem propriam reddens infœlicibus his inquiet: abite inanes, & vacui, recepistis mercedem vestram, laudem hominum, & miseram gloriam. Quæ. n. virtute præstare debuistis, à vitio deduxistis, mentiti conscientias bonas, imitatiq; fatuas virgines, quæ habētes lampades oleò vacuas, à sponsi thalamo exclusæ sunt, habitæq; ludibrio: Matth. 25. An non amentis est, recta sequi, laudis causa oculis seruire intuentium, aura populari miserabiliter ferri, & quasi mercedem benefactorum ducere hominum gloriam? Quæ sanè nunquàm satis digna merces esse poterit, cum semper temeraria sit, semper incerta, semper inanis, & cuiusque arbitrio, & voto permissa. In abditis igitur consciētiæ thesauris nostra omnis gloria lateat? Sicut scribit Apost. Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ. His igitur limitibus continendus est animus, nec vento permittendus, vt illi soli placeamus, qui pro nobis est factus abiectissimus, atq; humilimus; quod. n. facit in dapibus, atq; cibarijs sal, ea condiens, atque præseruans, hoc & ipsis virtutibus humilitas facit, & multò quippè potiora. Nam eas non modo sapidiores reddit, incorruptasq; tuetur:

sed in

ſed in ſublime effert, ſuoq; authori Deo efficit chariores. Non poteſt ſermo ſacer vel mentiri, vel fallere, qui illud nobis inſonat: Luc. 14. & 18. Qui ſe humiliat exaltabitur: & qui ſe exaltat, humiliabitur. Et depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles. Tu igitur Religioſe, inuitatus ad nuptias, nouiſsimo loco diſcumbe: Vt veniens, qui te inuitauit, amice (dicat) aſcende ſuperius, tibiq; ſit amplior coram diſcumbētibus honor. Luc. 14. Sed nunquid nō es inuitatus ad nuptias? Imò iam exceptus, vbi nouæ nuptæ agni epithalaminia celebrantur veſte nuptiali, i. eſt candida clarus, atque inſignis. Tantum vide, vt humiliore loco conſedeas, vt ab triclinij magiſtro iubearis aſcendere. Ex eorumq; numero fias, quibus dicitur pſal. 126. Surgite, poſtquàm ſederitis, qui manducatis panem doloris.

2 Hanc illuſtrem virtutem miris laudibus D. Baſilius pluribus in locis effert, ac celebrat. Imprimis ex humilitate gloria naſcitur. Vt ipſe docet in ſermone de humilitate, de Chriſto ſic differens: Poſt tantam verò humilitatem in ſuæ vitæ decurſu monſtratam, tandem, & gloriam ſuam exerit vnà ſecum glorificans, quotquot cum ipſo ignominiam tulere, quorum primi ſunt beati Diſcipuli, qui pauperes, ac nudi orbem percurrerunt. Ad horum nos imitationem conferamus, vt ex humilitate nobis ſempiterna naſcatur gloria, quæ perfectum eſt, ac verum Chriſti donum. Quonam igitur pacto ad ſalutarem hanc animi humilitatem, pernicioſa ſuperbiæ elatione relicta, deſcendemus? ſi perpetuò ſtudium modeſtiæ exerceamus. Sit tibi & ornatus, & alimonia, & domus huiuſmodi, quorum omnium vſus ſit ad frugalitatē: & ſermo, & proximi conuictus ad mediocritatē, magis quàm ad faſtū. Vide ne in ſermone arrogantiam vſurpes ſophiſticam, neque dictionem oſtentes ſuperbam, ac grauem. Ne ſis increpando moleſtus, ac ſeuerus, neq; propter modica delicta condemnes aliquem, quaſi rigidus, ac prædurus iuris exactor. Et tantùm ſtudij impendas, ne apud homines glorioſus habearis, quantùm impendunt alij, vt glorificentur, & conſpicui ſint hominibus. Ama humilitatem, & glorificabit te. Hoc pacto ritè ad veram gloriam pertinges, quæ eſt coram Angelis, quæ eſt apud Deum. Agnoſcet te Chriſtus tanquàm diſcipulum ſuum coràm Angelis, & glorificabit te.

3 Ex eodem etiam Baſilio in ſermone de abdicatione rerum, tanta eſt humilitatis propagata latitudo, vt vniuerſas virtutes in ſe contineat, & complectatur. quoties. n. tuæ tibi in fungendis pro communi re fratrū miniſterijs vices obtigerint, in eo aduigila, vt ad laborem corporis, verborum etiam lenitatem adhibeas: vt ij, quibus miniſtras, charitatem te habere erga ipſos intelligant: quo gratum ſit illis miniſterium

tuum,

tium, vt potè quod sit sale conditum. Assignato tibi ministerio, cum modestia fungitor, sedulitateq́;, perinde ac si Christo ipsi ministrares, etiam si ministeria tibi coniuncta, contempta admodum, abiectaq́; videantur. Siquidem ipsa humilitas, virtutum omnium quasi quædam sagena est, quæ diuina in se præcepta omnia comprehendit. Estq́; virtutum omnium contentrix, quam bonorum sequitur copiosissimum, veluti quoddam examen.

4 Item ex eodem Basilio in Constit. Monasticis cap. 17. animi humilitas dictissimus est virtutum thesaurus. Ceterum, in omnibus, quæ rectè fiant causas, cur illa sic fiant, domino assignare animus debet, neque omnino esse quicquam existimare, quod suarum virium facultate assequi possit. Huiusmodi. n. animi affectio natura suapte solet humilitatem in nobis ingenerare. Porrò humilitas tutissimus est virtutum omnium thesaurus.

5 Humilitas etiam est vera Christi imitatio. Pietatis. n. cognitio, humilitatis, & mansuetudinis genitrix est: Quando se animo scire submittere, Christum est scire imitari. Contra autem fastidio, & arrogantia afferri, & insolentius se gerere, est diabolo se similem facere. Christũ tu imitare, non aduersarium Christi: Deum, non aduersarium Dei: clementem, non inclementem. Noli in eo properare, vt fratribus præsis, ne aliorum peccatorum onere ceruices aggraues tuas. Cõperies apud Basilium duas de humilitate elegantes orationes, & facundas, fuit. n. insignis ille, sanctusq́; vir, strenuus humilitatis cultor.

6 Præterea ex Chrysostomo Matth. 5. Humilitas cunctarum virtutum origo, & quasi fundamentum est. Siquidem vnusquisque humilitate supposita, tutissimè cuncta alia superponit, ædificans: hac verò subducta, etiam si ad ipsum vsque cœlum conuersationis sublimitate peruenias, simul omnia subtrahuntur, atque in finem pessimũ relabuntur. Nam siue orationem, siue ieiunium, siue misericordiam, siue pudicitiam, siue aliudquid bonorũ absque humilitate congreges, statim cuncta defluunt, cunctaq́; depereunt. Vt pharisæo legimus accidisse. Sicut enim superbia omnium fons malorum est, ita humilitas cunctarum origo virtutũ. Est etiam humilitas instar catenæ aureæ, vt idem Chrysostomus author est.

7 Porrò ex Ambrosio serm. 20. in psal. 118. Humilitas virtutum omnium caput est, quæ totum velut quoddam nostrorum actuum fouet corpus. Quamuis infirmus aliquis sit, pauper, ignobilis, tamen si non se extollat, ipsa se humilitate commendat: sit aliquis prædiues, & nobilis: idem si nobilitatem generis, & diuitias iactet, insolentia sibi vilis est. Deniq; pharisæus, Luc. 18. licet abstinens, & parcus esset alieni,

libera-

liberalis fui, non refugus ieiunij, tamen propter iactantiam etiam illa, quæ habere poterat, amisit. Publicanus tamen nihil enumerare poterat, sed propter humilitatem iustificatus est. Lege Ambrosium lib. 10. epistolarum, epist. 84. Qui magnis præconijs veram humilitatem exaltat, & Demetriadem virginem præsidio sinceræ humilitatis armandam curat.

8 Diuus quoque Gregorius mille præconijs humilitatē extollit, nunc enim ait; humilitatem ante districti iudicis oculos; ceteris virtutibus præeminere, nunc humilitatem magistram esse, & matrem omniū virtutum, atque etiam custodem affirmat, nunc euidentissimum electorum signum eam esse censet, nunc demū eum, qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum puluerē portare asserit. Item humilitatis munus est, vt homo proprios defectus consideret, ne se extollat. Imò, & alijs deteriorem se iudicat; timens, ne per superbiam grauius peccet in his, quæ benè agere videtur. Humilitatis quoq; proprius actus est contemnere sublimitatem terrenā. Hæc ex S. Thoma.

9 Quæ verò sequuntur, paucis accipito. Magnus esse vis, à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis. Quantam quisque vult, & disponit super imponere molem ædificij, quantò erit maius ædificium, tantò altius fodit fundamentum. Et fabrica quidem cùm cōstruitur, in suprema consurgit: qui autem fodit fundamentum, ad ima deprimitur. Ergo, & fabrica ante celsitudinem humiliatur, & fastigium post humiliationem erigitur. Quod est fastigium construendæ fabricæ, quam molimur? Quo peruenturum est cacumen ædificij? Cito dicam, vsq; ad conspectum Dei. Vides, quanta res sit conspicere Deum? Promittitur nobis humilitatem sectantibus conspectus Dei, veri Dei, summi Dei. Igitur sicuti omnis fabrica dependet ex fundamento, ita nullo modo poterit in anima nostra virtutum structura cōsurgere, nisi prius quisque studuerit sese in humilitatis fundo solidare. Altiora ædificia profundiori fundamento indigent; & arbor excelsa si radicata profundè non fuerit, facilius ventorum impulsu euertitur. Humilitas quidē fundamentum omnium virtutum est maximum, sine qua nullum spiritale subsistit ædificium. Ab ipsa incipiunt, per ipsam proficiunt, in ipsa consumantur, & per ipsam conseruantur; sed potissimum ad Christi exemplum veram humilitatem sectemur; pio semper animo recolentes, quantum nos ipsos pro diuino amore, quantùm pro própria salute oporteat humiliari, qui terra sumus, & cinis, si tantùm summa illa potestas pro nobis humiliari non respuit, & ad suscipienda nostræ fragilitatis infirma descendere non recusauit, vt nos verbo, & exemplo

humilitatem doceret; Post tantam Christi humilitatem non superbiẽdum est vnquàm. Plerique homines culpam suam sponte agnoscunt, & confitentur, ab humilitate tamen longè absunt. Nullo eos arguente, peccatores se esse prædicant; si verò corripiantur patrocinium, defensionemq́; suorum criminum arripiũt, ne peccatores esse videantur. Indicium autem veræ humilitatis est, vt sicuti vnusquisque peccatorem se esse confitetur, ita id alteri de se dicenti nec inficietur, nec contradicat. Indicium quoque superbiæ est, vt quod fateri quisque de se sua sponte dignatur, hoc ipsum sibi ab alijs dici, obijciq́; ægreferat.

De oratione. Cap. vj.

¶ ORATIONIBVS instate horis, & temporibus constitutis. In oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, vnde & nomen accepit. Vt si fortè aliqui prę̄ter horas constitutas, si eis vacat, & orare voluerint, non eis sit impedimento: qui ibi aliquid agendum putauerint. Psalmis, & Hymnis cùm oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore. Et nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum. Quod autem non ita scriptum est vt cantetur, non cantetur.

ENARRATIO.



1 RATIO, qua animus noster in Deum ascẽdit, eiq́; subijcitur, humilitati proxima est. Humilitas quidem torques aureus est animæ, oratio verò eiusdem est propugnaculum, quo se aduersus dæmonis tentationes tueatur. Præ ceteris verò viro Religioso pernecessaria est, ne in perducendo arduo perfectionis opere in consumationem, & finẽ optatum, difficultatibus obruatur, iuxta id Matth. 26. Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Huius enim certaminis nos Salomon Eccles. 2. præmonuit, dicens: Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore. Et præpara animã tuam ad tentationem. Quattuor ergo præcepta in orationis recto vsu, atque exercitio sacer Augustinus in hoc capite nobis tradidit. Primum, orationibus instate horis, &

temporibus constitutis. Verbum autē, instate, ex Paulo ad Rom. 12. mutuatus est, orationi instantes. Et ad Col. 4. orationi instate. Instanter.n.& ardenter orare tenemur. Si quidem magna sunt bona, quæ nobis Deus pollicetur. Nam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se Isai. 64. & 1. ad Cor. 2. Nec voluit Deus beneficia sua quærendi, inueniendiq; facilitate vilescere. Petite, inquit, Matth. 7.& Luc. 11.& dabitur vobis; quærite,& inuenietis; pulsate, & aperietur vobis. Nec.n. ociosis, tepidis,& negligentibus promittitur regnum Dei; sed regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Exquirit quidem à nobis Deus instantiam, & importunitatem in oratione; quòd si ad primas lachrymas, ait Hugo, te Deus non exaudierit, nec tunc quidem à quærendo, pulsandoq; tibi desistendum est. Sed maiori instantia vtendū, donec orantis desiderium impleatur. Quòd si quispiam nostrum con scientiam suam, vel cogitationem suam, vitiorum sorde sentit inquinatam, misericordiam Redemptoris continuis lachrymis efflagitet, sanctorumq; intercesſiones, & auxilia postulet, perseuerantiam Chananeæ imitatus.

2 Tempus autem,& horas constitutas ad orandū nos obseruare conuenit, id quod de orationibus ordinarijs, publicis,& communibus intelligendum est. Ante tempus orare prouidentia est; in tempore constituto orare est obedientia. Sic. n. fiet, vt inquit Gilbertus S. Ruffi Abbas expositor huius Regulę,& ab Humberto citatus, vt non solùm oratio censeatur, sed etiam obedientia. Conduplicatur igitur nobis commodum, si tempore constituto orauerimus. Tempus tandem orandi præterire negligentia est. Porrò horis, & temporibus constitutis concurrit,& conuenit ad orandum non solùm hic, aut ille conuentus, sed innumera multitudo monasteriorum per vniuersum orbem dispersa, preces autem multorum facilius exaudiuntur. Item locus orationi deputatus efficit, vt preces citius exaudiantur; tantundem efficiet,& tempus à Spiritu Sancto statutum iuxta illud Esai. 49. Tempore placito exaudiuit te.

3 Secundum præceptum; in oratorio nihil agendum, nisi quod ipsius nomini conuenit, ne orare volentibus impedimentum aliquod exhibeatur. De orationibus priuatis, & extraordinarijs hic agitur, quæ non necesſitatis, sed voluntatis sunt. Idcircò non traditur præceptum, vt fiant, sed tantùm ne impediantur. Nomine verò oratorij Humbertus ecclesiam intelligit, secutus Hugonem, ratione eorū, qui in ea conueniunt, quod & templum nuncupatur ratione illius, in cuius nomine conueniunt, scilicet Dei, Templum. n. dicitur à Theos,

quod est Deus, & platea, quasi Dei platea. Dicitur etiam oratorium, quod & frequentius, & celebrius orandi munus in eo exerceatur. Eam ob causam Christus ementes, & vendentes eiecit de templo Ioan. 2. dicens: Domus mea, domus orationis vocabitur, Matth. 21. cap. Omnis.n.ecclesia constituitur, vt in ea oretur, est.n.domus Dei, porta coeli, in qua peccatores reconciliantur, iusti sanctificantur, diuina mysteria explentur, & coelestia sacramenta tractantur, & ministrantur. Quocirca Salomon dicebat; Domine, si conuersus fuerit populus tuus, & orauerit ad sanctuarium tuum, tu exaudies eos, & dimittes peccata eorũ. Ideò summopere cauendũ est, ne aliquid in sanctuario fiat, quod aut oculos diuinę maiestatis offendat, aut ibi orare volẽtes impediat.

4 Tertium præceptum; cum psalmis, & hymnis Deum oramus, hoc versemus in corde, quod ore proferimus. Nam psallentium in ecclesia mentem cum voce concordare oportet, iuxta illud Apostoli, psallã spiritu, psallam & mente. Orandi perseuerantia ita meretur esse fructifera; si quod ore precamur, hoc mente meditemur. Sciens autem diabolus orandi vtilitatem, & nobis inuidens gratiam impetrandi, immittit orantibus cogitationum tumultus, vt mentem ab oratione distrahat, & orationis fructum omnino auferat. Aduersus cuius fraudem, mentis constantia à nobis requiritur. Obseruandum est autem ad orationis puritatem plurimum conducere, si in omni loco, & tempore nos ab actibus illicitis temperemus. Si semper ab otiosis sermonibus auditum, pariter & linguam cohibentes, in lege Dei ambulare, & eius testimonia scrutari assuescamus. Quæcunque enim frequenter agere, loqui, audireq; soliti sumus, eadem necesse est ad animum, quasi ad solitam, propriamq; sedem recurrant.

5 Prærerea considerãdum ex Humberto, quod vt fit in litteris sacris, sic Augus. in Regula quædam constituit, quæ non sunt tàm præcepta, quàm calcaria incitantia ad bonum. E quorum numero hoc tertium præceptum iudicandum est. Vnde virtute Regulæ nemo obligatur ad hoc præceptum custodiẽdum maiori ratione, quàm aliàs obligatur ex iure diuino. Caueat tamen sibi Religiosus, ne Simiam hac in re imitetur, quæ interdum labia mouet ad modum orantis, quamuis quid dicat, ignoret. Legimus enim Matth. 15. Populus hic labijs me honorat; cor autem eorum longe est à me.

6 Quartum pręceptum. Nolite cantare, nisi quod iure statutum est esse cantandum. Non .n. decet, cantum ecclesiasticum secundum diuersorum arbitrium exequi; sed firmiter obseruandus, exercendusq; est iuxta scripta, & instituta maiorum. Si quid vero fortè mutari, aut denuò constitui fuerit opus: nec citò, nec leuiter, nec paucorum arbi-

trio, sed maiorum auctoritate stabiliendum est. Nec illud ignorandum, auctoritatem Ecclesiasticam in omnibus magis sequendã esse, quàm rationem. Quoniam auctoritas semper obedientiam, & humilitatem indicat; ratio verò nonnunquàm præsumptionis est argumentum. Est enim documentum tanquàm irrefragabile retinendum, vt in rebus ecclesiasticis, & cœnobiticis semper maturitas, ac grauitas teneatur, nec facilè, aut leuiculè quicquam immutetur.

7 Vt igitur nostra fert opinio, sacer Augustinus vetuit hoc, loco ea orationes, quæ maiorum auctoritate discussæ, & comprobatæ nõ fuerint, propter ingentia pericula, & mala, quæ hinc exoriri possent, iuxta perutile decretum Concilij Mileuitani can. 12. Placuit etiam (inquit) & illud, vt preces, vel orationes, seu missæ, quæ probatæ fuerint in Cõcilio, siue præfationes, siue commendationes, seu manus impositiones ab omnibus celebrentur. Nec aliæ omninò dicantur in ecclesia, nisi quæ à prudentioribus tractatæ, vel comprobatæ in synodo fuerint, ne fortè aliquid contra fidẽ, vel per ignorantiam, vel per minus studium sit compositũ. Hac de re multa diximus superius lib. 2. cap. 12. & 13.

De vi, & præstantia orationis. Consid. j.

1 
AM verò quàm sit oratio præstãs, quàm fructuosa, quàm necessaria, nemo ignorat; vt qua omnis sacrificatio, omnis beneficio, omne sacramentum, ac denique omninò quidquid in cultu diuinæ honorificentiæ agitur, perfici soleat, teste Augustino in tract. de oratione dicẽte: quid est oratione præclarius? Quid vitæ honestæ vtilius? Quid animo dulcius? Quid in nostra tota Religione sublimius? Oratio est, quæ nos Christianos prouocat. Oratio est, qua cum Deo loquimur, qua patrẽ dicimus, qua vniuersa desideria nostra in conspectu maiestatis eius effundimus, quæ cœlos penetrat, nubes transit, Dei aures attingit. Hæc in Ecclesia vniuersis gradibus necessaria est. In rem igitur planè videtur, vt primum dicam, quid sit oratio, & quàm multiplex. Quamuis autem non ignorem, varias à varijs orationi accommodari definitiones, nec indecoras; ipse tamen ex omnibus vnam, aut alteram subscribam. Oratio est ad Deum, vel sanctos locutio, qua nobis vel bonũ præstari, vel malum submoueri petimus. Vel oratio est eleuatio mentis ad Deum, ardenter, & gemitibus inenarrabilibus per Spiritum Sãctũ excitatis, ab ipso Deo fideliter petẽtis, quæ salutaria sunt, per mediatorem Dei, & hominum Iesum Christum: Vel oratio est pius mentis ascensus in Deum, seu piorum votorum oblatio intenta, & ardens. Manifestè .n. cognoscimus, etiam spiritũ suos habere pedes, quibus proficisci

ficisci possit,cum voluerit, vel vsque ad angelicorum agminum consortia,corporis pedibus interim super terram suam perstantibus. Nisi fortè magis velimus alas dare spiritui, quibus volet, quã pedes, quibus ambulet,vel currat. Sic .n. ille eximius Theologus Boetius, alas maluit,quàm pedes dare humano spiritui,cùm de se ita caneret. Sunt etenim pœnnæ volucres mihi,quæ celsa conscendant poli,quas sibi cũ velox mens induit,terras per osa despicit;aeris immensi superat globũ;nubesq́; post tergũ videt;quicque motu agili calet ętheris,trãscendit ignis verticẽ,donec in astriferas surgat domos.His ergo siue pedibus,siue alis vir probus proponit in conspectũ Angelorũ ascẽdere,aut potius subuolare,illicq́; Deum orare.Sine his.n.nunquã ad tantæ possit celsitudinis sublimitatem conscendere. Hinc Dauid psal.137. concinit; In conspectu Angelorum psallam tibi. Tunc verò in conspectu Angelorum Deo psallimus,quando mente,& affectu Deo per orationem præsentes nos facimus. Et quasi in circuitu throni eius nosipsos constituimus,in profundissima cordis humilitate, cum summa reuerentia coram Deo procidentes.Consule D. Tho.2.2. q.83.art.1.Rursus,oratio duplex est,mentalis,qua quis sine voce,sed mẽte sola, quasi interiori quadam locutione Deo colloquitur, optata obtinere ex animo desiderans.Qua perfectiores,& contemplationi magis dediti, minusq́; soliciti de rebus alienis,frequentius vtuntur. Huiusmodi fuit Thobias ille senior. cap. 12. Qui cum lachrymis, animo orans, gratiosè exauditus est; nec dubium,quin & Susanna illa longè castissima, falsò à senioribus delata,primũ mente,non voce orauerit, quæ & exaudita fuit. Daniel.13. Vocalis est,qua quis voce, optata à Deo petit, parum certè proficiens,nisi simul,& mente fiat: vnde Apost.1. ad Cor. 14. Orabo spiritu,orabo & mente.Qua sanè oratione Christus vna cũ suis discipulis plerunque vsus est, vt Matth.26.Io.17.Luc.22. Quem quidem rectè sequemur. Primum,vt qnemadmodum Deo cordis, & operis, ita & oris obsequium impendamus. Si quidem triplex Deo sacrificium debemus, cordis scilicet,oris,& operis. Secundo,vt sic ad memoriam reuocemus, quod petere debemus,simulq́; à pigritia excitemur,qui alioqui semper in silentio orantes,facilè obdormiremus, obliuiscentes quod peteremus.Tertio, vt sic proximum instruamus, ad consimile opus inuitantes. Vocalis igitur oratio diligenter retinẽda est,quidquid hæretici insanientes garriant. Hinc in necessitatibus constituti,ad solam confugimus orationem, veluti ad sacram quandã anchoram, dicente Iosaphat 2. Par.20. Cum ignoremus, quid agere debeamus,hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te, videlicet in oratione.

5 Ipsius quidē orationis est, quod immediatè (vt sic dixerim) ad Deū dirigatur, vt potē in cuius ditione cuncta sunt posita, à quo patre luminum omne datum optimum, & omne donum perfectum descēdit. Qui vel solus gloriam donat, & gratiam. Nihilominus, & mediatè nōnunquàm dirigi solet oratio ad sanctos ipsius propter ipsum, nō tanquàm ad præcipuos petitorum datores, & auctores, quales non sunt: verùm ceu ad mediatores, quorum meritis, & intuitu nobis Deus cōfert, quæ ex nostris demeritis accipere sumus indigni, illi verò in perfecta nunc charitate digni. Ideoq; admodum piè nostram orationem pro loco, & tempore dirigimus ad Dei electos, tanquàm ad eos, qui suis deinde precibus, & meritis nos apud Deum adiuuant. Nec interim vllam Deo irrogamus iniuriam, qui secundum temporis ordinē sanctos ante inuocamus, quàm Deum: quinimò ingentem illi gloriā afferimus in eo ipso opere, & quoddam humilitatis præ nobis ferimus insigne, reuerentiæq; in Deum. Quippe qui prius sanctos accedimus; non vt in eis sistamus venerationis metam, sed vt per eos demū prouehamur in Deum, qui solus habet principalitatem potestatis petita concedendi. Hac temporis prioritate vsi fuere non pauci viri sancti, tàm veteris, quàm noui testamenti.

3 Verumenimuero quispiam percunctabitur, cur Deus oretur, & inuocetur, cùm ipse sciat omnia? Respondeo, non ideò nos orare Deū, vt eum, qui cuncta nouit, vel secretissima instruamus; verum nonnullas ob causas. Prima earum est, vt fidem nostram augeamus ad ipsum clamādo, credentes, & confidentes eo pacto ipsum esse, qui solus omnia possit, in quo viuamus, moueamur, & simus; sine quo nihil possimus; à quo sint, quibus indigemus, vniuersa. Secunda, vt orando recordemur, q̄ simus pauperculi pleriq; omnes peccatores, quamq; nobis sine Deo Opt. Max. planè non sufficiamus: verùm omnis nostra sufficientia sit ex Deo. Tertia, vt nostræ orationis intentio cor nostrum serenet, ac purget, capaciusq; efficiat ad excipienda diuina munera, quæ spiritualiter nobis infunduntur. Nos.n.non semper parati sumus accipere, cùm inclinamur in alia. Orabimus proinde, vt quæ Deus dare dignatur, ad accipiendū digni reddamur. Quarta, vt orātes, quod vel datur, vel dandum speramus, magni æstimemus. Non autem quod à Deo datur, vile habeamus, vnde futura sit ingratitudo, & accepti beneficij obliuio, sed vt eo ipso amplius eū diligamus, & laudemus. Quinta, vt intelligamus orationem nostram non ordinari ad immutandam diuinā dispositionē, sed vt obtineatur nostris precibus, quod Deus disposuit nobis cōferre per preces, tanquàm per media, ad hoc per ipsum ordinata. Multa quidem Deus nobis ex sua libera-

beralitate largitur, etiã non petita: ceterũ nonnulla vult præstare nobis petentibus, vt recognoscamus eum esse bonorum nostrorum auctorem. Considera, quanta est tibi concessa fœlicitas, quanta gloria attributa, orationibus fabulari cum Deo, cum Christo miscere colloquia, optare quod velis, quod desideras, postulare. Causa itaque essentialis necessitatis orationis est secundum ordinem diuinæ sapientiæ, & prouidentiæ; vt scilicet quemadmodum disposuit multiplicare homines medio actu generationis,& triticũ mediãte semine,ac cultura, & domos mediante artifice cum tot medijs,ita disposuit, multorũ salutẽ, & multos effectus efficere mediante oratione, reliquoq; diuino cultũ. Lege S. Tho. & Caiet. loco citato, art. 2.

4 Magnam præterea ad vitæ sanctitatem, & reliqua omnia rectè obeunda vim habet oratio. Cui peculiariter quotidie intentus, assiduusq; esse Religiose debebis. Per hanc.n.te ipsum primum inspicies,& veluti in speculo contemplaberis. Quo nihil in homine melius, nihil ad perficiendum aptius, atque commodius. Qui.n.se studiosè, accurateq; inquirit, is verè homo est, idemq; sapientissimi appellatione dignissimus. Qui se autem nunquàm inspexerit, aut certè inspicere desierit: is profectò, mea sententia, pecus magis, quàm homo censendus est; cuius natura seipsam ignorare vtique est. Per hanc humanus animus adhuc degens in corpore cœlestia attingit,& nunc etiam quãtum fas est, Deum ipsum certè complectitur. Per hanc denique feruor charitatis, per quam Deus nobis, nosq; illi coniungimur, sic incenditur, vt nulla procella, nullaq; aquarum inundantium vis, tàm beatum incendium possit extinguere. Sed,vt breuiter dicã. O quantum admiranda est religioseq; colenda fœlix oratio? Per te quicquid petimus, si ritè petimus, exoramus. Tu semper beata, si bona in conscientia nites. Tu delitiæ virginum. Tu viduarum solatium. Tu gloria sacerdotum. Tu martyrum clypeus. Athletarumq; victoria. Tu dulcedo mœrentiũ. Quies laborantiũ. Suauitas lætantiũ. Tu signorũ effectrix,& virtutũ omniũ veneranda custos. Tu nullis impiorum summissa legibus, nullo angusta loco. Nulloq; vnquàm tremefacta supplicio. De puro corde,& libera voluntate nasceris. Et ideò tuta semper, & libera es: vt qui te talẽ genuere parẽtes. Per te extollitur Dei filius. Propitiatur Pater. Afflatur Spiritus sanctus. Totaq; Trinitas simul glorificatur, & superexaltatur in secula. Per te torquetur hostis diabolus, & mortifera spiritui subigitur, ac prosternitur caro. Quid tandẽ virium habeas, quid certè laudis? Tua prisca facinora, celeberrima miraculorum copia declarat, atque nobilitas. Inter Amalechitas, & populum Dei decertatum est acriter, vt sacra historia refert. Dũ com-

mittitur pugna: si Moyses orat, Israel superior est. Si orationi cessat intendere, inclinatur, Amalechita vincente. Quos armis sistere non potuit Moyses, hos oratio subegit, ac domuit. Tuo auspicio manu fœminæ Olophernis superbissimum amputatū est caput. Te fauente de Sennacherib graui Hierosolymam bello premente, rex Ezechias triūphum tulit, centum octuagintaquinque millibus hostium cæsis, ac duce fugato, regiq; supplici, cui postrema iā mors imminebat, non modo misericordiam, & pacem, sed & tria vitæ lustra ipsa impetrare sola valuisti. Per Moysen, quæ tanta res vix credi possit, graui populo, & idolis dedito Deum ipsum indulgere, & commisereri adegisti, dimitte Moyses, vt irascatur furor meus, reclamantem. Quid de te plura, cum per te cogi, ac vinci passus etiam sit, qui solus est inuictus, & præpotens, & per quem sunt omnia, quę potest omne creatum? Hæc igitur tàm excellens, diuinaq; virtus tuo semper in sinu requiescat, quæ ab humanis te abstrahens, vehat in cœlū, & ferat per speciosum omne sublime, teq; maximis repleat gaudijs, ac spem erigat ad sempiternæ fœlicitatis proposita præmia: quæ tanta vtique sunt, tamq; amplissima, vt nullis alijs sensibus, quàm animo purgato, ad eaq; vehementer erecto, intelligi queant.

5 Vt autem vtiliorem adhuc orandi rationem in eas, ex vetustis patribus hæc tibi recondito documenta, salubriaq; admonita. Primum, quoties aliquo tangeris, pulsariq; vitio, toties te orationi subdito, frequens.n.oratio vitiorum impugnationem extinguit. Eousq; verò perseuerandum est, quousque importunas carnalium suggestiones, quę nostris obstrepunt sensibus, virili animo superemus. Quandoquidem in oratione Spiritum Sanctum ad nos aduocamus; At vbi ille aduenerit, confestim tentationes dæmonum, qui se humanis mentibus immergunt, præsentiam eius ferre non sustinentes, effugiunt.

6 Secundum admonitum; nunquàm sine gemitu orandum. Nā peccatorum recordatio mœrorem gignit. Dum .n. oramus, ad memoriam culpam reducimus, magisq; reos tunc nos esse cognoscimus. Ideoq; cum Deo in oratione assistimus, gemere, & flere debemus, nō immemores, quàm grauia sint nostra scelera, quàmq; dira inferni supplicia. Tertium; mens nostra qualem se in oratione offert, talem post orationem se conseruare nitatur. Quid.n.oratio profecerit, si denuò committitur, vnde iam iterum veniam postulemus?

7 Quartum; mens quoque nostra cœlestis est, & tunc in oratione Deum rectè contemplatur, quando, nullis terrenis curis, aut erroribus impeditur. Mens etenim, quæ ante orationē vacans à Deo, illicitis cogitationibus occupatur, dum in orationem venerit, confestim

illi imagines rerum, quas nuper cogitauit occurrunt, aditumq; precibus obstruunt, ne mens libera ad cœleste se desiderium erigat. Purgandus est itaque primum animus, atque à temporalium rerum cogitationibus segregandus, vt pura acies cordis ad Deum limpidissimè dirigatur. Quintum; duobus sanè modis impeditur oratio, ne assequi quisq; valeat postulata; Videlicet si aut ille adhuc mala committit, aut si delinquenti aduersum se debita non remittit. Quod geminũ malũ dum quisq; à semetipso absterserit, securus statim studio orationis incumbit, & ad ea quæ impetrare precibus cupit, mentem liberè erigit. Diffidentia autem nascitur impetrandi orata, si se adhuc animus senserit circa peccandi affectionem versari: qui à præceptis Dei auertitur, quod in oratione postulat, accipere non meretur. Cur.n. ab illo bonum quod poscis, obtinebis, cuius legi obedire reniteris? Scriptum est.n.qui auertit aurem suam, ne audiat legem, oratio eius execrabilis erit. Et Hieremias ait; Leuemus corda nostra cum manibus ad Deum. Siquidem vtrunque est necessariũ, & oratione, & operatione ad salutem nostram adipiscendam contendere.

8 Sextum; propterea quorundam orationes tardius exaudiuntur, vt dum petita differuntur, fortius excitati, maioribus præmijs cumulentur, exemplo messium, in quibus quando tardius sata semina exeũt, tantò ad frugem cumulatius crescunt. Idcircò orantes quoties non citò exaudimur, nostra nobis facta ob oculos proponamus, vt hoc ipsum quod differtur, diuinæ reputemus iustitiæ, & culpæ nostræ adscribamus. Sæpè quidem vtilitatis nostræ est, non aduersitatis. Sæpè.n. multos Deus non exaudit ad voluntatem, vt exaudiat ad salutem, melioraq; quàm petunt, reseruat.

9 Septimum; sicut orationibus regimur, ita psalmorum studijs delectamur. Psallendi.n.vtilitas tristia corda consolatur, gratiores mẽtes facit, fastidiosos oblectat, inertes exuscitat, peccatores ad compunctionem inuitat. Quamuis.n.dura sint hominum corda, cùm primum psalmi dulcedo insonuerit, ad affectum pietatis animos eorum inflectit. Nescio equidẽ, quo pacto fiat, vt modulatione canentis maior nascatur compunctio cordis. Multos offendes, qui cantus suauitate commoti, sua crimina plangunt, ex eaq; parte magis flectuntur ad lachrymas, ex qua psallentis insonuerit dulcedo suauissima. Oratio quidem in præsenti tãtùm vita pro peccatorum remedio effunditur; Psalmorum autem decantatio perpetuam Dei laudem demonstrat in gloriam sempiternam. Cuius operis ministerium quicunque fideli, attentaq; mente exequitur, quodammodo angelis consociatur.

10 Octauum; periculum est, teste Bernardo, si tepida fuerit oratio, &

non

non ex viua affectione procedens. Ea.n.in aſcenſu languefcit; & deficit, eo quod non habet vigorem, quæ verò fidelis, & humilis, & feruens oratio fuerit, cœlum abſq; dubio penetrabit. Indeq; certum efficitur, quod vacua non ſit reditura. Nemo ſuã paruipendat orationem. Ipſe.n.Deus, quem oramus, illam profectò non paruipendet. Prius nanque quàm egreſſa fuerit ab ore noſtro, ipſe ſcribi eam iubet in libro ſuo; & alterum ex duobus citra dubitationem ſperare licebit, quoniam aut elargietur quod petimus, aut quod nobis nouerit eſſe vtilius. Nos.n.quid oremus, ſicut oportet, neſcimus, ſed miſeretur ille ſuper ignorationem noſtram. Omnino tamen infructuoſa non erit, quandoquidem magna ſuper te cura eſt Deo tuo.

11 Illud tamen breuiter dicam, nonnullos, vt arbitror, experiri interdum in oratione ariditatem, & hebetudinem quandam mentis; quales ſunt, qui ſolis orantes labijs, non ſatis attendunt, neque quæ dicant, neque cui loquantur, idq; ex praua quadam conſuetudine. In cunctis igitur actibus noſtris multa opus eſt animi vigilantia, ſed præcipuè in oratione. licet.n.ſemper videamur, ſed in oratiõe etiã præſentamus, & oſtendimus nos dño maieſtatis, quaſi facie ad faciẽ cũ eo loquentes. Magnum profectò illud ſolatium eſt, quod ſermone ſeptimo ſuper Cantica Bernardus aſſerit: Credimus, inquit, Angelos ſanctos adſtare orantibus, offerre Deo preces, & vota hominum; vbi tamen ſine ira, & diſceptatione leuari puras manus perſpexerint. Vult autem à ſe requiri Deus, etiam quod pollicetur.

De circunſtantijs ad orationem ritè peragendam neceſſarijs. Conſid. ij.

1 VIVSMODI autem circunſtantias, aut conditiones oratio exaudibilis habere, & de quibus rebus eſſe debeat: nemo pulchrius, nemo breuius, nemo explanatius, nemo deniq; melius, quàm Chriſtus doctor ſummus, tàm præcepto, quàm exemplo ſuo perdocuit, vt ſubſequitur Matth.6.cap. Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculũ tuum: & clauſo oſtio, ora patrem tuum in abſcondito, & pater tuus, qui videt in abſcondito reddet tibi. Poſtquàm dehortatus eſt ab orandi modo, quo hypocritæ vſi ſunt, Dominus illico ſubijcit conditiones, quas (velit) habere noſtras ad Deum preces. Prima quidem conditio eſt, vt noſtra oratio ſit ſecreta, atq; in ſecretò fiat. Id quod per ingreſſum cubiculi, oſtiumq; clauſum intelligitur. Quo quidem modo orauit Heliſæus. 4.Reg.4. vt qui puerum à morte ſuſcitaturus, domum eſt ingreſſus: Et clauſo oſtio, orauit ad Dominum. Sic Daniel.6.cap. in cœnàculo ſuo clauſo, ter quotidie ſtatis horis genua demittens, cœli Deum

adorauit. Et Christus, Matth. 14. dimissa turba, ascendit in montem, solus orans. Et Marc. 1. egressus abijt in desertum locum, ibiq; orauit. Idemq; in Oliueto, dimissis discipulis, oraturus ad patrē, Matth. 26. paulò latius secessit. Nimirum suo ostendens exemplo, quod hic præcipit, vt oraturi petamus secretū locū, vt pote orationib. aptiorē.

2 Nolim equidē ignores, quod hic Dominus de cubiculo dicit, non tàm ad locum, quàm ad propositum orantis referri, & frequentius spiritualiter, quàm corporaliter intelligi debere. ipsamq; sinistram, & dexteram, adeoq; cubiculi secretum non in rebus, sed in affectibus esse: orareq; illum verè in cubiculo suo, & clauso eiusdem ostio, qui non aliud præter Deum, & eius gloriam orans respicit, nec aliud cogitans: verùm ea sinceritate mentis Deū alloquens, quasi nullus hominum se videret, nec aliud cupiens, quàm exaudiri. Ad quem vtiq; modum quis bonum opus, vel in conuentu, vel in Ecclesia, vel in plateis, vel alibi locorū faciens, in abscondito facere dicitur: quippe faciens, nō vt ab hominibus, sed vt solùm à Deo videri desideret. E diuerso qui in abscōdito facit, cupiens videri, & laudē ex hoc, & gloriā quærens, non in abscondito, sed in publico facere dicitur. Quoniam quod facit, non vult obsconditum esse, ac si in publico faceret. Est ergo spiritualiter hoc loco cubiculū nihil aliud, quàm cordis secretum, & mens à vanis cogitationibus aliena. Nec ostiū est aliud, quàm carnalis sensus, qui claudendus est.

3 Orantes autem, inquit, Matth. 6. Nolite multū loqui, sicut ethnici faciunt, &c. Secunda est orationis circunstantia, vel conditio, vt ipsa nō sit multiloqua, idest batologica. Est autem bathologia quædā præcipitata, & talis verborum multitudo, quæ nōn modo minus intelligibilem vocem, sed & fastidium sua verborum superfluitate generat: quotiens loquens ob præcipitationem resumit quædam, nunc quædā intercipit, inarticulatè balbutiens. Hinc errant, qui volunt hic simpliciter tolli omnes orationes prolixas. Cùm tantùm ethnicas damnet. Nostras verò orationes rectè finit esse ꝓlixas, modò nō eiusmodi sint, quæ sua multitudine, & prolixitate vel fastidiant, vel mentem distrahant, vel illius deuotionem impediant. Quales sunt eorū, qui sic plerunq; cùm multipliciter, tùm præcipitanter, & indecenter orant, & canunt, vt seipsos non intelligant.

4 Præterea est & alia tertia conditio annotanda, quòd qui ad precandum accedit infirmitatem, & indigentiam suā sentire debet, quibus promoueatur ad quærendum Deum, & potentem, & volentem infirmis mederi, & indigentibus subuenire. Non.n. opus est bene habētibus medico, sed malè habentibus. Videamus igitur nostram miseriam,

riam, imbecillitatem, infirmitatem, ac immunditiam, & rursus Dei maiestatem, bonitatemq;. Qui propter bonitatem suam cuncta creauit, à quo omnia bona procedunt, quiq; omnia sustentat, conseruat, gubernat, viuificat, & vegetat; quo dante, omnia bona accipimus; quo subtrahente manum, omnia rursus amittimus. Sed iustus, & misericors est. Eum igitur, qui petere vult aliquid, necesse est, vt ante omnia se discutiat, num egeat? Secundò, vt apud se statuat, quid petere velit, & quanam re opus habeat. Tertiò quærendus est, qui adiuuare, & velit, & possit. Iuxta.n.est Dominus his, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit. Psal. 33. Despicit autem superbos, qui infirmitatem suam, præsertim interiorem non sentiunt, qui latentem mentis impuritatē non percipiunt, qui in fortitudine sua gloriantur.

5 Hæc vt Christus animis nostris perpetuò retinenda insigeret, & inculcaret, duas insignes parabolas adhibuit; alteram de filio prodigo, Luc. 15. alteram de Pharisæo, & Publicano, Luc. 18. Filius prodigus portione paternæ substantiæ, quæ illi obuenerat, abutens, non ante venit oratum patrem, quàm in se reuersus, & suam miseriam deploraret, & diuitias bonitatis benignissimi patris agnosceret. Itidem Publicanus, proculdubio quod ad mundum attinebat, rebus affluens, sed quod ad animum pertinet, conscientia peccatorum perculsus, suáq; indigentiam agnoscens, ascendit in templum, orans non eodem, quo Pharisæus affectu. Turpitudinem.n.suam cōcupiscentiæ, & ambitionis non videbat. Ideò stans, seipsum commendans, non accusans orabat. At Publicanus in se reuersus, & miseriam animi sui contemplatus, à longe stetit animo deiecto, & humili, nolens vel oculos ad cœlum leuare, sed percutiens pectus suū, dixit; Deus propitius esto mihi peccatori. Idcircò diuersus fuit vtriusque orationis fructus.

6 Præter eas etiam, quas attulimus orationis conditiones, est alia cōsideranda; videlicet, vt nostra oratio neque frigida sit, aut tepida, sed charitate efferuescens, & ex intimis ipsis cordis affectibus prodiens. Qualis autem, quantaq; attentio in oratione requiratur; Quodq; nō omnis euagatio mētis peccatum inducat, & quæ sint causæ euagationis, quæ fit præter propositum nostrum, luculenter, abundeq; discutit Dom. Sotus lib. 10. de iustitia, & iure q.5, art.5. quem vt venerandum præceptorem meum libenti animo sequi soleo. Plures alias orationis conditiones sapienter conscripsit D.Tho.2.2. q.83. varijs articulis. Extat Hugonis de S.Victore de modo orandi libellus, totus profectò aureus, & à Religiosis sæpè versandus. tom.2. Vbi Christianum erudit, quod ex propriæ miseriæ, & diuinæ misericordiæ consideratione, ad orandum Deum sit incitandus, refertq; quàmplurima hominis mala,

mala, ærumnas, & calamitates. Item explicat tribus potissimum modis orantium affectus in Deum excitari; vel quando in laudē Dei aliquid dicimus, siue quando aliquid de nostra miseria cōmemoramus, vel etiam quando aliquid quod ad depressionem aduersariorum nostrorum spectat, in medium adducimus. Deinde gratissimū esse Deo feruentem orantis affectum. Postremò diuersos enarrat affectuū modos, & quibus Psalmis quisque adaptetur, idq; acuta suauitate.

7 Porrò sciendum vlterius orationis fructuosæ species haberi multiplices; prima est postulatio, quæ circa temporaria bona, & huius vitæ necessaria obtinenda versatur: cuiusmodi sunt tranquillitas pacis, incolumitas corporis, aeris tēperies, vitæ conseruandæ adminicula, quæ sunt cibus, & potus; his adiungitur honestus amictus; in quibus Deus postulantis approbat bonam voluntatem; facit tamen quod melius est, quoniā quid infirmo sit vtilius, rectius nouit medicus, quàm ægrotus. In his quidem postulationibus piè, ac fideliter tibi orandum est, non tamen pertinaci anxietate, quasi improperaturus, si non assequaris. Nonunquàm enim quod optat homo, Deo miserante non consequitur, quod id malè esset dispensaturus, aut fortè esset periclitaturus; equidem plurimum metuendum est, ne id quod posset Deus denegare propitius, largiatur iratus. Secunda orationis species est obsecratio, quæ est anxia in exercitijs spiritualibus ad Deum instantia, in qua nō absque humilitate, & patiētia consistendum est nobis: fit nanque plerumque, vt obsecranti cœlum fiat æneum ad tempus. Idcircò anxietas obsecrantis, negari sibi existimat quicquid differtur, quod tamen mira conditoris dispensatione agitur, ad extendenda, augendaq; desideria in maiorem vtilitatem: labor quidem protrahitur pugnæ, vt crescat corona victoriæ. Tertia dicitur salutatio, quæ est cuiusdam eximij honoris, ac etiam doni accepti à Deo commemoratio, quibus infirmitas nostra adiuuari possit. Cuius generis est angelica ad sacram Virginem salutatio, qua gratiam simul conferri nobis percupimus, per sui ventris fructum Iesum Christum, vt & ipse semper nobiscum sit, & salutem nostram in nobis operetur.

8 Quarta species est præcatio, quæ est familiaris quædam cum Deo colloquutio; vt in orationibus ab Ecclesia editis, præsertim verò in Psalmis fieri solet. Quinta est gratiarum actio. Est autem hæc collati beneficij recognitio, quam à nobis Deus ob suam immensam bonitatem exigit; quoniam aliud non habemus, quod illi reddamus, qui bonorum nostrorum non indiget. Postrema autem laus est, quæ est magnitudinis admiratio, & commendatio virtutis, primum in Deum, qui solus magnus est, & excelsus, & virtutum rex, cuius potentiæ vniuersa

subij-

ſubijciuntur; deinde in alios ſanctos,& Angelos,inter quos citra contentionem primas tenet benedicta virgo MARIA. Quæ omnia vno orationis vocabulo,actuq́; cenſentur,ac vnum orationis corpus conficiunt. Ab hac quidem orationis varietate Paulus non abhorrebat, cùm ad Coloſ.3.dicebat; Docentes, & commonentes voſmetipſos in pſalmis,hymnis,& canticis ſpiritualibus. Et 1.ad Timot.2. Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes,orationes,poſtulationes: gratiarum actiones,pro omnibus hominibus,&c.

9 Enarrat quoque Teophylactus Chriſtianorum orationem qualem oporteat eſſe in ea verba Pauli ad Epheſ.6. per omnem orationem, & precationem orantes omni tempore in ſpiritu. Poſtquam.n. Paulus armis Epheſios militaribus induit,ad Imperatorem eos deinceps ducit, vt precentur eum,quo manum porrigat. Opus nanque eſt nobis Dei auxilio.Orantes porrò nō ſimpliciter,ſed cum omni precatione, & rogatione,cum fletu, & pectoris cōpunctu,& complauſu,cum inflectione genuum,idq́; genus ſimilibus,nec ſtatis tantūmodo horis, verùm, & omni tempore,idq́; in ſpiritu,hoc eſt ſpiritualia petētes,& nihil mundani.Dicens porrò orantes cum omni oratione,indicauit poſſe quempiam orationem facere,nec tamen orare, vt ſi bathologus fuerit,hoc eſt ſi multa citra attentionem deblacteret; fieri autem debet oratio in omni perſeuerantia, & precatione; quemadmodū Chananæa muliercula,& vidua, & Anna,Matth.15.& Luc.18.Ea enim verè eſt precatio,quæ fit cum perſeuerantia.

10 Maxima quidem eſt orationum pro nobis inuicem vtilitas, ac neceſsitas.Loco.n.citato Paulus addidit pro omnibus ſanctis,& pro me. Non.n. pro nobis ipſis tantùm nobis eſt orandum. Obſerua hic moderatam Pauli mentem. Etenim & ſe vltimo loco ponit, & diſcipulorum oratione ſe opus habere teſtatur,idq́; quum catena vinctus pro Chriſto teneretur, quin etiam Act.12. & Petrus catena vinctus erat, verùm pro ipſo vehemens,& intenta oratio ab Eccleſia fiebat.Modeſtiam quoque,& inſignem animi moderationem ad Philip.1.expende in D. Paulo. Cùm.n.ex innumeris eius operibus,atque virtutibus debeatur ei ſalus,adijcit tamen ſi veſtris orationibus adiutus, ac donatus fuero, ſubminiſtratusq́; fuerit mihi per eas amplior ſpiritus hinc mihi ſalus erit. Adde etiam,quod pro omnibus etiam ijs,quæ contraria nobis videbantur,ſunt agendæ in oratione gratiæ. Nam pro bonis in nos collatis nos gratos eſſe,rerum natura poſtulat, illud autem eſt animæ piæ,& verè gratæ.

11 Duo autem bona oriuntur ex eo, quod pro cunctis proximis noſtris oramus.Inimicitia diſſoluitur, quæ nobis cū quibuſdam eſt. Nemo

mo.n. potest hostili animo esse aduersus eum, pro quo preces ad Deũ fundit. Ad hæc meliores ipsi redduntur, dum à vitijs precum nostrarum auxilio transferuntur, vtq; non adeò porrò erga nos efferantur, venenatorumq; belluarum instar se gerant. Quàm.n. arduum est, eos qui persequerentur, atque cæderent, & interficerent, audire pro se interpellari apud Deum, orariq; ab ijs, quos ipsi cum cæderent, tum opprimerent.

De abstinentia, & ieiunio. Cap. vij.

¶ Carnem vestrã domate ieiunijs, & abstinentia escæ, & potus, quantum valetudo permittit. Quando autem aliquis ieiunare nõ potest, extra horam prandij aliquid alimentorum non sumat, nisi cum ægrotat.

ENARRATIO.

1 Oratio carnis maceratione plurimum iuuatur. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, ad Galat. 5. cap. Ne igitur caro spiritum euincat, sub spiritus imperio reprimenda, continendaq; est. Si.n. caro dometur, spiritus roboratur. Quid est autem, quòd cum discipulis orandi rationem tradidisset Christus, continuò ieiunandi documenta ingessit, Matth. 6. cap. Nisi quia illa demum fortis, & efficax est deprecatio, quàm cibi comitatur abstinẽtia? Hoc.n. duplici telo validiora inimici machinamenta depelli, ac dirui posse monstrauit, cùm de nequissimo spiritu effugando diceret, hoc genus non eijcitur, nisi per orationẽ, & ieiunium, Matth. 17. Duo itaq; præcepta de domãda carne tradit. Primũ est, carnẽ ieiunijs, & abstinẽtijs escæ, & potus esse castigandã: adhibita tñ prudentia, ne vltra vires, corporisq; valetudinẽ id fiat; Si quidẽ reprimenda, non autẽ extinguenda est caro. Hoc quidem præceptum maximè Religiosum decet, qui dum sua professione prædicat Iesum Christum, & hunc crucifixum, ad crucifixionem carnis alios est inducturus. Paulum itaq; imitari nos condecet dicẽtem; castigo corpus meum, & in seruitutẽ redigo: ne fortè cũ alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Et ad Galat. 5. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs. Danieli quidem vescenti leguminibus, & aqua, data est intelligentia visionum, Dan. cap. 1. Mediocritas ea hic tenẽda est; Qui enim

enim carnem suam supra modum affligit, ciuem occidit. Si verò vltra modum alimentis reficit, hostem nutrit. Sic ergo nutrienda est, vt seruiat; sic domanda, vt non superbiat; in omni abstinentia illud accuratè considerandum, vt vitia extinguantur, caroq; conseruetur. Nemo.n. vnquam carnem suam odio habuit, ad Ephes. 5. cap. Quare verè inquit D. Tho. 2.2.q. 146. art. 1. abstinentia ex suo nomine ciborum subtractionem designat; Ideoq; virtutis ratione condecoratur, si ratione reguletur. Quod quidem 2. Petri 1. significatur, cùm in scientia abstinentia esse ministranda dicitur, vt scilicet homo à cibis abstineat, prout oportet pro congruentia hominum, cum quibus viuit, & personæ suæ, & pro valetudinis suæ necessitate. Ea. n. secundũ qualitatem, & quantitatem ciborum regulata abstinentia admirabilem animi facilitatem, & serenitatem, & hilaritatẽ suis cultoribus subministrat. Nam, vt Caietanus illic habet, abstinentiæ munus est duo secundùm rectam rationem in subtractione alimenti obseruare, videlicet conseruationem naturæ, & potentiam ad opera debita exequenda: ex quibus duobus facilè iudicatur, quando abstinentia virtutis rationem aut exuat, aut induat. Præterea abstinentia habet, & aliam nõ contemptibilem vtilitatem, quod non solùm carnem castigat aduersus luxuriæ illecebras, sed etiam gulæ impetum, & rabiem compescit. Dũ enim homo abstinentia exercetur, fortior, valentiorq; redditur ad imaginationes gulæ vincendas: quæ tantò sunt vehementiores, quantò eis crebrius homo victus cesserit.

2 Ex superioribus planè infertur, quod si quispiam abstineat ea intentione, vt vita minuatur quo ad tempus, siue hoc fiat vnico actu, vtputa inedia multorum dierum, siue frequentibus fiat excessibus, vt crebris inedijs supra vires perpessis, siue id etiam quispiam faciat ex intentione, vt infirmetur, aut impotens fiat ad debita officia peragenda, huiusmodi abstinentia ex diametro contrariatur temperantiæ, nempè ex parte Regulæ, & finis eius. Eritq; peccatum mortale. Si quis verò abstineat, vt carnem spiritui subijciat, aut ad pœnitentiam pro peccatis suis agendam, & in hoc excedat, cancellosq; rationis trãsgrediatur. Tunc sistendus est gradus: aut.n. aduertit ille se excedere, putatq; se bene facere; & tunc citra vllam dubitationem peccat, sed ferè semper veniale erit ille excessus, propter rectam intentionem, & nocumenti ignorantiam, quo ad notabilitatem: apprehendit.n. ille nocumenta corporis, vt dolorem stomachi, & similia, quasi nihil. Tantoq; plus excusatur, quantò sanitas corporis ab eo consideratur non simpliciter, sed in ordine ad seruitium spiritus. Si autem non aduertit se excedere, neq; hanc indiscretionẽ considerat, nullum peccatum cõmittit.

Sententia verò Hieronymi dicentis non differt, vtrum paruo, vel magno tempore te interimas, intelligenda est de interimentibus, vel impedientibus se ex intentione, vel aduertendo notabilem excessum nocumenti. Ex Caietano. 2.2.q.147.art.1.

3 Pro coronide huius capitis memorię mandāda est lex Benedicti.12. in Constit. Canonic. Regul. tit. de abstinentia carnium. Sic enim ait. Vt salutis auctori purius seruiatur, statuimus, quòd vniuersi Canonici Religionis præfatæ ab esu carnium diebus Sabbathi, & per totum Aduentum domini studeant abstinere: Non obstantibus statutis, vel contrarijs quibuscunque. Super abstinentia verò ab esu huiusmodi carnium in quarta feria, & Septuagesima, Prælati, seu alij, ad quos spectauerit consuetudines, & statuta antiqua, & noua, honesta, & rationabilia suorum locorum seruent, & faciant obseruari. Illis tamen qui ad maiorem abstinentiam sunt astricti, per hoc esum carniū non intendimus indulgere. Maiorem autem, rigidioremq; abstinentiam fuisse olim vsitatam hic subindicat summus Pontifex, quam expresit monachis nigris S. Benedicti in Constit. illorum cap. 26. citato prius Innocētio Papa.3. Statuimus, inquit, & ordinamus, quòd per totū annū feria quarta, & die Sabbathi, & à prima Dominica de Aduentu vsque ad diem Natalis Domini, & à Dominica Septuagesimæ vsq; ad diem Paschæ omnes Regulares eiusdem Ordinis, seu Religionis ab esu carnium vbique abstineant, nisi necessitas infirmitatis non fictæ per Abbatem, vel alium Prælatum proprium fortè suadeat cum aliquo dispensandum.

4 Sed iam quispiam Canonicus addubitabit, vtrum omnes professores Regulæ Augustinianæ teneantur propriam carnem domare, quantùm valetudo permiserit? Breui tamen sic respondendum censeo ex Humberti sententia, atque iudicio. Nonnulla videlicet in Regula ab Augustino fuisse apposita, quæ potius ducenda sunt incitamenta esse ad bonum promouendum, quàm obligatoria præcepta, in quorum numero hoc præceptum de compescenda carne traditum, collocandum est, id quod superius in præludijs ad Regulam ampliori sermone discussimus. Eandem nostram sententiam explicat, atq; complectitur Choriolanus com. 21. propè finem, dicens: Nouit immoderata inedia non solùm mentis labefactare constantiam, sed etiam orationū efficaciam reddere lassitudine corporis eneruatam. Ob eam causam Augustinus, summa discretione pollens, in Regula non determinata præcepit ieiunia: sed ea nostro fieri arbitrio iuxta nostram valetudinem dereliquit. Vnde in sermone de institutione ieiunij nos ad interrogandum inuitat. Sed dicetis, inquit: nunquid in vita nostra semper

ieiunare debemus? & respondens, ait: Legem meam recepistis; & audistis frequenter inter cetera, quòd carnem vestram dometis abstinentia escæ, & potus, quantū valetudo permittit. Nolo.n. meipsum ligare; Nolui onera vestra portare, sed hoc solùm super vos ponere volui, ieiunantes, & abstinentes quantùm facere, Deo fauente, potestis. Nolo tamen, quòd diebus dominicis ieiunetis. Hoc enim hæretici, & infideles faciunt.

5 Subiungit vlterius D. Augus. secundum præceptum in hoc eodem capite. Non valentes ieiunare, extra horam prandij, alimentum non sumant, nisi etiam ægritudine teneantur. Sensus est, cùm aliquis non potest ieiunare, non tenetur, non tamen solutio ieiunij cadat in dissolutionem, non comedat extra horam prandij, nisi fortè non solùm impotens, sed etiam infirmus extiterit; Cùm infirmis lex non sit posita, vt non comedant, quandocunq; necessitas requisierit. Rectè igitur com. 22. Choriolanus ait, contingit nonnunquàm vel propter immoderatū exercitium, vel ex naturali corporeæ compositionis dispositione, vel quacunq; alia ex causa, quempiam ieiunare non posse: is igitur extra horam prandij alimentorum sumat nihil, nisi ægrotus extiterit. Infirmis.n vel propter stomachi debilitatem, vel propter medicamenta sumenda, vel vt citius recreētur, neq; hora, neque lex imposita est. oportet nanque eos medicorum obedire præceptis: qui iuxta ægritudinis qualitatem, nunc tempestiua, nunc sera hora iubent eis alimenta ministrari: ceteris autem sanis legitima comedendi hora est instituta. Nec immeritò huiusmodi obseruandarum horarum facta est constitutio, cùm Apostolus Paulus honestè, & secundum ordinem fieri iubeat. Nec enim satis est, si cibo, potuq; temperate vtamur, nisi & constitutas horas obseruemus.

6 Illud præterea notato, præceptum hoc ad refrenandum, compescēdumq; gulæ vitium fuisse appositum, cuius, & si multa sint genera, illud quidem detestabile est, ante congruam prandij horam alimenta suscipere. Etenim siue prandij, siue cœnæ præuentio, nisi infirmitatis tempore fiat, gulæ vitium est, quod Cassianus, Hieronymusq; suis scriptis detestantur. Quam rem etiā nos edocuit S. Th. 2.2.q.148.art.4. Dum.n. recenset varias species gulæ, quæ inordinatus est edendi, & bibendi appetitus; Eam quoq; alijs adiungit, si comedendi tempus præueniatur. Quam sententiam nec Caietanus in verbo gula diffitetur. Si ceteras verò gulæ species nosse desideras, hæ sunt. Prima est, cum lautiora exquiruntur cibaria. Nam quidam superstitiosum in præparandis cibis studium adhibent, innumera penè decoctionum, frixurarum, & condimentorum genera excogitantes, prægnantium mulie-

rum

rum morem imitati. Secunda species est, si non quantùm natura exigit, sed quantùm venter capit, ipsi exhibeatur, & ingurgitetur. Illi quidem bestiarum naturam sequuntur, quarum studium est ventrem replere, sensualitatiq; inseruire. Vnde, & Seneca inquit, ventri obedientes, animalium brutorum esse numero computandos. Tertia species est, si ardentiori, quàm deceat voluptate alimenta sumamus. Strenuè nanq; voracitas fugienda est. Consule sanctum Thom. loco citato.

7 Hinc facilè intelliges, ingluuiei cōiunctam esse ebrietatem, gula.n. in comessationem, & ebrietatem diuiditur: est autem ebrietas in vsu vini inordinata concupiscentia ex Tho. 2. 2. q. 150. art. 1. Eius autem obscœnitates conscribere, quis non abhorreat? Si quidem quattuor illæ ingluuiei species, eadem in potu sunt detestabiliores: deterioresq;, ac deformiores effectus ex eis oriri consueuerunt, ebrietas nanque innumeras gignit ægritudines, innumerosq; actus obscœnos, ac nefandissimos inducit effectus. Sic.n. beluinos mores, vanasq; imagines, incertum visum, tortuosum gressum, horribiles sonitus immittit, vt ea capti, vmbras tanquàm foueas sæpè transiliant, manibus apprehendunt, aut concurrentibus montibus sibi videntur includi. Canes si viderint, leones arbitrantur, & fugiunt, alij risu imposito soluuntur, alij immedicabili mœrore deplorant, alij euomunt, alij cantant, alij tripudiant, inhonestosq;, ac ferinos mores præ se ferunt. Ebrietas lethali morbo afficit corpora, perpetuumq; parit tremorem, accendit insaniem, ad armaq; concitat. Ebrietas est, quæ potentibus sapientiam, & potentiam arripit. Vt Holoferni principi militię regis Assyriorum, cùm esset vino sepultus, sanctæ Iudith continentia non modo sapientiam, sed caput abstulit, admirandoq; exercitui conflictum intulit, Iudith. 13. Loth etiam alioqui sanctus ab incendio Sodomæ, & Gomorrę ereptus, in monte vino inebriatus, concubitu exarsit filiarū. Gen. 19. vt interim miserum diuitem epulonem subticeamus. Luc. 16.

8 Hoc in loco primùm considerandum, tentationem huius vitij multipliciter contingere. Aliquando in paruis rebus, & vilibus. Nā primus homo de pomo, non de porco, vt dicitur, tentatus est. Esau etiam non de gallina, sed de lenticula. Saluatoremq; nostrum non de carne, sed de pane dæmon tentabat. Sunt autem huius vitij tria genera. Primum genus est, quando cibo, vel potu quispiam immodicè vtitur. Alterum est, quando nimis delicatum cibū, vel potum quis desiderat. Tertinm est, quando extra horam cibum, vel potum aliquis sumit. Igitur non tantùm cibo, & potu temperatè nos vti oportet, sed etiam horas constitutas obseruare decet, ne cui nostra vita indecenter acta offendiculum præbeamus. Secundo considerandum, tria ex hoc præ-

cepto inferri. Primum, quod mitius agendum est in ieiunijs cum debilibus, quàm cum fortibus. Secundum, cauenda est extraordinaria comestio iu claustro à Religiosis, cùm eam etiam debilibus inhibeat Augustinus. Tertium, opera pietatis circa infirmos præferenda sunt rigori Religionis, cùm eorum comestio sub certa lege non claudatur. Tertio sciendum, nouitios, & alios debiles comedentes ante horã prãdij, hoc præceptum non transgredi, vt ait Humbertus, Dummodo comedant in hora, & loco statutis à maioribus. Hoc.n.quod iuxta statutum fit, hora debita reputatur. Simili quoq; iudicio, qui rebus medicinalibus vtitur, vel extra horam prandij bibit, hoc præceptum nõ violat, quod manifestatur ex eo, quod Augustinus dixit, alimentorũ; medicinalia.n.& potus, licet interdum nutriant, simpliciter tamen nõ vocantur alimenta. Quarto discendum, varias assignari prandendi horas. Sanis. n. & valentibus post tertiam horam vsque ad sextam, idest meridiem; infirmis nulla præscribitur. De ieiunantium verò hora prudenter differit Caietanus. 2. 2.q.47.art. 7.dicens: Materia hæc est iuris positiui, quod sicut consensu vtentium firmatur, ita contraria consuetudine infirmatur, & tollitur. Vnde accidit, vt quod prius erat ius, non sit amplius de iuris necessitate: & quod prius nefas erat, postmodum sit licitum. Tempore igitur D. Thomæ communiter homines comedebant hora sexta, hoc est in meridie. Tunc. n. est summus Solis ascensus; & ieiunantes comedebant hora nona: quæ consequenter est tertia hora post meridiem, in qua constat Christum expirasse. Ex eo autem, quod hodie homines communiter comedunt hora tertia, & ieiunantes hora sexta, currit ratio authoris de dilatione prandij ieiunantium proportionabiliter. Quia sicut se habet hodie prandium horæ sextæ, ad prandium horæ tertiæ, sic se habebat prandium horæ nonæ ad prandium horæ sextæ. Itaque Ecclesiæ consuetudo traxit horam prandij in ieiunio, à nona in sextam. Hic quoq; adijciendum ex D. Thoma loco eodem ad secundum; quod ad ieiunium requiritur hora determinata, non secundum subtilem examinationem, sed secundum crassam æstimationem. Sat enim est, si prandium fiat circa horam determinatam, quod vnusquisque facilè cognoscere potest. Hinc iam multi Religiosi comedere consueuerunt per multum spacium ante meridiem, quod quidam recentiores authores licere arbitrantur.

Abstinen-

Abstinentia sit ne viro Religioso necessaria. *Consid. j.*

1 ANC quęstiunculam,& eleganter,& vtiliter discutit pręstans ille,ac magnus Basilius in regulis fusius disputatis, interrog. 16. cuius interpres abstinentiam, continentiā vocat; continentiam autem,inquit Basilius,appellamus, non si quis se à cibo penitus abstineat,sed eam voluptatum abstinentiam,quam tollendæ contumaciæ corporis causa,pietatis industria sequimur. At verò quod viro Religioso abstinentia sit necessaria, perspicuum est. Primum quidem, quòd ab Apostolo ea inter fructus spiritus connumerata est; Tum quòd ex hac etiam illud assequi nos affirmat, vt ministerium nostrum reprehensione careat, cùm dicit; In laboribus, & vigilijs, in ieiunijs, in castitate. 2. ad Cor. 6. Et iterum; In labore, & ærumna, in vigilijs multis, in fame, & siti, in ieiunijs. 2. ad Cor. 11. & alio in loco; Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. 1. ad Cor. 9. Castigatio præterea corporis, & in seruitutem illa redactio, ibidem tradita nulla re tantopere efficitur, quàm continentia, siue abstinentia; si quidem feruor ille, qui vigere in iuuenibus solet, itemq; difficilis ille, qui coerceatur, ad libidines impetus, abstinentia veluti quodam freno cohibetur: Quid autē carne, quæ molliter accuretur, & iuuentutis æstu temerè huc, illucq; agitetur, fingi stultius potest? Idcircò Apost. ait, & carnis curam ne feceritis, ad Rom. 13. Et quæ in delitijs est, viuens mortua est. 1. ad Timoth. 5. Esau hoc etiam vitio, quod maximum sit malorum omniū, data incontinentia, est, qui vno ferculo primogenita sua vendidit. Genes. 25. incontinentia quoque illa fuit, propter quam à Dei præceptis homo primus discessit.

2 Contra verò sancti viri omnes, quotquot vnquàm fuere, abstinentiæ laude sunt commendati. Ad hæc omnis sanctorum, ac beatorū vita, ipsiusq; adeò domini nostri IESV CHRISTI exemplū, ad hāc vtiliter nos adhortatur, ac Moyses quidem per longinquam illam ieiunio, ac precatione assiduitatem, legem accepit, & verba Dei audiuit, tanquàm si quis loqueretur, inquit, amico suo, Genes. 34. Helias verò tum demum dignus habitus est visione Dei, cùm ipse quoque ad parem continentiæ magnitudinem peruenisset. Quid autem Daniel? Quomodo res admirabiles illas vidit? an non post vicesimum ieiunij diem? Quid tres adolescentuli illi, qua ratione alia ignis impetū extinxere, nisi continentia? Ioannis præterea totum vitæ institutū, hinc sumpsit exordium. Hæc illa etiam fuit, à qua seipsum ostendere dominus cœpit. Ergo, vt semel finiam, ab his rerum voluptatibus, quæ à

libidinosis hominibus appeti solent, nobis qui ad veram pietatis culturam contendimus, est temperandum.

3 Idem Basilius lib. de vera virginitate modum abstinętiæ præscripsit, & clausit, dicens; Quo circa necessario his, qui adipiscendi veri boni studio corpus macerare pergunt, iterato dictabimus, ne declines ad dexteram, siue ad sinistram. Sicut.n.in gulæ intemperantiam declinare graue, ac periculosum est, ita per nimiam abstinentiam corpus atterrere, ac per infirmitatem inutile reddere, omni profectò ratione caret. Nam fracto, contritoq; instrumento, neque Deo inhærere per lectionis, & orationis studium possumus, neque ad fratrum beneficentiam humanitatis officium obire. Igitur, & corporis cura necessariò habenda est, non ipsius gratia, sed vt seruitio illius ad Philosophiæ studia vti possimus. Fieri.n.non potest, nisi famulatum corporis ad Philosophiam obtemperantem habeamus, vel diuinis lectionibus operā dare, vel mente in corpore ægro languente, orationi cōuenienter insistere, vel omnino quicquam eorum, quæ ad Philosophiā conferunt, in nostram sociorumq; vtilitatem operari. Idcircò castigo, inquit Apost. 1. ad Cor. 9. corpus meū, & in seruitutem redigo, idest non ita ferio, vt immoderatis illud vulneribus conteram, & inutile faciam. Sed ea tantūmodo ratio castigandi corpus est, vt seruituti subijciam, & domino obsequi ritè compellam. Qui.n.seruum per inediam inutilem reddit, quid aliud, quàm serui sui se famulum facit? Sic etiam corpori iam inualido seruire dominum est necesse, dum semper circa infirmitatis eius curam versatur attonitus, iam exercitatione antiqua reiecta, in serui sui, idest corporis obsequio vitæ tempus omne consumit. His adde ex Chrysostomo, quòd abstinētia ad vincenda carnis vitia clypeus est necessarius; ad tuendam etiam corpoream salutem, sanitatis mater esse celebratur.

4 Ambrosius lib. 10. Epistolarum Epist. 82. Abstinentiæ encomium percelebrat, dicens: Quid autem pulchrius abstinentia, quæ facit et iuuentutis annos senescere, vt fiat morum senectus? Nanq; vt redundantia ciborum, ac tumulentia, etiam maturior ætas calescit, ita mitigatur iuuentutis ferocitas epularum parsimonia; irriguaq; fontis, & exterior ignis aquæ infusione extinguitur: non mirum si etiam interiora æstus corporis fluuiali potu refrigerentur. Cibo.n.flamma alitur, ac deficit. Siquidem fœnum, stipulam, lignum, oleum, aliaq; huiusmodi alimenta ignis sunt, quibus pascitur: ea si detrahas, vel non suggeras, etiam ignis sopitur. Similiter ergo vapor corporis cibo alitur, aut minuitur; cibo excitatur, cibo soluitur. Quid quod naturæ conueniens temperantia est, atque illi diuinæ legi, quæ in ipso rerum

ortu omnes fontes potui, fructus arbornm eſui dedit? pro remedio igitur parcius, pro delitijs redundantius; Denique Helias ad caput ſuum collyridam, & vas aquæ reperit, & ideò in virtute eſcæ illius quadraginta diebus ieiunauit. Daniel, & Hæbrei pueri patrio cibo, & aquæ potu, ille furorem leonum repreſsit, iſti ardentem ignem innoxio videre tactu circa membra ſua paſci. Et quid de viris loquar? Iudith, luxurioſo Holoferni ſolo titulo ſobrietatis deſperatum lacertis virilibus reportauit triumphum, patriam obſidione exuit, ducem militiæ ſuis manibus occidit. Anna octogintaquattuor annos in viduitate ſua ieiunijs, & obſecrationibns in templo die, ac nocte ſeruiens Chriſtum agnouit, Luc. 2. Quem Ioannes abſtinentiæ magiſter, quidam nouus terrarum angelus, annunciauit.

5 Iuonem presbyterum, & ipſum ſollicitum in primis abſtinentię cultorem omnia ab Eccleſia indicta ieiunia ſola panis, & aquæ refectione obſeruare ſolitū legimus, vt plus aliquid faceret, quàm quod præceptum fuerat, & alimenti tenuitas obedientiæ cumulus eſſet, aliàs etiam abſtemiū fuiſſe, & nunquàm, vel modico vino vſum. De ſe quoque ipſe Hieronymus ad Euſtochium virginem, dicit; Repugnantem ſpiritui carnem hebdomadarum inedia ſubiugabā. Non tacuit, quod olim in eremo ſecretius egerat, vt illam, quam docebat, ſuaptè exēplo magis moueret, & tamen confitetur, cogitationum in corde laſciuientium illecebris, vix interdum ſe reſiſtere potuiſſe. Pallebant, inquit, ora ieiunijs, & mēs deſiderijs æſtuabat in frigido corpore, & ante hominem ſuum iam carne præmortua, ſola libidinum incendia bulliebant. Et ipſi nos tutos putabimus, ſi diem vnum, aut alterū in hebdomada ieiunauerimus? Neſcio, an etiam ieiunium dici debeat, quod conſequentis diei obruit repletio, cuius famem ſuccedens exuperat ſaturitas. Sara Thobiæ, Raguelis filia, ſeptem iam maritis antequàm

6 ab eis tangeretur, viduata, octauum Thobiam triduano ieiunio ſeruauit incolumem. Cunq; coniugum ſuorum interfectrix diceretur, omni penitus probro dum ieiunaſſet, & oraſſet, meruit liberari. Ipſe denique Aſmodæus dæmon, qui ipſos ſeptem viros interemerat, vnius mulieris victus ieiunio religatur in deſerto, amittitq; nocendi facultatem, qui habuerat occidendi. Sint tamen examinata, ſobria, pura, ſimplicia, humilia ieiunia. Non immoderata, non lauta, non animi vitio polluta, non ficta, non ſuæ laudis cupida, alienæ inuida, & liuoris magis, quàm abſtinentiæ pallore infecta.

tur, refocilleturq́; hac.n. ratione vtriusque fami, & inediæ simul satisfactum erit. Illi autem Dei verbum esuriunt, qui audire ipsum desiderant. Nonnulli sanè sacram lectionem audiunt, qui tamen, dũ nullum affectum habent, nullum saporem degustant, & vacui recedunt. Contra vero Christus ait; Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur, Matth. 5. Ideò autem saturabuntur, quia prius esurierunt. Esuriendo.n. idoneus efficitur homo, vt postmodum satietur. Primum ergo præparare conuenit cor nostrum ad esuriendum, & desiderandum verbum Dei. Tunc.n. aderit diuina gratia, quæ nos interius perfundat, & dulcedine, atque sapore spirituali reficiat, vereq́; cum Dauide occinamus; Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua dñe super mel ori meo. psal. 118. Nec velimus esse tãtùm participes mẽsæ corporalis, sed spiritualis: nec tãtùm sumere cibum corporis, sed animæ. Nam quanto melior est anima, quàm corpus, tantò amplius nos delectare debent alimenta animæ, quàm corporis. Diuinæ autem scripturæ lectio nihil est aliud, quàm spiritualis esca à Deo nobis subministrata ad reficiẽda corda nostra, ne in via deficiamus, & ad corroborandos animos contra tẽtationes diaboli; & pericula huius seculi. Retinentes.n. cibum cœlestem dicemus. In corde meo abscondi eloquia tua, vt non pacem tibi. Quidam Prælati lectionem quidem prandentes habent, sed tantùm in conuiuij parte, idq́; tanto tumultu, vt vix lectio audiri valeat: apud Religiosos verò, & silentium omnino seruandum est, & sacra lectio vsque ad prandij cenæuè finem; Imò etiam vsque ad discessum continuanda est. Quod si Religioso contigerit illic conuiuio excipi, vbi sacra lectio non habetur, eum maximè decet, ante conuiuij finem sancta, ædificatoriaq́; pauca verba cõsedentibus administrare, ne vnquàm cibus carneus à spirituali secernatur. Hunc.n. morem à Christo redemptore nostro fuisse obseruatum euangelica lectio non vno, sed pluribus locis nos docuit: vt cum Simone, Luc. 7. & apud Leui, Matth. 9. & Act. 1. in die Ascẽsionis. Ex illis quidẽ verbis, cùm acceditis ad mensam, planè Choriolanus com. 23. inducit, vt edendi, bibendiq́; seruetur communitas. Seruari autẽ non potest, si plures diuersis in locis, diuersisq́; temporibus mensæ sternantur, nisi simul, eodemq́; loco omnes Religiosi reficiantur. Magna igitur est in illo monasterio abusio, & grauis Religionis trãsgresio, in quo partiales parantur mensæ. Innumera.n. incommoda consequuntur. Nã Religionis fundamentum destruitur, aut certè debilitatur. Fundamẽtum.n. veræ, approbatæq́; Religionis est ipsa cõmunitas, dicente Augustino, sint vobis omnia communia; Communia autem esse nõ possunt, quæ diuisa, & propria facta sunt. Imminuitur charitas, quæ omnia

nia communicari depoſcit. Naſcitur murmur, dum alij abundant,alij verò eſuriunt. Detractiones, coniurationes, clamores,conuitia,maledicta,plurimæq; oriuntur inſolentiæ.Quod ſi aliqua vrgente neceſſitate,plures in monaſterio ſternendæ ſint menſæ, in ſingulis illud cuſtodiendum eſt,vt ſine tumultu,& contentione,lectionem vniuerſi audiant. Donec inde ſurgant, ideſt per totam menſam continuitatem lectionis obſeruent.

2 Ex eodem Coriolano ſciendum, illis verbis,quod vobis ſecundum conſuetudinem legitur,indicaſſe Auguſtinum nō vniuſcuiuſque arbitrio,ſed ſecundum Superiorum patrum conſueta,& laudabilia inſtituta eligenda eſſe, quæ legantur. Vetuſtiſsimus autem in menſa legēdi ritus,vt in ſanctorum patrum legitur inſtitutis, non de Aegyptiorum ſolùm,ſed de Cappadocum more profectus eſt;à quibus tùm ad reprimendam ocioſam confabulationem, tùm ad contentiones vitandas, tùm ad refectionem mentis habendam,tùm denique ad capeſſendam ſpiritualem exercitationem, religioſè,ſanctęq; fuit inſtitutus. Quod quidem apertius in ſecunda Regula Auguſtinus expreſsit dicens.Omnes ad menſam ſedentes taceant,audientes lectionem. Hanc taciturnitatem tanto ſtudio ſeniores patres ſeruabant, vt ſibi perſuaderent, hoc Religionis mandatum inter cetera tenere primatum.

3 Tumultum,& contentionem relegat, à menſaq; explodit Auguſt. Quoniam grauis,ingentiq; periculo plena eſt in omni genere hominū contentio,quę apud Ambroſium nihil eſt aliud, quàm impugnatio veritatis, & confidentia clamoris.Ex contentione quidem neque vtilitatis,neque honoris quidpiam poſſumus adipiſci. Nam contra parem contendere anceps eſt, cum ſuperiore furioſum, cum inferiore ſordidum: præſertim verò ſi cum fatuo, & ebrio contentionem inieris. Sit ergo ſermo noſter ad omnes grauis,ſit modeſtus,ſit verax,ſit denique in numero,pondere,& menſura conſtitutus. Igitur iure optimo ſolertiſsimus noſter inſtitutor pro contentionibus tollendis, ac pro detractionibus, quæ frequenter in abſentes naſcuntur in menſa, cauendis, præcepit, vt tàmdiu fratres tacentes lectionem audirent, quàmdiu eorum duraret refectio: quin etiam in Refectorio hos verſus ad conuiuas erudiendos deſcripſerat. Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam.Hanc menſam indignam nouerit eſſe ſibi. Qua in re Coepiſcopos etiam increpabat, dicens; Aut hos delete verſus,aut veſtra compeſcite labia,aut hinc abite. Statuerat inſuper,vt Poſsidonius teſtatur, vt conuiuæ poculorum præfixum haberent numerū. Eorumq; tot priuabantur,quot leuia etiam verba proferrent.

4 Secundum præceptum circa victum ſeruandum eſt: valentioribus

nec

nec moleſtum,nec iniuſtum eſſe videatur, ſi valetudinarij alia ratione tractentur. Ideſt fortiores contriſtari non debent, ſi infirmos miſericordius tractari perſpexerint. Quin potius abſtinentiæ rigorem in ſe diligentius obſeruent, aliorum autẽ imbecillitatẽ,vt compatientes, æquo animo ferant. Nec enim ſolùm hilari animo aliorũ imbecillitatem ſufferre,verũ etiã eis cõpati, misereriq́; tenentur, miſericordia nauq; charitati cognata eſt. Nam quid eſt aliud miſericordia, quàm quædã in noſtro corde alienæ miſeriæ cõpaſsio? Quid demũ compaſſio eſt, niſi pia triſtitia, ac ſi dici poteſt, beata miſeria: dolet quippe compatiens ob proximi malum, doletq́; illud, ſi poteſt, eius neceſſitati libenti animo ſubueniens. Ferreum ſanè illi pectus eſt, corq́; lapideum, qui vel non gemit, vel lachrymas non effundit, cùm proximi, vel amici morbum, vel interitum intuetur; neque tamen compatiatur, neque condoleat. IESVS redemptor noſter MARIAM, Iudæosq́; lachrymari conſpiciens, Ioan. 11. ſpiritu infremuit, ſe ipſum turbauit, ac tandem lachrymatus eſt, eius igitur nos læto animo veſtigia ſequamur. Non tempus, non locus, non conditio, non profeſſio, non quæcunque res alia poteſtatem nobis adimit, vt erga nos inuicem miſericordiam exercere nequeamus. Moueri ergo, turbariq́; animo nos minimè decet, ſi delicatiora alijs ſubminiſtrentur. Vel ſi aliquid pretioſioris veſtitus, pulchrioris, commodiorisq́; manſionis tribuatur. Scitè autem verbum, fœliciores, bis adiunxit, quoniã quo ad humanas fœlicitates robur, & ſanitas corporis optabilior, ac ſuauior eſſe videtur. Quid.n.opes? Quid diuitiæ? Quid ſtatus? Quid honores? Quidq́; alia in quibus mundus fœlicitatem collocauit,oblectamenti poſſunt afferre, ſi fortitudo deſit, ſi continui adſint languores. Poſſunt quoque fortiores dici fœliciores, ſi fortitudine illa in vigilijs, ieiunijs, alijsq́; pœnitentiæ operibus factitandis, quibus vera fœlicitas comparatur, ſedulò vtantur.

5 Nec valetudinarios ipſos fœliciores exiſtiment, ſi delicatiori quadam ratione recreentur. Contra verò ſibi gratulentur,quod languidis ſint robuſtiores,& potentiores,ne delicatulis illorum cibis indigeant. Ex quo annotandum, quod quidam moleſtè ferunt,quo ad voluntatẽ, & iniuſtum reputant quo ad rationem, cum quibuſdam ægrotantibus lautiores cibi porriguntur,eos miſeros hac de cauſa fœliciores eſſe iudicantes.Horum prauam affectionem ſacer Auguſtinus accuſat,& dãnat. Item infirmi ex priſtina conſuetudine dicuntur illi, qui frequenter ægrotare ſolent. Quibus ſiue nunc ægrotent, ſiue aliquo ſanitatis interuallo gaudeant, ſaniores, delicatioreſq́; epulæ ſunt elargiendæ, nunc in infirmatorio, nunc in hoſpitio, interdum etiam in conuentu,

dummo-

tes magnæ necessitatis, in alimentis videlicet, & operimentis.

7 Postremò noster author acrius murmuratorum deprauatam mentem condemnat, & corrigit, dicens: Vt æquum esse ducant, quod qui plus descenderint, plusq; se humiliauerint, plus quoque accipiant. Postquàm autem hoc iustum esse cognouerint, ne velint omnes accipere, quod paucos viderint accipere. Tolerandi enim sunt, qui imbecilliores vires habuerint. Hinc enim fiet, ne vlla detestanda peruersitas nostra causa contingat. Execranda autem peruersitas est, vt ibi pauper fiat delicatus, vbi diues fieri curat laboriosus, idest abstinens. Multi enim quantò nobiliores,& delicatiores in seculo fuerunt, tantò postmodum abiectius,& districtius viuunt in monasterio. E diuerso plerique quantò abiectiores, & pauperiores fuerunt, tantò magis deinde in monasterio sublimitatem, & delitias quærunt. De omnibus, quæ ad Canonicorum Refectorium spectant, quæ pauca non sunt, plenè disseruimus lib. 2. cap. 3. & 4.

De infirmis procurandis. Cap. ix.

¶ SANE' quemadmodum ęgrotātes necesse habent minus accipere, ne grauentur; ita post ægritudinem sic tractandi sunt, vt citius recreentur (etiam si de humillima seculi paupertate venerint) tanquàm hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod diuitibus anterior consuetudo. Sed cum vires pristinas reparauerint, redeant ad fœliciorem consuetudinem suam, quæ famulos Dei tantò amplius decet, quantò minus indigent. Nec cibi eos teneat voluptas iam vegetatos, quos necessitas leuarat infirmos. Illos æstiment ditiores, qui in sustinenda parcitate fuerint fortiores. Melius est enim minus egere, quàm plus habere.

ENARRATIO.

1 DOCVIT Augustinus superiori capite, ad quem modum delicatis sit indulgendum; nunc verò in hoc capite qualis cura in curandis infirmis gerenda sit, explicare contendit. Perspicuitatis igitur causa, eius sententiam paucis assertis enodabimus.

Primum

Primum assertum est; ægrotantes parciori, moderatioriq; cibo sunt nutriendi. Excessus enim in quantitate cibi, vel potus aggrauat hominem multipliciter: quo ad corpus quidem, quoniam somni quietem surripit; iuxta illud Eccles. 5. cap. saturitas diuitis non finit eum dormire. Ingenerat quoque infirmitatem, authore Seneca. Nam multa fercula, multos morbos pepererunt, iuxta id Eccles. 37. in multis escis erit infirmitas. Addit etiam graues dolores Iob. 20. Cùm satiatus fuerit, arctabitur, & omnis dolor irruet super eum, & Eccl. 31. Vigilia, & cholera, & tortura viro infrunito, idest homini, qui est sine frugalitate, quæ est parcitas in victu. Quòd si hæc mala, ciborum intemperies homini sano contrahit, infirmo eadem conduplicabuntur. Eadem etiam intemperies animæ nocumentum infert. Vt ait Hieronymus, quoniam aciem cordis obtundit, & intelligentiam obstruit, & memoriam imminuit, carnisq; concupiscentiam incitat, & promouet. Iure igitur Christus, Luc. 21. dixit; Attendite, ne grauentur corda vestra crapula, & ebrietate. Demum Galenus medicorum facilè princeps, quid est perfecta medicina? Interrogatus, respondisse fertur; abstinentia.

2 Secundum assertum post ægritudinem ea cura ægroti tractādi sunt, vt quàm citissimè recreentur, & conualescant, etiam si pauperes fuerint. Queadmodum.n. diuitibus propter anteriorem delicatam consuetudinem aliquantulum indulgendum est, tantundem propter recentem ægritudinem pauperibus est condonandum. Hæc enim vtrorumq; mala æquiparantur. Igitur nec Religionis species, nec tenacitas auaritiæ, nec cordis malitiosi duritia impedimēto esse debent, quo minus hæc fere necessaria, & aliquantulum delicata alimenta ægrotis præbeantur, id enim naturæ necessitas, & proximi charitas, rectaq; ratio vehementer efflagitant. Oportet.n. sic mitissimum esse cœnobij moderatorē, qui possit, & velit cōpati infirmitatibus subditorum.

3 Tertium assertum, qui ægritudine tenebantur, cùm in pristinā valetudinem restituti, priores vires reparauerint, absque desidia, & inertia, quasi noua animi alacritate, & promptitudine redeant ad fœliciorem consuetudinem sanorum, idest ad vitam conuentualē, modo consueto sequēdam; in sequentes chorum, refectorium, capitulum, & litterarum exercitia, aliaq; Religiosorum id genus opera. Quemadmodum.n. natura ipsa singulis annis vires reparat, vt resumptis quasi nouis viribus, ferat consuetum fructum: & ad iter faciendum equo copiosius pabulum tribuitur; Deusq; tempus bipartitus est in noctem, quietis causa, & in diem ad subeundos labores, vt somno refectis artubus nocte, die ad opus suum homo egrediatur; sic quoque Religio-

nis cultores, recta valetudine comparata, ad exercendos vsitatos labores prodire tenentur. Qui.n. aliorum consortium, & vitam communē ausugit, multis periculis obnoxius est. Saul.n. recedēs à cuneo Prophetarum, prophetandi gratiam perdidit, 1. Reg. 19. Thomas absens à choro Apostolorum, visione dominica priuatus est. Ioan. 20. Iudas exiens à societate Apostolica, inimicis Christi conglutinatur, fitq; proditor, Matth. 26. Ad eundem modum Religiosus ab aliorū societate, & consuetudine semotus, quasi gelida nix, inutulis redditur.

4 Sanè primordialis causa omnis pœnæ tàm in homine, quàm in Angelo, fuit socordia, & negligentia. Nam si homo, vel Angelus à Deo creatus in gratia, bene fuisset vsus naturalibus, & gratuitis sibi datis, nunquàm contigisset, Angelo quidpiam inordinatum. Non.n. Dei excellentiam appetiuisset, nec vnquàm homo iudicasset dictis, & persuasionibus serpentis esse acquiescendum; sed quia neglexerunt vti gratijs sibi à Deo donatis, permissi sunt cadere in errorem, propter peccatum negligentiæ; & de errore negligentiæ in peccata superbiæ, & inobedientiæ. Quare nos qui longè ab angelica puritate, & primorum parentum perfectione absumus, tantò intentius negligentiam, & inertiam fugere debemus, quātò nos fragiliores, & ad flagitia quæq; agiliores sentimus, sed prohdolor negligentia, & tepiditas animi plurimum inter nos grassantur. Quoties dormitamus præ tędio, diemq; ferè totum, ac si tempus reuocabile esset, inertia consumimus? Imò etiā somnia vana, & illusoria fingimus, vt vix aliquando expergiscamur ad tonitrum supernæ illius increpationis, Prouer. 6. vsquequo piger dormis? Quando consurges è somno tuo? Illud sanè miserrimū est, quod hodie nō putatur iactura; si dies, qui nobis ad purgationem dati sunt, elabantur nobis inutiliter, pereant, & prætereant negligenter. Gentilis quidam cum gemitu graui, mensam repulit, exclamans; ò amici, diem perdidi. Quod venisset in mentem nihil strenuum, aut memorabile se egisse die illo. Nullus ferè est, qui tempori pretium ponat; qui cogitet apud se, quantùm valeat ad comparandam æternitatem dies vna, quiquè quotidianam dierum suorum à semetipso rationem exigat, tempusq; redimat.

5 Quartum assertum; graui errore tenentur, qui ditiores, delicatioresq; propter delitiarum subministrationem fœliciores esse ducunt, postquàm in recipiendis pristinis viribus eas semel degustarunt. Quin potius, & verius Augustini, cordatorumq; virorum iudicio, illi sunt ditiores, & fœliciores, qui in sustinenda, perferendaq; ciborū, aliarumq; rerum parcitate, fortiores, atque potentiores habentur. Melius enim est minus egere, quàm plus habere. Sensus igitur Augustinianus est;

illi sunt ditiores, videlicet diuitijs spiritualibus,& virtutum exercitio, quoniam ex fortitudine parcitatis, carnis vitia deprimuntur, ex mortificatione etiam vitiorum oritur ingés virtutum chorus, & numerus. Igitur quæ sint spirituales diuitiæ, & quonã pacto in illis ditiores fiãt, qui in sustinenda parcitate fortiores extiterint, apertius explicemus; Spirituales diuitias, fidem, spem, charitatem, iustitiam, humilitatem, temperantiam, prudentiam, constantiam, & reliquas appellamus virtutes. Hinc ad veram philosophiam mens erigitur, vt quanti pretij æstimanda sit virtus, iam tandem intelligamus. Siquidem virtus nec eripi, neque surripi potest, neque naufragio, neque incẽdio amittitur: qua præditi qui sunt, soli sunt diuites. Virtus autem ex nece pullulat vitiorum. Occiduntur autem vitia maximè carnis mortificatione, parcitatisq; falce. Qui ergo in sustinendo parcitate se validiores præstiterint, ieiunijs, sobrietate, abstinentia, continentia, parsimonia, carnis castigatione, castitateq; animum mirificè muniunt, & ornant, & in thesauro regni cœlestis quàm ditissimi efficiuntur. Hæ sunt veræ diuitiæ, quibus continentium animæ ditantur. Melioris enim, nobiliorisq; conditionis ille vir existit, qui paucioribus rebus eget, existitq; sanus, ob idq; minori indigentia,& egestate premitur, quàm qui diuitijs temporalibus perquàm onustus, vehementi ægestate, indigentia,& multiiuga malorum miseria, existens infirmus, premitur. Vt fœlicior ille esset, qui frigore lædi non posset, ob idq; vestibus non indigeret, etiam si nudus esset, quàm qui mille tunicis indutus, rigido frigore semper dentibus stridens torqueretur. Contra verò miserioris, deteriorisq; conditionis ille existit, qui Cresi, Crasiq; diuitijs oppletus, nunquàm non eis ob ægritudines indigeret. Itaque beatior est pauper sanus, quàm diues infirmus: sanus enim paucissimis indiget, infirmus verò quàmplurimis opus habet. De cura circa infirmos adhibenda egimus superius lib. 2. cap. 5. & 6.

De vestimentorum, & corporei motus honestate. Cap. x.

¶ Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus. Quando proceditis, simul ambulate. Cùm veneritis quo itis, simul state. In incessu, in statu, in omnibus motibus vestris vestram bonã conuersationem ostendite, & nihil fiat, quod cuiusquã offendat aspectum: sed quod vestram deceat sanctitatem.

ENAR-

ENARRATIO.

1 RACTATVRVS noster author de honestate rerũ, quæ viros Religiosos mirum in modum exornant, à vestimẽtorum honestate scitè auspicatur, bimembre præceptũ tradens contra exteriorem vestiũ notam, & contra interiorem earum affectionem, ex qua exterior emanabat. Ait ergo; nulla ratione notabilis sit habitus vester, idest qui iure sit aduersus vos notandus, & reprehẽdendus. Sed neque affectabitis admirandis, curiosisq; vestibus placere, sed perornatis, integrisq; moribus. Boni, beatiq; mores ex ipsis gignuntur virtutibus; beati mores sunt quibus ingenui dicimur, atque nobilitamur; qui nos à filijs huius seculi discernunt; quibus celesti placemus imperatori; quibus anima pulcherrima, & splendidissima redditur; propter quos eã cœlestis sponsus in suã recipit sponsam; quibus in thalamo recipitur deitatis; per quos beatorũ agminibus associatur. Vestis quidem cuiuscunque iudicatur fulgor iustitiæ, innocentiæ splendor, decor humilitatis, & castitatis nitor, & omnium bonorum operum odor. Sanè fecit hic vir, doctorq; sanctus, quod docuit. Nam si Possidonium eius discipulum excutias, vestimenta Augustini, & calciamenta, nec nitida nimium; nec abiecta plurimum, sed moderata, & quæ sancto Antistiti competerent, erant. Fateor, inquit ipse, de veste pretiosa erubesco. Ea.n.non decet hanc professionem, non decet hæc membra, non decet hos canos. Hinc dominus ait: Ecce, qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Mollia autem vestimeuta dicuntur, eo quod animũ mollem efficiant. Mollibus vestimentis regia delectatur domus. Asperis, & humilibus Christi delectatur Ecclesia. Talia esse debent, Hugone authore, Clericorum vestimenta, in quibus nihil notari possit nouitatis, nihil quod pertineat ad superbiam, aut inanem gloriã. Non recens vestis, sed munditia mentis Clericum ornat. Nos ergo ipsos vanis, reprehensibilibusq; vestib. expoliare studeamus, spiritualibus verò ornamentis, videlicet castitate, humilitate, mansuetudine, obedientia, patientia, & charitate exornare curemus. Hæc sunt indumenta, quibus anima cœlorum imperatori perplacitura est. Non.n. exteriorem, sed interiorem pulchritudinem requirit inuisibilis sponsus. Nostræ ergo diuitiæ, nostraq; pulchritudo, integriq; mores in causa sunt, vt animæ nostræ verè dicatur, quàm pulchra es amica mea, & macula non est in te. De canonicarum vestium honestate abundè diximus superius lib.2.cap.30.

2 Secundum præceptũ honestatis est in ambulando, vel stando in ali-

quo loco; Associati ite, non soli. Hoc.n. virum Religiosum maximè decet. Hinc dominus in Aegyptū misit simul Moysen,& Aaron; Exo. 4. Qui duo coniuncti, & congregauerunt cunctos seniores filiorū Israel, & simul Pharaonem sunt sæpè alloquuti. Hinc etiam Christus, Luc. 10. misit discipulos binos, & binos; & Spiritus Sanctus associauit, Act. 13. Paulum,& Barnabam. Et Collegium Apostolorum, quod erat in Hierusalem, cùm audisset, quòd recepisset Samaria verbum Dei, misit Petrum, & Ioannem, Act. 8. Item Enoch,& Helias reseruātur in diem iudicij aduersus Antichristum, Apoc. 11. Iosue quoque duos exploratores misit in terram aduersariorū, Iosue. 2. & Thobias noluit mittere filium suum in terram longinquam absq; comite, Tob. 5. Præterea huiusmodi societas quàmplurima bona confert. Nā diabolus facilius inuadit solum. Sic Gen. 39. accidit, vt quadam die intraret Ioseph domum, & operis quidpiam absque arbitris faceret, ab vxore Phutipharis inhonestè solicitatus est. Secundo, homo solus facilius turpitudini consentiet. Multa.n.turpia dimittunt homines non propter Deum, sed propter ipsos homines. Sic Ecclesi. 23. fornicarius dixit. Quis me videt? tenebræ circundant me, & parietes cooperiunt me. Quem vereor? Item bonorum sociorum est se in bonū adinuicem excitare, & prouocare. Postremò hæc societas sinistram suspicionem abigit. Idcircò S. Bernardus ad Eugenium ait; Bonos cōtubernales habeto, qui vitæ, & honestatis tuæ custodes sint, & testes. Dominus quoque simul ambulantibus adiungitur, Luc. 24. Eosq; in bonum admonet, inflammat, & ædificat. Merito ergò admonet Humbertus, professores Regulæ Augustinianæ cauere debere, ne in via, vel hospitijs, se qualicunq; occasione diuidant, aut alter ab altero discedat, etiam si animarum profectus ad illud inuitet: nisi propter ineuitabilem necessitatem. Conducibilius.n.eis est, aliorum vtilitatem negligere, quàm cum proprio detrimento mandatum suæ professionis præterire. Eadem de re Ambrosius Choriolanus com. 29. elegāter ad hunc modum disserit. Quàm vtile, quamq; salubre sit, siue in incessu, siue in statu bonorum virorum consortium, facilè explicari non poterit. Imprimis .n. aduersarius noster, qui velut leo rugiens circuit, quem deuoret, vehementioribus tentationis conflictibus inuadit solos, quàm associatos. Qua in re periculum faciemus in priscis eremi cultoribus, quibus nequissimi spiritus tàm sæuas inferebāt molestias, vt non in cellulis soli, sed in oratorio, alijsq; locis cōmuni decreto plures simul cōmorabantur, vicissim etiam psalmis, orationibus, lectionibus, atque disciplinis incumbentes, nocturnas excubias factitabāt. Considera etiā dispersos milites non victoria potiri, sed conflictu cōprimi;

primi; Carbones quoq; vnà congestos succendi, ardereq́; seiunctos verò extingui, atque frigere. Etenim sicut malorum comes pessimus efficitur; sic & bonorum socius optimus fiat oportet. Rursus viri Religiosi ad honorē, decorem, honestatemq́; sanctę Religionis nunquàm non intenti esse, atque anhelare tenentur. De ea quippe scriptum est Eccl. 24. flores mei fructus honoris, & honestatis. Quare qui simul eandem domum monasticam colunt; simul etiam cùm foras progrediuntur, eant, simulq́; eodem in loco maneant. Ne soli perditionis periculum incurrant. Væ soli, quia si ceciderit, non habet subleuantem, Eccl. 4. Tutior etiam, ac dulcior est vita, cum vnus alium cohortatur; vbi alter alterius inflammatur exemplo, vbi alter alterius doctrina instruitur. Vbi alterius porrecta manu alter subleuatur, alteriusq; vultum veretur.

3 Tertium honestatis præceptum est, vt decorus, decensq; sit Religiosis incessus, status, habitus, & motus, siue gestus. Pro cuius rei explicatione notandum, disciplinam esse conseruationem honestatis, cui parum est malum non facere, sed studet etiam in his, quæ agit per omnia irreprehensibilis apparere. Hanc ergo sic in his quatuor enumeratis obseruare oportet, vt nullius offendamus aspectum. De abusibus in progrediendo diximus superius, atq; etiam de statu, & habitu; nūc de corporeis motibus, idest gestibus tantillum attingemus. Est autem gestus, modus, & figuratio membrorum corporis ad omnem agendi, vel se habendi modum. In quibus nimirum gestibus illud generatim obseruandum, vt vir Religiosus in membris dimouendis tersus, correctus, eruditus, ciuilisq́; appareat, debitumq́; decorum obseruet. Videas quosdam, qui sine buccis patētibus ascultare nesciant, & quasi verba cibi sint, ad ea percipienda palatum aperiunt. Sunt alij, qui in agendo, vel audiendo, quasi sitientes canes, linguam foras extrahunt. Et ad singulas actiones labia, velut molam contorquentes, circunducunt. Alij verò dum loquuntur, digitum extendunt, supercilia erigunt, & oculos in orbem rotantes, cuiusdam interioris magnificētiæ conatus ostendunt. Caput iactant, comam excutiunt, vestimenta coaptantes, crebro componunt. Et latera, quasi cubitantes deijciūt, pedesq; ostendentes, ridiculosas gesticulationes faciunt. Sunt alij, qui alteram tantum aurem percipiendæ voci opponunt, quasi ambæ aures ad audiendum conditæ non fuerint. Alij item plerunque ad videndum, alterū tantùm oculum aperiunt. Alij quasi politissimi, non nisi medietate oris loquuntur. Sunt præterea mille laruæ, mille corrugationes narium, milleq; contorsiones labiorum, quæ decorem disciplinæ deturpant, facieiq; pulchritudinem, quæ est speculum discipli-

næ, defœdant. Cui quidem tantò maior custodia est adhibenda, quãtò minus, quod in ea peccatum fuerit, celari potest, aut contegi. Hos sanè corporei decoris deformatores Bernardus componit, dicens: Disciplina ceruicem summittit, deponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cohibet cachinnos, moderatur linguam, gulam frenat, iram sedat, format incessum.

4 Itaque vt generali præceptione omnia complectamur, audiamus Hugonem. Sancta perfectorum Ecclesia non solùm floret honore Religionis, sed etiam honestatis decore perpollet, sicuti scriptum est; flores mei fructus honoris, & honestatis. Sic igitur viuere debent Canonici, vt à nemine iustè valeant reprehendi. Incongruum.n.est, vt ipsi reprehensibiliter viuant, quorum ordo exigit, vt ceteris formam sanctitatis ostendant. Nam ad eos hæc sententia profertur; estote sancti, sicut & ego sanctus sum, dicit dominus, Leuit. 11. & 19. Sancti equidem esse debemus, qui nomen, & habitum Religionis, & sanctitatis suscepimus; qui diuino cultui sumus mãcipati, sacrisq; altaribus Christi consecrati, ac diuinis mysterijs ordinati. Sic ergo nos viuere decet, vt vita cum nomine concordet, & professio retineatur in opere, vt si sanctus est Ordo, sancta sit conuersatio, quæ bonæ actionis testimonio comprobetur. Tunc autẽ religiosè viuimus, si illicitos motus sub disciplina coerceamus: si membra, & sensus nostros restringere elaboremus, vt lasciuiæ, & leuitati nulla ratione deseruiant. Vtq; aspectus noster simplex sit, atque humilis, ne fixè aspiciat oculus, quod illicitè concupiscat animus. Vt noster auditus sit purus, atque discretus: ea, quæ superflua sunt, & vana respuens: ea, quæ Dei sunt, grato animo suscipiens: vt sermo noster sit sale conditus, ad Colos. 4. otiosa, & nociua detestans; bona, & vtilia commendans. Vt sit denique in corde munditia, in vultu pudicitia, in incessu grauitas, status cum reuerentia, motus cum maturitate, habitus cum religione. Vt vbiq; resplendeat sanctitas, supereemineat honestas, & seruetur humilitas. Quemadmodũ.n.affectiones mentis, omnesq; animi motus ab exterioribus sumunt exordiũ, ita & per exteriora quales sint, crebrius cognoscunt.

De animæ vestitu, & nuditate. *Consid. j.*



1 EGIMVS superiori capite de illis vestibus, quibus nostra contegimus corpora: nunc verò mentem altius attollẽtes, eas vestes inquiramus, atque tractemus, quibus anima exornatur, & cooperitur; vt verecundam corã Deo, & Angelis eius, gloriosisq; sanctis nuditatem euitet. Eos namque omnes, qui ad spiritualem sanctæ Religionis militiam acce-

dere, cum hoſtibus prompto animo congredi, & manum vltro cōſerere anhelant; non nudos, ne fortè verecundorum rubore perfuſi, ſecedant, aciemq; turpiter relinquant, ſed eos circunquaque, adhortāte potiſsimum Paulo, indutos eſſe ſummopere decet. Induite vos, inquit, armaturam Dei, in omnibus ſumentes ſcutum fidei. Non enim bello deputari poſſunt, qui indumentis carent militaribus, in cuius teſtimoninm aſſerit ſcriptura Eccleſ. 24. Initiū vitæ hominis eſſe aquā, & panem, ac veſtimentum. Nempè vt corpore nudum, corporeisq; veſtibus deſtitutū non ægrè hoſtis viſibilis aggreditur, ſic animo, mēteq; nudum, hoc eſt virtutibus, & Spiritus Sancti gratia carentē verſutus ſerpens, hoſtisq; inuiſibilis multò facilius inuadit, atque in ſuam ditionem miſerè tandem pertrahit. Idcircò non ſolùm inſita naturæ corporis, membrorumq; verendorum; ſed & ipſius interioris animi nuditatem multò magis erubeſcamus. Proinde more Pauli ingemiſcere debemus, cupientes ſuperindui, ſi tamen veſtiti, & non nudi inueniamur; vnde ab Euangeliſta plurimum commendatur qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet. Ne fortè, vt comminatur Amos Propheta cap. 2. Robuſtus corde inter fortes nudus fugiat. Et Hieremias ait; Prohibe pedem tuum à nuditate.

Qui nanque nudi in hac vita mortali ambulant, quiuè nudi in hoc ſeculo peregrinantur, aut qui nudi in hoc corporis ergaſtulo viuunt, aut nudi cum hoſtibus decertant, multis plerunque ſubiacent periculis, varijſq; per abrupta, per deuia quæque ſeſe exponunt diſcriminibus. Exemplo imprimis tibi ſint hominum primi, qui ob execrandā illam aduerſus Deum rebellionem, inſignem inobedientiam, horrendamq; præcepti diuini tranſgreſsionē, ligni vetiti audacē eſum, clàm, palamq; nudos ſeſe continuò perſenſerunt. Quiq; quòd relictis ſpiritualib. gaudijs, aſſuetisq; paradiſi delitijs, ob corporis non ſolùm cōfuſibilem erubeſcentiam, verùm multò amplius ob animæ ademptam pulchritudinem, ſubſtractamq; gratiam, quam iuſtitiā vocamus originalem, accerſiti coram Deo vocante, comparere auſi non ſunt. Qui in hanc miſeriæ vallem relegati, bonisq; omnibus priuati; aſpera, ac dura ſententia in cineres citò reſoluendi, inſuetum ſeruitutis iugum, dirosq; mortis aculeos perpeſsi ſunt. Cayn idem perpetuò profugus fratricidij ſignum palàm in fronte, Dei decreto ſemper portauit. Nabuchodonoſor quoque rex, ob animi tumidam elationem, nudus inter feras per deſerta, vt bos, fœnum ſeptennio toto comedit. Et plerique regum Iſrael ferreis vincti catenis, in Babylonem abducti ſunt: aliaq; plurima adduci poſſunt huiuſce generis teſtimonia, quæ vigilātibus legenda relinquo. Quid.n. homine nudo ineptius? Quid inner-

mi Religioso debilius? Quid eodem contemptibilius? Quid denique religiosæ domui conseruandæ perniciosius? Contra autem quid viro Religioso bene induto honestius? Quid eodem armato robustius, ac potentius? Quid fortius? Quid Religiosorũ castris tuendis validius? Quid conducibilius?

3 Cunctis itaque monasticæ vitæ candidatis viribus maximis elaborandũ est (hi enim Christi glebæ præsertim ascribi cupiunt) vt nõ nudi, vestibusq; dispoliati, sed præclaris virtutum ornamentis, ac duplicibus vndiq; vestiti inueniãtur. Ne veteris forte, ac terreni Adæ imaginẽ in seipsis turpiter portẽt, ac referãt. Portabũt aũt primi Adæ imaginem, si nuditatis rubore perfusi, virtutum, ac gratiarum donis tanquàm vestimentis spoliati deprehendantur. Nuditas etenim tàm mẽtis, quàm corporis ob primam illam Adæ terreni præuaricationẽ, pœna est à iudice Deo pariter, ac vindice iusto primũ inflicta, erubescẽsq; deinde ignominia contracta. Quod aperto testimonio declarat Ezechiel cap. 23. dicens; Denudabunt te vestimentis tuis, & tollẽt vasa gloriæ tuæ, & dimittent te nudam, & ignominia plenam. Et iterũ animæ peccanti acrius exprobrans per eundem Ezechielem cap. 16. ait dominus; Vbera tua intumuerunt, & pilus germinauit, & eras nuda, & confusione plena. Et rursus; nõ es recordata adolescentiæ tuæ, quãdo eras nuda, & confusione plena.

4 Verùm cum multis modis rerum spoliationes fieri dicantur, illum autem pessimum, ac perniciosissimũ esse arbitramur, quo homo quilibet, vnius Dei creatoris sui spoliatur honore. Ob idq; tũc verè quispiam nudus, ac despoliatus censendus est, cùm propter diuini præcepti transgressionem, fulgenti Dei priuatur candore, præclara eiusdẽ gratia, videlicet amissa. In cuius typum in Exo. 32. dicitur; Videns ergo Moses populum, quòd esset nudatus; spoliauerat.n. eum Aaron propter ignominiam sordis, & inter hostes nudum constituerat; ignominiam autem sordis, reatum vocat vituli, quem fecerant, & quo facto auxilio, & gratia Dei nudati erant. Ideoq; inter hostes constituerat eos nudos Aaron. Hinc, ò miser peccator, quicunque tu sis, cùm primum aliqua irretiris affectione praua, & in vile prolaberis mortale peccatum, tum continuò Dei creatoris tui destitueris honore, gratia, ac fauore, atque coram diuinæ maiestatis oculis nudus omnino conspiceris. Nempè ante omne delictum, præceptiq; diuini transgressionem primi parentes, virtutum, ac donorum spiritualium pleni, pudenda non erubescebant. Non enim erat hoc ignominiæ, sed honoris; quid enim? Nunquid hoc à factore suo accepit homo; quod confusibilis, & verenda sit factura Dei? Aut nunquid con-

confusionem huiusmodi natura, & non potius conscientia facit? Est quidem quasi in naturam versum hoc tormentum confusionis, veruntamen non ex primæua hominis conditione, sed ex subsequente hominis peccantis culpa, origo eius pullulauit. Etenim idcircò nuditatem nostram erubescimus, quia conscij nobis sumus, quantam infirmitatem, imò quantum aduersum nos rebellionem carnis nostræ portemus. Oportet igitur eos, qui militum Christi numero apud monasteria adiungi volunt, vestibus indutos, præclarisq; indumentis ornatos esse, vt horum auxilio dæmoniacis frigoribus obsistant, & secundi, ac cœlestis Adæ imaginem efficacius referant, & habitationem interim, quę de cęlo est, exhortante Paulo, benignius semper expectent. Tu igitur religiose miles, non solùm varia tibi ficuum folia, more primorũ parentum, in vestem consuito; non solùm tibi perizomata, ac succinctoria conficito; sed ab ipso Deo tunicas pelliceas suscipito, hoc autem est, peccatum antea commissum non solùm defleas, non solùm domi ingemiscas, verum à sacerdotibus, qui Christi vices agunt, tuæ transgressionis, ac præuaricationis remissionem, ac secundum peccati quantitatem, ac qualitatem, pœnam tibi imponendam humiliter expectes. Hoc etenim modo regiæ pariter, ac diuinæ læsæ maiestatis crimen, diuina ordinatione sacerdotum ministerio palàm reparatur, atque corrigitur.

5 Præterea nemo ambigit duo esse præcipua anni cuiusuis curricula, hyemem, atq; æstatem; quæ tùm sua natura, tùm rerum productione, atq: influxu sibi inuicem aduersari conspiciuntur. Hiberno nanque tẽpore omnia obscura, tenebrosa, ac rigida videntur, turbinibus, ventisq; procellosis, ac variis aquarũ inundationibus plena, gelu glaciali concreta, aspera omnia, squalida, ac tetrica, omnia torpentia, nulla iucunda, nulla delectãtia visum, nulla deniq; tunc inueniuntur, quæ hominis animũ exhilarãt, sed cuncta prorsus horrida sunt, animi recreationẽ, ac iucunditatẽ dehortãtia. Vnde fit, vt eo potissimũ tempore arborẽ fertilẽ ab infœcunda, bonam à mala, & eam, quæ nutrimentum recipit ab emortua discernere nequeas. In æstiuali autem solstitio omnia virent, & prata cuncta virentia rident, arbores folijs vestiũtur, florumq; venustate ornantur, fructibus tument, & in amplas luxuriantur comas, & vnumquodque virgultum iuxta semen suum abũdè germinat, & fructũ copiosum producit. Terra autẽ quæ hyeme inanis apparet; æstate virescit, floret, frondescit, fructificat. Omnia tunc amœna sunt, omnia florida, omnia exhilarãtia vultũ, omnia renouantur, & calore, ac humore quodam concrescunt. Tunc arborum quæ bona, ac frugifera, quæuè mala, & infertilis, quæ abundans, aut fructu

carens, quæ particeps, aut expers vitæ ſit, facilè dignoſcitur.

6 Hunc certè in modum homines diuerſis anni temporibus viuere, ac pro temporum varietate diuerſimode veſtiri conſpicias hyemis autem nomine, vitam deſignari arbitramur præſentem, in qua veluti rigida hyeme, multò vitiorum rigore plerunque frigeſcimus, pallenteſq; torpeſcimus, afflicti vndique anguſtiamur, patimur, multiſq; ſubiacemus periculis, & varijs hinc, atque illinc obnoxij ſumus perſecutionum, ac tentationum procellis, & proinde qui hominum in hac vita præſenti, inferioriq; militia boni, aut iuſti; quiuè mali, aut ſcelerati; qui probi, aut reprobi; qui odio, vel amore; quiuè perpetua gehenna, aut æterna gloria digni ſint; vt hyemis tempore, quæ arborum fertilis, aut infœcunda ſit, prorſus ignoras. In æſtate autem, æſtiuoq; ſolſtitio, hoc eſt futura, ac cœleſti vita; omnia tunc clara, omnia lucida, & manifeſta erũt, dieſq; dñi, qui boni, quiuè mali, qui vita digni æterna, quiuè & perpetuò igni gehennæ tradendi ſint, manifeſtè declarabit. Tunc etenim cum filius hominis ſederit in maieſtate ſua, agni ab hædis, benedicti à maledictis, ad vitam præordinati à ſceleratis, & impijs hominibus perpetuò ſeparabũtur, atque ineuitabili vindicta, & incõmutabili Dei ſentẽtia perpetuò exurentur, cruciabunturq; mali. Beati verò, ac benedicti bonis omnib. perfruentur, & perpetua pacis trãquillitate gaudebunt, diuinæq; maieſtatis, & ineffabilis poteſtatis torrente ſemper inebriabuntur, ac ſaturabuntur.

7 Verùm quorſum hæc? Niſi vt homines hyberno tempore aduerſus aereas tempeſtates, diuerſoſq; turbines, grandines, pluuias, fragoſos flatus, & vehementes ventorum ſpiritus, aſperum gelu, & cetera id generis incommoda, aſperioribus, groſsioribus, & rudioribus; ſtate autẽ cùm hæc non imminent pericula, ſubtilioribus, ac mollioribus, vtuntur veſtibus, ſic nos cùm in hoc ſeculo peregrinamur, & pene indies periclitamur, ac naufragamur, quo faciliùs fœlicem tandem pertingamus portum, atque aduerſus peccati rigidum torporem, mẽtis obſcuritatem, principum huius ſeculi tyrannidem, vniuerſaq; aquarũ diluuia, hoc eſt, exuberantem carnalium, & laſciuientium voluptatũ inundationem, contra ventorum validos flatus, hoc eſt, tumidiores ſuperbiæ, & elationis ſpiritus nos tueamur, & ne nobis nocumento ſint, eo diligentius nos ſqualida, atraq;, ac hirſuta veſte, ideſt aſperiori vitæ, ac morum auſteritate, ſeu veſte lugubri indutos eſſe, vel apprime decet: Hanc autem aſperiorem veſtem, qua nos dum peregrinamur in hoc ergaſtulo, indui debemus, veſtem luctus, gemitus, ac pœnitẽtiæ, ſeu accommodato ſatis vocabulo, lugubrem vocare conſueuimus.

8 Qua B. Ioannes Baptiſta vitæ auſterioris, & omnis caſtimoniæ efficacior

cacior Archetypus singulatiter induebatur. Cuius, Matthæo teste, vestimentum erat de pilis camelorum. Quem proximè sequuti Eremitæ, Anachoritæ, & hi omnes qui eminentioris sanctitatis, & perfectioris sunt vitæ, simplicioribus, ac vilioribus semper, quibus ab alijs manifestò differant, induũtur vestibus. Hæc sunt profectò vestimenta, seu sacci, quibus induti à maiori vsque ad minorẽ Niniuitæ dominũ placauerunt; hæc sunt etiam vestimenta, quibus induta Hester regis Assueri clementiam promeruit; & innocentem Mardochæũ, populumq; Israeliticum ab ipsius Aman tyrannide potẽter eripuit. Hæc est insuper vestis viduitatis, qua prudens illa Techuites ornata, vestibus iuuentutis, ac iocunditatis suæ relictis, ira percitum, & maximè infensũ citissimè mitigauit Dauidem, & Absalonẽ filium eidem benignè reconciliauit. In typum quidem, si Aman, hoc est diabolico angustantis, & nos vndique comprimentis technas, insidias, atq; immanem tyrannidem euitare contendamus, vt Mardochæus sacco, & veste lugubri; pariterq; si verùm Dauidem, hoc est Christũ dominum nobis scelerum admissione infensum, nosq; propemodum vltionis gladio ferientem mitigare, & nobis propitiũ reddere velimus, ipsa viduitatis, & nõ iucũditatis, hoc est veste lugubri, nõ voluptatis induamur oportet.

9 Ad quam quidem vestem non sensim, nec cunctanter, sed raptim suscipiendam, nos crebrò hortatur omnis clementiæ, ac totius consolationis fons, idem dominus noster IESVS CHRISTVS, non figurato, sed aperto sermone dicens; Pœnitentiam agite, appropinquauit.n. regnum cœlorum. Et beatus Ioan. similiter ait. Hanc itaque viduitatis, seu lugubrem vestem circũferre, aliud nihil esse existimamus, quã in hoc spatioso mari, ac præsenti seculo nequam, duram agere pœnitentiam, peccata ante commissa deflere, in seipso ingemiscere, & continuò Dei aduentum in cordis confractione, multaq; sui exinanitione intrepidè præstolari. Qua quidem veste indutus Iacob, à patre Isaac, alioqui Esau præparatam, præripuit benedictionem. Hanc tamen hybernam, hirsutam, ac lugubrẽ vestem semper oderunt, qui ardua, aspera, & laboriosa pœnitentiæ opera, ieiunia, flagella, vigilias, corporum castigationes, & mortificationes aspernantur; qua qui hic priuati fuerint, sibi caueant, ne Dei viuentis benedictione spolientur. Qui autem hac veste lugubri in hoc seculo adornantur, benedictionibus non solùm hic, sed & illic, perpetua pacis tranquillitate abundabunt.

10 Est quoque, & altera vestis maximi æstimanda, quæ ex auro est purissimo, cuius superficies auro rutilanti refulget, quo spectat illud Hieremiæ Tren. c.4. Filij Syon inclyti, & amicti auro primo; quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? Quomodo obscura-

tum est aurum, mutatus est color optimus? Qui quidem vestitu aureo præclara illa, & cunctis virtutibus eminentior intelligitur charitas, cuius excellentiam perpendens Paulus aperto sermone profert; si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeã; factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens; & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si tradidero corpus meum, ita vt ardeam; charitatẽ autẽ nõ habuero, nihil mihi potest. Omitto alia quamplurima, quæ in illius laudem produci possunt testimonia; & dominus ipse vniuersa legis mãdata, vnico Dei, atq; proximi dilectionis præcepto mira, breuitate perstrinxit. Ceterum vt veste aurea quis incessu, & gestu ornatior, ac passim splendidior redditur, haud secus qui charitate tãquàm aureo induitur vestimento, Deo plurimum, & hominibus mirũ in modum placere comprobatur. Sic.n. Abraham, Isaac, & Iacob, aliiq; Patriarchę, ac Prophetę, sic Apostoli, sic Martyres, sic vniuersi, qui feruẽti charitatis zelo claruerunt Deo, & hominibus semper placuerunt. Et veste aurea, quæ ceteris superponitur, corpus omne, singulaq; corporis verendæ partes appositæ teguntur; sic beati Petri testimonio, charitas operit multitudinem peccatorum. Hinc beati in sacris litteris dicuntur, quorum tecta sunt peccata, hoc est charitate tanquàm aurea veste adumbrata. Hanc itaq; charitatis virtutem, vt peccatorum sordes operit tanquàm vestis, atq; vt ceteris nitidior, ac præstantior est, auream meritò chlamidem appelles.

11 Verùm huius conditionem clarius si nosse contendas, àuri naturam diligẽter expende. Aurum nanque in fornace cuius naturæ sit, exactè probatur, quòd suo pondere in terram ocius ruit, omnibusq; metallis præstantius est, ac suo nitore omnes mirum in modum allicit. Quo modo charitate tanquàm aurea nudatus veste, facilè dignoscitur Christianus miles, qui sui primum cognitione quòd puluis sit, facilè exinanitur, ac maximè humiliatur. Quæ cũctis virtutibus præfertur, inquiẽte Paulo, fides, spes, charitas tria hæc, maior autem horum est charitas. Quæ vt igne aurum non minuitur, sic nec veterascit, nec excidit vnquàm. Cuius pulchritudine illectus rerũ conditor Deus, cuncta tàm cœlestia, quàm terrestria potenter creauit. Qui quo vberiores, & penitiores suæ charitatis aperiret thesauros, eo vt homini diaboli sug gestu infœliciter perdito mederetur, propensius filium suum vnigeni tum misit, & pro nobis omnibus tradidit illũ. Qui cùm in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens; qui habitu inuentus est, vt homo; factus obediens patri vsque ad mortem, mortẽ autem crucis. Huius virtutis splendore illustrantur Angeli, ornantur

beati,

beati, & huius seculi viatores Deo grati efficiuntur. Nempè vt arca fœderis, domus, ac templum Salomonis auro tegebatur purissimo, & mundissimo; sic homo qui Dei verum dici, & esse templum desiderat, & domus spiritualis, charitate intus, & foris tanquàm aurea operiri veste constringitur. Et nedum Salomonis templum aureum, sed & vniuersa eius supellex de auro purissimo fuisse legitur. Qua quidē supellectile vniuersos actus, atque cogitatus humanos intelligimus, auro purissimo, hoc est aurea charitate esse fulciendos. Nam & Christus sic eximia, aureaq; charitate claruit, vt pro ouibus seruandis sese vltrò morti obstrinxerit, voluntarieq; obtulerit.

12 Quamuis verò plurimæ vestium inueniantur species, eam tamen, quam regiam vulgo nuncupant, ceteris excellentiorem, ac præstantiorem semper iudicarunt, qua potissimū induuntur reges, cùm splēdida hostium potiti fuerint victoria; aut cùm eos magnis hominū cœtibus, aut his, quæ ad cultum diuinum pertinent, interesse contingat. Quæ quidē vestis immortalitatis, ac iucunditatis stola dici potest, qua post huius incolatus lugubre vestimentum, in superna ciuitate Hierusalem soli induuntur, qui in hac vita rectè vixere beati. Proindeq; vestis hæc non perperam vestis dicitur præmij, ac triunphi, gaudij, atque tripudij, seu spectandæ semper in æuumq; duraturæ victoriæ. De hac autem veste sic Isaias profert induere vestimentis gloriæ tuæ Hierusalem, ciuitas sancta, quia non adijciet vltra, vt pertranseat per te incircuncisus, & immundus. In cuius figuram his regalibus Hester induta vestibus Assuero regi plurimum placuisse fertur. Eos sanè solos, qui iam stola iucunditatis, & veste regia induti sunt, pacis abundantia, & tranquillitatis plenitudine perfluere, sacræ testantur litteræ. Hæc est. n. candida vestis, qua reges, & principes; hoc est electi Dei, deuictis vniuersis hostibus, post huius vitæ exuuias perpetuò vtuntur; Hæc est, inquam, vestis, quæ nunquàm veterascit, qua superindui ardentius cupiebat Paulus. Hæc est insuper splendida vestis, quam corpus nostrū reformando configuratum corpori claritatis suæ, Christus daturus est nobis; Hic est citra dubium cultus regius, quo ornari solent reges Israel, hoc est nunc in seculo, postea facie ad faciem Deum clarè videntes; Hæc est denique stola lucis, ac gloriæ, quam suis duntaxat ministris liberaliter impartitur Christus. Quàm nobis in hac inferiori palestra dubio marte certantibus, atq; in hoc procelloso mari hinc, atq; illinc periclitantibus; post diuersas luctas, variaq; prœlia, qui est omniū vera beatitudo, in quem Angeli desiderant prospicere, Iesus Christus, verus Assuerus, rex regum, & dominus dominantium, sua abundanti misericordia communicare, & nos illius participes efficere di-

gnabi-

gnabitur. Hæc ſunt profectò veſtimenta pretioſiſsima, pro quibus iure litigandū nobis eſſe, in Regula ſapiens Auguſtinus voluit, cùm ait; Hinc vos probate quantum vobis deſit in illo interiore ſancto habitu cordis, qui pro habitu corposis litigatis.

De fugiendo immodico fœminarum aſpectu, colloquio, & tractatu. Cap. xj.

¶Ocvli veſtri & ſi iaciātur in aliquam fœminarum, in nulla figantur, neque enim quando proceditis, videre prohibemini, ſed appetere, vel ab ipſis appeti velle crimi noſum eſt, nec ſolo tacito affectū, ſed aſpectu quoq; appetitur, & appetit concupiſcentia fœminarū. Nec dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos. Quia impudicus oculus, impudici cordis eſt nuncius. Et cùm ſe inuicē ſibimet, etiā tacente lingua, conſpectu mutuò corda nunciant impudica: & ſecundum concupiſcentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus fugit caſtitas ipſa de moribus. Nec putare debet, qui in fœminam figit oculū, & illius in ſemetipſo diligit fixum, ab alijs ſe non videri. Cûm hoc facit videtur omnino, etiā à quibus ſe videri non arbitratur. Sed etiam ſi lateat, & à nemine hominum videatur: quid faciet de illo ſuperno inſpectore: quem latere nihil poteſt? An ideò putādus eſt non videre, quia tantò videt patientius, quantò ſapientius? Illi ergo vir ſanctus timeat diſplicere, ne velit fœminæ malè placere; illum cogitet omnia videre, ne velit fœminam malè videre. Illius nanque & in hac cauſa commendandus eſt timor, vbi ſcriptum eſt: abominatio eſt domino defigens oculum.

ENARRATIO.



DOCVIMVS non semel in superioribus, perfectam Religionem tribus potissimum partibus constare, paupertate videlicet, castitate, & obedientia, ex quibus etiam votum solenne Religionis conflatur. Cùm igitur sacer Augustinus maiori ex parte hactenus de paupertate, & proprietatis abdicatione copiosè admodum pertractauerit, nunc de castitate sermonem aggreditur. Si.n.tantò verborum apparatu incautum mulieris aspectum prohibet, maiori profectò studio, vehementioriq; conatu castitatem, pulcherrimã virtutem præcipit, & iniungit. Quare iudicio nostro audiendus non est Choriolanus, qui com. 31. illicitum veneris vsum ab Augustino hoc loco fuisse prohibitum inficiatur, cùm ille iam illo Dei præcepto, non mœchaberis, sit interdictus. Fieri.n. potest, vt quod alioqui præcepto diuino sit vetitum, peculiari etiam Religionis voto interdicatur, id quod superius ex Caiet. manifestum fecimus. Fatemur tamen vltra illicitum venereorum vsum, cautam etiam oculorum inspectionem ab August. iuberi; quippe quæ sit murus, ac etiam antemurale ad propugnandam castitatis arcem. Idcircò vt facilius, liberius, commodiusq; castitatem obseruemus, opportunitatem, causam, atque viam, qua ad prohibiti vitij deuenitur labem, nobis effugere iussit. Oculi.n.in mulieres cõfixi, sagittæ sunt, corda ferientes, ac penetrantes, secumq; virus deferunt, quo miseram animam interficiant.

1 Primum igitur præceptũ in hoc capite de custodiẽda castitate ab August. traditũ, circa oculorũ custodiam omnino versatur. Ait enim; Oculi vestri etiamsi in aliquã fœminarum iaciantur, in nulla tamẽ fœmina figantur. Diligenter enim, & cautè, breuissimeq; sunt dimouẽdi, & separandi. Oculorum autem visum curandum, propugnandũq; esse præ ceteris sensibus, propterea Augustinus est arbitratus, quòd visus de muliere plura percipit, nimirum figuram, colorem, gestum, ornatum, membra singula, & totius corporis dispositionem. Quæ quidem tanquàm arida ligna, quantò magis inflammant concupiscentiã, & quantò plura sunt, tantò ardentiorem ignem incendunt. Adde etiã velocem oculorum facilitatem, & frequentiam. Quam quidem ceteris sensibus celerius oculi exercere possunt, ob idq; oculorum opere crebrius, facilius, celeriusq; homo peccato irretiri potest; Imò quemadmodum ille, qui non existimat se à quopiam videri, securius fornicatur: ita & oculus tutius alijs sensibus impudicè agit.

2 Rem ipsam superiorum hominum exploratus vsus demonstrat, dũ

ex mulierum aspectu, quàmplurima mala euenisse & audiuimus, & legimus. Nam Genes. 6. Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt vxores sibi ex omnibus, quas elegerant. Quæ primaria vtiq; fuit causa diluuij in quo fuerunt omnes præter paucos submersi. Et Genes. 12. Viderunt Aegyptij vxorem Abrahæ, quòd esset pulchra nimis, & principes nunciauerunt Pharaoni, & laudauerunt apud eum illius pulchritudinem. Sublataq; est in domum Pharaonis. Quam ob causam flagellauit Dominus Pharaonem plagis maximis, & domũ eius. Item Genes. 34. Cũ vidisset Sichen filius Emor, princeps terræ illius, Dinam adamauit, & rapuit, & dormiuit cum ea: ob idq; interfectus est postea Emor, & omnes masculi ciuitatis illius. Aspectus etiam mulieris Sampsonem tradidit, & tandem ipsi mortis occasionem attulit, Iudic. 14. Vidit rex Dauid mulierem lauantem se ex aduerso super solarium suum, & missis nuncijs tulit eam: hinc violenta arripitur occasio homicidij, & proditionis, & maximæ iræ domini contra eum. 2. Reg. 11. Vulgatum quoq; est Daniel 13. Videbãt Susannam seniores quotidie ingredientem, & deambulantẽ, qui exarserunt tandem in illius concupiscentiã. Quæ res in causa fuit, vt praui, corruptiq; senes dilapidarentur. Quàm verum est illud Trenor. 3. oculus meus depredatus est animam meam in cunctis filiabus vrbis meæ. Et apud Matth. cap. 6. Christus docet. Si oculus tuus fuerit tenebrosus, totum corpus tuum tenebrosum erit. Nam omnes tenebræ peccatorum per prauos oculos introducuntur. Et idem Dominus; qui viderit mulierem ad cõcupiscendam eam, iam mœchatus est in corde suo, Matth. 5. Si igitur, vt ceteros prætermittamus, sanctus Dauid per incuriam oculorum turpiter lapsus est: nos infirmi, qui lõgè ab eius sanctitate distamus, quantopere tàm periculosum præcipitium pertimescere debemus? teneamus ergo vbique præsentem sanctum Iob sic Philosophantem cap. 13. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt non cogitarem de virgine. Intelligens nanq; exteriore visu interiorem animum corrumpi, fœdus percussit cum oculis suis, ne incautè aspicerent quod illicitè concupiscerent. Id autem difficilè obtineri potest, nisi causa, & opportunitas solicitè caueatur.

3 Porrò oculos dicitur quispiam figere tripliciter. Primũ, cùm morosè mulierem respicit, quasi de figura, & pulchritudine iudiciũ pronunciaturus. Huiusmodi erant illi, de quibus dicitur Iudith 10. Et erat in oculis eorum stupor, quoniam admirabantur pulchritudinem eius: & cap. 11. dicebat alter ad alterum; Non est talis mulier super terram in aspectu pulchritudinis. Hi sanè morosè admodum in eo iudicio ferendo detinebantur, Secundo, cùm inspicitur fœmina ad cõ-

cupiscentiam incitandam; vt iam diximus, ex Matth. 5. Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, &c. Tertio, cùm iam videtur cum concupiscentia; videlicet cùm iam appetitur, & concupiscitur. Ad quem modum dixerunt senes Susannæ ante eos positæ. In concupiscentia tui sumus. Quamuis autem primus modus non videatur ex se esse mortale, vt alij duo posteriores, vt ait Humbertus, attamen quia occasio est mortali peccato valdè proxima, idcircò omnis huiusmodi oculorum fixio ab August. prohibetur, non quidem ex vi præcepti, quo ad primum modum, sed per modum dehortationis, & dissuasionis. Itaque quo ad primum modum dissuasio est, non præceptio. Cuius generis non pauca documenta in hac regula inueniuntur; huius præcepti iam expositi causam suggerit, dicens: Neque.n. quando proceditis, &c. Quasi apertius dixisset. Propterea non visionem simplicem, sed fixionem oculorum prohibeo: quia appetitus mulierum criminosus est, qui quidẽ surgit, vel certè existit cùm ipso mulieris aspectu, & non solùm in tacito affectu. Quem locum Hugo vitandæ obscuritatis causa in hunc modum locupletauit. Non solùm tacita voluntate intus concupiscentia oritur: sed etiam per exteriorem aspectum generatur. Nisi .n. S. Dauid fœminam fixè inspexisset, in tantam carnis tentationem non incidisset, hinc per Prophetam dicitur, Hierem. 9. Ascendit mors per fenestras nostras: mors animæ est concupiscentia. Domus interior mens nostra est: fenestræ huius domus sunt quinque corporis sensus. Mors ergo per sensus prorumpit ad interiora mentis: necesse igitur nobis fuerit oculorum fenestras diligenter custodire. Aspectus .n. mulieris aptissimum est instrumentum ad excitandum appetitum.

4 *Nec dicatis vos habere, &c.*] Post rationem redditã superioris mãdati, contendit author tribus rationibus comprobare, cur mandatum illud diligenti studio sit obseruandũ. Pro cuius rei elucidatione præiacendum est tres esse occasiones, quibus quispiam concitatus illicitè in fœminam infigat oculos. Prima quidem est, quoniam existimat illud non esse illicitum. Secunda, quia non intelligit se ab alio videri. Tertia, quòd sibi non suadeat, se videri à Deo. Ne igitur quispiã circa primam occasionem ignoranter decipiantur, asserit August. non posse impudicitiam in oculo contingere, quin etiam sit in anima. Subdit etiam malum, quod inde sequitur, videlicet fuga, & expulsio castitatis: vnde affirmat oculum impudicum, impudici cordis esse nunciũ.

5 Multiplex autem, variusq; est impudicus oculus. Primum, impudicus est oculus, qui audet respicere verecunda, vt alter Cham, qui respexit verenda patris, Gen. 9. Item impudicus est oculus, qui attentè intue-

intuetur imagines libidinosè depictas. Vt Ooliba meretrix, q Ezec. 23. cùm vidiſſet viros depictos in pariete, & imagines Chaldæorum expreſſas coloribus,& accinctas baltheis, inſaniuit oculorum concupiſcentia in eos. Tertio, impudicus eſt oculus,qui non refugit aſpicere inhoneſtis tactibus colludẽtes,quo etiam irritari ſolet cõcupiſcẽtia carnis,vt viri probi,& ſapientes teſtatur. Quarto, impudicus eſt oculus, qui in ſp ectaculis reſpicit repreſentationes actuũ impudicorum. Contra quæ Aug. lib. 2. de ciuit. Dei inter alia hæc dixit;Veniebamus etiam nos adoleſcẽtes ad ſpectaculum, vt ludis turpiſsimis oblectaretur. Quinto, impudicus oculus eſt,qui curiosè conſiderat ſpecies mulierum. Sexto,impudicus eſt oculus, qui nutus impudicos exercet,ſicuti apoſtata, Pro. 6. annuens oculis. Quare fieri non poteſt,vt huiuſmodi impudicitia oculis exerceatur, niſi animus exiſtat impudicus. Sæpè.n.quæ intus latẽt,exteriora mẽbra denunciãt. Et plerunque ex corporis habitu, cognoſcitur habitus mentis. Minor eſt autem culpa, dum occulta iacet. Maior verò iam efficitur, dum in publico incipit apparere. Sciendum eſt etiam,duplicem eſſe impudicitiam; carnalem,

5 & ſpiritualem.Spiritualis eſt,quę per cogitationum delectationem intus tantùm agitur. Carnalis verò, quæ corpore completur. Fit autem pluribus modis nempè viſu,auditu,tactu, cogitatione, locutione, atq; operatione. Talibus vtique fomentis nutritur, & exercetur libido, & anima ſeparatur à Deo,fugitq;, atq; etiam fugatur caſtitas de moribus,& verum eſt in mentibus etiam exerceri libidinem. Caſtitas quippè de moribus fugit,dũ libidinoſa voluptas mutuis conſpectibus magis,magiſq; inardeſcit. Et ſi.n. corpus immunda violatione non tangitur,ipſa tamen immunda violatio viſu,affectu, cogitatione, & delectatione perpetratur, ijſq; fomentis, quaſi quibuſdam gradibus creſcit peccatum. Cogitatio praua delectationem parit,delectatio conſenſum,conſenſus operationem, operatio conſuetudinẽ, conſuetudo quandam neceſsitatem,dum conſuetudinis vinculo retinemur.

6 . Quoniam verò celebris eſt apud omnes illa Auguſtini ſententia;impudicus oculus impudici cordis eſt nuncius, tantillum eam locupletabimus. Docet Ariſt. atque ſentit 2. lib. Priorum. cap. 28. naturas cognoſcere poſsibile eſſe,ſi quis admiſerit, naturales affectus ſimul corpus,& animam tranſmutare: vnde phyſiognomones, ideſt naturarũ coniectores,quibuſdam certis regulis coniectant, quænam ſit huic,vel illi homini inſita pronitas. Et vnum duntaxat proferam phyſiognomicum argumentum huic ſententiæ commodiſsimum ? illos comminiſcuntur eſſe timidos, quibus facies eſt pernigra, aut peralba: fortes verò, quibus eſt fuſca: boni animi,quibus eſt flaua: ingenioſos,

niosos,quibus est rubea: astutos,quibus ruffa: iracundos verò, quibus est flāmea. Itaq; solet animi interior bona,aut mala dispositio, foris se per externa indicia prodere,maximè in vultu. Quemadmodum videlicet superbia in oculorum extollentia, & pomposa quadam vultus compositione solet relucere; & è contrario, humilitas in oculorum simplici demissione. Propter quod Propheta suam volens humilitatē coram domino protestari, Psal, 130. dicebat; Domine non est exaltatum cor meū, neque elati sunt oculi mei. Sic ergo,& impudicitia cordis,plerunque per oculos manifestatur,de carneis.n.oculis 2.Pet.2.fit sermo,cùm dicitur; Oculos habentes plenos adulterij, & incessabilis delicti. Inuidia quoque vultus,& præcipuè oculorum liuore monstratur,vt propter hoc meritò per oculum malum significetur, Matth.20. An oculus tuus nequam est,quia ego bonus sum? Hoc est,si tu inuidus es,ego certè liberalis, & beneficus sum. Et Marc. 7. Inter mala, quæ de corde procedunt oculum malum,idest inuidiam nominat. Ad hunc sanè modum Eccles. cap. 8. dicit,etiam sapientiam hominis lucere in vultu eius? Quoniā videlicet ex ipsa maturitate, & æquabilitate vultus,quam pre se fert Sapiens,cognoscitur eius sapientia. Nam, vt ait Gregorius Neocæsariensis; sapientiæ indicium in lucido hominis vultu apparet,sicut & liuor impudens prodit inuidum:& in superficie corporis, & speculo vultus elucet hominis sapientia. Solet quoque colli dispositio animositatem,audaciam,superbiam, vel contrariam pusillanimitatem,timiditatemq; indicare. Qui.n.collum habet erectū, & quasi immobile,conijciuntur inde esse audaces,& sui ꝓpositi tenaces, atq; superbi. Qui verò collū habēt flaccidū, veluti caput sup humeros demissum gestantes,pusillanimes,ac meticulosi,facileq; cedētes,inde conijciūtur. Recta ergo oculorū cōpositio viro Religioso ē necessaria.

7 *Nec putare debet, &c.*] Additur hic secūda ratio ad præcepti obseruationem firmandam. Sunt.n.aliqui adeò stolidi, quasi bruta, qui cùm alios non videāt,se ab alijs videri difficilè credant. Non putabat Isaac se videri,cùm iocabatur cū vxore sua Rebecca. Sed vidit planè Abimelech,rex Palæstinorum prospiciens per fenestram,Gen.26. Ille iuuenis, qui ambulabat aduesperascēte die iuxta domum meretricis; quem deprehensum osculata est, non existimabat se videri à Solomone: quem tamen vidit ex fenestra domus suæ, prospiciens per cancellos,Prou.7. Nunquid,& illa mulier,quæ deprehensa in adulterio,adducta est ad Iesum,Ioan.8.credebat se videri,vel adulterans cū ea,quando sunt & visi,& comprehensi? Ad eundem sanè modum quodam Dei iudicio plerique in hoc crimine, cùm se putent latere, deprehenduntur: vt qui Dei timore nunquàm corrigerentur,ea interdum confusio-

consilij, & mentis inopes reddit. Vnde Oseas cap. 4. ait: Fornicatio, vinum, & ebrietas auferunt cor. Quælibet fornicatio eam facit abominationem, quam tantopere horret, & vnde nos præmonet Apost. 1. ad Cor. 6. ne quis tollat membra Christi, & faciat membra meretricis. Quoniam qui adhæret meretrici, vnum cum ea corpus efficitur: nec Christi membrum esse potest, sed à Christo separatus est, quandiu consuetudinem habet meretricis, quam ob rem apprime necessaria est Apostoli eodem in loco admonitio, qua ait; fugite fornicationem. In alijs peccatis satis est, si ea omittamus, neque ea consectemur. Fornicatio autem fugiendo superanda est, alioqui nemo ab illa immunis manet, nisi qui fugerit. Amor, ardor est, & ignis; quisquis ardere non vult, necesse habet, vt fugiat.

2 Quin, & Paulus ad Ephes. 5. admonet; fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis. Adeo. n. hoc crimē abominatur, vt nolit nos vllam cum fornicarijs habere vitæ consuetudinem, nec cum huiusmodi cibum sumere. Nec mirum quod scriptura doceat, nullam propemodum pestem turpius, quàm fœdam illā libidinem hominem commaculare, atque adeò totum cōmutare, quæ sanè facit, vt vix agnoscas hominem eundē esse. Testis est Dauid, quo nemo cordatior, nemo magis pius, nemo mansuetior. At is vbi turpissimæ libidinis æstu exardescit, quàm fit carnalis, excors, ac crudelis, atque adeò sui dissimillimus? quin etiam homicida; vt omnino verū sit, quod Pro. 5. legimus. Stillās fauus est scorti os, & mollius est, quàm oleum collum eius: verùm postrema illius amara sunt, veluti absynthium, & acuta, ceu gladius. Atque ipse etiam Salomon huius rei potentissimum exemplum est. Nam & si ipse à domino cor sapiens, & intelligens nactus fuerit, cum tamen cœpisset adamare mulieres alienigenas, en quantum mutatus est ab illo Salomone sapientissimo; statim. n. deprauatam est cor eius per mulieres, vt nō esset deinceps perfectum cum domino Deo suo, sed in tantum auersum, vt 3. Reg. 11. sequeretur etiam deos alienos, & coleret ille Salomon nuper omnium sapientissimus Astarthen deam Sydoniorum, & Chamos deum Moabitarum, & Moloch idolum Ammonitarum. Et qui, quæso, vt omittamus exempla, fieri potest, vt non totus auertatur à Deo, qui libidinibus seruit? Cum Apostolus loco citato dicat, omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Quare hoc nobis curandum est, vt prostratis omnibus immūdis concupiscentijs, & desiderijs, perpetuò glorificemus, & portemus Deum in corde, & corpore nostro.

3 Ceterum huius criminis grauitatem, vel sola pœna proposita satis

 ostendit.

ostendit. Nam vix vllum peccatum est, quod atrocius in scripturis punitum legamus, atq; illud: id quod satis testatur diluuiũ, quo Deus totum mundum perdidit, Gen. 7. eo quod omnis caro corruperat viam suam super terram, Gen. 6. Perdidit quoque, atque etiam in cinerem redegit Sodomam, & Gomorrã, vrbes florentissimas, illorumq; incolas externis cruciatibus destinauit, quod scortationi, & stupris vacarint, quemadmodum testatur Apostolus Iudas. cap. 1. sicut, inquit, Sodoma, & Gomorra, & finitimæ ciuitates, simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram, facti sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes. Præterea Num. 25. sic legimus, viginti tria millia de filijs Israel, plaga diuinitus immissa, ob fornicationem cum filiabus Moab perijsse; quod exemplum Paulus. 1. ad Cor. 10. nobis intuendum proponit: Neque, inquit, fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt vna die viginti tria millia. Hæc omnia in figura contingebant illis. Scripta sunt aũt ad correptioné nostram.

4 Quicunque autem adulterium, & fornicationem cuitare velit, is à pluribus abstineat, seq; contineat oportet, quàm à solo illo externo actu. In hunc.n. scopum Augustini animus dirigitur, atque fertur. Illa autem sunt, quæ operi ipsi occasionem præbent, ex quibus adulterium, & fœdi, ac obscæni actus proficiscuntur. Atque hic nostram ipsorum vesaniam vix satis possumus admirari; imò calamitatem, & miseriam nostram circa hoc vitium satis deplorare nequimus. Fornicationem quidem omnes, ceu grande nefas inclamamus, & carpimus. Ceterum quicquid huic vitio præbet ansam, quicquid libidinem accendit, quicquid ad hoc peccatum inuitat, extimulat, trahit, impellit, hoc omnibus vsitatissimum est: nemo illud reprehendit, nemo refugit; aduersus quam cæcitatem inquit Spiritus Sanctus apud sapientem: nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestiméta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius? Quare prohibenda erunt omnia illa, quæ ad impudicitiam hortantur, & extimulant; hæc.n. est Augu. mens: oportebitq; certam rationem, & disciplinam perdiscere, qua vnusquisq; se ab hoc turpi flagitio tueri, & conseruari queat.

5 Et quamuis fatendum sit, neminem suis viribus, & proprio studio castitatem posse tueri, sed etiam gratiæ diuinæ ope, & auxilio id fieri, iuxta illud Sap. 8. Nemo potest continens esse, nisi Deus dederit. At interim tamen Dei gratia per disciplinæ studium inquirenda, & ambienda est. Nam diuino accedente auxilio, oẽs esse continentes possunt. Id.n. reuera dicimur posse, quod amicorum auxilio possumus; iuxta Paulum dicentem ad Philip. 4. Omnia possum in eo qui me cõfortat

fortat. Lege Conc. Trid. sess. 24. Can. 9. Hanc itaq; rationem, & disciplinam luculenter, ac multis modis Deus in diuinis litteris depromit. Nam Matth. 5. vbi Christus docet vitandum adulterium, principio oculis suam præscribit legem, suosq; limites, eosq; incusat, quasi & illi in culpa sint adulterij. Quem docendi ordinem August. hoc loco imitatus est. Quicunque, inquit Christus, adspexerit mulierem ad concupiscendum eam, iam mæchatus est eam in corde suo. Hæc igitur prima regula est constituta ad recta castitatis custodiã. Nec illud Christus dixisse existimandus est, quasi aspectus per se culpę obnoxius sit; sed quòd animo incauto per oculos sæpenumero malarum cupiditatũ afferatur occasio, ex quibus deinde peccatum nonnunquàm etiã prorumpit in actum. Huic oculi sunt quasi quidã internuncij mentis, qui cordi nuncium adferunt, vnde porrò animus in prauam voluntatem, & peccatum seducitur. Eam ob rem infinita pene scripturarum loca monent, habendam esse accuratam custodiam oculorum Eccl. 9. auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circunspicias speciem alienã. Noli intendere in faciem virginis, ne te confundat vultus eius. Hieremias quoque cap. 9. lamentatur, & quæritur, per oculos homini detrimentum, & perniciem adferri, dicens; Mors ascendit per fenestras nostras, ingressa est domos nostras.

6 Ex his omnibus liquidò constat ei, qui castimoniam cupiat obseruare, necessum esse, vt oculos suos in disciplina contineat, ita vt cernere, atque conspicere nolit, vnde posset ad peccandum illici, ac prouocari: equidem vanam, ac commentitiam eorum iactantiam sentio, qui castos se prædicant, cùm impudicos habeant oculos: nec adulterij culpam possunt effugere, quando oculos habent plenos adulterij, & incessabilis delicti. 2. Petri. 2. Ad hæc idem Saluator noster, Matth. 5. cùm prohibuisset concupiscentiam, statim subiecit; Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te: expedit.n. tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Tantundem de manu, atque pede protulit. Hæc autem docendi gratia, per similitudinem dicuntur. Docemur tamen omnem concupiscentiarum occasionem diligentissimè vitare, adeoq; cauendum nobis est ab omni eo, quod in eiusmodi peccatum nos protracturum timemus, etiam si id tàm charum, ac necessarium nobis fuerit, quàm sunt oculi, manus, & pedes; imò dexter, & potior oculus. Quid.n. non abijcere, & contemnere potius eligamus, quàm vitam æternam amittere? Et quosnam animorum affectus præferemus desiderio regni cœlestis? Nonne potius eam occasionem euitabimus, ac quàm longissimè nos elongabimus, quantum libet id ingerat

rat doloris, aut incommodi, ne præsenti periculo nos commutamus? Sic castus ille Ioseph Gen. 39. dominam suam, quæ in eum oculos suos iniecerat, ad adulterium solicitans, quoad fieri poterat, fugiebat, mallens etiam se in vitæ discrimen conijcere, quàm tantum crimen committere: auerte igitur oculos tuos, ne videant vanitatem. Nã propter speciē mulieris, multi perierunt; re ipsa comperimus, incēdi ignē, cùm stipula proxima est. Ad eundem modum, Hieronymo teste, flammigero igne percutit fœmina conscientiam pariter habitantis.

7 Quinto, est & altera regula ad custodiendam castitatem, perquàm apposita, vt immoderatus cibi, ac potus, præsertim delicatioris vsus cum otio coniunctus propellatur. His.n. homo facilè ad illicitas voluptates pellicitur. Saturaui eos, inquit Propheta Hierem. 5. & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur. Vbi magna adest vitæ temporariæ fœlicitas, rerum opulentia, atque otium, ægrè sibi caueri potest, ne libido, & petulantia inde proficiscatur. Ita de Sodomitis nullum aliud scriptura peccatum commemorat, quo Deum offenderint: nisi superbiam, & saturitatem panis, & abundantiam, & otium. Item otiositas multam malitiā docuit; crapula, & ebrietas ligna sunt fouentia libidinem. Et cùm defecerint ligna, extinguetur ignis. Proinde apud Luc. 21. tàm serio monet Christus, vt attendamus nobis, ne fortè grauentur corda nostra crapula, & ebrietate. Hæc ergo omnia quantumuis nobis dulcia videantur, resecanda sunt. Præsentissimum autem remedium erit aduersus hoc malum, si sedulo à Christo hoc intimis precibus contenderis, vt te continentem faciat, tuæq; pudicitiæ florem illibatum conseruet.

8 Est demum & alia obseruanda regula, turpiloquium.n. fornicationi, & impudicitiæ magnum præbet irritamentum, & ansam: quo quidem nonnulli sua, aut aliorum commemoranda turpitudine, sese mutuò oblectant, ac tempus terunt contra grauissimam illam admonitionem, qua Spiritus Sanctus per os Apostoli. ad Ephes. 4. Christianos omnes appellat his verbis: Fratres, omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus est ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. Et nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis. Fornicatio, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio. ad Ephes. 5. O quàm longè ab hoc Spiritus Sancti canone deflexiimus, & exorbitauimus nos Christiani. Vbi vix, vel inter multos inuenitur vnus aliquis, qui modestiam, ac verecundiam diligat, & sermones suos dirigat ad præscriptum Apostoli: quin potius

scurriles eiusmodi,& impuri sermones,iam decori,& vrbanitatis loco habentur;qui id genus turpiloquijs alios oblectare non nouit, is molestus,& onerosus conuiua,nec inter lepidos congerrones adhibendus, vt qui non didicerit exporrigere frontem. Nec hic alicui vel parcitur, vel alicuius ratio habetur. Dicitur de quibuslibet, apud quoslibet,absque vlla,vel modestia, vel verecundia. Si quis sciat proximū in peccatum aliquod,aut vitia prolapsum,illud in pleno narratur conuiuio,instar lepidæ fabellæ,quæ risum moueat audientibus,& qua possunt obscœnitate,& turpitudine deblaterant singula,nullius pensi habentes,vtrum vel matronæ, vel virgines, vel etiam innocentes pueri, vel iuuenes adsint. Agnoscimus noxium esse calorem,nec interea veremur igni assidere; audi Paulum 1.ad Cor.15.Nolite seduci,corrumpunt bonos mores colloquia praua.

9 Septimo,turpiloquium coarguit animum planè impium, & fraternæ charitatis prorsus inanem. Comperisti tua causa quempiam fuisse corruptum. Nihilo secius illius culpam tu in ludum,& iocum vertis, & tanquàm in re ludicra,& ioco rides. Quis te Christianum dicat,qui in tanto proximi discrimine ridere potes? Si vel exiguum corporis incommodum sentiat proximus, non censeberis Christianus, nisi dolenti condoleas. Si quid patitur vnum membrum,inquit Apost.compatiuntur omnia membra.1.ad Cor.12. Vbi verò animæ periculum longè grauissimum imminet proximo,& tu interim rides,quomodo manet in te Christiana charitas?

10 Octauo,est autem præter hæc aliud quiddam,quod libidini, & impudicitiæ fomenta ministrat,videlicet superbus,& petulans vestiū ornatus,quem nobis identidem,multijugisq; artibus effingunt multi,vt placeant mundo,& aliorum oculos in se prouocent. Qualem quisque suspendit hederam, hoc ipso significat, quales apud ipsum prostent merces: vestes plerunque, vel pudicum,vel impudicum animum produnt,& arguunt. Demum ante oculos semper habeto vulgarem sententiam: vt sobrietas sanitatis est mater,ita plures crapula, quàm gladius necat, effusaq; libido quàmplurimos reddit miseros, egenos, cadauerosos,vel inter ipsas naturæ bona. Ad hæc, an non vermis luxuria? nescio si alter nocentior,ingreditur blandiendo,mordet ridendo, transforat delectando,perimit consensu voluntario: memineris ergo otium,& delitias prædones esse castitatis,libidinemq; vincendam esse non pugna, sed fuga.

De correctione fraterna prius secretò facienda. Cap. xij.

¶ QVANDO ergo simul estis in Ecclesia, & vbicunque fœminæ sunt, inuicem vestram pudicitiam custodite. Deus.n. qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos ex vobis. Et si hac, de qua loquor, oculorum petulantiam in aliquo vestrum aduerteritis, statim admonete, ne malè cœpta progrediantur: sed de proximo corrigantur. Si autem, & post admonitionem iterum, vel alio quocunque die idipsum eum facere videritis, iam velut vulneratum sanandum prodat, quicunque hoc potuerit inuenire. Prius tamen est alteri, vel tertio demonstrandum: vt vel duorum, vel trium testium posśit ore conuinci, & competenti seueritate coerceri. Nec vos iudicetis esse maleuolos, quando hoc indicatis. Magis quippe nocentes estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si.n. frater tuus, qui vulnus habet in corpore, velit occultari, cùm timet secari, nonne crudeliter abs te sileretur, & misericorditer indicaretur? Quantò ergo potius debes manifestare, ne deterius putrescat in corde.

ENARRATIO.



VEMADMODVM vir nobilis, zelo custodiendi sponsam suam, quam vnicè diligit, tenetur; & vigilantem custodiam adhibet, ne aliqua ratione illa periclitetur; sic quoque anima pudica, veluti pretiosissima gemma custodienda est; quam rem prouidè intelligens Augustinus, illud quasi præambulum fraternæ correctionis, quæ pulchritudinis spiritualis fidissima custos est, & propugnatrix, nobis districtè præcipit, vt mutua cura, vbicunque locorum fuerimus, nostram pudicitiam custodiamus. Eam.n.ob rem vno habitaculo

bitaculo continemur, & cingimur; vt nos inuicem custodiamus, inuicem corrigamus, inuicem erudiamus: vt quod quisque per seipsum non potest, saltem per alium possit. At verò quoniam nisi dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Idcircò nemo pudicitiam custodire potest, nec in se ipso, nec in alio, nisi per Deum, ora eum, & vigila. Ipso tamen adiuuante, perbelle id præstabimus. Acturus igitur Augustinus de correctione fraterna docet, si nostra vigilanti custodia quidpiam in fratre deprehensum fuerit, opus esse, vt secreta prius admonitio antecedat, & præeat. Cùm verò huiusmodi admonitionem nihil profuisse cognouerimus, ad denunciationem nobis esse progrediendum decernit. Denique hominis incorrigibilis debitas pœnas statuit. His tribus quasi membris noster author vniuersam correctionem fraternam absoluit, & perficit. Quamuis verò perspicua sit eius intentio de correctione omnium vitiorum pertractare, quod paulò inferius apertè explicat, hic tamen peculiari sermone de correctione fraterna ad custodiendam pudicitiam disserit, ea quidem ratione, quòd maiori sedulitate animæ pudicitia sit custodienda, quippe quæ res maximæ honestatis est.

2 *Et si hanc, de qua loquor &c.*] Duo nobis bona aduehit mutua custodia, est.n. vtilis ad cauendum peccatum; comite.n. præsente, fugietur peccatum; vtilis quoque est ad deprehendendum malum, si fiat. Sit igitur in hoc capite hoc secundū præceptum. Si deprehenderis in fratre tuo oculi petulantiam, statim à te admoneatur. Cuius rei duplicem causam assignat. Altera quidem est, vt futuro malo resistatur. Altera verò est, vt citissimè corrigatur. Tria igitur continet hoc præceptū, videlicet rei substantiam, idest fraternam admonitionem, & tempus exequendi, hoc est statim, & causam, scilicet, ne malè cœptum vlterius progrediatur, sed illico rescindatur.

3 Pauca hic à nobis sunt annotanda. Primum, quod quemadmodū videns aliquis hominem, iter facientem, periculum mortis incursurū, is peccaret, nisi eum retraheret. Ita quoque quispiam mortalem noxam incurret, nisi fratrē corrigat de peccatis illis venialibus, quæ sunt dispositio propinqua ad mortale, cuius profectò rationis est hæc petulantia oculorum, sicut & impudicum colloquium. Ratio verò ea est, quòd quamuis venialia sint, vicinitate tamen quadam ad mortale peccatum inducunt. Quod quidem significant illa verba, ne malè cœpta progrediantur. Huius doctrinæ authores circa istius generis venialia corripienda, sunt Gabriel in canone, lect.74. & Siluester in verbo, correctio, nu.2. Et Dom. Sotus in relectione de secreto, membro. 2.q.2. conclus. 3. Et Humbertus in expositione huius loci; quicquid nonnulli recen-

li recētiores cōtentiosè senserint. Adde etiā, ꝙ summo animi studio in Religione adniti debemus, ne nos multa infestēt venialia. Sicut. n. magno aliquādo labore, & studio perseuerāte, virtutes trahuntur in affectū, & mentē bonā; sic peccata venialia, & vitia leuissima, remessioris licētiæ opportunitate trāseunt in consuetudinem, & quasi naturalia efficiūtur. Quapropter vt nauis posteaquā de pelagi fluctibus euaserit, si in portu cōmunita non fuerit, minutis guttis impletur, ac mergitur; sic & Religiosus, deuictis huius mūdi criminib⁹, quasi periculosis fluctib⁹, cùm ad monasterij venerit portū, si sibi subripiētia minuta, & quotidiana peccata de aīæ suæ sentina p pęnitētiā exhaurire neglexerit, in ipso monasterij portu, naufragij crimen incurret. Quod si igitur fortè ingreditur, aqua venialium peccatorum per minutissimas rimulas ad mentis nostræ sentinam, exhauriamus eam per sacramētalem confessionem, ne plus ingressa cumulum faciat, & nauem mergat: hoc. n. facit sentina neglecta, quod fluuius irruens. Peccata ergo venialia dum negliguntur, exitium animæ præparant. Ait. n. vir sapientia Dei plenus Eccles. 19. Qui modica negligit, paulatim euacuatur, ac decidit. Quemadmodum. n. gradatim homo ad ea quæ sunt excelsa consurgit, sic paulatim à minimis vitijs in maxima proruit. Nam & pluuiarum guttæ minutæ sunt, sed quia plures sunt, flumina implent, & domos subruunt. Vera tamen est Theologorum sententia, peccata venialia Dei gratia, & charitate hominem non priuare. Mens tamen religiosa, Christo dedita, cauere debet minora; intelligens planè, de omni verbo otioso esse rationem coram Deo in futuro iudicio reddendam, ante cuius faciem, vt B. ait Papa Gregorius lib. 26. Mor. cap. 21. vacuæ non transuolant cogitationes nostræ; & nulla momenta temporis totius anni decursu transeunt sine statu retributionis. Nam sic Deus vias nostras dinumerat, vt nec minimę cogitationes, ac verba minutissima, quæ apud nos vsu viluerunt, eius iudicio indiscussa remaneant. Siue ergo sit magna, siue parua iniquitas, nisi puniatur ab homine pœnitente, punietur à Deo iudicante. Sed eo redeamus vnde digressi sumus.

4 Secundo notādum, cùm peccata iam sunt commissa, neque in actu pendent, satis fuerit, si congruo tempore, & loco, seruata opportunitate, fiat correctio. Cùm verò peccata tunc fiunt, actúq; pendent, statim admonitio est adhibēda; igne. n. semel accenso, statim absque vlla mora ad aquam recurrendum est. Tertio notandum, multis quidem, ac veris de causis opus est fraternam correctionem in Religione vigere, videlicet ratione magnæ fraternitatis, veræ amicitiæ, strictæ propinquitatis, & propter status sanctitatem, propter commune detrimentū in omnes redundans. Quarto, correctio fraterna facienda est cum le-

nitate: delinquentes.n.sunt quasi infirmi,ideò leniter tractandi, iuxta illud Pauli ad Gal. 6, Instruite in spiritu lenitatis. Alioqui enim iurgia sequentur. Item cum compassione. Non. n. est veræ iustitiæ, indignari peccatoribus, sed compati, sic Psal. 140. Corripiet me iustus in misericordia. Item cum discretione. Alia.n.ratione corrigendi sunt maiores, alia minores; aliter grauia peccata, aliter leuia; alio modo occulta; alio manifesta. Item cum moderamine,ne ex musca elephantem facias. Sunt. n.quidam in corrigendis aliorum culpis diserti, & eruditi. Culpæ. n.potius alleuiandæ, quàm aggrauandæ sunt. Rectè nanque ille monuit, lauda parce: vitupera parcius. Item cum tranquillitate; correctio.n turbato animo facta, quædam impatientiæ offensio est. Huic sententię consonat Paulus ad Gal. 6.dicens; Si fuerit homo præoccupatus in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite in spiritu lenitatis; & dominus in Euangelio. Matth. 18.Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum, si te non audierit, adhibe tecum duos, vel tres,vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum.

5 *Si autem, & post admonitionem, &c.*] Si post admonitionem fratri adhibitam, iterum in culpa deprehendatur, vnusquisq; illum, iam velut vulneratum sanandum, est manifestaturus. Dubiolum tamen hic exoritur. An liceat culpam fratris indicare Prælato, vel fratribus, vel in capitulo disciplinæ, non præmissa secreta admonitione? Respondeo,peccata sunt in multiplici differentia constituta. Quædam.n. sunt manifesta, quæ siue exigua,siue magna fuerint, non requirunt secretam admonitionem, sed publicè sunt corrigenda. 1.ad Timoth. 5. peccantes, qui manifesti sunt, vt ait glossa, coram omnibus argue, vt & ceteri timorem habeāt.Alia verò sunt occulta. Inter quæ,sunt quædam leuia, & modica, fragilitatiq; humanæ nimis annexa, in quibus septies in die iustus,& perfectus cadit. Qua ratione fit, vt neque notabilem verecundiam contineant, neque adducant infamiam. In his indicandis non est necessaria pręcedens admonitio secreta,quia nec fratris verecundia, nec fama periclitantur, aut minuuntur. Tertio, alia sunt occulta,sed maiora, quæ infamiam, & verecundiam secū habent: vt inebriatio, & his similia. Et quia in his futuræ emendationis probabilis spes habetur, secretam admonitionem præire oportet. Quòd si ex aliquot circunstantijs inutilis existimetur correctio, quasi delinquentis saluti, vel statui Religionis non satis consulēs,& sufficiens; tūc prætermissa secreta admonitione,prodenda est culpa illi, qui prodesse potest, & non obesse: contingit præterea interdum, vulneratum fratrē tantæ esse peruersitatis,vt si secretò corrigeretur, vehementi odio corri-

Ait ergo; quamuis mandatum sit, post admonitionem detegendū esse crimen, quia tamē aliqui solent interdū negare crimen, idcircò priusquàm crimen manifestetur, coram alijs ostendatur culpa delinquētis. Sic tamē vt cùm notificatum fuerit alteri, vt duorum scilicet sui, & alterius, quando vni soli ostenditur: vel tertio trium, scilicet sui, & aliorum duorum possit ore conuinci, iuxta illud Matth. 18. In ore duorū, vel trium stet omne verbum. Quibus peractis, iuxta exigentiam culpæ, & negationis aggrauationem, competenti seueritate coerceatur, qui noluit charitatiua admonitione corrigi.

9 Breues tamen hic definiātur quæstiunculæ circa accusationes, quas faciunt Religiosi in suis capitulis, ad quas præsens præceptio pertinet. Primum, vtrum liceat accusare sine teste? Respondetur in illis casibus, in quibus non requiritur præcedēs admonitio secundam distinctionē prædictam, non requiritur solennitas testimonij; nulla.n. intercedit infamia, perireté; fructus earum accusationum propter difficultatem quærendi testes. Nec de his loquitur Augustinus, sed solùm de illis, in quibus admonitio præcessit.

10 Secundo quæritur, vtrum vnicus testis sufficiat sic accusanti? Respōdetur, quando agitur de peccato per modum denunciationis ad pœnitentiam, sufficit vnicus testis cum denunciante. Quoniā denunciās in hoc casu habetur pro primo teste, eo quod agitur Dei negotium, cuius sunt testes vterque, & euangelij verbum seruatur. Duo.n. concurrunt testes. Cùm verò agitur de peccato per modum accusationis, eo quod accusans agit proprium negotium, indiget alijs duobus testib. In proclamationibus ergo Religiosorum in capitulis sufficit cum proclamante vnicus testis, eo quod huiusmodi proclamationes denunciationes reputantur, & non accusationes secundum iura.

11 Tertio quæritur, vtrum quilibet teneatur procedere vsque ad huiusmodi accusationem, cum potest, etiam si operosum sit? Respondetur, cum omnes teneamur pro salute fratrum animas ponere, quantò magis ad hoc tenebimur? Vnde dominus non solùm de correctione secretò facienda verba facit, sed etiam testes adhibendos esse, imò & Ecclesiæ manifestandum voluit. Militans ergo sub Regula Augustiniana, non solùm ratione euangelij, sed etiam ratione Regulæ, admonitore Humberto, maiori vinculo ad id constringetur. Sunt tamen aliquot casus, in quibus ab hoc onere leuatur. Vt cum nulla est spes futuri fructus, vel propter defectum iudicis, vel assistentium, vel propter malitiam delinquentis. Alter est casus, quando Prælatus, & alij communiter sciunt culpam corrigendi extra forum confessionis. Alius est quando aliquis vacat melioribus, vel æquè bonis operibus, quæ impedi-

pediunt eum,ne id prosequi possit; alius est, quando per alium negotium fit sufficienter;alius est,dum obedietia alio eum vocat, & trahit. Nisi ergo aliquo rationabili casu excusetur frater, obligatur omnino ad prædictum processum pro loco,& tempore,& opportunitate, postquàm admonitiones secretæ non prosunt. Illud quoq; ipsum intelligẽdum est,si testes apti,& vtiles,& cordati, & tranquilli comperiantur, qui proderunt,& non oberunt. Prætermittenda quoque est huiusmodi correctio, si totus conuentus in aliqua magna ciuitate traduceretur,infamiamq; contraheret.Minus.n.malum esset commune nocumentum,quàm vnius vtilitas. Quod autem de testibus diximus; de iudice etiam,& assistentibus intelligendum est.

12 *Nec vos iudicetis, &c.*] Vitiosum timorem excutit Augustinus, ne quispiam leui aliqua causa perterritus à prodendo crimine sociorum retrahatur. Posset autem quispiam impediri,formidans proximi sui iram,aut damnũ proprium,aut certè Dei offensam,vbi nulla prorsus existeret.Hoc enim impedimentum suggerere solitus est dæmon, qui postquàm frugiferam esse futuram Christi passionem tandem intellexit,eam interturbare summopere elaborauit,Matth. 27.Sub specie boni suggerens vxori Pilati, vt virum à Christi morte retraheret, quoniàm in nocte peruisum multa passa fuerat propter eum. Gregorius quoque ait; Si increpationem idcircò reticemus,quia contra nos surgere odia formidamus:iam non Dei lucra, sed nostra quærimus. Alij etiam tanta simplicitate tenentur, vt iustitiæ zelum crudelitatem esse ducant. Ait ergo Aug.immeritò maleuolos iudicari,qui fratrum crimina iure produnt. Nocẽtiores.n.estis,cùm eos fratres, quos suorum criminum manifestatione emendari potestis, vestra taciturnitate perire permittitis. Sic Esai.Propheta.6.conqueritur. Væ mihi,quia tacui, quia vir pollutus labijs ego sum, videlicet ex ista taciturnitate. Glossa ait. Quare? Quia Oziam,& alios liberè non reprehendi.Ideò cum Angelis Deum laudare non merui. Eosdem obmutescentes vehementer Gregorius increpat,dicens: Qui proximi mala conspiciũt, & silentio premunt: quasi conspectis vulneribus vsum medicaminis subtrahunt,& eo mortis auctores sunt,quo vulnus,quod poterant,curare nolunt. Quæcunque loquendo corrigi possunt,eorum silentium consensum esse pertimescamus. Tot occidimus,quot ad mortẽ ire tepidi,& tacentes videmus. Sed & Aug.ait:Tu vulnus fratris cõtemnis? Tu eũ perire vides,& negligis? Peior es tacẽdo,quàm ille cõmittẽdo.

13 Huius autem suæ sententiæ rationem reddit. Quemadmodum. n. si frater tuus vulnus habens in corpore,carnis sectionẽ timens,occultare voluerit, tu qui vulnus nosti, crudelitatis coargueceris, silentio vtens;

vtens;contra verò misericors existimareris,illud detegens,& chirurgò manifestans. Sic quoque in medendo spirituali morbo tibi factitandum est, ne miser frater ex tua taciturnitate deterius sibi nocumentũ contrahat,si peccatum in corde putrescat.

14 Hic verò duo sunt diligenti mente excipienda. Primum quidem; summo iure peccatum, vulnus fuisse dictum. Sicuti. n. vulnus vires imminuit, dolorem infert,pusillanimitatem inducit,& quantò profundius,& abstrusius,tantò grauius;& periculosius est; sic etiam peccatũ eadem prorsus incommoda, & detrimenta miseræ animæ inuehit, & adfert. Alterum verò est,æqua quidem ratione dictum esse, peccatũ deteriori periculo in corde putrescere. Vt. n. vulnus spirituale deterius est,quàm vulnus corporale,ita & putrefactio est pestilentior. Dicitur autem peccati vulnus putrescere,quando non sanatur per correctionem. Vulnus.n.putrescens indies, totũ corpus corrumpere pergit. Ita & peccatum nocet,quod pœnitentia non curatur. Modicum .n.fermentum totam massam corrumpit. Emittit quoque vulnus fœtorem. Sic etiam non potest diu peccatum in corde consistere, quin illinc aliquis fœtor egrediatur. Accipe exemplum Antiochi. 2.Mac.9. qui adeò cõputruit,vt ex eius carne vermes scaturirent. Tantus erat in eo fœtor,vt intolerabilis omnibus videretur. Tantum denique fuit eius vulnus, vt insanabile iudicaretur. Eadem prorsus peccatum in corde reconditum operatur.

De procuranda proximorum salute spirituali. Consid. j.

1 
T maiori strenitate fraternæ corruptionis legem custodiamus,grauiaq; Aug. verba fideliori mẽte retineamus, ante omnia admonendi hic sumus diei illius, ac perniciosissimi fluminis in morem decurrentis ignis, eiusq; flammæ,quæ nunquàm extinguitur:cùm Solis tollentur radij,lunæq; splendor occultabitur: cùm stellis decidentibus,cœlisq; conuolutis virtutes commouebuntur: cùm vndique concussa,& liquescente humo,terribilis,alternusq; sonitus tubarum concrepabit:cùm percurrentibus orbem vniuersum Angelis,assistentibusq; Regi millibus,& millibus millium ministrantibus,aduenientibusq; cum ipso iudice ad eius obsequium paratis exercitibus, ante castra ipsa cœleste signum elucebit. Cum solium parabitur, & aperientur libri, maiestasq; illa reuelabitur inaccessa, atque ineffabilis; cum vox illa iudicantis audietur horribilis, & metuenda, alios quidem in ignem paratum diabolo,& Angelis eius ire præcipientis;alios verò post ingentem illã exercitationẽ,virginitatisq; labores ipsis thalami ianuis pro olei defectu

fectu arcentis,ministrorumq; alijs zizania colligere, atque in fornacē immittere iubentis;alijs item alios nonnullos compeditos, vinctosq; post terga manus in exteriores tenebras abducere, atq; horrifico dentium stridori addicere; cùm hunc quod impudicè tantum aspexit, illū quod intempestuosè risui dederit, alium quod maledixerit duntaxat vehementissima, atque grauissima animaduersione plectet. Nam quod istos quoque pœna acerbissima maneat, ipsum iudicem audias licet,qui & hæc,& eiusmodi supplicia intentat. Ad hunc nobis iudicē prorsus eundum est,atque dies ille metuendus,in quo nuda,& patefacta erunt omnia,non tantùm opera, & verba, verùm ipsæ quoque cogitationes, & intentiones animi. Nam eorum quoque delictorum, quæ videntur esse læuia,& nulla,terribiles tunc pœnas mali expendēt.

2 Pari profectò,& eadem ferè diligentia ipse idem iudex & nostram, & proximorum nostrorum salutem eo die requiret à nobis; idcircò Paulus quoque semper, & vbique monet singulos, non quæ sua sunt quærere,sed quæ proximorum; ideò in Corynthios vehementer inuehitur,ꝙ nullam prouidentiam,nullamq; curam habuerant eius,qui in grauissimum crimen fornicationis inciderat, sed magis eius vulnus tumidum,obduratumq; contempserant. Galatis quoque cap. 6. eadē scribens aiebat; Fratres,& si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto,vos qui spirituales estis,eiusmodi corrigit.& 1. ad Thessal. 5. eadē monita edebat,dicens; Itaque exhortamini inuicem, sicut & facitis, Itemq;, corripite indisciplinatos,consolamini pusillanimes, sustinete infirmos;nequis.n.diceret,quid mea interest,etiam aliorum curare salutem? Qui perit,pereat,& qui seruatur,seruetur, nihil horum pertinet ad me,mei tantùm ipsius curam habere mihi imperatum est. Ne quis,inquam,ista diceret,immanem hanc, & prorsus inhumanam cogitationem iugulans,legibus istis illam sepsit, & circunclusit, quibus iuberet plurima nostrorum commodorum negligere,vt proximorum saluti consuleremus,atque omnibus in locis vitæ eandem diligentiam habendam definiuit. Romanis quoque cap. 15. cùm scriberet,ingentem illis curam huiusmodi procurationis imposuit, multumq; in ea parte voluit esse solicitos, fortes imbecillibus patrū loco esse iubens, eorumq; salutem curæ illis esse admonens.

3 Sed ista in eo loco hortantis,atque consulentis voce, magis quàm imperantis auctoritate mandauit; alio verò in loco summa cum vehementia auditorum animos perterruit,eos qui fratrum salutem negligerent, in ipsum Christum peccare asseuerans,Deiq; ædificium diruere. Quæ quidem omnia non vt à se inuenta afferebat,verùm à magistro didicerat. Nanque vnigenitus Dei filius docere nos cupiens,

quàm

quàm istud debitum necessarium sit, vtq; hi, qui illud reddere negligunt, summis afficiantur incommodis, aiebat Math. 18. Quicunque scandalizauerit vnum ex pusillis istis, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria circa collum eius, & demergatur in profundum maris, atq; is qui talentum attulerat, non quod aliquid ex suis contempsisset, sed quod proximi salutem neglexisset, & increpitus, & supplicio affectus est. Itaque & si vitam omnem nostram diligentissimè compositam, & instructã egerimus, hac non euitata negligentia, quid cõsequemur emolumenti, cùm ea talis, ac tanta sit, quæ sola in gehennæ profunda possit immergere? Si.n.is, qui proximum in eis rebus, quæ ad corpus pertinent, adiuuare noluerit, nulla ratione excusari poterit; verùm, & si virginitatem ille seruauerit, extra sponsi thalamum proijcietur: is, qui quod multò maius est omiserit (quippe longè maximum est animarum gubernatio, & regimen) cur non mala omnia perpeti meritò dignissimus existimetur? Hominem.n.non vt sibijpsi tantùm prodesset, creauit Deus, sed vt multis.

4 Idcircò Paulus quoque fideles homines luminaria appellat, ex ipsa appelatione manifestans, oportere fideles ceteris quoque vsui esse. Luminare quippe quam diu seipsum tantummodo illuminat, luminare profectò non est. Quocirca gentilibus quoque ipsis deteriores esse ait, qui proximorum salutem negligerent, sic dicens; Si quis autẽ suorum, & maximè domesticorum prouidentiam non gerit, fidem abnegauit, & est infideli deterior. Quid.n.hoc loco prouidentiæ nomine significari putas? An fortassis necessariorum largitionem? Equidem reor, ipsum hoc nomine curam animæ significare voluisse, sin verò tu contentiosè sensum tuum afferre malueris, sic quoque sententia mea firmior, ac validior manebit. Nam si de corpore hæc dixit, cumq; qui vilem hunc, & quotidianum cibum non præbet, tantis cruciatibus addixit, gentilibusq; deteriorẽ esse ait; quonam tandem in loco statuemus eum, qui id, quod longè maius, & dignius est, magisq; necessariũ contemnit? Age itaque colligamus peccati nostri magnitudinem, ac paulatim ascendentes, ostendamus, quantum peccata omnia exuperat proximorum contemptus, & neglectio, vtq; ad summum malignitatis verticem euadit.

5 Est itaque primus malitiæ, & crudelitatis gradus ab infimis ascendendo, iumenta, & pecora inimicorum, & errantia, vel lapsa negligere, iuxta legem Iudæis traditam Exo.23.& Deut.22. Secundus illo superior, inimicos ipsos negligentius curare. Quantò.n. homo mutis animantibus ad honorem præstat, tantò peccatum istud maius quàm illud est. Tertius deinceps, fratres aspernari, si fuerint peregrini, &

 ignoti

ignoti. Quartus, familiares quoque despicere. Quintus, cùm non solùm corpore, verùm anima quoque fratris pereunte desidemus. Sextus, si non familiaribus modo, verùm ipsis quoque filijs, subditisq; pereuntibus negligimus. Septimus, cùm nec alios, quibus illi curæ esse posint, prouidemus. Octauus, cùm, & eos, qui id à seipsis facere instituunt, arcemus, atque prohibemus. Nonus, cùm non tantùm illos prohibemus, verùm oppugnamus quoque. Itaq; si primus, & secundus, & tertius eiusce facinoris gradus tantò supplicio afficiendus est; Quantos ille meretur ignes, qui cunctos eos gradus ascēdit? Quia eadem modo peccantibus nobis, quæ vetus lex damnat, non eadem supplicia debentur; Verùm tantò acerbiora, & diriora, quantò maiori gratia potiti, excellentiorisq; doctrinæ participes effecti, maioribus item honoribus affecti sumus.

6. Ad propositum autem nostrum vberius confirmandum, rem tibi enarrabo, non à meipso inuentam, sed in diuinis litteris traditam. Sacerdos quidam apud Iudæos fuit, vir imprimis moderatus, atque mansuetus, Heli nomine; huic duo cùm essent liberi, videretq; illos vitijs deditos, non corripuit, aut coercuit; siue, vt verius loquar, corripuit illos quidem, & cohibuit, verùm non omni cum studio, & vehementia id fecit; horum hæc autem fuere crimina, ventris ingluuies, & fornicatio. Edebant enim antequàm sanctificarētur sacræ carnes, priusquàm offerretur Deo sacrificium, ex. 1. Reg. cap. 1. Quibus compertis, pater non illos pœna affecit, ceterum verbis tantùm castigare, leniq; admonitione ab hac eos peruersitate reuocare conatus est, atque huiuscemodi verba iugiter ad illos loquebatur; nolite filij, nolite sic facere, non. n. bona fama est, quam ego audio de vobis, vt faciatis populum non seruire domino; & certè plena sunt grauitatis, reuerentiæ, ac ponderis hæc verba, & quę ad statum vitæ melioris reuocare possent eum, qui penitus excors, & amens non esset. Quippe quæ sceleris immanitatem indicant. Verum quia non omnia, quæ agenda fuerant; vt ea resecarentur vitia molitus est, & ipse cū illis vna perijt. Minas nanq; ille addere debuerat, & à suo eos conspectu amouere, atque abdicare etiam, & verberibus afficere, multoq; illis grauius, & durius instare. Quia igitur nihil horum egit, verborumq tantùm monitis contentus fuit, & illis, & sibi ipsi Deum aduersum, infestumq; constituit, cumq; improbè, & intempestiuè filijs parceret, & suam simul, & illorum salutem perdidit. Audi denique quid ad discipulum Samuelem de magistro locutus sit Deus; cui penitus eius clades reuelare, quàm illi maluit, adeò illum auersabatur, atque odorat, quia non corripiebat eos. Certè corripuerat, sed hanc Deus pro correptione non suscepit, adeò

illum, quòd vehementia,& inuectione caruisset reprehendit.

7 Itaq; & si prouidētiam habeamus filiorum,& subditorum,non autem quantum necesse id faciamus, profectò non ea prouidentia dicenda est, sicut nec fuit illa correctio Heli. Cùm verò Deus crimen prosequutus fuisset, tum demum ingenti cum iracundia cruciatum adiecit,iuraui. n. (inquit) domui Heli,si peccatum istud de domo Heli expiabitur,siue incenso,siue sacrificijs vsque in æternum. Vidisti ne ingentem indignationem, cruciatumq; vehementissimū,& omnino spe veniæ exclusum? Petiturum.n.ait,non solùm ipsum, eiusq; filios, verùm cum illo domum quoque vniuersam, quanquàm seni illi præter filiorum neglectionem,nihil quod crimini daret, habuit Deus, erat.n. admirandus in ceteris, qui sine quærela genus Hebræorum rexerat. Quod si contemptus illius scelus,instar fluctus tetri,& ingentis,virtutes eius cunctas transiliuit,vniuersaq; rectè facta sua magnitudine operuit;qua tandē nos animaduersione puniemur,qui & eo tēpore nati sumus quo longè maior à nobis philosophiæ fructus postulatur? & senis huius virtute non parum inferiores sumus; quippe qui non tantū ipsi gregem nostrum non moderamur, neque ad virtutem dirigimus, verùm eos etiam,qui id facere voluerint, & insidijs appetimus, & hostiū vice oppugnamus,neque aliquid quod ad spiritū pertineat monemus: ob idq; sæpenumero multa acerba patimur; Vnde enim damnis, & incommodis afficimur? Vnde casus varios, vnde calumnias,vnde mala innumera quotidie perpetimur?

De correctionis fraternæ executione. Cap. xiij.

¶ SED antequàm alijs demonstretur, per quos conuincēdus est,si negauerit: prius Præposito debet ostendi, si admonitus neglexerit corrigi, ne forte possit secretius correctus, non innotescere ceteris. Si autem negauerit, tunc negāti adhibēdi sunt alij: vt etiā corā omnibus possit,nō ab vno teste argui,sed à duob. vel tribus cōuinci.

ENARRATIO.

1 NTEQVAM fraternæ correctionis negotium coram testibus agatur,lenis quædā,suauisq; correctiuncula charitatiua coram solo Prælato adhuc peragenda restat. Sic ergo noster author nos instituit,quòd post admonitionem secretam,si admonitus corrigi tenuit, secunda

admonitio coram Prælato facienda est, priusquàm ad conuictionem coram multis deueniatur; vt si fortè hac secunda admonitione resipere voluerit, supersedeatur à publicatione culpæ eius coram multis. Nec nobis obstat particula illa, ne fortè; vt. n. exponit Humbertus, æquiuoca est. Quandoque.n.idem valet, quod, vt non. In qua significatione hic non accipitur ab Augustino. Quandoque verò idem significat quod hæc particula, si, vt.2.ad Timot.2.Cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati, ne quando det illis Deus pœnitentiam. glossa Ne quando, idest si aliquando. Et sic in nostro loco vsurpatur, vt sit sensus; ne fortè pòssit, idest si fortè possit. Tria igitur factitanda proponit: cui facienda sit indicatio: quia Prelato: quo ordine, quia post admonitionem secretam,& neglectam: & ante procurationem testium. Oculatissimè tamen hoc negotium tractandum est, ne fama proximi iniustè lædatur. Ideoq; quo ad fieri potest, salua iustitia, huiusmodi læsio cauenda est. Propterea Aug. addidit, si fortè posset secretius correctus nō innotescere,& manifestari ceteris, vt scilicet eius famæ consulatur, parcaturq;. Item hoc loco diligenter notandū, quòd illam secundam correctionem, quam dominus docet faciendam coram vno, vel duobus Matth. 18. Augustinus hic eā restringit in Religiosis, qui non sunt omnino sui iuris, ad Prælatum, tanquàm ad illū, qui verisimilius creditur prodesse posse, & non obesse. Triplex autem vtilitas inde expectatur. Prima, quòd multæ sint causæ, ob quas potius ille correctus Prælati, q̃ alterius correctioni acquiescere debeat. Secūda vtilitas ē ipsius Prelati, cui expedit agnoscere vultū pecoris sui. Tertia est indicantis, qui à Prælato melius edoceri poterit, quid sit ei vlterius faciendum. Vbi quidam admonent huiusmodi manifestationem non esse Prælato faciendam coram reo de re graui; ne fortè reus agat iniuriam contra denunciantē, si illud probare nequeat. Est etiam notandum, hanc criminis ostensionem ante testium procurationem esse faciendam, vt maturo Prælati consilio prudētius progrediatur vlterius, si necesse fuerit in testibus procurandis. Procedet quoque criminis indicator multò efficacius, auctoritate Prelati interueniente, vel etiam ipso compellente, ad testes habendos. Maior etiam charitas tūc ostenditur, cùm tentatur, an Prælati solius correctio possit prodesse, antequàm etiam testibus crimen detegatur.

2 *Si autem negauerit &c.*] Egit hactenus Augustinus de ijs, quę admonitionem præcedunt, nunc vero ad ipsam conuictionem accingitur, quattuor insinuans, scilicet quis conuincendus? Quia negans; ideò inquit, si autem negauerit. Secundo, quando conuincendus est? Quia post negationem factam coram Prælato, ideò inquit, tunc, idest post negatio-

negationem. Quod intelligendum est, statim, si habentur testes conscij culpæ, vel posteà quando habentur, statim postquàm fuerint procurati. Tertio, coràm quibus. Quia etiam coram omnibus. Nisi fortè expedire videatur Prælato id facere coràm paucioribus. Ideò inquit, vt etiam coràm omnibus. Quarto, à quot? Quia à pluribus. Ideò inquit, vt possit non ab vno solo, scilicet denunciante argui, sed à duobus, vel tribus conuinci.

3 Hic primo notandum tria esse, quæ solent hominem à malo retrahere: nempè primus amor est, quo quidem Christus Iudam à peccato concepto retrahere volens, dixit ei; Amice, ad quid venisti? Matth. 26. Secundus est pudor, quem Christus expressit, cùm dixit; Qui intingit mecum manum in parapside, hic me tradet. Timor est tertius, quē incussit dicens: Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur. Pari quoque ratione Augustinus tria tentanda proposuit ad retrahendum à peccato, videlicet correctionem secretam, quæ pertinet ad amorē. Ideò dixit, statim admonete, ne malè cœpta progrediantur. Deinde subiungit correctionem coram Prælato faciendam, quæ pudorē habet. Ideò dixit; Præposito debet ostendi. Postremò subdit conuictionem in iudicio faciendam, quæ habet timorem. Idcircò in nostro loco ait: si autem negauerit, &c. Secundo notandum, quòd adhuc deficientibus testibus proclamatio contra Religiosum fieri potest citra punitionem iuris. Non.n. hæc fit in forma iuris. Quando.n. charitatiuè extra iuris formam efficitur, licitè dici potest aliquibus, qui possunt prodesse, & non obesse, etiam si multi sint. Nec tamen propterea id coram multis in forma iudicij fieri licebit impunè. Quia grauius est agere in iure contra aliquem, quàm charitatiuè monere, vel certè curare, vt reus moneatur. Hæc Humbertus, vt.n. est quædā denunciatio iuridica, est quoq; & altera denunciatio fraterna. Vtriusq; autē denūciationis discrimen sapienter explicuit Dom. Sotus lib. 5. de iust. & iu. q. 6. ar. 2.

De pœna infligenda post finitam correptionem fraternam. Cap. xiiij.

¶ CONVICTVS verò secundum Præpositi, vel presbyteri, ad cuius dispensationem pertinet arbitrium: debet emendatoriam sustinere vindictam: quam si ferre recusauerit, etiam si ipse non abscesserit. De vestra societate proijciatur. Non enim & hoc fit crudeliter, sed

misericorditer. Ne cõtagione pestifera plurimos perdat. Et hoc quod dixi de oculo non figendo, etiam in ceteris inueniendis, prohibendis, indicandis, conuincendis, iudicandisq; peccatis, diligenter, & fideliter obseruetur, cum dilectione hominis, & odio vitiorum.

ENARRATIO.

1 CVm sacer Augustinus rectam tradidisset formam in criminibus reprehendendis, & conuincendis, in hoc capite legem præscribit ad eadẽ crimina punienda, & vindicanda: Tria tantum explicans, à quibus sint punienda? Quia à Præposito, vel Presbytero. Ideò inquit, secundum Præpositi, vel Presbyteri arbitrium. Secundo, qua pœna vindicanda sint? Quia satisfactione emendatoria. Ideò ait, conuictus verò debet emendatoriam subire vindictam. Tertio, quid faciendum sit de recusante pœnam emendatoriam? qui expellendus. Ideò inquit, quam si ferre recusauerit, proijciatur. Cuius rei causam addidit, ne contagione pestifera plurimos perdat.

2 Hic primo notandum, Presbyterum interdũ vocari Episcopum ciuitatis, vt ad tit. 1. Vt ordinares presbyteros per ciuitates, glossa ait, Episcopos, Præpositus autem dicitur, qui sub Episcopo est maior in congregatione. Habetq; rationem, & ad inferiores, quibus præest, & ad superiorem, cui subijcitur. Verisimile igitur est, vt Humbertus hic opinatur, Augustini tempore ita fuisse suam ecclesiam cathedralẽ institutam, ad cuius similitudinẽ nonnullæ nostra ætate cathedrales ecclesiæ regulares comperiuntur: vt videlicet capitulum Canonicorum Regularium ipsum Episcopum, tanquàm Abbatem, & Superiorem habeant, & agnoscant: & sub ipso Episcopo aliquem immediatũ Prælatum, qui tunc Præpositus dicebatur, nunc verò apud diuersas ecclesias diuersis nominibus appellantur. Quapropter quoniam hi duo Superiores in conuentum, siue monasterium diuersas habebant iurisdictiones, idcircò Augustinus dixit; Secundum arbitrium Præpositi, vel Presbyteri, ad cuius dispositionem pertinet. Hæc Humbertus. Altera etiam huius loci expositio tradi potest; vt Augustinus verba faciat iuxta praxim priscorum temporum, antiquarumq; Constitutionũ eccles. quando vniuersa monasteria iure communi Episcopis subijciebantur. Nulliq; extabant Abbates, seu Priores ab Episcoporum iurisdictio-

ne exempti. Nostris verò temporibus exemptionis priuilegio fere omnia monasteria gaudent.

3 Secundo notandum, incorrigibilitatis crimen grauissimum esse. Quod proinde acerrima pęna esse puniendũ noster author arbitratur. Ea autem est à societate expulsio. Expulsionem verò varijs quidem modis nonnulli interpretantur, Vt sit quoddam excommunicationis genus, dũ incorrigibilis à choro, vel refectorio, vel aliorum colloquio separatur. Alij carceris inclusionem intelligunt. Alij verò rigidius adhuc eiectionem esse volunt ab ordine, habitu sublato. Verior tamen est sententia, vt iuxta diuersas personarum, & criminum circunstantias, nunc hoc, nunc illud, quandoque tertium sit obseruandum, & exequendum. Hoc tamen apposito moderamine, vt mitior pœna semper eligatur. Nisi scandalum aliorum, & iustitiæ conseruatio aliud suadeat. Sed hac de re plurima diximus superius lib. 2. cap. 23. de Canonico incorrigibili.

4 *Et hoc quod dixi de oculo, &c.*] Tradiderat quidem Augustinus egregias, perutilesq; præceptiones ad exercendam fraternam correptionem, strictim tamen in libidinis crimine. Propterea nunc easdem præceptiones, & leges ad vniuersa cuiuscunq; generis crimina, liquido extẽdit, & porrigit; ne sit opus iterato sermone easdem præceptiones repetere, atq; resumere: quam rem nos paulò superius animaduertebamus. Adiunxit tamen in calce hoc documentum obseruatione dignissimum, dicens; Vniuersa hæc exequenda esse cum dilectione hominis, & odio vitiorum. Quodquidem eo animo fecit, vt nos commonefaceret, ne crudelis lupus sub ouina pelle contectus in viros virtuti deditos insæuiret. Quidam.n. sub specie persequendi peccatum, ipsos homines insequuntur. Qui Scribis, & Pharisæi non sunt dissimiles. Illi nãque propter inuidiam, & odium Christũ accusabant, nunc quod sabbathum violaret, Matth. 12. & Marc. 2. Nunc quo se Dei filium nominaret, Ioan. 10. & Luc. 22. isti.n. criminatores hominem confundere, & conturbare intendunt, quasi alteri principes, & satrapæ Babylonis, qui non ea mente Danielem accusabant, Daniel. 3. vt à malo desisteret, quippe qui bonus erat, sed malum quærebant, vt contra eum nocendi occasionem arriperent.

5 Alios etiam inuenies, qui & si ex proposito in correctionibus homines non persequantur: ex defectu tamen veræ charitatis, adeò incautè interdum agunt, calamum quassatum cõfringẽtes, & linum fumigãs extinguentes, vt correctio, quæ correctis ad vitã ordinabatur, eis plerunque mortem inferat. Pia mater, dum nasi sordes in filio abstergit, ea lenitate nares emundat, vt sanguinem non eliciat. Qui arden-

tem candelam emungit, ita emunctorium exercet, vt nec lumen extinguat, nec fœtorē inducat. Tanta ergo lenitate correptores vti debēt, vt in sola vitia inuehantur, & hominem quamuis errantem amore, & dilectione prosequantur. Igitur odij amaritudo prorsus exuenda est, charitatisq; dulcedo adhibenda, nam distinctio vitijs debetur, cōpassio verò ipsi naturæ. Fertilissimus se hic nobis ager offerebat ad correptionem fraternam tractandam; sed nec commētarioli ratio, & meta id patitur, ne Augustini regulam plus æquo oneremus, Præterquàm quod eam rem abundè satis nos pertractamus in nostro quodam alio opere, quod diuina ope parare cogitamus. Vbi egimus de tribus potioribus, videlicet de correptione fraterna ab Episcopo, & Parocho exercitanda. Rursus, de obligatione Episcoporum, & Parochorum ad exercitandam fraternam correptionem. Tertio denique, qua ratione Ordo euangelicus in fraterna correptione sit obseruandus.

De occultis epistolis, & munusculis. Cap. XV.

¶ QVICVNQVE autem in tātum progressus fuerit malum, vt occultè litteras ab aliquo, vel quodlibet munus accipiat: si hoc vltro confitetur, parcatur illi, & oretur pro illo. Si autem deprehenditur, atque conuincitur: secundum arbitrium Presbyteri, vel Præpositi grauius emendetur.

ENARRATIO.



VTHOR in hoc capite, quod rerum iā pertractarū quasi corollariū est, aut certè auctariū, litteras occultas, secretaq; munuscula à mulierculis accipere vehemēter dānat, eo quod sic via sternitur ad maiora mala perpetrāda. Aduerte tamen documentum hic traditum, in alijs etiam criminibus castigandis esse assumendum, & obseruandum. Imprimis igitur nobis significat Augustinus non leue esse malum, si Religiosus aliquid acceperit illicitè, idest sine licentia. Quod ipse vocat occultè fieri. Quia fit sine Prælati facultate. Quamquàm autem hoc semper sit vitandum, & tanquàm malum cauendum, specialiori tamen ratione viri probi à litteris, & munusculis muliercularum sibi cauent. Huc pertinet quod Hieronymus asserit: occultas litteras, & sudariola, &

la,& crebra munuſcula ſanctus amor non habet, quiſquis.n. ijs delectatur,magna vanitate ſeducitur. Et quo magis delectatur infimis, eo amplius eijcitur à ſupernis. Deinde his litteris, & munuſculis mulier inſpecta in memoriam reuocatur,ſicq; vir ſanctus à dæmone infeſtatur. Præterea eiſdem rebus nutritur, augeturq; in mulieres affectus. Ad hæc mulierum familiaritas acquiritur,& conſouetur. Ea ergo de cauſa hoc negotium verbis exaggerationem ſignificantibus author expreſsit,dicens: Quicunque in tantum fuerit progreſſus malum; At verò quoniam qui ſpõte ſua crimen fatetur,mitiori,minoriq; pœna iure plectendus eſt,ideò addidit,vt illi parcatur, quod intelligendũ eſt, non quo ad totum,ſed quo ad partem,& oretur pro eo, vt ſicut benignem, & leniter agitur cum eo ab homine: ita & Deus etiam miſericorditer agat cum eo. Ex quibus infertur,recognoſcentem vltrò culpam ſuam,multò minus eſſe puniendum, quàm deprehenſum, atque conuictum. Ea profectò ratione, quia pœnitens videtur, & circunſpicientes ex hoc facto ad bonum prouocantur, & contra eum agentes, minus defatigantur. Itaq; nemo audeat hoc præceptum contemnere. Quia, vt inquit Hugo, aliquid occultare, eſt Ordinem infringere. At verò magnum malum incurrit,qui Ordinis ſui præuaricator exiſtit. Niſi.n. Propheta ſanctus magnum malum eſſe ſciret, quod Giezi diſcipulus ſuus à Naaman Syro munus occultum acciperet; nequaquàm eũ horribili lepræ morbo percuſsiſſet. 4. Reg. 5. Exemplo itaque ſuo nos docuit,graui cum correctione dignum eſſe,qui aliquid contra legem acceperit.

De multijuga vtilitate fraternæ correctionis in Religione. Conſid. j.



1 ERTISSIMVM profectò diuinæ bonitatis indiciũ eſt, poſt adeò inſignem contumaciam, poſt talẽ inobedientiam, poſt tanta ſcelera, cùm iam orbis totus tyrannide peccati premeretur,cum dolendum omne hominum genus eſſet: Tũ verò maximum omnium beneficiũ oſtendit, vnigenitum ſuum pro inimicis, pro alienatis à ſe, pro ſe odientibus, atque aduerſantibus morti tradens: per quam & noſtram reconciliationem operans: cœlorum regnum, aliaq; innumera bona ſe daturum ſpondens, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, Eſai. 64. & 1. ad Cor. 2. Meritò Dauid cecinit pſal. 102. Secundum altitudinem cœli à terra corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe, quomodo miſeretur pater filiorum,&c. Non.n.eſt voluntas ante patrem veſtrum, ait Chriſtus, vt pereat vnus de puſillis iſtis, Matth. 18. Alterũ diuinæ bonitatis inditium eſt,quòd

etiam

etiam relapsos in peccatum, reuertentes cũ gaudio suscipit. Huc pertinet parabola de centũ ouibus,& vna perdita, Matth. 18. & Luc. 15. vt si aliquis aberrauerit, statim ad caulas reducatur. Huc pertinent plures historiæ. Quoties ipsum Pharaonem corripuit, antequàm eũ submersit? Quoties filios Israel per Prophetas increpabat, antequàm traderentur in manus gentium? Sic & perditurus orbem diluuio, spatiũ resipiscendi dedit centum viginti annos. Sed nec Sodomitas perdidit, homines alioqui pessimos, donec videret, si in malitia persisterent.

2 Propterea Christus vtilissimam regulam nobis proposuit custodiẽdam; dicens. Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te,& ipsum solùm, si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. O verè pulchra, & notatu dignissima Regula, imò & necessaria, præsertim in Religione, vt pax inter nos conseruetur, charitasq; foueatur. Cum .n. vita nostra non sit perfectio, sed tendentia ad perfectionem. Imò nihil aliud quam domus quædam, in qua varia genera morborũ conspiciuntur, non parum refert scire, qualem te erga aliorum infirmitates exhibeas: pauci.n. sunt, qui aliorum vitia rectè tractare sciant, aut enim omnino tacemus, & dissimulamus, aut plus iusto facimus.

3 Graue nimis videtur preceptum de correctione fraterna, ceterum qui diligit Deum, & proximum, vt par est; id vt facilè æstimabit. Qui enim verè Deum diligit, eius gloriam, & regnum extendi desiderat. Quocirca si frater in peccatum lapsus est, totis viribus è tam profundo pelago extrahere contendet. Vt sic regnum minuat diaboli, regnũ augeat Dei. Vt sic auferat satanæ sedem, & inueniat locum domino, & tabernaculum Deo Iacob. Iam si fratrem verè diligit, eum à peccato, idest à veneno, peste, gladio, & morte liberare non cessabit. Igitur vires præcepti de fratris correctione in Dei, proximiq; amore figuntur. Quòd si iubemur cibum, potum, vestem proximo indigenti porrigere, quantò potius iubebimur eum à peccato, si possumus liberare? Liberando .n. à peccatis, planè vestimus, cibamus, medemur, & omnia indigenti præstamus, certè si charitas non quærit, quæ sua sunt: facilè oblita sui, commoda proximi quæret. Demum Christus Dei sapientia, hoc præcipiens, non potuit non cordatissimè præcipere. In cuius signum ipse læsus,& offẽsus, venit nos correpturus. Imò verò quotidie nos in nostræ conscientiæ secretò nostri admonet peccati, quod si non corrigimur, permittit secretam culpam in lucẽ proferri. Velut afferens testes, vt nos corrigat. Vtinã incorrecti, vt ethnici, non relinquamur.

4 Sanè hæc Christi verba non tantùm accipienda sunt de his, qui in personam tuam peccant: iustus.n. non tantum curat, quòd in se peccatur,

catur, sed & quod in Deum, in Christum, in proximum. Hęc.n.omnia sibi cohęrent, Ecclesia, Christus, Deus, sicut corpus, & caput. Ecclesia corpus est, Christus autem caput huius corporis, Deus autem caput Christi. Quod igitur contra Deum, contra Christum, vel aliquod membrum fit, contra totum corpus fit: atque adeò quicunque qualitercunque peccat; Si Christianus es, contra te peccat. Quod igitur Christus hic dicit: si peccauerit in te, non tantum refertur ad id quod in te committitur; sed idem est, ac si diceret, te sciente. Tunc.n. in te quis peccat, cùm te vidente, vel sciente peccat. Nã & malo exẽplo te offendit.

5 Subdit deinde Christus. Vade igitur, & corripe eum. Hoc verbo primum eos percutit, qui sibi viuentes, nec Dei gloriam, nec proximi salutem curant, vident alios peccantes, ac ad perditionem, & velis, & remis tendentes, tamen silent, ac dissimulant, quasi nihil ad eos pertineat proximi salus, cùm possent eius interitum præcauere; Qui talis est, putas ne quò d charitas patris sit in eo? Si vicinus tuus sciret hostem tuum super te irruiturum noctu, te nesciente, ac nihil tale suspicante, vel etiam dormiente, neque te admoneret, nec illum impediret, nonne ipsum cum hoste tuo consensisse, atque omnino iura amicitiæ violasse iudicares? Quantò peior est, qui fratrem videt à diaboli vinculis æternis illaqueatum, perditioniq; proximum, nec tamen eũ studet eripere, vel saltẽ admonere piculi, quod ipse tẽtatione victus, & affectibus perturbatus, nõ videt? Magni igitur beneficij res est, fratrẽ ad perditionẽ properantẽ reuocare. Sic Nathã. 2. Reg. 12. magno beneficio ipsum Dauid affecit, arguẽdo ipsum, ac periculũ ostendẽdo, quod ipse nõ videbat: ad hoc.n. eũ perduxit, vt diceret: Peccaui dño. Et vt Chrysostomus ait; Quis sapientior quàm Dauid fuit? Sed tamẽ cũ rationis vires à cupiditate tenerentur, quæ quasi fumus animũ eius occupauerat, in peccatum delapsus, non sentit; ac ideò lucerna sibi prophetica opus fuit, & verbis, quæ perperã gesta in memoriã reducerẽt. Huius sapiẽs dicit Eccl. 17. Vnicuiq; mãdauit Deus ꝓximo suo.

6 Contra hoc Christi præceptum faciunt, qui aliorum vitia, quæ viderint, statim in publicum efferunt, ad quod, heu, nimium omnes inclinamur. Quotus.n. quisq; est, qui non libentius proferat, vel etiam audiat aliorum vitia, quàm benefacta? An autem id cum Christiana charitate constare possit, ex hoc Christi verbo collige. Quæcunq; vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis, Mat. 7. Item diliges proximum tuum, sicut teipsum, Matth. 22. Sed dicis, an non loqui licet, quæ vera sunt? Loquere, sed ita vt frater corrigatur. Hic finis esto, in hunc finem licet de aliorum vitijs loqui. Quomodo autem emendabitur,

qui

qui te videt legem charitatis violasset? Quomodo corripietur, quem vbiq;, & coram omnibus traducis, ipsum autem peccantem, ne semel quidem arguis? An non stultus, imò insanus meritò iudicaretur, qui peccantem seruum, ne verbo quidem increparet, eius autem erratum omnibus manifestaret? Si emendationem quæris, ipsum peccantem argue: si ipsum non argueris, sed vitium eius alijs propalaueris, iam prodidisti, te non quęrere emendationē, sed fratris diffamationem.

7 Cùm verò Christus ait, Frater, non tantùm iubet arguere fratrē, sed & pulchrè his verbis ostendit, qualis debeat esse correptio. Primo igitur, alterius peccatum corripe beneuolens: vide ne tu trabem in oculo habeas: iuxta Christi monitum; Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Matth. 7. Trabem autem habes, si ex odio, vel inuidia arguis: maius .n. peccatum iam perpetras, quam is, quem arguis. Ex charitate igitur arguendus est proximus. Secundo, correptio fiat cum mansuetudine, ac compassione. Ideò dicit frater, quasi dicat, cogita eum esse fratrē, & natura, & professione, vel fide: deinde cogita, & te eiusdem esse naturæ, qui & ipse peccare possis, & crebro peccaueris. Sic Paulus quoq; docet ad Gal. 6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos instruite eum in spiritu lenitatis, cōsiderans teipsum. Tertio, talis sit correptio, vt & vitium amputetur, & fratris famæ consulatur. Hinc Christus dicit: Corripe eū inter te, & ipsum solum. Sic Paulus 1. ad Cor. 12. ait; Ignobilioribus corporis membris maiorem honorem circundamus. Hoc exemplo docet Christianos omnes in id incumbere, vt si quid in proximo reprehensibile viderint, summā diligētia abscondant, ne turpitudo appareat, ne frater diffametur. Sic corripe fratrem, & ipsi consules; Quis .n. tam pertinax, qui non emendaretur, si te videret, nihil aliud quærere, quàm salutem eius? E contra, quis non illico excusationes, & effugia quærat, si conspexerit te id agere, vt diffametur? Melius est.n. nomen bonum, quàm diuitiæ multæ: nec quisquam est, qui non ægerrimè ferat boni nominis ablationem.

8 Hic igitur iterum vides, detractorem peiorem esse fure, imò & homicida, vt qui vno impetu tres occidit; primo eum, quem diffamat, deinde seipsum quoque; homines .n. per malitiā occidunt animā suam. Ad hæc & eum, coram quo fratrem diffamat. Detractorem audiens, & tu quoque inficeris, ac iniquior fis in eum, cui detrahitur, saltem suspitionem tibi ingerit. Cōfer nunc vitam nostram ad hanc à Christo præscriptam regulam, & ni fallor, videbis, vitam nostram plusquàm bis diapason à Christi decretis distare.

9 Subdit etiam Christus correctionis fructum, cùm ait; Si te audierit,

rit,lucratus es fratrem. Parùm ne tibi videtur lucrari fratrem? Imò maximè bonum opus est, quo melius vix facere poteris. An nõ vides, quòd fidelis ille pastor nonaginta nouem ouibus relictis, eam quæ errauerat,tanta diligentia quæsiuit,vt & animam suam traderet pro eius redemptione? Ex eodem verbo satis colligitur correctionem, dummodo fraterna sit, opus esse charitatis,quanquam mundus aliter iudicet,ac potius eum,qui laudat,quàm eum qui arguit, reputat amicũ, sed vere fallitur. Si.n.finem attendas, inuenies perniciosissimos hostes esse, qui ad omnia conniuent,dissimulant,ac omnia quæ facis,laudant,ac iustificant,etiam si impiè agas:hi inquam, perniciosissimi hostes sunt:hoc.n. pacto, & in malis tuis te roborant, & vt nunquàm ad tui cognitionem peruenias, efficiunt. Hinc Esai.3. Popule meus,qui beatum te dicunt,ipsi te decipiunt. Et Pro. 27. Melior est manifesta correptio, quàm amor absconditus. Meliusq; est à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi Eccl.7. Sinceræ igitur dilectionis opus est peccantem corripere. Hinc Deus plerumque quo quenquè plus diligit, eo magis flagella illi multiplicat: quem.n. diligit dominus,corripit Pro.3. Postremò tametsi.nihil omittendum, quo frater aberrans à peccatis abstrahatur,illud tamen etiam curãdum, vt is qui corripitur,non metu tantùm pœnæ, aut supplicij, sed amore iustitiæ peccatum respuat,ac quod bonum est,amplectatur. Sed neque statim abijcienda est spes,etiam si proximus ad primam correctionem non resipiscat;nec tamen statim ad extrema remedia veniendum. Hanc correptionis fraternæ vtilitatem agnoscebat Dauid psal.140. dicens; Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me; Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Si quando.n. te contigerit ex fragilitate,& infirmitate in vllo deficere,paratus esto, correptionẽ vel ipsius Dei,vel hominis iusti timentis Deum suscipere,& eum, qui adhibita misericordia,atque humanitate salubriter admonet, vel etiam acriter obiurgat,patienter audire;sciens,quoniam correptio hęc tametsi seueritatem prætendat, est tamen misericordiæ, & benignitatis, ad emendationem tui peccati; adulatorum autem blanditiæ, quibus demulcent peccantium corda,eosq; in malis fouent,atque enutriunt, non oblectent animum tuum,neque te in peccatis tuis foueant. Melius enim est, lixiuio corripientis caput ablui, & mundari,quàm oleo adulantium,vt fiat immundius,oblіniri,atque impinguari.

De custodia rerum communium. *Cap. xvj.*

¶ VESTES vestras in vnum habeatis sub vno custode,

vel duobus, vel quod sufficere posit ad eas excutiendas: ne à tinea lædantur. Et sicut pascimini ex vno cellario: sic induamini ex vno vestiario. Et si fieri potest, ad vos non pertineat, quod vobis indumentum pro temporũ cõgruentia proferatur, vtrum hoc recipiat vnusquisq;, quod deposuerat, an aliud quod alter habuerat: dum tamen vnicuique, prout cuique opus est, non negetur. Si autem hinc inter vos contentiones, & murmura oriuntur, cùm conqueritur aliquis se deterius accepisse, quàm prius habuerat: & indignũ esse, quod ita vestiatur, sicut alius frater eius vestiebatur. Hinc vos probate, quantũ vobis desit in illo interiore sancto habitu cordis: qui pro habitu corporis litigatis. Tamen si vestra toleratur infirmitas, vt hoc recipiatis, quod deposueritis, in vnum tamẽ locum sub communibus custodibus habete quod ponitis: Ita sanè vt nullus sibi aliquid operetur, sed omnia opera vestra in communi fiant, maiori studio, & frequentiori alacritate: quàm si vobis singulis faceretis ꝓpria. Charitas.n.de qua scriptum est, quòd non quærit, quæ sua sunt, sic intelligitur; quia communia proprijs, non propria communibus anteponit. Et ideo quantò amplius rem communem, quàm propriam curaueritis: tantò vos amplius proficere noueritis: vt in omnibus, quibus vtitur transitura necesitas, supereemineat, quæ permanet charitas. Consequens ergo est, vt etiam cùm quis filijs suis, aut aliqua necesitudine ad se pertinentibus, in monasterio constitutis aliquam contulerit vestẽ, siue quódlibet aliud inter necessaria deputandum, non occultè accipiatur. Sed sit in potestate Præpositi, vt in

rem communem redactum, cui necesse fuerit; præbeatur. Quod si aliquis rem sibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur. Indumenta vestra secundum arbitrium Præpositi lauentur, siue à vobis, siue à fullonibus: ne interiores animæ sordes cōtrahat mūdæ vestis nimis appetitus.

E.NARRATIO.

1 ISSERIT Augustinus in hoc longiusculo capite de custodia earum rerum communium, quæ ad transigendū humanam imbecillitatem sunt necessariæ, à vestium cura sumens exordium; quòd autem vestes præceperit, sub vno, pluribusvè custodibus reponi, duæ videntur causæ, Prima videlicet, ne incuria neglectæ à tineis corrumpantur. Secunda, ne frater hanc ipsam vestem, quam habet, tanquàm propriam se habere facilè credat, si in proprio loco reponere, obseruareq; liceret. Huic autem sententiæ satis consonant sequentia verba, & si fieri potest, &c. Ex quo prouidum documentum colligitur, res communes monasterij, siue ad vestitum, siue ad victum siue ad alia quæcunq; pertinentes magna esse diligentia conseruandas, quamuis exiguæ sint. Nam & Ioan. 6. Christus ait: colligite fragmenta, ne pereant. Diues etiam Euangelicus propter micas mensæ suæ malè custoditas, quas canes comedebant; Lazarus verò eas accipere non poterat; punitus est in inferno, gutta aquæ sibi denegata, Luc. 16. Vnde Gregorius ait, Guttam petijt, qui micam negauit. Deinde Religiosi sunt pauperes, pauperes verò Religiosos suis rebus deperditis, necesse est eos ab alijs quærere, aliosq; grauare. Paulus verò ne alijs grauamen inferret illis, qui tenebantur ei stipendia præstare, proprijs manibus laborabat, 1. ad Thessal. 2. & 4. & 2. ad Thessal. 3. Adde etiā, quòd superflua sunt Religiosi pauperibus largituri.

2 *Et sicut pascimini, &c.*] Multa mala contingunt, cùm Religiosis cōpetentes vestes non administrantur, videlicet infirmitates corporum, quæ facilè ex frigore contrahuntur, quas plerunque, & mors consequitur. Deinde ægritudines animorum, scilicet contentiones, & murmura. Item contemptus apud imperitos, & seculares, apud quos Religiosi indecenter, abiecteq; induti, contemptibiles fiunt, quo fit, vt in populo parū frugis spiritualis efficere possint. Ad hæc, Religio

ipsa

ipsa vitio datur, & traducitur, dum vnus honorificè, alius abiectè vestitur. Proinde D. Augustinus vniuersos Religiosos decenter quidem vestiri percupiuit, ex vno tamen, communiq; vestiario; Apertè sanè, Canonicis prohibens, vt inquit Humbertus, ne cuipiam certa pecuniæ summa singulis annis ad conficiendas vestes, & calciamenta pro libito suo distribuatur. Sed ex communi vestiario pro necessitate cuiusque vestes sunt conficiendæ, alijs excogitatis fraudibus prorsus reiectis. Qua de re multa superius diximus. In hoc aūt enarrando pcepto, aliud nō minoris momēti, maiorisq; certitudinis author inclusit; nēpè ex eodē cellario oēs Canon. esse pascēdos, qđ iā superius explicauerat. Dum ergo commune vestiarium ex communi cellario firmiter stabilito cōstituit, & comprobat, manifesta luce Canonicis præcepit, certius, rectiusq; obseruandam esse communitatem in victu, quàm in vestitu, cùm hanc ostendit, & probat per illam, tanquàm per certiorem, atque firmiorem. Quapropter tolerandæ non sunt, quædam procurationes singulares in monasterijs, sed ex vno cōmuni cellario procurandi sunt omnes, ac multò fortius, quàm de vno cōmuni vestiario sunt induēdi. Iuxta hāc formam Bened. 12. in Constit. Monachorū nigrorū cap. 17. præcipit, quòd pro victualibus, vestiarijs, aut alijs quibuslibet necessarijs pecunia, simul aut per vices, seu minutatim nullatenus assignentur, nisi in eisdem rebus necessarijs. Sed de his omnibus iam superius fuse à nobis dictum est.

3 *Et si fieri potest, ad vos non pertineat, &c.*] Monasteriorum Rectoribus incumbit curare, vt dictum est, ne competens vestitus Canonicis denegetur. Subditum verò decet, abiectas potius vestes deligere, quàm nimiam curam in eis collocare. Idcircò Augustinus summopere desiderat, vt subditos ea cura non diuexet, quale indumentum pro temporum congruentia præbeatur; aut idem vestimentum, quod deposuerant, siue aliud præbeatur, dummodo necessitati conuenienter satisfiat. Non cuius tātus perfectionis gradus contingit, qui libentius non eligat alias vestes ad frigoris rigorem transigendum, & alias tempore æstus. Quod & D. Benedictus in sua Regula libēter concedit. Rari etiam sunt, qui non refugiant alienas vestes propter alienas immunditias, quas magis abominatur natura, quàm proprias. Propterea Augustinus præcepti rigorem temperauit, illis verbis adiectis, si fieri potest, idest si humana fragilitas hoc permiserit: vt si cui videatur difficile, liceat ipsum quod deposuerat, vestimentum suscipere, vt exponit Hugo. Ad maiorem autem perfectionem peruenisse dignosceretur ille, qui seipsum contemnens, eo solummodo quod opus est corpori, contentus esset. Nam in hominibus imperfectis plus semper

voluptas

voluptas appetit, quàm necessitas. Et authore Augustino, humana natura modico contenta est, sed consuetudo multa addidit, voluptas verò plura copulauit. Cùm tamen superflua acuta falce à viro, perfectionis cultore sint resecanda.

4 *Si autem hinc inter vos, &c.*] Duæ solent esse causæ huiusmodi vitiorum, ratione vestium: Si vno tempore deterius eidem prouideatur, quàm alio tẽpore, vel cùm deterius prouidetur vni, quàm alteri: vtrãq; attigit Augustinus; Ea etiam vitia denuò non prohibet, satis. n. erat Dei lege fuisse prohibita. Præcipit tamen, vt vnusquisque his orientibus malis, murmure, & contentione, ad suiipsius intrinsecam cognitionem se conferat, planè agniturus suam virtutum intrinsecarum nuditatem. Illæ autem sunt pax, charitas, bonitas, humilitas, patientia, concordia, mansuetudo, & his similes. quicunq;.n.proprios defectus plenè, ac semel cognouerit, os facilè obstruet, querimoniasq; deponet. Quam ob rem iure Augustinus deridet eos, qui defectus Solis multo tempore ante præuident, & defectũ suum præsentẽ non vident.

5 *Tamen si vestra toleratur, &c.*] Quia verò quispiam sibi suadere posset, quòd quemadmodum ea imperfectio toleratur, vt ipse recipiat vestes easdem, quas deposuit, ita proprium locum habere posit, in quo eas reponat, aut reponere iubeat; quod nequaquam ferendum est. Ideò, inquit, quòd & si vnum toleretur, aliud tamen ferendum non sit. sed vnò tantùm loco sunt vestes omnium reponendæ: vt videlicet iuxta Hugonem, dum in communi loco quidpiam reponitur, hoc ipsum, quod in proprium vsum suscipitur, non proprium esse, sed commune credamus. Deinde explicat modum, quo omnia opera communia sint facienda, videlicet maiori studio, frequentioriq; alacritate, quàm propria opera fierent. Id quod, & Pauli testimonio comprobat, & facilè exponit. Quare plurimum aberrant à vera Religione, qui ad communia opera sunt negligentes, inepti, & tristes; ad propria verò fortes, diligentes, & hilares. Quod quidem in loco communitatis singularitatem inducit. Teste.n.Bernardo, singularis ad omnia sua est strenuus, ad communia verò piger: multa quoque & detrimenta, & mala sequuntur in Religione, cùm relictis rebus communibus singuli vacant proprijs. æquum igitur est, vt omnia in vnum fiant studiosius, & alacrius, quàm propria. In omnibusq; nostris operibus oportet semper præeminere, effulgereq; charitatem, matrem virtutum, & omnium bonorum radicem.

6 *Consequens ergo est, &c.*] Simili sanè ratione decernit, vt opus est, omnia opera communia esse, ita & vestes collatas in communi esse reponendas, siue vestes donentur, siue alia quæcunque conferantur.

Vitanda tamen in omnibus est donatorum occultatio. Sed in Præpositi potestatem sunt adferenda. Postremò transgressionis pęnam subiungit, videlicet vt prædictus furti iudicio condemnetur. Tria igitur hic præcipiuntur. Primum, quidquid Religioso obuenerit, in cõmun reponatur; Hoc. n. iura requirunt, vt quidquid Religiosus acquisierit, vel ei quacunq; ratione obuenerit, in ius cõmunitatis totum cedat. Secundum, positum in communi, non cuique, sed cui necesse fuerit, præbeatur. Tertium, celantes quæ sibi collata sunt, vt fures puniantur; siue in loco occulto, animo occultãdi reposuerint, siue si cùm res quæruntur, non propalauerint, siue tempore opportuno non detegerint. Huiusmodi autē, iure fures dicuntur, quia rē non suã, sed cõmunitatis, inuito domino, occultè contrectant. Quorũ pęna est confusio, rei alienæ restitutio, & corporalis punitio. Quare ex Hugone, frater, qui rē sibi collatam celauerit, Iudæ traditoris locum tenet in Ecclesia sancta, qui fur erat, & latro, & loculos habens, & ea quæ mittebantur domino, asportabat, & abscondebat, ac tandem dominum suum tradidit, & vendidit, atque mortem temporalem, & æternam inde sibi compa rauit. Sed quale sit furti iudicium, expositore Choriolano comm. 45. facilè quisque dignoscet: sed inter quæ crimina furtum connumeretur, intelligat. In secunda quidem præceptorum tabula, sic Dei digito scriptum legimus; non adulterabis, non furtum facies, non falsum testimonium dices; quibus & alia subiunguntur. Vnum ergo ex ijs est criminibus furtum, quæ æterna merentur supplicia. Propterea fures apud Paulum regnum Dei non possidebunt. Caueant igitur viri Religiosi rē sibi collatam celare; ne furti iudicio condemnentur, idest ne regno Dei priuentur, æternisq; cruciatibus plectantur. Fiantq; similes Iudæ proditori in supplicio, qui similes ei esse volunt in crimine; ille. n. lucrum appetens, quæ ei à domino committebantur sibi abscõdebat; tu Religiose, quæ tibi donantur, occultè vis retinere. Ille loculos in collegio Apostolorum habebat: Tu in Religiosorum monasterio peculium quæritas. Ille auaritia captus magistrum prodidit; Tu tua cupiditate detentus, præceptorem tuum Augustinũ decipere tentas: par culpa parem exigit pœnam. Ille proinde laqueo se suspendit. Caue tibi, ne læqueata lingua absque sacra peccatorũ confessione pereas. Ille in agro sanguinis crepuit medius: Tu in sterquilinio euisceratus, ac maledictus cum pecunia tua sepultus iacebis. Diceturq; tibi ab immanissimis tortoribus, aurum sitisti, aurum bibe. Præterea verisimili coniectura asseuerare licebit, eo tempore præter hos canones aliqua statuta, & eremitis, & clericis Canonicis fuisse ab Augustino adiecta, in quibus, pro singulorum criminum qualitate tempora-

rias pœnas iniungendas taxauerit; iuxta quas Præpositns ipsos transgressores plectere, punireq; posset. Ex quibus fit, rem collatam celãtes, non solùm à Deo pœna æterna, sed & à Præposito temporaria, & corporea furti iudicio condemnatos, acriter esse puniendos.

7 *Indumenta vestra,&c.*] Hoc est omnium postremum de vestium cura mandatum, quod de earum lotione agit. Lauare igitur vestes iubet, idq; vel ab ipsis fratribus, vel à fullonibus; eoq; tantùm tempore, quod iuxta Præpositi arbitriũ fuerit àssignatum, eo quod immodicus vestis mundæ appetitus interiores animæ sordes, quæ multò fœdiores, turpioresq; sunt, contrahere solet. Hic primo notandum, nõ solùm spiritualem munditiem, sed etiam carnalem vtcunque Deo placere. Exod. .n.cap.19. legimus à domino præceptum, ipsi lauent vestimenta sua, & sint parati in diem tertium. Homines etiã quasi suapte natura sociorum sordes horrere conspiciuntur. Ob idq; personarum acceptores pauperi ad eos introeunti in sordido habitu proferũt illud Iac. 2. Tu sta illic. Nimiusq; vestium splendor vitio vertitur, sicuti & sordes vituperantur. Nam, Seneca præcipiente; nec splendeat toga, nec sordeat. Itaq; cùm Religiosi coram domino astare frequẽter teneantur, exterorumq; consuetudine crebra, vel inuiti sæpè vti cogantur, curanda eis est vestium mundities, & propter Deũ, & propter semetipsos, & exteros. Quoniam verò vestes proprijs manibus lauare nonnulli dedignantur, atque recusant, eorũ imperfectioni consulens Augustinus addidit illa verba, siue à fullonibus; à vobis verò apposuit, quod conducibilius à domesticis fieret; Tu ne vestiũ sordes à secularibus, exterisq; cernerentur, tractarenturq;; Tum vt maius hinc præmium apud Deum acciperetur; Tum etiam propter humilitatis exemplum; Nam Christus ipse, Dei filius lauit pedes discipulorum. Rectè tandem Humbertus consulit, quod & si quandoque à fullonibus vestes lauentur, nunquàm tamen decet à lotrice muliere id fieri. Vt rem igitur semel finiamus, curent Prælati, ne per vestium nitorem proximos offendant subditi. Non.n.nitor vestium, ex Hugone, sed morum honestas ornat clericum. Et quantò exterior pulchritudo magis curatur, tantò interior magis periclitatur. Hæc est autẽ vera, spiritualisq; mundities, quàm Deus à nobis requirit, quam describit, cùm ait, Esai. 1. Lauamini, & mundi estote. Auferte malum cogitationum vestrarũ ab oculis meis. Non .n. ait Dominus, Matth. 5. Beati mundo corpore, sed mundo corde, quoniã ipsi Deũ videbũt.

De murmure, & contentione. *Consid. j.*

1 DMONET nos egregius Humbertus facilè oriri in Religiosorum claustris, murmur, & contentionem aduersus Superiorum dicta, vel facta. Est autē murmur querimonia quædam cum impatientia in his, quæ homo patienter ferre tenetur. Fitq; etiam cõtra alios homines, cùm quispiam conqueritur de re iusta, vel iniusta, sed non debito modo, vel non apud eum, cuius interest prouidere, & quamuis, vt plurimum peccatum sit veniale, est tamen quandoque mortale: vt si ex ipsa quidpiam fiat contra præceptum aliquod, vel propter scandalum, vel ob alias causas. Hoc vitiū quodammodo cum detractione coincidit, quāuis murmurationis nomine minus significetur, authore Caiet.

2 Vnum adhuc August. restabat post oculorum compositionem, humani corporis membrum, de cuius regimine, nec dum satis religiosi instituti erant: Tametsi præ alijs membris omnibus in primis lasciuū petulans, & ad iniquitatem, & omnia denique instructum est; Ipsum nimirum lingua est, quam Iacobus cap. 3. pronunciat vniuersitatem iniquitatis, malum inquietum, plenam veneno mortifero, quam nullus hominum domare posſit. Et quamuis variæ sint peccatorum species, lingua tamen cum sua cohorte, ita superat vniuersa, vt admodū diligenti refrenatione, ac domitura indigeat; & si quis suæ ita imperare posſit linguæ, vt verbo non offendat, hic demum perfectus est vir. Huic itaque inquietæ, indomitæ, & nocentisſimæ bestiæ frenum inijcit Augustinus iuxta illud Psal. 33. Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Vide, ne quandoque contra fraternam charitatē, verbo offendas proximū: nihil tàm est perniciosum in orbe vniuerso; nullus tàm periculosus laqueus, quo citius implicatur miseræ animæ, quàm ꝙ mētes, ac sensus, nostri adeò sunt obscurati, vt plurima, quæ verè peccata sunt, nullius tamen peccati loco putemus.

3 Secundo, censemus iustum, & iniustum; peccatum, & non peccatum ex consuetudine, & opinione nostra; neutiquam autem ex voluntate, verbo, lege, præceptisq; diuinis. Deus verò non ex arbitrio, & iudicio nostro, sed secundum præcepta sua ad suum tribunal iudicaturus est? fortasſis persuaderi sibi sinant homines, vt putent homicida, adulteria, & furta esse peccata, quæ Deus sit vindicaturus. Sed quotusquisq; est, qui ad mentem reuocet, vel pro peccatis ducat ea, quæ quotidie lingua committit. Si verba ociosa non sunt immunia, & libera à ratione reddenda in die iudicij, Matt. 12. quibus ergo supplicijs afficientur tot infrugifera, mala, noxia verba, quæ ex consuetudine nunquàm

non,& nuſquàm non effutimus idq; ſine vllo conſcientiæ ſcrupulo.

4 Quam ob rem ſummè neceſſarium exiſtimo horum, vt Religioſus admoneatur. Qui conſultum cupit animæ ſuæ, coerceat linguam, & precetur cum Pſalmographo Pſal. 140. Pone domine cuſtodiam ori meo; clamet cum Sapiente ad Deum Eccl. 22. Quis dabit ori meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſignaculum certum, vt non cadam in ipſis, vt lingua mea perdat me? Ne contempſeris linguam tuam frater, quia parua es, ſed ita tibi perſuadeas, non eſſe vllum laqueum periculoſiorem, qui te procliuius pertracturus ſit in damnationem: nec hoſtē vllum capitaliorem, qui te citius perditurus ſit, quàm ipſam tuam linguam, quantumuis illa exigua ſit. Ecce quantus ignis quàm magnam ſyluam incendit, inquit Iacobus cap. 3. Et lingua ignis eſt vniuerſitas iniquitatis, quæ licet modica ſit, maculat totum corpus, & inflammat totā natiuitatis noſtræ, & ſæpè grauiſsimorum criminum cauſa eſt.

5 Tertio, fœdum ſanè impium, & execrabile eſt murmurationis vitiū, quo aliquis alterius defectus in publicum profert, peccatisq; alienis cōmemorādis ſeſe, aliosq; oblectat, & recreat, proximumq; ignominia afficit. Illud profectò ſit contra charitatem proximi, contra indolem Chriſtianam, cōtra naturam membrorum, quorum nullum ridet malam valetudinem alterius, ſed condolet ægrè affecto, & de procurādo remedio cogitat, quo poſsit ſanitati reſtitui. Præclarè D. Bernardus inquit ſer. 40. in Cant. Etiam ſi perperam actum quid deprehendas, nec ſic iudices proximum, magis autem excuſa. Excuſa intētionem, ſi opus non potes, puta ignorantiam, puta ſubreptionem, puta caſum. Quod ſi omnem omnino diſsimulationem rei certitudo recuſat, ſuade nihilominus ipſe tibi, & dicito apud temetipſū: vehemens fuit nimis tentatio. Quid de me illa feciſſet, ſi accepiſſet in me ſimiliter poteſtatem? Et hoc eſt, quod dicit Apoſt. ad Gal. 6. Conſiderans teipſum, ne & tu tenteris. Peccatum alterius nihil aliud eſt, quàm quædam tuæ imbecillitatis admonitio. Cuiuſmodi nunc eſt proximus, talis tu aliquando fuiſti, aut es, aut certè fieri potes.

6 Quarto, hinc quidam vir ſanctus Chriſtiana pietate inſignis, cùm audiſſet quendam in graue, & horrendum crimen lapſum, acerbè illachrymans, & pectora palmis concutiēs, quid eſt homo, inquit? Qualis hic eſt hodie, talis ego cras futurus ſum, niſi gratia diuina me præueniat, & conſeruet. Quam ob rem non opus eſt inſultatione, ſed cōdolentia requiritur, vt quilibet etiam ſeipſum conſideret. Nam & Auguſtinus in loco noſtro Canonicum adhortatur ad ſuiipſius interiorē cognitionem, ad intrinſecamq; ſuam impefectionem excutiendam. Præterea nec te probum, nec beatum reddet, quòd alienā noueris re-

erre, improbitatem. Si ad fœlicitatem aspiras, da operam vt tuaipsius bona opera, & rectè facta coram Deo possis adducere: peccatum, & improbitas aliena te non purgabit, aut beatum efficiet. Opus suum probet vnusquisque, inquit Apost. ad Gal. 6. & sic in semetipso tantũ gloriam habebit, & non in altero. Hæc autem est summa quædã Christianæ rationis, erga aliorum peccata obseruandæ: alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.

7 Quinto, murmuratores duræ ceruicis esse homines. Iudæorum factum ostendit Ioan. 6. Murmurabant ergo Iudæi post auditã Christi doctrinam, En, hunc fructum retulerunt è tàm insigni sermone Christi: verùm non in hoc consistunt, sed ad peiora progrediuntur, donec tandem omnino à Christo desciscunt. Sic olim, & Prophetis contigit, vt triginta modij sementis, hoc est omnis generis exhortationes, vix facerent tres modios, hoc est vix paucissimos conuerterent Esai. 5. vt verum appareat, quòd meritò murmurator duræ ceruicis dicatur. Vides igitur hic verè dictum esse, præcordia fatui, tanquàm rota carri. Qui.n. charitatem veritatis non habet, semper inuenit aliquid, de quo contra proximum murmuret. Vides etiã murmuratores verè imitatores patrum fuisse. Non quidem ipsius Abrahæ, qui quãuis ardua implere iuberetur, Deo tamẽ semper obedientissimus fuit. Sed eorũ qui in deserto Deum tentauerunt, & frequenter contra eum murmurauerunt. Proinde Christus subdidit; Nolite murmurare inuicem, quia Deus videt cogitationes vestras, iuxta illud Sapien. 1. Hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis. Auris.n. zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abscondetur, quia impunitos non relinquit Deus murmuratores, vt constat Num. 11. interea ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore contra dominum. Quod cùm audisset iratus est, & accensus in eos, ignis domini deuorauit extremã castrorum partem. Et Num. cap. 12. quare ergo non timuistis detrahere seruo meo Moysi? iratusq; contra eos abijt. Et ecce MARIA apparuit candens lepra, quasi nix. Idcircò Paul. 1. ad Cor. 10. admonet, dicens: Neque murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore. Et ad Philip. 2. Omnia autem facite sine murmurationibus, & hæsitationibus, vt sitis sine querela. Non.n. murmuratio, sed obedientia pertinet ad scholam Dei, quæ Religio bene instituta est; iuxta illud Eccles. 4. Custodi pedem tuum, intrans in domum Dei, & appropinqua, vt audias. Plus.n. Deo placet obedientia, quàm stultorum victimæ.

De

¶ LAVACRVM etiã corporis cùm infirmitatis necessitas cogit, minimè denegetur: Sed fiat sine murmure de consilio medicinæ: ita vt etiam si nolit, iubente Præposito, fiat quod faciendum est pro salute. Si autem velit, & fortè non expedit, suæ cupiditati non obediatur: nã aliquando etiam si noceat, prodesse creditur quod delectat: denique si latens est dolor in corpore, famulo Dei dicenti, quid sibi doleat, sine dubitatione credatur. Sed tamen vtrum sanando illi dolori, quod delectat expediat: si non est certum, medicus consulatur. Neq; eant ad balnea, siue quocunq; ire necesse fuerit, minus quàm duo, vel tres, & ille, qui habet aliquo eundi necessitatẽ, non cum quibus ipse voluerit, sed cum quibus iusserit Præpositus, ire debebit. Aegrotantium cura, siue post ægritudinem reficiendorum, siue aliqua imbecillitate, siue etiam febribus laborantium, vni alicui debet iniungi, vt ipse de cellario petat, quod cuique opus esse prospexerit: siue qui cellario, siue qui vestibus, siue qui codicib. prçponũtur, sine murmure seruiant fratrib. suis.

ENARRATIO.

1 POSTQVAM noster author vestium necessitatem absoluit, infirmorum curam aggreditur. Sunt autem quattuor, quibus interdũ, ægroti indigent. Primum est balneum. Secundum medicamentum. Tertium iter salutis causa susceptum. Quartũ infirmorum curator. De primo quidem præcipit lauacrum, infirmitatis necessitate cogente, corpori non esse denegandum.

2 Primum, quibusdam morosis, rigidisq; Religiosis vsus balneorum non satis probatur, tum quia fœmineum, tùm quia verecundum esse

iudicant. Adde, quod Hieronymus Iacobum Apostolũ laudat, quod nunquam balneis fuerit vsus. At verò Augustinus, & Benedictus mitius agentes, balnea non prohibent, sed concedunt: adhibito tamen tẽperamento, ne id fiat ad lasciuiã, nec ad abstergendas sordes, sed ad infirmitatem curandam, quæ adeò sit grauis, vt cogat, & non nisi vel infirmo, vel medico flagitante, absque murmure tamen.

3 Secundum ægroto necessarium est medicamentum, quod etiam no lente, vel recusante ægroto, iussu Præpositi pro salute ministrandum est. Contrà verò ægroto volenti, & appetenti non subministretur, si nocens illi futurum est: facilè. n. sæpenumero ægrotus decipitur, credens sibi prodesse, quod delectat, cùm tamen maximè noceat. Vnde, inquit Hugo: rectè ait, nolens in necessitate cogatur; volens ex cupiditate, reprimatur; quia necessitati, non cupiditati obediendum est. Quare eligendus est inter vtrunque modus. Quod si dolor in corpore latuerit, famulo Dei id asseuerãti fides habenda est. Signa verò seruorum Dei ex Humberto hæc sunt seruire Deo die, ac nocte; voluntariè, humiliter, & deuotè: obedire Prælato in his, quæ non sunt contra Deum, vel Regulam: quærere bonum commune, & non priuatũ; ædificare proximum verbo, & exemplo. Tali famulo Dei, quid sibi doleat, absque vlla dubitatione credendum est.

4 Tertium est iter, quod foras fit ad balnea, vel in alium locum acquirendæ salutis gratia, In quo peragendo duo custodienda sunt. Alterũ est, vt ægroto assignetur socius vnus, aut alter: qua de re iã superius diximus in verbo, Quando proceditis. Alterum est, vt socius ad Præpositi arbitrium, non ad ægroti voluntatẽ eligatur. Optimi socij cõditiones hæ traduntur amor, mansuetudo, affabilitas, fraternæ infirmitatis supportatio.

5 Quarta est ægrotantium cura alicui demandata. Eligendus est secundum Hugonem timens Deum, qui erga infirmos magnam, speciale mq; curam gerat. Et quod opus eis fuerit, ministrare strenuè studeat. Et eo studio, & affectu eis deseruiat: ac si ipsi domino Iesu Christo deseruiret. Ipse enim dicturus est in iudicio. Infirmus fui, & visitastis me. Et iterum; Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Quare fortiores, valentioresq; infirmorum imbecillitatem alacri animo ferant. Diuersa. n. tẽpora, diuersæq; ægritudines efficiunt, vt onera nostra inuicem deportemus. Diligens profectò infirmorũ cura mirum in modum societatem, maximeq; Prælatum exornat, atque commendat. Ceterum, & ipse ægrotus summopere caueat, ne sua superfluitate, importunitateq; sibi seruientem tristitia, immodicaq; molestia afficiat; illud tacitus secum cogitans, infirmitatem sibi à Deo esse

datam

datam ad animæ purgationẽ, virtutisq; experimentum,atq; augmentum. Postremò eos omnes,quibus monasterij officia demãdata sunt, ad diligentem functionem,omni pulso murmure, adhortatur. De recta officiorum executione copiosè admodum egimus superius lib. 2. per multa capita. Item de infirmis procurandis disseruimus superius cap. 9. in hoc lib. 4.

De lectione, & custodia librorum. Cap. xviij.

¶ Codices certa hora singulis diebus petantur: extra horam qui petierit, non accipiat. Vestimenta verò, & calciamenta quando fuerint indigentibus necessaria, dare non differãt, sub quorũ custodia sunt,quæ poscũtur.

ENARRATIO.



TRADIT hoc loco sacer Augustinus præceptionem in distribuendis libris custodiendam: cuius intentio hæc est. Nonnulli Religiosi studiorũ amore capti, interdum dimittunt orationes, diuina officia, aut alia ad obseruantias regulares pertinentia,quod profectò reprehensibile esse iudicamus. Propterea inquit,codices præscriptis horis, singulis diebus esse petendos:extra horã verò præscriptã,esse denegandos. Ex quo quinque colliguntur annotanda: quòd libri procurentur, habeanturq;, habiti diligenter custodiantur,custoditi in vsum exponantur,quòd Religio propter litterarum studium non negligatur. Quod tales recipiãtur ad ordinem, qui ad studium litterarum capessendum aptitudinem habeant. Hunc locum dilucidè enarrauit Choriolanus com. 50. Frequens nanq; diuinæ scripturæ nobis lectio commendatur, ob idq; Aug. iubet,singulis diebus certa hora codices postulari. Duo nanq; insinuauit,videlicet vt diebus singulis,& certa hora libri petantur: per alterum quotidianam lectionem mandauit: per alterum rerum faciendarum tempus distinxit, ne lectionis causa diuinus cultus, oratio,ac cetera,quæ monasterio sunt opportuna, impedirentur. Omnis sanè Religiosorum actio in hæc tria genera consumitur; in orationem, lectionem, & operationem; ad orationem quidem omnis diuinus cultus tandẽm reducitur: idcircò superius dixit. Orationibus instate horis, & temporibus cõstitutis,operationem iniunxit inferius in-

quiens,

quiens, nullus sibi aliquid operetur, sed omnia in communi fiant: hoc verò loco lectionem nobis decernit. Hæc autem tria propterea præcepit, magnopereq; commendauit, quòd nobis in monasterio constitutis valdè sunt coducibilia, atq; etiam necessaria. Oratione siquidem mundamur, lectione instruimur, quæcunq;.n.scripta sunt, videlicet vt legamus, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patiētiam, & cōsolationem, quam videlicet ex scripturarū lectione percipimus, spem futuræ beatitudinis habeamus. ad Rom. 15. Per operationem autem beatificamur. Concinit.n.Propheta, labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Psal. 127.

2 Interim & hoc obseruādum, quòd Apost. 1.ad Timot.5.dixit; Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore habeantur, maxime ij, qui laborant in verbo, & doctrina. Ex quibus Apostoli verbis perspicuè videmus, ocium litterarium nihil minus esse, quàm ocium, hoc est inertiam. Dicitur autem ocium, quia & vacationem aliarum rerum, & solitudinem requirit: vnde quidam ait, nunquàm minus sum solus, quàm cùm solus sum. Et alius cùm à quodam interpellaretur, atque rogaretur, quid ita solus degere posset ætatem? Respondit: iam postquàm tu pedem huc contulisti, solus esse cœpi: quin etiam docendi officiū labori deputari videbis. Ioā.4.1.ad Cor.15.ad Gal.4.ad Ephes.4.ad Philip.4.& 2.ad Timot.2. Abeat igitur in malam crucem impius hæreticus, qui sacerdotem studio, & doctrinæ gnauiter inuigilantem ad opera mechanica redigere conatur: quasi ociosè dixerit Petrus, indecens esse, Apostolos, neglecto verbo, ministrare mensis. Demum præcipit necessaria fratribus sine mora esse ministranda, superfluitate tamen explosa. Ex quo tria colliguntur. Primum, quòd ministri ne protrahant moram in distribuendo ea, quæ tradenda sunt. Secundū, quòd præceptum hoc restringendum est ad necessaria tantùm. Superflua enim, nec petenda, nec ministranda sunt. Tertium est, custodia vestium, & calciamentorum aliquibus deputatis commissa.

De lectione, & meditatione. Consid. j.

1 

ECTIONEM librorum viro Religioso crebram, familiaremq; esse oportet; non omnifariam quidem, idest non quæ laqueis disputationum, rerum sublimiū, aut dissertè, ornateq; eloquentiæ amœnitate eum irretitum teneat; sed quæ spirituali duntaxat animum dulcedine pascat, illustret, incendat, sitq; illa, modò orationi præuia, modò comes, ita vt quemadmodum D. Hieronymus præcipit, orationi lectio, lectioni succedat oratio, Eaq; veluti quotidiano

diano animi pabulo religiosus fungatur: quã & nobis præcipisse Augustinum, nemo ambigit, vt hoc nostro loco de codicum vsu agens, aperuit. Nouerat vir ille sanctissimus, quos in se fructus, quas vires, quasq; voluptates dignas, & admirabiles lectitãdi vsus haberet, ipsaq; abdita in cęlesti sermone dulcedo: quippe qui sub teneris adhuc fidei elementis Esaiam iussus est legere: qui idem cùm illud Apostoli ad Rom. 13. legisset aliquando: Induimini dominum Iesum Christum, errorum suorum depulsa caligine, mox cœperit lucẽ intueri veritatis. Eunucho Candacis reginæ Iudæam peragranti, quis dubitauit, eum scripturæ locum, quem legenti sibi Philippus enodauit. Act. 8. salutẽ, baptismatis fontem peperisse? an alia fortasse ratione Cæcilia virgo Euangelium Christi gestauit in pectore? quæ sanè res tanti, aut quæ tàm erecta fiducia illam potuisset & puellam, & sponsam inducere ad omnia humana spernenda, si non ex Euangelio didicisset, virginibus Christi centesimum propositum fructum, & de casto cœlibatu virginum filios procreari cœlestes, de mundi verò nuptijs terrenos?

2 Qui fœlicissimæ Virginis, & Matris Dei vitam scribunt, illam referunt, assiduè lectitasse: atq; illam ideò cùm salutatum delaberetur Archangelus, incumbentem libro fuisse repertam, nonnulli arbitrantur. S. Thomas Aquinas ita solerti studio lectitasse scripturas perhibetur, vt interdum neque propius astantes viderit, neque interpellantes audierit, sensibus omnibus cum mente simul vni lectioni intentis; hinc est, quòd ad confirmationem fidelium, infideliumq; confutationem tales nobis commentarios reliquit: vt nihil ferè in Ecclesia quicquam scrupuli sit, nihil nodi, quod non explanatum in illis, absolutumq; inuenias. Declaratio sermonũ eius illuminat & intellectum dat paruulis. Et ipse verè scriba doctus in regno cœlorum, proferens de thesauro suo noua, & vetera. Bernardum Abbatem, cuius non inelegans ingenium, neque mediocrem doctrinam testantur opuscula ipsa, quæ edidit, nullo magistro vsum aiunt, sed sola legendi, orandiq; assiduitate mysticos de scripturis sensus elicuisse: vt legeret, intelligendi cupiditas fecit; vt intelligeret, oratio impetrauit: vt autẽ impetraret, quid nisi vitæ sanctitas promeruit? Sic cupiat, sic oret, sic viuat, qui sic intelligere, Spiritus Sancto docente, desiderat. Equitius Valeriæ vrbis monasterij Abbas, ne qua die deesset, quod legeret, quocũque ibat, scorteas manticas libris refertas secum deferebat; neq; illi oneris huius molesta erat grauitas, dum lectionis sacræ compensatur vtilitas. Sic nec militem strenuum ferrea lorica, cassis, ensisq; grauãt, quæ sibi saluti fore sperat, vtq; ijs munitus in certamen prodire, & cõfidenter cum hoste congredi solet, ita qui sese lectionibus diuinis li-

ben-

benter instruit, omnia diaboli machinamenta facilè contemnit. Antonius monasterij olim à B. Gregorio Romæ constructi monacus, nó captiosam, argutamq; scientiam in legendo perquisiuit, sed piè viuen di doctrinam, cordis cōpunctionem, pœnitentiæ lachrymas. Illis duntaxat lectionibus occupabatur, vnde tales fructus posset carpere: multò malens effici sanctus, quàm variarum quæstionū dissertatione eruditus: cum scriptum sit Eccle. 19. Melior est homo, qui minuitur sapiētia, & deficiens sensu in timore Dei, quàm qui abundat sensu, & transgreditur legem altissimi, idest indoctus timens Deum, quàm doctus transgrediens legem. Hieronymus etiam ad Furiam viduam scribēs, post scripturas sanctas, inquit, doctorum hominum tractatus lege, eorum duntaxat, quorum fides nota est. Non necesse habes aurū in luto quærere, multis margaritis diuenditis, vnam redime margaritam.

3 Ne ergo turpi otio, quo & ingenium, & corpus languescit, & quo nihil virtuti est infestius, nihilq; laudi perniciosius, torpeamus, certis horis, certæ lectioni vacemus. Certa.n. lectio, nec intermissione aliqua destituta, doctrinæ munus operatur: fortuita verò, & varia lectio, & quasi casu reperta nō ædificat, sed reddit animū instabilē, & leuiter admissa, leuius recedit à memoria. Sit igitur prima lex tibi in lectione librorū seruāda, vt certis lectionib. sit tibi immorādū, & assuefaciēdus animus modò velis aliquid inde haurire, qđ in animo fideliter sedeat: quo nāque spiritu scripturæ factæ sunt, eo legi desiderant, & intelligi: nunquā ingredieris in sensum Pauli, donec vsu bonæ intentionis in lectione, studio assiduæ meditationis spiritū eius imbiberis. Nunquàm intelliges Regiū Prophetā, donec ipsa experientia ipsos Psalmorū affectus indueris, sic de reliquis iudicandum. Secunda lex sit, vt de quotidiana lectione aliquid quotidie in vētrē memoriæ dimittatur, quod proposito conueniat, & intentioni proficiat; quod animum detineat, vt aliud cogitare non liceat. Tertia lex sit, quod hauriendus est etiam sæpè de lectionis serie affectus, & formanda oratio, quæ lectionem interrumpat; & non tàm impediat interrumpendo, quàm puriorem cōtinuo animum ad intelligentiam lectionis restituat: lectio quippe debet esse quasi oratio, & antequàm legas, præcedat oratio. Porrò lectio sacra ignorantiam nostram erudit, dubia soluit, errores corrigit, ianuam salutis nescientibus aperit, studiosum lectorem recto tramite ad Dei notitiam introducit; bonos mores instruit, facit cognoscere vitia, hortatur ad virtutes, excitat ad pietatis feruorē, incutit Dei timorē recolligit mētē, recreat fastidiosum animū. Quarta lex sit, vt lectio sit facilis, difficilium.n. lectio scripturarum fatigat, nec reficit animum teneriorem, sed frangit intentionem, & hebetat sensum. Vnde

Hieronymus ait, grandes materias ingenia parua non sustinere, quin potius eadem in ipso conatu vltra vires ausa, succumbunt; qui verò excelsis ingenijs pollent, in arduis, ac sublimibus possunt versari rebus, siue tractandis, siue obeũdis, siue explicandis; quare ab altioribus lectionibus abstinendum est imperitis. Quinta lex sit, vt lectio transeat in opera. In omnibus enim studijs, priusquàm ea aggrediamur, adhibẽda nobis est summa discretio; atq; in earum lectione, plus semper debemus inquirere quod mores nostros ad virtutem instruat, quã quod sensum acuat ad sublimitatem; magisq; velle informari præceptis virtutum, quàm quæstionibus impediri. Nam lector strenuus potius ad implenda quæ legit, quàm ad sciendum est promptus: quoniam nihil iuuat, quod inter bonum, malumuè sensu prudentiori, discernimus, nisi opera mala cognita caueamus, aut bono intellecta facimus. Vtile sanè est multa scire, & rectè viuere; verùm si vtrunq; nõ valemus; beatius est bene viuere, quàm multa scire: si quidem vita bona sine scientia plus iuuare potest ad meritũ, quàm scientia sine exercitatione virtutum. Quod si verò scientia vitæ conueniat, totius philosophiæ simulacrum perficient; ad scopum quippè perfectionis Christianæ philosophiæ attinet, multa scire, & rectè viuere: quod si vtrunq; non valemus, melius est, vt bene viuendi studium, quàm multa sciendi sequamur profectum. Sic.n. potest quærendi studium, si auiditas ipsa sciendi referatur ad Deum. Isti sanè similes sunt ficulneæ illi sterili apud Marcum cap. 11. in qua cùm dominus fructum quæreret, non nisi folia inuenit. Habent.n. folia verborum tantùm sine fructu bonorum operum, elaboremus ergo fructum facere, antequàm sententia illa proferatur, iam non nascatur ex te fructus. Et cùm sacras doctrinas legimus, verba sancta in recta opera conuertamus. Illud dicã iure optimo, multò esse melius scripturas legere, & quotidie in ipsis semetipsum exercere, quàm augendis, & cumulandis opibus inhiare; habeãt ceteri suas opes, vina exquisita bibãt, serico niteant, voluptatib. gaudeant; meæ diuitiæ erunt, in lege domini meditari die, ac nocte.

8 . Ceterum vt cuique virtuti suos fines demus: non erit litteris tamẽ indesinenter incumbendum, sed ex ipsa mox lectione deducenda erit meditatio. Vt.n. lectio eorum, quæ eligenda, quæq; fugienda sunt, est indagatrix, sic meditatio quę sita, inuestigataq; comprehendit, atque degustat: de qua est illud in psalmis; Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Gradus.n. quatuor exercitationis spiritualis, vitæq; sanctissimæ, maiores nostri, summa auctoritate viri, atq; sanctissimi esse putauerũt lectionem, meditationem, orationem, contemplationem. Lectionem, quæ inquireret. Meditationem,

quæ

quæ quæsita gustaret. Orationem, quæ degustata peteret. Contemplationem, quæ petita reciperet: quorum gaudio ab his sensibus, crassioribusq; contagijs abductus animus, atque sublatus, coniugaretur mirabiliter Deo. Sed de postrema hac summa, consumataq; virtute, quoniam quidem paucorum est, magisq; gustari, quàm explicari potest, dicendũ hic videtur amplius nihil, cùm de lectione cõtẽplationi necessaria, & de meditatione iã egerimus superius lib. 3. ca. 24. & 25.

De litibus cauendis. *Cap. xix.*

¶ LITES autem nullas habeatis, aut quam celerrimè finiatis: ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca, & animam faciat homicidam. Sic enim legitis: qui odit fratrem suum, homicida est.

ENARRATIO.

1 EXORDITVR in hoc cap. August. tractationẽ eorum criminum, quæ monasterij trãquillitatem aliquãto vehemẽtius conturbant. Huius quidẽ generis lites sunt, quas tria mala gignere solẽt; videlicet rerum proprietas, dũ hic aliquid suum esse asserit; alter verò suũ. Vnde magistro Seneca, homines quietam, suauemq; ducerent vitã, si hæc duo pronomina; meum, & tuum, è medio tollerentur. Secunda est carnea necessitas, cùm alicui quod sua requirit caro, non distribuitur. Nã Iac. cap. 4. ait; Vnde lites in vobis, nõne ex concupiscentijs vestris, quæ militant in mẽbris vestris? Postrema est superbia. Nam inter superbos semper iurgia sunt. Pro. 13. Lõge igitur à litib. opus est Religiosos esse qui nihil proprij habere possunt, & carne mortificata, humiles spiritu esse debent. Quam rem explicatissimè Paulus docuit, dicens; Seruum Dei nõ oportet litigare 2. ad Timot. 2. sed mansuetum esse ad omnes. Multa verò sunt, quæ à litibus excitãdis nos tuebuntur, refrenatio interioris commotionis per silentium, cùm verba litigiosa audiuntur; Euitatio verborum, quæ materiam litigiosam contineant, quales sunt iactantia, derisio, iracundia, atq; peruersitas. Dæmon profectò est etiã hostis ille antiquus, qui litis, discordiæq; auctor existit; ipse sectionẽ, & prœlium in cœlo commisit: ipse in cordibus hominum discordiam varijs artibus quotidie disseminat, ipse rixas, & zizania in hominum domos immittit, & infert. Qui ergo lites, discordiasq; amat, earum

auctorem

auctorem diabolum, tanquàm patrem veneratur; ipsa veritate testante, eius filij estis, cuius opera facitis. Igitur si illum horrendum patrem fugere volumus, dissidia, & lites fugiamus necesse est.

2 *Aut quàm celerrimè finiatis, &c.*] Intellexit prouidus, sanctusq; Doctor quanta mala lites parere soleant, ob idq; non qualencumq; sed quàm celerrimam breuitatem à nobis exigit. Ne suboriatur odium, quo succrescente, animæ homicidium subsequatur. Nam teste Ioanne Apostolo. Qui odit fratem suum, homicida est 1. Ioan. 3. Quare qui sapiunt, à loco litium cautè recedunt, aut silentium sibi indicunt, aut patientia se muniunt, dulci etiam responsione vtuntur. Sequunturq; Abrahæ exemplum, qui vitandæ litis causa recessit à Loth, Gen. 13. Alioqui profectò statim in corde sequitur odium, quod excecat animam: in ore nociuum verbum, quod offendit proximum; in opere percussio. Sic paulatim sæpè mala increscũt, cùm ab ocioso verbo linguam restringere nolumus, & ad noxia dilabimur. Nam iuxta Salomonis vocem. Eccles. 19. Dum negligimus corrigere minima, prolabimur ad maiora; dumq; vitium ex vitio oritur, iniquitas prolongatur. Væ autem, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, Esai. 5. Et prolongauerunt iniquitatem suam, dominus iustus concidet ceruices peccatorũ, Psal. 128. Omnino igitur curandum est, vt peccatum præcaueatur. Melius est.n.præcauere, quàm emendare: quantùm interest inter festucam, & trabem, tantùm interest inter iram, & odium: odium.n.est inueterata ira, quæ quasi ex vetustate tantum virium accipit, vt meritò vetus appelletur. Per iram mentis oculus turbatur, per odium etiam extinguitur. Nam ex 1. Ioã. 2. Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quo eat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius. Nulli irascenti videtur ira sua iniusta. Ergo ad mansuetudinis lenitatem statim regrediendum est. Hanc in resecando odio, & amarulentia eleganter. Paulus significauit ad Ephes. 4. dicens; Sol non occidat super iracundiam vestram. Probus quidam vir nunquàm dormiuit in lite, nec litem habentem secum dormire permisit. Sed iam superius lib. 2. cap. 22. copiosè admodum egimus aduersus Canonicos collitigantes, & dissidijs implicitos.

De ira, & odio. Consid. j.

1 CVM præcepto diuino mandatum esse audimus, non occides Matt. 5. satis quidẽ constat, nõ solùm illud homicidiũ & esse, & appellari, quod re ipsa manu perficitur: sed etiam spiritu, corde, & voluntate posse homicidium perpetrari. Id quod nec ab vllo

rectius

rectius didicerimus, nec vlli tutius crediderimus, quam Christo domino: qui huius rei luculẽtam adfert explicationem, docetq; quis verè dicatur homicida. Homicidium in corde oritur, quando quis ea indignatione in proximum efferuescit, vt se de illo cupiat vlcisci, modo posset, & adesset facultas; de quo loquitur Christus Matth. 5. dicẽs: Ego autem dico vobis, quia omnis; qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio, & 1. Ioan. 3. Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est.

2 Si ergo est homicida coram Deo, qui proximum odit, eiq; irascitur, quàm grauiter peccant illi, ò bone Deus, qui conceptum odium diu suo ex animo deponere nolunt? O admirandam miseriam. Quicunque ille es, qui odio, & liuore tabescis, te quisquis intuetur, semper homicidam, & Dei inimicum aspicit. Et si vno die, vel millies te conspiciat, toties homicidij reum te comperit. Qui. n. proximum odit, perpetuus est homicida, & latro coram Deo, eiusq; peccatum ne momẽto quidem silet, & intermittitur coram Deo. Hæc verò de illis dixisse nolim, qui proximum, quem oderunt verbis, & factis nunquàm non læsũt: ij. n. manifestè, & re ipsa sunt latrones, ac homicidę. De illis loquor qui proximo irascũtur, & odiũ, ac liuorẽ suo in pectore gerũt erga illũ.

3 Secundum homicidij genus est, quod ira, gestibus, & verbis asperis declaratur: quod est peius homicidium illo, quo liuor, & odiũ in corde quidem seruatur, sed comprimitur tamen. De hoc inquit Christus; Qui dixerit fratri suo racha, reus erit concilio. Tertium homicidium, quod duobus prioribus etiam peius est, tùm committitur, cùm odiũ, & inuidentia palam erumpit in conuicia, & contumelias; quibus proximi fama, & existimatio læditur, & quadam afficitur ignominia. Hoc Christus significare voluit, vbi ait, qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis. Quod tamen hoc moderamine est accipiendum, vt irasci, & asperis verbis culpare aliquem, eatenus peccatum esse censeatur, quatenus malo fit animo, & ex vlciscendi, & proximum lædendi libidine proficiscitur. Alioqui nanque sine peccato quandoque possumus irasci, reprehendere, ac obiurgare, si alterius commodum, emendationem, & meliorem frugem spectemus. Pater enim filium, magister discipulum, concionator populum rectè obiurgat.

4 Et vt rem in pauca conferam, id omne homicidiũ appellatur, quicquid actuali homicidio præbere potest occasionem. Porrò vbi Deus iniquum aliquid vetat, simul ille quòd æquum, & iustum sit, imperat, & exigit. Itaque nobis præcipit, vt beneuolos, ac benignos nos inuicem præbeamus. Diligite, inquit Mat. 5. inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos. Itemq; vt pacis, & concordiæ studiosi simus; Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Et iterum: Si offers munus

tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens, offer munus tuum. Præterea, vt pacem cum omnibus habeamus, quantum quidem in nobis est, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto: sed è contrario benedicentes, ac bene precantes ex animo inimicis nostris, & quoad eius fieri posſit, illis gratificantes, ac benignè facientes. Breuiter omni studio operam demus illis omnibus, quę pacem, & mutuam charitatem, ac beneuolentiam conciliant, fouent, & cõseruant: quæ autem dissidia, & contentiones pariunt, illa prætermittamus, ac fugiamus. Quocirca eligendus est vir probus, atq; cordatus, qui controuersiolas inter fratres subortas citra tumultum, aut laicorum scandalum componat, aut etiam diiudicet. Omnis autem procliuitas, temeritas, & peruicacia litigãdi nulla rõne inter Religiosos ferẽda esse.

5 Considera igitur tecum, quàm alienum velit Christus esse animum Christiani ab ira, odio, & contumelia. Cuius rei causas, si vis penitus intelligere, expende vitam Christianam agi Spiritus Sancto, qui est charitas, pax, gaudium. Vide igitur quàm alienum est ab amore odiũ, à pace discordia, à gaudio omnis amaritudo: vt.n. ab igne alienum est frigus, ita à Spiritu Sancto alienus est spiritus iræ; aut contumeliæ. Secundo, hic Spiritus viuificans Christianos, eos omnes in vnum corpus contexuit, sicut vna anima membra corporis sui tenet vnita. Sumus igitur omnes membra vnita in vno spiritu. 1. ad Cor. 12. Perspice iam tam esse alienam à membris huius vitæ spiritualis iram, & contumeliam, quàm est à membris in vna vita temporali coalitis. Tertio, intellige vitam Christianam esse inchoationem, & prælibationem vitæ futuræ. Vt igitur in cœlo nulla est ira, nulla esse contumelia potest: ita nec in cœlo terreno, quod est vita nostra, esse permittitur. Deniq; vitæ Christianæ natura, institutio, & præcepta sunt amor, viscera misericordiæ, charitas fraternitatis. Qui hæc reijcit, vitã reijcit Christianã.i. diuinam, & cœlestẽ. Excipitur ergo is à morte æterna, quæ est gehẽna.

6 Sed age, auerte parũm oculos à vitæ Christianæ splendore: in vita humana pedem fige: dic quid in hac vita tibi cupis? Certè cupis aliorum amicitiã, vis ab alijs amari, & honorari: quod si aut despici, aut odio haberi te credis, grauiſsimè doles. Optasq; vt redeant ad te amandum, & colendum, qui contra faciebant. Et hoc igitur quod tu optas, Deus fieri præcepit: iubens, nè quis fatuum te dicat, neue contra te irascatur. Sed tu quoq; quod tibi ab alijs optas, idem illis pręsta. Si gehenna punitur, qui te despicit: gehenna par est, vt puniaris, si alios despexeris. Vt.n. est vnus omnibus Deus: ita & vna est omnibus

diuina lex. Iã si attendas quàm laniet, quàm excarnificet ira cor tuũ, non poteris non laudare eam legem, quæ ex tuo corde iram extermi-net: quo pax tibi sit, ira reiecta. Nihil sanè homini intolerabilius in-iurijs illatis. Inimicitiarum tempore, iraq; ascendente, ac animo ar-dente, etiam minima quæque magna videntur. Sicut.n.manente ami-citia, etiam quæ molesta sunt, leuia ducuntur: sic inimicitijs obortis, leuia quæque pro grauissimis audiuntur. Nam & si simpliciter aliqua dicantur, de malo tamen animo dicta creduntur. Ob id hæc quæ tu æstimas parua, sæpè homicidia pepererunt, & vrbes crebro integras subruerunt. Rursum, quantus timor est, quamq; misera vita, semper cauere eum, quem iniuria læsisti? Cupit ille de te vindicari. Tu non semper eius insidias fugere potes. An non tuæ tranquillitati consu-luit, tuæq; vitæ prospexit: qui te ab iniuria dicenda semouit? Quàm igitur dictum verè est, iustitiæ domini rectæ, lætificantes corda: præ-ceptum domini lucidum, &c.

7 Hic vnum, aut alterum addam. Meminit dominus Matt.7.festucæ, & trabis, dicens: Quid autem vides festucam in oculo fratris tui: & trabem in oculo tuo non vides? Sic autem facilius Augustini phrasim degustabis. Primum indicauit dominus peccata festucis, & trabibus comparans, quàm impatiens peccati anima nostra esse debeat? Sanè, quàm est oculus festucæ, & trabis impatiens. Tenerrima res est ocu-lus, vt vel à minutissima re lædatur, & adeò lædatur, vt & lachrymas effundat. Multò tenerior res est anima, vt vel ab exiguo peccato incõ-modetur. Sentiunt piæ animæ, quod dico: bonarum.n.mentium est agnoscere, dolere, & flere eas tàm leues culpas, quæ vix culpæ sunt. At sunt multæ animæ, quæ cum leonibus, vrsis, & draconibus peccato-rum iucundè commorantur. Sicut & oculus mortuus facilè & festu-cas sustinet, & trabes. Sed non ita Dauid cùm dicit; Iniquitatẽ meam agnosco, & peccatũ meum contra me est semper. Alterum est: trabs, & festuca vtraque ad ignem nata est, ita peccatum ad ignem inferni nascitur; festuca verò, quam Paulus.1.ad Cor.3. fœnum, & stipulam nuncupauit, non ita nascitur ad ignem: sed qui eam in oculo habue-rit, saluus erit, sic tamen quasi per ignem.

8 Obserua tamen, quòd nõ simpliciter dixit Christus: omnis qui ira-scitur, sed qui fratri irascitur. Est.n.& ira bona, qua scilicet vitijs ira-scimur: hæc nedum non prohibita est, sed & veræ charitatis signũ est. Quis.n.non mouetur ad blasphemiam Dei? A cane igitur exemplum sume: contra extraneos latrat, domesticis adulatur: oues non deuo-rat, etiam si esuriat: lupis non parcit, etiam si satur sit. Ita tibi facien-dũ, proximũ dilige; verùm si quid in eo extraneũ videris latra, corripe.

Nunquàm sic proximum diligas : vt vitia eius dissimules : nunquàm sic vitia carpas, vt charitatis obliuiscaris. Sunt autem gradus in huiusmodi peccatis. Primum.n.est, irasci corde. Secundum, animi indignationem externis verbis, vel signis ostendere, quod vtique plus est, quàm iram surgentem silentio premere. Tertinm, certis verbis, & manifestis vituperare fratrem, quod vtiq; grauius est, quàm praecedentia. In primo sola ira est. In secundo, ira & vox, vel signum iram indicans. In tertio, ira, irae signum, & certa vituperatio. Ob id, & tres reatus ponit, iudicij, concilij, & gehennae. In iudicio datur adhuc defensioni locus: ad concilium pertinet sententiae prolatio: gehennae verò ignis certa damnatio est.

De satisfactione, & remissione iniuriarum. Cap. xx.

¶ QVICVNQVE conuitio, vel maledicto, vel etiam criminis obiectu alterum laeserit : meminerit satisfactione quàmtocius curare, quod fecit: & ille qui laesus est, sine disceptatione dimittere. Si autem inuicem se laeserint, inuicem sibi debita relaxare debebũt propter orationes vestras: quas vtique quantò crebriores habebitis, tantò sanctiores habere debebitis. Melior est autẽ, qui quamuis ita saepè tentatur, tamen impetrare festinat, vt sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit iniuriam: quàm qui tardius irascitur, & ad veniam petendam difficilius inclinatur. Qui autem nunquàm vult petere veniam, aut ex animo petit, sine causa est in monasterio, etiã si inde non proijciatur proinde vobis à verbis durioribus parcite: quae si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, vnde facta sunt vulnera.

ENARRATIO.

1 DE reparãda monasterij tranquillitate praeclarus doctor Aug. hoc loco agit; ad id autem efficiendum duo sunt pernecessaria, videlicet satisfactio ex parte offendẽtis, & remissio, atq; condonatio ex parte offensi. Conuicium quidem appellamus expro-

brationem alicuius vilis conditionis. Sic conuiciatus est Saul filio suo Ionathæ. 1.Reg. 20. Fili muneris vltro capientis virum. Maledictum verò est imprecatio alicuius mali. Ad quem modum Goliath Dauid imprecabatur. 1.Reg. 17. maledixit Philistæus Dauid in dijs suis. Obiectio tandem criminis, est impositio alicuius facti culpabilis. Vt contigit coram Salomone duabus mulieribus de filio contendentibus. 3. Reg. 3. Vix autem inuenies aliquod verborum genus, quibus se litigãtes lædere consueuerunt, quod in aliquod horũ triũ reduci non possit.

2 Notandum graue admodum esse linguæ vulnus. Vix.n. tantæ patientiæ virum comperies, qui non grauiter linguæ cuspide sauciatur. Patientissimus Iob rerum iacturis, & corporis vlceribus nõ commouetur: vxoris tamen mordaci lingua conturbatur, dicens 2.cap. Quasi vna de stultis mulieribus locuta es. His pra monitis, tripliciter iniuriæ satisfactio fieri potest. Primum verbis, cum quis veniam petit ab offenso. Sic faciebat. Augustinus scribens Hieronymo: Obsecro te inquit, per mansuetudinem Iesu Christi, si læsi te, ignosce mihi. Secũdo, corporis humiliatione. Sic fecit Semei apud Dauidem, cui maledixerat 2. Reg. 19. prostratus coram eo dixit ad eum. Ne reputes mihi ad iniquitatem. Neq; memineris iniuriam serui tui. Tertio, obsequijs, sicuti Iacob voluit muneribus placare fratrem suum Esau Gen. 33. id quod & Paulus monuit ad Rom. 12. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, potum da illi. Videlicet ad eum placandum, & amicitiam sarciendam.

3 Dubitabis forsitan, an offendens teneatur ad reconciliandum fratrem statim, antequàm accedat ad offerendum aliquid domino in altari, iuxta eiusdem domini præceptum. Matth. 5. Respondetur si læsus est absens, offendens habeat propositũ satisfaciendi sine mora, cũ poterit, sicut in restitutionib. fit, nec opus est, vt pedibus., sed animo eat. Si verò est præsens, offensaq; leuis est, ita vt nõ credatur offensus, grauiter turbatus; potest differri satisfactio vsq; ad tẽpus moderatũ, & cõmodũ. Quod si offensa grauis fuerit, sine mora illi satisfaciẽdũ est. Deinde author adiungit, læsum etiã meminisse oportere, vt lædendi benigno animo pareat. Quod si fortè contigerit, alterum ab altero fuisse læsum, alter alteri iniuriam inuicem relaxabit. Porrò malorum ingenium est, vt erga se inuicem malè se habeant, corde per inuidiam; ore per mutuam corrosionem, opere per iniurias. Boni autem ea sunt anima donati, vt sensum suum alijs conforment; erga socios solicitã curam gerant, tanquàm eiusdem corporis membra; de socio meliora sentiant; onera mutuo patiẽter ferant; beneuolentiam sibi mutuò exhibeant; honore inuicem præueniant; propter Deum se sibi subijciãt;

ad

ad bonum se inuitent; diligi ab alijs desiderent, mutuas offensas magna liberalitate relaxent. Ad remouenda autem hæc omnia mala, clypeus nobis futurus est, crebra, sanctaq; orationũ visitatio.

4 *Melior est autem, &c.*] Vlterius nobis describit tres hominum culpabilium differentias circa hoc negotiũ. Quidam enim facilè irascũtur, & cito veniam petunt. Hi sunt, vt aqua, quæ citò calefit, & citò frigescit. Id autem minus malum est. Nonnulli tardius irascuntur, & inclinantur tardius ad veniam petendam. Hi similes sunt ferro ignito, quod vt tardius calescit, tardius quoque frigescit. Hoc autem deterius est. Quidam tandem nunquàm volunt petere veniam. Hi similimi sunt lapidi Abeston dicto, qui semel accensus, nunquàm extinguitur, authore Augustino: hoc autem est omnium pestilentissimum. Hos iure asserit Augustinus absque causa in monasterio existere, etiam si ab eo nõ proijciantur, cùm salutem animæ propter quam monasteria cõstructa sunt, impediant. Vltimo loco duorum maximè necessariorum nos cõmonefacit; alterum est vt iræ perturbationem cauentes, à verbis durioribus abstineamus. Quæ ad amaritudinem inducunt, rebellionem, adferunt, amicos nobis subtrahunt. Idcircò dominus ad Laban ait Gen. 31. Caue ne loquaris contra Iacob quicquam durius. Alterum verò est, ne grauemur, ex ore nostro salutis medicamenta proferre, quo illata sunt vulnera; molis quidem responsio frangit iram, sermo verò durus furorem excitat, Prou. cap. 15.

5 Sed mecum constitui, & cordi est, hoc loco breui depingere ingenium beoticum illius hominis, qui iuxta Aug. testimonium, quoniam tardius irascitur, difficilis est ad veniam petendam; perdifficilẽ quoque se præstat ad deponendam iram, quam aduersus fratrem semel concepit. Is nanque sic ira correptus, technas machinatur, miro, fraudulentoq; artificio contextas, qnibus fratrem, aut lædere, aut omnino perdere possit. Nec tamen secum cogitat, an suis cõpedibus capi, obstringiq; valeat. Id. n. sæpenumero his duris hominibus contingere, solet. Qui etiã in virum innocentem lapides absque vlla causa iaciunt.

6 Eam tamen semper fuisse summi Dei consuetudinem, & prouidentiæ rationem, vt quæ mala, & incommoda impij homines, & nepharij excogitare solent, & cõcinnare in alios, vel parum, vel nihil nocentes, imò integritate vitæ præstantes, in ipsos recidant auctores, nemo ignorare possit. Quas iniurias, & fraudes fratres Ioseph in animo versabant, verbis agebant, curabant factis, vt sanctum hominem, siue dolo perderent, siue vi opprimerẽt? Quàm improbe, & obnixè rex Aegypti Pharao Israeliticam gentem, nunquàm aut de se, aut de suis rebus malè meritam, iniquis exactionibus premebat, & atroci liberorum

morte vexabat? Quæ mendacia, quas fraudes, impius Saul in Dauidem hominem innocentissimum non molitus est? Et tamen quemadmodum ab eodem Dauide fuit explicatum, in eum quem foderat lacum, impius homo, miserabiliter corruit, & in foueam, quam proprijs consilijs fecerat, cùm innocentiam insectaretur, cecidit ipse.

7 Nec secus fratres Ioseph, post diuenditum hominem iustum, cum frumenti emendi gratia Aegyptũ ascenderent, imperioq; Ioseph post Pharaonem potitur, in summas rerum difficultates inciderunt, quemadmodum in arcanis est proditũ litteris. Pharao rex iniquus illis consilijs, quibus de delẽdo Dei populo cogitabat. Mosen regia domo enutriuit, quem postquam honestè, & liberaliter erudire fecit, auctorem habuit excidij, atque miserandæ cladis, qua totus Aegyptiorum populus, & ipse Pharao maximè cum electa militum manu, fuerunt affecti. Vides istos difficiles, acutissimosq; homines inaniter pereuntes?

8 Solent ergo impios homines, & nepharios deprehendere, & absumere, quæcunq; in homines innocentes mala excogitarunt. Nulli possit esse obscurũ, quæ fuerit molitus consilia impius Sennacherib, cùm Iudæorum gentem, & sanctam ciuitatem longa premeret obsidione. Sic. n. cum animo reputabat suo; Disperdam ego Iudæorum gentem, delebo ciuitatem, templum succẽdam, prophanabo sacra. Cogitabat obsidionem trahere, quoad Iudæorum populus ad summam egestatẽ redactus, & lotium biberet, & propria manducaret stercora. Exprobrabat Hebræis, ꝙ Aegypti vias contemplarentur attentius, quasi ab Aegyptijs subsidiarium militum exercitum pendentibus animis expectarent. Et vt omnem illis eriperet fiduciam, & spem inueniendæ salutis, prorsumq; animos frãgeret, stultum etiam ducebat, ad summi Dei præsidia confugere, & illius implorare opem, ac malè denique, & stultè summam spem in Deo collocatam.

9 Proinde Nahum Propheta cap. 2. diuina mente incitatus, vt & hinc saxei, crudiq; homines admonerentur, quasi rerum omnium exitus, finesq: prospiceret, & ob oculos diuinæ prouidentiæ rationẽ contemplaretur, circa Assyriorum, & Iudæorum res; cumq; animo prospiceret illum temporis articulum, quando impius Assyrius in eã ipsam, quam parauerat foueã, erat præcipitandus, inquit. Ascendit, ò Assur, qui dispergat coram te, qui custodiat obsidionem. Contemplare viã, conforta lumbos, robora virtutem valdè, quia reddidit dominus superbiam Iacob, sicut superbiam Israel. Quia vastatores dissipauerũt eos, & propagines eorum corruperunt.

10 O cæca, ac prorsus miseranda hominum consilia, qui cùm neq; de rebus ipsis, quas ante oculos habent, statuere possint, de futuris, & in-

certis,deq; iniurijs vindicandis,vana quædam, & inutilia prorsus sibi pollicentur. Sic tecum reputabas Sennacherib; Disperdam Iudæorum gentem,& ciuitatem sanctam. Sed Propheta domini, diuini numinis instinctu,venientem Babylonium regem intuebatur,cupiditate vindictæ inflammatum,ira excandescẽtem,armis instructum,qui vniuersa diriperet, ac funditus Assyriorum imperium deleret. Tu igitur rixarum amator,vias contemplare,oculis vniuersa collustra, vt necessaria tibi grauissimis in periculis subsidia inuenire possis. Futurum .n.est, vt quæ mala in fratrẽ cogitasti, simul impetu facto in caput tuũ recidant. Proinde operæpretiũ duc,si deposito irati,inquietiq; animi rigore, Augustinianis monitis acquiescens,cũ fratre tuo pacẽ inieris.

De reconciliando fratre. Consid. j.

1 
OTVM hoc Augustinianæ Regulæ caput eo loco apud Matt.5.fulcitur, in quo Christus fratris recõciliationẽ præcipiens, sic ait: Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante altare,& vade prius recõciliari fratri tuo,& tunc veniens offer munus tuũ. Muneribus oblatis veteres protestabantur,Deum omnium bonorum largitorem. Per munus igitur intelligi vult quodcunque opus externum quo Deum promereri studes,vt est oratio,ieiunium,afflictio carnis,eleemosyna,cultus Dei exterior, &c. Bona quidem hæc sunt munera, sed tum demum Deo grata, si tu ipse gratus sis. Tunc autem gratus es,si capiti Christo per fidem, & dilectionem, ceterisq; mẽbris per charitatem cohæreas. Vnde Christus non iubet munus omnino intermitti contra eos, qui omnia huiusmodi externa opera annihilãt; sed iubet,vt prius charitatis rationem habeas:hoc enim oportet facere,sed tamen illa non omittere.

2 Non dicit,priusquàm obtuleris,aut priusquàm offeras,sed munere iam posito,& inchoante sacrificio, ad reconciliationem iubet currere offerentes. Quo nimirum irrefutabilem quandam necessitatem reconciliationis imponit, ne longius differatur. Nam offensæ dilatæ gignunt odium,ex odio homicidium, aliaq; peccata pullulant; quibus & Deus offenditur,& proximus perit. Gratissimum igitur Deo est sacrificium præcauere peccatum, quo Deus blasphematur: præcauere fratris interitum, pro quo Christus mortuus est; amare, quẽ tantùm amat Deus. Econtra, quomodo grata esse possunt opera tua, si non præcaues Dei blasphemiam,fratrisq; damnationem? Si dissides cum eo, quem Christus tanti fecit, vt pro eo sanguinem funderet? Hac

igitur sentētia nihil aliud vult Christus, quàm quod alibi dicit Matt. 9. Misericordiā volo, & nō sacrificiū. Vides quantū damnū afferat odiū,

3 Hic vide nostram impietatem, semper habemus, quo culpam nostram excusamus: alius dicit, paratus quidem essem iniuriam remittere, si leuius læsisset; sed grauius læsit, quàm vt remittere possim. Attendis, ò miser, quid tibi fecerit homo, & non attendis, quid tu feceris Deo? Credis ne futurum iudicium? quomodo oculos leuare audes in cęlum, ac dicere; dimitte nobis debita nostra, cum tu nolis remittere? Audi sententiam iudicis. Amen dico vobis, sic faciet vobis pater meus, si non remiseritis, &c. Quantò grauiora sunt tua in Deum commissa, quam proximi in te? Inferat proximus quantumuis damni, occidat etiam, omnis tamen eius iniuria ad id collata, quod tu contra Deum commisisti, idem est quòd centum denarij ad decem millia talenta. Vide igitur quid facias: stat sententia, dimittite, & dimittetur vobis; & quo mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis. Qui præcepit, ne proximo irascaris multò magis vult, ne odium corde retineas. O si propria peccata reputaremus, non tàm difficiles essemus ad ignoscendum proximo. Vera charitas non tantùm ignoscit, sed & orat pro iniuriantibus. Summa charitas hoc habet, vt quantuncunq; potes, & in te est, illum tibi recōcilies, vt ipse tecum, & tu cū eo filij Dei, & pacis esse possitis, propter eum, qui est pax nostra; qui quantumuis iniuriatus à Iudæis, non destitit tamē eos beneficijs prosequi, ac ad pacem inuitare.

4 Vide quàm longè absint ab euāgelica perfectione, quātoq; discrimini se committāt, qui aliorum, & amicitiam, & inimicitiam nihil ducentes, dicunt. Nō indigeo eius amicitia, diligat, siue odiat, nihil curo. Vide quàm nihil referat: quandiu frater tuus habet aliquid aduersum te, nec curas, vt reconcilietur, tàm diu omnia opera tua longè absunt ab euangelica perfectione. Dices igitur; durus est hic sermo, quis potest eum audire? fateor, dura sunt iuditio tuo: sed cogita Christum ea tradidisse, & te propter Christum hæc suscepisse facienda, qui propter te nihil non fecit. Cogita peccata tua, iudiciumq; Dei futurū: & quod videbatur triste, iucundissimum iudicabis.

5 Dices, quid si ille reconciliari noluerit? Respondetur. Non creditur fore Christianum qui reconciliationem respuat: maximè cùm illi satisfactionem congruam offerat, qui læsit. Quid. n. aliud Christianus optet ab aduersario suo, quàm satisfactionem, & pacem? Quod si adhuc reconciliari recusat, vide quàm sapienter dixit dominus: Vade prius, vt reconcilieris. Non dixit, ne offeras, nisi reconciliatus, sed vade, vt quantū in te sit, reconcilieris. Si ille renuit, iam ex te recōciliatus

ciliatus venis: & ideò offerre munera licebit. Temperatur autem aliquantulum hæc Domini præceptio illis verbis, frater habet aliquid. Si.n. aut nihil est, quod habet, re vera licet ipse aliquis dicat habere, aut si quidpiam est quod habet, est tamen leuiculum, vt nihil esse dici posſit, tunc non est necesse munus ad altare relinquere. Ego tibi verbum dixi, non admodum graue. Tu inde montes fingis, & maria; at re vera si rem expendas, vt decet, non te læsum esse clamabis: tunc nō poscit ratio, vt bilis tuæ apud me tanta sit ratio. Non satis conueniebat Paulo, cum Petro in negotio Iudaicarum cæremoniarum ad Gal. 2. Nec cum Barnaba in negotio Marci act. 15. Num propterea Paulus se ab oblatione cohibuit? minime. Siquidem si quid aut Barnabas, aut Petrus haberent aduersus Paulum, aut leuiculum erat, aut immeritò habebant. Fratres sanè fratrum suorum leuiora dissimulant. Iam si ego in causa mea ad intrès sanè fratrum suorum leuiora dissimulant. Iam si ego in causa mea ad iudicium te traxi, vbi damnatus es, sed iure. Habes contra me querelam, quod te lęsi: num ideò ego ab altari arcebor? Minimè: si enim læsi te, læsi quidem, sed iustè, si habes aliquid aduersum me, habes quidem, sed iniuria.

6 Si autem quispiam sit, qui se deprehendat non facilè ex animo irā, & indignationem abijcere, atque interim dolet, oditq; hoc in se vitiū, oratq; Deum, vt hunc defectum, atque hoc vitium in ipso sua gratia curare, suaueq; & humanam, ac amicabilem erga proximum ipsi animū præbere velit, is poterit remissionem peccatorum suorum à Deo precari, etiam si odium sentiat suo in pectore, nedum planè sopitum: exaudiet Deus feruentem, & seriam eius orationem, & dabit illi peccatorum veniam, simulq; animum eiusmodi ipsi largietur, quo proximo suo posſit ignoscere, verùm isthuc serijs, & ardentibus precibus obtinendum est à Deo.

De remittendis iniurijs. Consid. ij.

1 NIVRIARVM remissio in sacris litteris à Deo tradita, per se luculenta est, & facilis intellectu, nec longā quidem interpretationem postulat: seria tamen, & accurata admonitio omnino fuerit hic necessaria. Deus noster, qui diues est in misericordia, munus longè præstantissimum, videlicet nostrorum peccatorum remissionem, nobis pollicetur: exigua, & perfacili conditione. Paratus est grauium, & immanium peccatorum nostrorum nobis facere gratiam, quibus irā, & animaduersionem illius, perpetuamq; damnationem sumus commeriti: hac lege, & conditione, si parum illud condonemus proxi-

mis nostris, quod illi nonnunquam in nos peccant. Nos autem difficulter eo adducimur, volumusq; illos Dei thesauros longè pretiosissimos frigido pectore, & inertia promereri. Quòd autem proximis nostris nos condonare debeamus, vt æquè à nobis Deus exigit, id nos prætergredi admodum vellemus, & interim nihilominus illud consequi, quod nobis vtile, & necessarium est.

2 Ad huius rei lucem considera, quattuor modis nos cōtingere proximorum offensas dimittere. Primo, cùm odium eius, qui nos offendit, ex animo nostro reijcimus, sed iniurię pœnam requirimus. Id verò est culpam, non pœnam culpæ condonasse. Secundo, cùm non culpam modo, sed etiam pœnā facilè remittimus. Nihilq; pro iniuria satisfieri poscimus. At offensorem illum, vt qui stomachum nobis moueat, refugimus, cùm ad nostram consuetudinem non admittentes, quatenus scilicet, sine scandalo fieri potest. Tertio, cùm etiam ad pristinam familiaritatem hominem reuocamus: sed velut donis, & beneficijs nostris indigno illi benefacere non curamus.

3 Quarto, cum obliti nostræ iniuriæ, offensorē nostrū beneficijs onerare contendimus. Habes quattuor remissionis gradus. Nunc expende, an ita tibi remittat Deus: sicut & tu remiseris. Debitores autem nostri sunt, qui nos lædunt, iniuria afficiunt, ac mali quidpiam in rebus, corpore, aut fama inferunt. In huiusmodi autem damnificatione proximi, tria fiunt. Primo, damnum ipsum: id autem repetere potes, salua tamen charitate, ne quod mali faciunt, iustè se facere putent: ob eam.n. causam, & magistratus habentur. Secundo, qui proximum lædit, Deum offendit, & iram ipsius contra se prouocat. Qui tāgit vos, ait Zach. 2. tangit pupillam oculi mei. Qui membrum lædit, lædit & caput: omnia.n. hæc cohærent; membra, corpus, caput; quod membro fit, corpori fit, capiti fit. Hanc autem offensam, & iram solus Deus remittere potest, nostrum autem est supplici prece efflagitare, vt remittatur, iuxta illud Mat. 5. Orate pro persequentibus vos. Tertio, rancor, odium, inimicitia in eo ipso, qui lęditur, fiunt: eiusq; cor excitatur, & ad vlciscendum incenditur. Hanc iram, rancorem, inimicitiam prorsus ex animo eradicare diuino pręcepto astringimur, nec vlla ratione vindictam expetere: nam Deut. 32. & ad Rom. 12. ait; mihi vindictam, & ego retribuam.

4 Persuade tibi, omnium longè præstantissimum, quod charitatis plenissimum est, in quo maximè nos exercere conuenit illud esse, vt iniurias, quas accepimus, æquo animo remittamus, atque condonemus. Et quando magis vlciscendi libido nostris mentibus indita est, tantò maiorem in eo diligentiam collocemus, necesse est, vt iniuriarum obli

uisca-

uiscamur. Ad quam rem persuadendam tria nobis explicanda sunt. Primum est, vt qui se iniuriam accepisse putat, ei maximè persuadeatur illum hominem detrimenti, aut iniurię præcipuã causam non fuisse, sed secundariam, quem ipse vlcisci cupit. Sic admirabilis ille Iob fecit, qui à Sabæis hominibus, à Chaldæis, & à dæmone grauiter læsus, nulla tamen eorum habita ratione, vt vir rectus, & homo admodum pius, rectè, pieq; ijs verbis vsus est Iob. 1. Dominus dedit, dominus abstulit. Itaque patientissimi illius viri oratione, & exemplo Christiani homines sibi persuadeant, quod verissimum est omnia quæcnnque in hac vita patimur, à Domino qui iustitiæ omnis, misericordiæq; parens est, & auctor proficisci. Neque verò ille nos, quę eius est immensa benignitas, vt inimicos punit, sed vti filios corrigit, & castigat. Nec profectò si rectè animaduertimus, in hisce rebus homines aliud omnino sunt, nisi ministri, & quasi satellites Dei. Quo permittente nobis nocent. Hac ratione adductus Ioseph, Gen. 45. fratrum impia consilia: Sic Dauid iniurias sibi à Semei illatas. 2. Reg. *16.* æquo animo tulit. Ad hanc item rem illud argumẽti genus valdè pertinet, quod sanctus Chrisostomus grauiter, atque eruditè pertractauit, neminem scilicet nisi à seipso lędi. Nam qui se iniuriosè tractatos esse opinantur, si rem recta secum via reputent, comperient profectò, nullam se ab alijs iniuriam, aut damnum accepisse. Et si. n. quibus ipsi lęduntur, ea extrinsecus eueniunt: tamen se maximè ipsi offendunt, cùm animum odio, cupiditate, inuidia nefariè contaminant.

5 Alterum est, quod duo præcipua commoda complectitur. Quorũ primum illud est, quod aliena debita remittentibus Mat. 18. promisit Deus fore, vt ipsi etiam peccatorum veniam impetrent. Ex quo promisso quàm gratum illi sit hoc pietatis officium, facilè apparet. Alterũ commodum est, quod nobilitatem quandã, & perfectionem assequimur: quoniam condonãdis iniurijs, quodammodo Dei similes efficimur, qui Solem suũ oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos, Matth. 5. Contra verò incommoda, in quæ nos tùm incidimus, cùm iniurias nobis illatas condonare nolumus, non exigua sunt. Odium. n. non solùm graue est, sed etiam diuturnitate peccandi grauius inhæret. Cùm enim is, in cuius animo hic affectus insederit, inimici sui sanguinem sitiat: illius vlciscẽdi spe plenus dies, noctesq; in perenni quadam mala mentis agitatione ita versatur, vt nunquàm à cædis, aut nefariæ alicuius rei cogitatione cessare videatur. Quo fit, vt is vel nunquàm, vel maximo negotio ad id impellatur, vt aut prorsus ignoscat, aut aliqua saltem ex parte iniurias remittat. Quare meritò vulneri comparatur, cui telum infixum hæret. Multa præterea ma

la,quasi vinculo quodam,hoc vno odij peccato,iuncta tenentur. Verè Ioan. 1.c.2. Dixit: Qui fratrem suum odit,in tenebris ambulat,& nescit quo eat; quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius. Itaque sæpius labatur necesse est. Etenim quo pacto fieri potest, vt dicta aliquis,aut facta illius probet, quem oderit? Hinc temeraria, & iniqua iudicia existunt iræ,inuidiæ,obtrectationes,& alia eiusmodi.

5 Remedia duo hic apponenda sunt,ac primum omnium, & maximi est Saluatoris nostri exemplum,quod ad imitandum nobis proponere debemus. Is.n.cùm ne minima quidem peccati suspitio in eum cadere posset,virgis cæsus,spinis coronatus, & cruci denique affixus, eam habuit orationem plenissimam pietatis, Lucæ 23. Pater dimitte illis: non enim sciunt,quid faciunt. Alterum autē remedium Eccl.7.propositum est,vt mortem,atque illum iudicij diem recordemur. Memorare nouissima tua,& in æternum non peccabis. Ac si dicat; illud sæpè etiam,atque etiam cogita, breui fore, vt mortem obeas: proinde quia tali tempore optatissima, & maximè necessaria erit summa Dei misericordia,eā tibi ob oculos iam nūc,perpetuoq; proponas, necesse est. Ita.n.fiet,vt immanis illa vlciscendi cupiditas tibi exhauriatur, iniuriarum obliuionem obtineas,& amorem in offensores. Verissimū quoque est,magno esse argumento hominibus,eos esse Dei filios, si facilè remittant iniurias,& inimicos diligant ex animo. Elucet.n.in eo quod inimicos diligimus,similitudo quædam cum parēte Deo, qui sibi inimicissimum,& infestissimum genus hominum, filij sui morte ab æterno exitio redemptum,reconciliauit. Optima etiam largitio, & impertiendæ misericordiæ ratio est obliuio iniuriarum, & bona voluntas erga eos,qui rem,vel existimationem,vel corpus tuum,tuorumvè violarint. Coronidem autem dulcissimam nobis hic præstabunt verba Pauli ad Colos.3.dicens; Induite vos ergo,sicut electi Dei, sancti, & dilecti,viscera misericordiæ,benignitatem,humilitatem, modestiā, patientiam,supportantes inuicem,& donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquē habet querelam;sicut & dn̄s donauit vobis,ita & vos.

6 Ad Christianam etiam iniuriarum condonationem, vel propria nostra commoditas vehementer nos adhortatur. Si.n.iniurias à proximo acceptas vlcisci velimus, id profectò fieri non poterit, nisi proximo, qui nos læsit, detrimentum inferamus. Sibi autem periculum, & malum asciscit, sibiq; plurimum nocet, qui alteri nocere parat; id quod varijs similitudinibus Eccles. cap.10.nos edocet,dicens; Qui fodit foueam,incidet in eam,idest qui alteri struit insidias,& alterū quęrit in laqueum inducere,ipse in eam,quàm alteri parauerat,incidet. i. in malum incidet,quod præparauit proximo suo. Iuxta illud Psal.7.

lacum

lacum aperuit,& effodit eum,& incidet in foueam quam fecit. Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet. Et in Eccles. cap. 27. in eandem sententiam dicitur; qui laqueum alij ponit, peribit in eo. Plerunque quidem euenit, vt qui alijs parauit decipulas, ab ijsdem inuoluatur. Et faber aliquando quas fecit cõpedes, gestat. Deinde subiungitur,& qui dissipat sepẽ, mordebit eũ coluber. Idest; qui proximo suo cupit nocere in re minori, grauius ipse patietur nocumentum. Qui enim sepem diruit proximi sui, damnum infert proximo; Dum quæ ipsius sunt in horto, aut vinea, diruta iam sepe, direptioni fiunt exposita, quæ prius erant sepe munita. Damnum itaque infert proximo, sed damnum duntaxat in rebus externis, quæ sunt bonorum temporalium vltima ipse verò damnũ longè grauius accipiet interim, dum proximo sic nocere quærit: continget.n. illum à serpente morderi, qui in sepe habitabat, vt solent circa sepes maximè vetustas sibi nidos constituere. Morsus autem serpentis, vitæ adfert periculum; & nisi quantocius adhibeatur remedium, mortem certam operatur, quod damnum lõgè est supradicto grauius, quia damnum est vitæ, quæ inter temporalia omnia bona primum locum obtinet. Qua sanè re significatur eum, qui proximo in rebus minoribus, vtpotè in rebus temporalibus nocere cupit, primum sibi multò grauius nocere, quoniam suam animam morte afficit. Rursum, idẽ hoc significare videtur in eo, quod subditur; qui transfert lapides affligetur in eis. Sermo.n. fit de eo, qui maceriam conatur diruere. Is.n. lapides de suo loco effodit, vel extrahit, vel transfert, quod non sine labore fit, neque absque periculo maceriam diruentis. Primum nanque in lapidibus illis tãtum auferendis, & suo loco mouendis est afflictio. Deinde, non rarò contingit, vt cadens de aceruo lapis aliquis subito lapsu manum, vel pedem extrahentis dolore, aut etiam vulnere affligat, sic item qui ad faciendum damnum proximo, scindit ligna, vulnerabitur ab eis. Quod quidem efficit, vt furto noceat, vel vt in fructibus inferat damnum: fructum.n. arboris tollit, qui præscindit arborem; is tamen nonnunquam ab eis vulnus accipit, nisi admodum solicitè sibi caueat, atq; prospiciat. Interdum.n. ipse corruit ab arbore, qui supernè cædit. Interdum super ipsum cœdentem arbor, aut ramus quispiam corruit. Interdum ramus inflexus ad præcisionẽ, per viriditatem, & rigiditatem se subitò erigens aduersus trahentem oculũ, aut faciem, aut aliud membrum lædit, aliaq; huiusmodi incommoda inde possunt consequi. Quibus omnibus indicatur, neminem sine suo detrimento, aut incommodo alteri posse detrimenti quippiã adferre.

De Rectoris auctoritate conseruanda. Cap. xxi.

¶ QVANDO autem necessitas disciplinæ, in moribus coercendis, dicere vos dura verba compellit: si etiam ipsi vos modum excessisse sentitis, non à vobis exigitur, vt à subditis veniã postuletis: ne apud eos, quos oportet esse subiectos, dum nimium seruatur humilitas, regendi frãgatur auctoritas. Sed tamẽ petenda est venia ab omniũ domino: qui nouit etiam eos, quos plus iusto forte corripitis, quanta beneuolentia diligatis.

ENARRATIO.



1 VONIAM superiori capite præceperat, emissis ex ore verbis duriusculis, eodem ore esse veniam petendam; hoc capite ab ea regula generali vnicum eximit casum, nempè in Prælato erga subditum, si in castigandis subditorum moribus, durioribus verbis vsus fuerit. Eo.n. casu veniam à subdito sic læso petere non tenebitur. Potest auem Prælatus hac in re tripliciter excedere. Primum, si non regiminis causa, sed odij, inuidiæ, vel huiusmodi causa mala id fecerit. Secundo, si regiminis causa, absque disciplinæ tamen necessitate concurrente, vt in rebus minimis, excesserit in reprehendendo. Tertio, cùm nulla necessitas illud postularet, sed neque compelleret: quia simplicibus verbis id peragi posset erga subditos, alioqui corrigibiles, & morigeros. Eam ob rem tot verba circunstantiarum arctitudinem significantia noster author coniunxit, necessitatem, & mores coercendos exprimens. Aduerte tamen Augustinum non inficiari, quin quandoque id rectè fieri possit, vt & Prælatus veniam petat à subdito, licet non teneatur; Quin etiam durioribus verbis iure vti potest. Nam propter duros lapides adinuẽti sunt mallei duriores, & Apost. inquit ad Titum 1. increpa illos durè. Heli quoq; cum posteritate sua reprobatus est, & à sacerdotij dignitate deturbatus, quod molliter, & non dure filios suos correxerit 1. Reg. 2. & 4. & Esaię. 48. ad populũ fuisse dictũ legimus; Scio qa durus es, & neruus ferreus ceruix tua, & frõs tua ænea est. Rursus Act. 7. Stephanus ad Iudæos ait, Dura ceruice, & incircuncisis cordibus, & auribus, vos semper Spirtui Sancto vestitistis, sicut, & patres vestri,

ità & vos. Tandem mansuetissimus Moyses, Deu. 31. Iudaicum populum sic alloquitur: scio contentionem tuam, & ceruicem tuam durissimam. Iniuria ergo quidam delicatuli conqueruntur, & optant contra D. Augustini regulã, vt Prelatus mansueto sermone semper vtatur, cum teste Augustino, quandoq; necessitas dicere dura verba cõpellat.

2 *Ne apud eos, &c.*] Immodicam, intempestiuamq; Prælatorum humilitatem acriter Aug. increpat, eam stultam existimans; cùm quis ex simplicitate sustinet, quæ minimè ferenda sunt, aut etiam cùm quispiã plusquàm suum statum decet, se imprudenter abiecerit. Hac. n. via regentis auctoritas, quæ nunquàm non est necessaria, imminuitur, & labefactatur, Prælatiq; nimia humilitate in subditos ad erigẽdas superbiæ cristas abutuntur. Variare tamen prælatus poterit hac in re pro temporum, locorumq; opportunitate. Quare rectè iudicat Ambrosius lib. 20. moral. cap. 2. dicens: Talis debet esse dispensatio regiminis; vt is, qui præest, ea se circa subditos mensura moderetur, vt & arridens timeri debeat, & iratus amari. Vt eum nec nimia lætitia vilem reddat; nec immoderata seueritas odiosum. Sæpe. n. subiectos frangimus, dum plus iusto vigorem iustitiæ tenemus, qui profectò vigor iam iustitiæ non erit, si se sub iusto moderamine non custodit. Et sæpe à disciplinę metu resoluimus subditos, si nostro regimini hilaritatis frena laxamus: quia dum nos quasi licenter lætos aspiciunt, audacter ipsi ad illicita resoluuntur.

3 Demum animaduerte fieri posse, vt Prælatus correctionis modum excedat, non tamen in subditum peccet; quia dignus forsitan est aut tanta, aut etiam maiori correctione: quamuis corrector eam non illo, quo decet, modo exerceat. Præterea etiam si deliquerit in subditum, ad satisfactionem tamen veniæ non astringetur, si ex eo læderetur bonum commune, idest regiminis auctoritas, quam semper incolumem, illæsamq; conseruare necesse est. Adde, quod etiam si huiusmodi satisfactio sine læsione prædicta fieri queat, Prelatus tamen subdito suo, qui est quasi res sua, eam exhibere non tenetur tantò iure, quantò alieno subdito. Quemadmodum nec seruo suo quispiam tàm rigido iure tenetur. Id quod egregiè annotauit Humbertus. Commonendi igitur sunt monastici Rectores, vt se subditis magistros præbeant virtutis, æquitatis, continentiæ, modestiæ, & sanctitatis: triaq; præsertim declinent, in quibus sæpe offendere consueuerunt: Primum, nequid acerbius citra modum in subditos, aut loquantur, aut statuant: ne ad indignationem prouocati, pusillo, fractoq; animo sint, dum omnia timent. Deinde nimiam seueritatem effugiant, malintq; subditos corrigere, quàm vlcisci. Præterea, si qua culpa commissa est, cùm necessa-

ria sit castigatio,& obiurgatio, nequid subditis per indulgentiam dissolutè remittant, non prætermittatur. Sępe. n. subditi regentium nimia lenitate, & facilitate deprauantur. Quanam autē ratione qui præsunt alijs se in humilitate continere, aliosq; iudicare debeant, pia tractatione Laur. Iust. lib. de triumphali Christi agone cap. 12. disseruit.

De modo diligendi fratres. Cap. xxij.

¶ Non autem carnalis, sed spiritualis debet esse inter vos dilectio.

ENARRATIO.

1 ARNALEM dilectionem hoc loco author appellat, qua quispiam ad carnalia opera diligitur, quemadmodum mundus suos diligit ad ea efficienda, quæ mundi sunt. Huius etiam generis est ea dilectio, quæ à carne originē trahit, vt à carnali cognatione, vel ab eadem patria. Hæc autem dilectio ab Augustino iure, tāquàm impura vituperatur; illa verò quæ spiritualis est, idest, quæ propter spiritualem vtilitatem, ac fines honestos, mirificè ab Augustino laudatur. Diligamus igitur fratres nostros, Christianitatis, Religionisq; intuitu: non vt mundus, qui diligit ad bona temporalia: non vt mali homines, qui diligunt ad carnalia; non denique, vt propinqui, qui solùm diligunt dilectione ex carne nascente. Fœlix igitur, nec vnquàm satis laudata illa dilectio est, quæ nihil inhonesti habet, quæ non in verbis solùm, sed in corde: nec in corde solùm, sed in opere consistit, quæ magna peragit in fratris vtilitate, & sine meritis præcedentibus, & sine spe retributionis humanæ. Hæc omnia Christi redēptoris nostri præcepto Ioan. 13. confirmātur. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Obseruandum enim, quòd Christus non de quacunque dilectione loquitur; est. n. amor carnalis, & est amor inordinatus, quò non tantùm personas, sed etiam vitia earū diligimus, & fouemus; non de hoc amore loquitur Christus, nec de eo, qui consistit tantùm in ore, & lingua: sed de eo, qui existit in opere, & veritate: vnde addidit; sicut ego dilexi vos. Dilexit autem nos Christus ordinatè, quia personam ita quidem dilexit, vt tamen vitia non dissimularet, sed acriter argueret, etiā in dilectissimis. Dilexit nos efficaciter, idest non verbo tantùm, sed opere. Dilexit nos gratis citra omnia merita nostra; Imò cùm adhuc

inimici essemus. Postremò dilexit nos perseueranter, in finem scilicet. Hinc igitur discamus modum, quo diligendus sit frater. Illud tandem ob oculos semper habeto vilem esse, & abiectũ amorẽ mercenarium.

3 Quapropter tunc tandẽ nostra dilectio minimè carnalis esse censebitur, si studiosam nauamus operam, vt pro nostra virium facultate, omnibus benefaciamus; id quod Paulus ad Galat. 6. generali exhortatione nos monet, dicens; Dum tempus habemus, operemur bonũ ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Et Matth. 5. Seruator noster nos admonet, patris cœlestis imitari exemplum, qui erga omnes est benignus, & beneficus; pluens super iustos, & iniustos; Solem quoque suum oriri faciẽs super bonos, & malos; vt sic & nos, quantùm in nobis est, omnibus prodesse studeamus. Quo prouocatus exemplo Paulus, non satis sibi putauit prodesse gentibus, nisi etiã Iudæis, prout posset, proficeret, reputans se omnibus debitorem ad Rom. 1. dicens; Græcis, ac barbaris; sapiẽtibus, & insipientibus, debitor sum; ita quod in me promptum est, & vobis, qui Romæ estis euangelizare. Et. 2. ad Cor. 9. & Iudæos qui sub lege erant, & Gentiles sine lege existentes, lucrifacere vehementer desiderabat. Item ad Rom. 11. factus Gentium Apostolus, se ministerium suum honorificaturum dixit, vt & aliquos ex Iudæis saluos efficeret. Propter quod etiam ad Hebræos gentium Apost. epistolam scripsit, & sentẽtiarum pondere, & materiæ dignitate sublimẽ. Quod autem hic in spiritualibus ostendimus, idipsum multò magis in corporalibus pro nostra facultate debemus adimplere, videlicet, vt quàm possumus plurimis benefaciamus. Exposcit nãq; hoc Charitatis latitudo, vt non solùm pauculos quosdam priuato affectu complectamur, & afficiamus beneficijs, sed vt Charitatis latitudine complectamur omnes, affectu quidem desiderãtes, quantum in nobis est, prodesse omnibus; cum Paulo agnoscentes, nos debitores omnium, effectu autem elaborantes commodare pro viribus nostris, vel multis, vel plurimis. Hinc etenim de viro iusto Psal. 111. dicitur; Dispersit dedit pauperibus, qui. n. dispergit, certè non illi satis est sustentare istum, idest vnum, aut alterum, sed quàm potest plurimos. Nam beneficentiæ hanc erga multos communicationem dispersionis vocabulum indicat. Est autem admodum notatu digna illa sapientis sententia Eccl. 7. cap. in hunc scopum prolata; Qui timet Deum, nihil negligit. Qua significatur eum in quo est charitas Dei, debere ad omnes suam charitatem effundere, omnesq; amore complecti, ac pro viribus opportunis afficere beneficijs. Quæ sententia plerisq; nostrum meritò debet terrorem incutere: qui ita sumus tepidi in negotio Dei, ita nauseabundi ad charitatis opera, vt magnum putemus, si vel vni,

 aut al-

aut alteri modicum quid gratis impendamus obsequij, aut commodi, siue corporalis, siue spiritualis; statimq; quasi egregiè functi nostro officio, dicimus; feci ego, quod meum est, faciant tantundem, & ceteri. Longe aliud sonat verbum istud: qui timet Deum, nihil negligit, idest non cessat, non quiescit ab omni bono; Quod præstare cuiquam poterit. Sic & Eccles. 9. in eandem sententiam dicitur; quodcunq; inuenerit manus tua, instanter operare: neque male consonat, quod Paulus ad Gal. 6. nos admonet dicens; Bonum autem facientes, non deficiamus. Tempore enim suo metemus, non deficientes.

De obedientia: Cap. xxiij.

¶PRAEPOSITO tanquam patri obediatur, multò magis Presbytero, qui omnium vestrum curam gerit.

ENARRATIO.



EXPLICVIMVS iam superius non vno, aut altero loco, solenne Religionis votum, atque perfectam Religionē constare, ac perfici tribus partibus: nempè paupertate, castitate, & obedientia. Duas priores suis superius locis sacer Aug. enodauit. Hanc posteriorem nunc statuit nobis patefacere. Quam quidem tanquam omnium aliarū potissimam, atque præstantissimam in hunc postremum locum reiecit, vt fixior, firmiorq; nostris mentibus insit, retineaturq;. Tametsi verò Laconica breuitate eam descripserit, tradideritq; multa tamen, imò ferè omnia, quæ ad Religionem colendam spectant, complectitur; ob eamq; rem vnicum obedientiæ præceptum promulgauit, dicens: Præposito, multoq; magis Presbytero, idest Episcopo obediendum esse, idq; non tanquam dominatori, sed tanquam patri: cui sanè non seruilis, sed filialis obedientia debetur. Hæc quidem breuis cantiuncula est, sed longum habet epiphonema. Locutus est autem iuxta vetusta tempora, in quibus Abbas non erat exeptus, & Episcopi vniuersa monasteria moderabantur: Quam rem iam superius elucidauimus. Meminerjs tamen in quam multa viri Religiosi & opera, & negotia se regularis obedientia porrigat, & extendat, vt superius abundè docuimus. Id verò hic silendum non est, quod à Choriolano com. 55. traditur. Illud videlicet, quod D. Bened. in Regula conscriptum reliquit, obedientiam non solùm Abbati ab omnibus esse exhibendam, sed etiam

sibi

sibi inuicem fratres ipsos obedire oportere; non esse præceptum censendum, sed consilium tantùm, nec esse propriè obedientiã, sed quoddam potius mutuum obsequium. Iustitia. n. ritè ordinata non Superiores inferioribus, non æquales æqualibus, sed inferiores Superioribus parere iubet. Idipsum ante Benedictum in regulis monasticis vetustior Basilius docuit. Ceterum de maximo obedientiæ voto superius disseruimus lib. 1. cap. 18.

De monasticæ obedientiæ natura, & laude. Consid. j.

1 
VULGARE Priscorum prouerbiũ est; obedientia fœlicitatis mater; à fabulosis quidem figmentis poetarũ sumptum, attamen verissimum. Nam teste Greg. lib. 35. Moral. cap. 12. Obedientia sola virtus est, quæ virtutes ceteras menti inserit, insertásq; custodit; virtus autem fœlicitatis possessio est. Rursum, obedientia meritum fidei habet, quæ. n. fides præmõstrat, ea exequitur; ipsa igitur est fœlicitatis acquisitio, cuius illa præmonstratio erat. Tertio, obedientia inferiora superioribus connectit, & quæ horum sunt, illorum facit. Ceterum vt à vocis interpretatione exordium sumamus, obedire est obtemperare, auscultare, obsequi, aurem, mentemq; præbere. Obedientia igitur, quam hic tractamus, exercetur, quando homo non solùm dimittit, q̃ mundi sunt, sed & seipsum abnegat, ac prorsus Deo velut holocaustũ consecrat. Prout fecerunt Apostoli, & infiniti alij post Apostolos; vt etiam faciunt nunc monasticæ perfectionis candidati, per abnegationem propriæ voluntatis, immobili decreto animi firmatã, dum profitendo, atque vouendo vertunt sibi consilium in præceptũ. Quo facto, non amplius integrum est pedem retrahere, aut retrorsum respicere propter scripturam. Psal. 75. vouete, & reddite. Quia tamen nõ alia obligatione post votum astringuntur, quàm ea, cui ipsi sua sponte se vouendo alligauerunt, et talis obedientia inter liberas annumerãda est, q̃ ex radice liberæ voluntatis ortũ habeat. Diciturq; non seruilis, sed filialis: idcirco Augustinus apposuit verbũ illud, tanq̃ patri.

2 Ad patefaciendam autem obedientiæ regularis naturam, non parũ nobis conducet, hoc loco subijcere varios gradus, siue differẽtias obedientiæ; Quos D. ille Bernardus scite concinnauit. Primus est obedire voluntariè, iuxta illud Psal. 53. Voluntariè sacrificabo tibi, quasi diceret, non expectabo, donec minis, aut pœnis exactus fuero: quin potius paratum cor meum Deus, paratum cor meum, vt faciam libẽter, quæcunque iusseris: sola voluntas est, quæ totius operis ornat effectũ, sine qua neq; bene aliquid agitur, et si bonum esse videatur. Ex volun-

tate itaque suscipienda sunt imperia Prælatorum, & ipsum cor à suis reflexionibus abducendum, donec propria voluntas mactata, mandatum diligat imperantis. Secundus gradus est obedire simpliciter, vt sit verû in auditu auris obediuit mihi Psal. 17. Quia post vocē Dei, vel vicem Dei gerentis nulla replica, multò minus autem duplica, aut triplica esse debet in mente, aut voce subditi conquerentis. cur? quare? quamobrem hoc magis, quam illud? aut nûc potius, quàm alias? vel cur magis ego, quàm ille, qui obligatior est, aut me validior? vel vt dicit piger. Prou. 22. Leo est foris in medio platearum, occidendus sum. Cuiusmodi querulis vocibus abstinendum est, vt voci Superioris simpliciter obsequatur voluntas inferioris. Tertius est, hilariter, & non quasi ex tristitia, aut necessitate. Hilarem. n. datorem diligit Deus. 2. ad Cor. 9. serenitas sit in vultu, dulcedo in sermone, nam hæc multum decorant obedientiam obsequentis; contrà nubilosa compositio corporis, & facies tenebris obfuscata tristitiæ, deuotionem, & promptitudinem obediendi ab animo recessisse testantur. Quis autem locus gratæ obedientiæ, vbi tristitiæ cernitur ægritudo? Quartus gradus est obsecundare velociter, ac velut festinanti studio, vt Propheta fecit Psal. 118. dicens: Viam mandatorum tuorum cucurri. Et Zacchæus Euangelicus Luc. 19. Is enim cùm audisset à domino, Zacchæe festinans descende. Quia hodie in domo tua oportet me manere: festinans descendit, & excepit illum gaudens. Quam ob causam audire meruit, quia hodie salus domui huic facta est. Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipitem, parat oculos visui, aures auditui, manus operi, itineri pedes, totumq; se colligens, vt imperantis velocissimi colligat voluntatem. Quintus gradus adimplere viriliter, prout Psalmista ait Psal. 30. Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in domino: si tribulatio, aut persecutio resultat, si peccatores tibi laqueū ponunt, si maligni tuum iter impediunt, aut caro resistit; tu obedientiæ viam non deseras, sed dic Psal. 118. Paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua. Iunge igitur velocitati obedientiæ, animæ et fortitudinem in exequendo. Sextus gradus, obedire humiliter, vt post hilarem, celerem, fortemq; obeditionem tuā, sit semper & intus, & foris in voce illud Luc. 17. Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Quantulum. n. est præstitisse obedientiunculam illi, cui me, meaq; omnia debeo: sine quo nihil sum, nihil habeo, nihil valeo, à quo nihilominus expecto, quod ipse est, quod habet, quod potest; est autem omnia, & potest omnia. Septimus gradus est obedire perseueranter; qui. n. perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit. Matt. 10. & 24.

& 24. non autem qui incœperit, aut aliquo vsq; bonum perduxerit? Quid.n.currere prodest,& ante metam deficere, aut deflectere? Sic currite,vt comprehendatis 1.ad Cor.9.quo tandem dicere liceat cũ Apostolo 2.ad Timot.4. Cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.

3 Scriptura sacra huic obedientiæ vim quandam eximiam, & specialem bene merendi de Deo attribuit,fecit enim huiusmodi obedientia Christum sublimem super omne, quod nominari potest ad Philip. 2. Propter quod, nempè quia factus erat obediens vsq; ad mortem crucis,Deus exaltauit illum. Fecit præterea Io. Baptistam esse plusqnàm Prophetam,imò Angelum Dei ante faciem Messię.Fecit & Apostolos iudiciaria potestate eminere super omnes alios,ipso Christo promittente,Matth. 19. Vos,qui secuti estis me, nempè obedientia perfecta, sedebitis,iudicantes duodecim tribus Israel. Ecce perfecta obedientia facit hominem,quasi Deum,ac iudicem aliorum cum Christo, eodem sublimatum,quo Christus est.Nonne Zacchæus natura pusillus, sed obediendi promptitudine magnus, suæ domui salutem fieri obtinuit? nonne Abraham ob obedientiam, & fidei, & omnum credentiũ pater appellatus est? ibiq; promissum est,semen suum possessurũ portas inimicorum suorum,&c. Gen. 22.Insuper Rechabitarum obediẽtia quàm magnificè remunerata sit,abundè exponit Hierem.cap. 35. Ipsa denique obedientia facit hæredem ciuem, aluminum regni cœlorum, quòd per eam solam impleatur voluntas Dei patris, vt pater est;per victimas,ait. Gregorius,aliena caro,per obedientiã verò voluntas ꝓpria mactatur.Tãtò igitur quisq; Deũ citius placat, quantò ante eius oculos,repressa arbitrij sui superbia,gladio præcepti se immolat.

4 Claruit autem hac prætacta obedientia in primis pater Abraham credens,& obediens Deo, adeò vt eius placitis post haberet & patrẽ, & patriam,& omnem cognationem, filium denique vnicum, paratus peregrinari in terra aliena peregrinationem laboriosam,& perdifficilem vsque ad finem vitæ suæ. Deinde Rechabitæ, filij itidem prophetarum, illustres facti sunt in scripturis propter obedientiam, idq; in admiranda rerum indigentia, & vitæ abstinentia 4. Reg. 4. In nouo autem testamento ante omnes claruerunt hac perfecta,obedientia fidei nostræ duces Apostoli,qui dimisis omnibus, firmiter adhæserunt doctrinæ Saluatoris in omnibus tàm consultis,quàm iussis,post Apostolos verò eodem genere perfectæ obedientiæ valdè eminuerunt primitiæ credentium,supra quos cecidit igneus ille Spiritus Sanctus, dũ perseuerarent in doctrina Apostolorum,inhærentes perfecta obediẽ-

tia doctrinæ susceptæ. Post hos surrexerunt sancti martyres, Christi obedientiam sequuti. Nec illis inferiores fuerunt in hac perfectione luminaria illa magna confessorum; potissimum quos Philo Iudæus, Hieronymus, & Athanasius, aliiq; vetusti illustrium Eremitarum mētionem conscribentes, suis tractatibus honorificè retulerunt. Fuit autem & hoc genere obedientiæ mire illustrata Ecclesia, sub D. Basilio magno in Græcia, sub D. Hieronymo in Palestina, sub D. Augustino in Aphrica, sub D. Benedicto in Italia; sub D. Martino in Gallia, sub D. Dominico in Hispania, & D. Francisco in Asisio, viris sanctitate, & miraculis admodum claris. Extant tandem sine numero monasteria, in quibus firmissimo animi decreto subijciunt se singuli obedientiæ gubernationem tenentis; adeo vt nihil in otio, aut negotio, nihil in vsu rerum, aut abstinentiæ, nihil in consuetis peragendis, nihil in nouis inchoādis attentent sine scitu, & placito Superioris, vicē Dei gerētis. Et hi quidem sic per votiuā professionem in conuentibus monasticis pulcherrimè exprimunt Euangelicum perfectę obediētiæ consiliū.

5 Signis etiam, atque miraculis hæc præclara obedientiæ virtus refulget: vtile Maurus D. Benedicti patris iussu, per lacum, in quem ceciderat Placidus, cùm aquā iisset haurire: sicco vestigio cucurrit ad Placidum, & illum nullo labore manu data ex vndoso refluente duxit ad littus. Floruit in Scythiæ eremo Ioannes ingentis sanctitatis, & nominis Abbas: qui eruditorem Thebæum sanctissimum habuit iuuenis, atque neophitus. Huius parendi promptitudinem, vt exploraret quādoq; Thebæus, baculum, quem manu gestabat aridum, defixit in terram mi ò Ioannes facito inquiens, indefesse quotidie huic ligno aquā infundas, si fortè virescat, assurgatq; pomiferū. Quod optima spe tribus ille cùm fecisset annis: & id duro equidē, immensoq; labore: quoniam aqua ipsa tantùm sanè distabat à stipite; vt cum vespertino, crepusculo aquatum interdum iret: non citiùs, quàm in sequenti aurora remearet. Inseruis suis mirabilis Deus, triennio exacto mox in proceram se plantam hic baculus efferens, sapidissima, atque gratissima non pauca præbuit poma: quæ Thebæus ceteris porrigens eremi fratribus: en gustate dulces obedientiæ fructus, lætus inquit, hos admonens pluris virtutem hanc ducere, quàm planè vitam. Verùm quàm & illud præclarum exemplum, memoratuq; dignissimū? quòd hanc perfectè virtutē edoctus discipulus ille præbuit: qui læna in se irruētē conspecta: quæ enixa catulos, pastū anhelò, truciq; ore querebat: Cùm tremens, & pallidus protinus inhorruisset: ad subitum pastoris, magistriq; præceptum factus intrepidus, in lænam se vertit, & apprehensam per hirsutam lanuginem traxit ad patris vestigia, nihil repugnantem,

gnantem, quin mitem potius, ac blandientem.

6 Magna igitur est obedientiæ vis, ad ceterasq; virtutes adipiscendas perquam necessaria. Nullus.n. adeò aridus, & diuina gratia destitutus est, quin si suaui iugo obedientiæ colla submittere velit, virere, ac florere; copiosissimumq; fructum producere possit. Obedientia enim ad quamlibet gratiam suscipendam aptissimus, capacissimusq; locus est. Ipsa hominem Deo gratum reddit, & ei acceptissimum est sacrificium. Tantò igitur quisque citius Deum placat, quantò ante eius oculus repressa arbitrij sui superbia, gladio præcepti se immolat. Sancti patres obedieniam tantam dixerunt esse virtutem, vt vel minimum aliquod opus ex ea factum, qualecunque illud fuerit, multo melius, Deoq; acceptius esse quòlibet alio opere, quamlibet etiam magno, quòd contra obedientiam peragitur. Nec.n. otium sanctæ contemplationis, nec studium bonæ actionis, nec lachryme pœnitentis, extra obedientiam prodesse poterunt. Si.n. ieiunauerimus diebus, ac noctibus, orationesq; fecerimus; si in sacco fuerimus, & cinere, obedientes verò Superioribus non fuerimus, omnes vitutes perdidimus. Obediētia nanque vt sacer Greg. testatur lib. 35. Mor. cap. 21. sola virtus est, quæ menti ceteras virtutes inserit, insertasq; custodit. Ipsa est genitrix virtutum omnium, atq; salus vniuersorum fidelium, regni cœlorū inuentrix,, cohabitatrix Angelorum, perfecta scala, qua cœlum ascenditur; quadriga, qua Helias vectus est in paradisum; porta paradisi fidelium, & clausura inferni reorum; Porta, quæ Monacho cœlū aperit, & infernum sua fortitudine claudit. Ipsa viam paradisi reparat, & pacem inter Deum, & hominem reformat. Ipsa est arbor æternæ salutis, quæ crescit in horto monasticæ humilitatis. Ipsa est Spiritus Sācti domicilium, & quietum voluntatis propriæ sepulchrum, supernæ fœlicitatis meritum, vnicum monasticæ disciplinæ documentū; elationis, & superbiæ exterminium, & cunctorum persecutrix vitiorū; Omnem vincit malitiam, & veram in mente conseruat humilitatem.

De vigilāti cura Præl. in obseruationem Reg. Cap. xxiiij.

¶ Vt ergo cuncta ista seruentur: & si quid seruatum minus fuerit, non negligenter prætereatur, sed vt emendādum, corrigendumq; curetur, ad præpositum præcipuè pertinebit, vt ad Presbyterum, cuius est, apud vos maior auctoritas, referat quòd modū, vel vires eius excedit.

ENARRATIO.

1 ARVM est iura condere, nisi adsit, qui eadem tueatur, ac debitæ executioni demandet, id asseuerantib. Greg. 10. de elect. lib. 6. cap. vbi periculum. Et Bonif. 8. de statu Regularium cap. periculoso. Idcircò prudentissimus author peculiare conscripsit capitulum, quo omnes Prælatos cõmonefacit, & obstringit, vt vigilanter, & accuratè præceptorum regularium, quæ hac breui, compendiosaq; Regula continentur, congruè executioni tradant; ne aliqua negligentiæ nota inurantur, aut commaculentur. Si.n. in obseruatione sanctarum legum inertes, ac desides se Prælati præstiterint, totum monasticum ædificiũ corruat, necesse est: hoc igitur graue onus Prælatis incumbit, præcipiente Augustino, vt obseruatio regularis in monasterijs effloreat, ferueat, & vigeat. Qui si onus illud tantùm esse in aliquibus grauioribus negotijs intellexerint, vt suos humeros, ac vires longè superent, ad superiorem Prælatum, siue is Episcopus fuerit, siue Abbas, siue Præses, aut generalis Visitator pro gubernaculorum varietate, eis recurrẽdum erit, vt maioribus succrescentibus morbis, acriora, efficacioraq; medicamenta decreto maiorum adhibeantur.

2 Hoc munus non satis explere cognoscuntur ij rectores, qui curam adhibent sedulam, vt regula benè, elegãterq; sit conscripta, ac frequẽter perlecta audiatur, ipsius tamen obseruationem facilè negligunt. Eos quidem obiurgat Ioan. Apoc. 1. dicens: Beatus qui legit, & qui audit verba prophetiæ huius, & seruat ea, quæ in ea scripta sunt. Cui nõ dissimilis est illa sententia Iaco. 2. Si quis autem totam legẽ seruauerit, offendat autem in vno, factus est omniũ reus. Ideò author tàm accuratè rectoribus præcipit, vt cuncta ista seruentur. Non ergo trũcatam, aut dimidiatam regulam obseruare iubemur; sed integrã, atq; completam. Rectè quidem Bernardus Prælato admonet, dicens; Non dissimulet Abbas peccata: ses mox vt oriri cœperint, ea radicitus amputet, non immemor filiorum Heli sacerdotis.

3 Noster quoq; Hugo docta paraphrasi hunc locum enarrans, ait: Ad id quidem data sunt hæc regularia præcepta, vt cuncta seruentur, & si quid seruatũ non fuerit, citò emendetur. Non.n. possumus absq; animæ nostrę periculo quidpiam negligenter præterire. Etenim vouimus iuxta hanc regulam vitam nostram instituere. Prælati autem Canonici ordinis eo constituti sunt, vt quæ in Canonica regula rectè sunt ordinata custodiant, errata corrigant, vitam, & mores subditorum verbo, & exemplo componant; Apostoli formam sectantes 2. ad Timot. 4. qui ait; Argue, obsecra, increpa, ministerium tuũ imple; ne in Prælatos

latos verè competat illud Capt. 1. Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui. Quia nostram vineam minimè custodimus, dum extraneis actionibus implicati, ministerium actionis nostræ negligimus. Egregia quidè est D. Gregorij ratiocinatio lib. 8. Epist. cap. 21. qua contendit demonstrare, Prælatum per ignorantiam peccantem, negligentiæ esse arguẽdum: per scientiam verò, dignum esse magna punitione. Casus autem is erat, quòd Monachi monasterij S. Viti, quod in Aethna monte est positum, tam nequiter viuebant, vt mulieribus se coniungere sine metu auderent. Sic ergo Leonem Cathinensem Episcopum arguit. Nulla te vales excusatione defenderè. Aut.n. hæc fieri nescisti, & culpa neglectus vehementer argueris. Aut certè factum nouisti, & grauiorem erga te videris indignationem exigere. Cur tantum facinus vltione districtissima non punisti? Itaque huius peruersitatis facinus digna emendatione corrige, vt & Deũ placare, & alijs, ne de cetero quid simile perpetretur, custodiæ possis disciplinam ostendere, vtq; neque remissè, neq; negligenter agi aliquid videatur. Contemnenda verò non est huius loci expositio, quã Choriolanus com. 56. reddidit. Ad seruanda quidem hæc regularia præcepta; tria potissimum sunt necessaria. Prælatorum circunspectio, supernũ patrociniũ, & iugis prçeceptorũ memoria. Eam ob rem præclarissimus Aug. postquàm in superioribus sua præcepta sanciuit, postremò loco de his tribus tractatulum edidit, primum diligentem Prælatorum gubernationem exposcens. Presbyteri verò, quicunque ille Superior fuerit, vtiliter meminit. Quando enim postremi Prælati auctoritas alicui alteri sublimiori subalternatur, quod inferior non potest, Superiori est subindicaturus. Itaq; negligentiæ causa nihil est in obseruatione legis præter eundum, obseruandorumq; mandatorum solicitudo præcipuè ad Prælatum spectat.

De regimine Prælatorum. *Cap. xxv.*

¶ IPSE verò, qui vobis præest, nõ se existimet potestate dominante, sed charitate seruiente fœlicem. Honorè coram vobis Prælatus sit, vobis timore coram Deo substratus sit pedibus vestris: circa omnes seipsum bonorũ operum præbeat exemplum, corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiẽs sit ad om-

nes. Disciplinam libens habeat, metuendus imponat: & quamuis vtrunq; sit necessarium, tamen à vobis plus amari appetat, quam timeri: semper cogitans Deo se pro vobis redditurum esse ratione. Vnde vos magis obediĕdo non solum vestri, sed etiam ipsius misereminí; qui inter vos quantò in loco est superiori, tantò in periculo maiori versatur.

ENARRATIO.

1 APIENTI, vigilantiq; ratione D. Aug. in hoc capite Prælatum regulare instruit, ac docet, vtilissimas prouidi regiminis leges illi præscribens: quas optimus quisq; Prȩlatus ad vnguem obseruans, vberrimum profectò fructū & suo gregi, & sibi est allaturus. Prima igitur lex libidinem, superbiamq; dominandi retundit: contra verò seruiendi, proficiendiq; Christianam cupiditatem commendat, dicens; Caueat Prȩses, ne apud se tacitus existimet, se ob potestatem dominantem esse fœlicem, sed ob charitatem seruientē faustum esse, atque beatū. Hoc enim discrimine & mali, & boni Prælati secernuntur, ꝙ illi obtento prælationis loco in superbiam dominandi abutuntur: hi verò in humilem
b famulatum, vt decet, vtuntur. Iuxta illud Matt. 20. Principes Gentiū dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: sed quicunq; voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus: sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Cùm hæc verba locutus est Dominus, reuera rectores mundi pagani erant; principes autem mundani nihil aliud quærunt quàm dominium; nesciunt.n. potestatem à Deo esse, nesciunt se quoq; habere dominum, & iudicē: hinc superbiunt: nec minus, & subditi Gētiles sunt, non.n. nisi propter timorem gladij à malo abstinent. Innuit igitur Christus, quòd qui tyrannicè imperant, non tàm Christiani, quàm pagani principes dicendi sunt, vos autem non sic. Vos inquam, qui scitis à Deo omnem esse potestatē, qui scitis, & vestrū iudicē; qui deniq; scitis omnes Christianos fratres esse, filiosq; Dei, vtinam omnes rectores hæc verba attēderent.
2 Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, verùm is sciat, se ad ministerium, non ad honorem: ad laborē, non ad otium vocari. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi. 1. ad Cor. 4. perspice, per-

factissimum exemplū & lenitatis, & humilitatis in Christo expressum esse, Rectè igitur Archiapostolus. 1. Pet. 5. Prælatum mihi erudire videtur, dicens; Pascite, qui in vobis est gregē Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum, neq; turpis lucri gratia, sed voluntariè: neq; vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo, & cum apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcescibilē gloriæ coronā. Itaq; Præsides, qui dominij potestate delectantur, mercenarij sunt: præesse non prodesse cupiunt. Nec animarum fructum, sed tēporale lucrū: nec cœlestæ gloriam, sed terrenū honorē inquirunt. Illi verò, qui secundū Deū curā regiminis gerentes, plures animas Deo lucri facere satagunt, quos delectat onus, nō honor: charitas nō potestas: seruitus impēsa alijs, nō ab alijs suscepta, ij veri pastores sunt existimādi.

3 Perpulchra quidem cōsideratione lib. 34. moral. cap. 21. eos carpit Greg. qui honoris sui gloria lætantes, præesse hominibus potestate, & dominatione delectātur, dicens: Sæpe nouimus, quod pleriq; qui præsunt, intus se tumore cordis extollunt, cunctosq; subditos in sui comparatione despiciunt; nec condescendendo consulunt, sed dominando premunt. Quia videlicet alta cogitatione se erigunt, & æquales se illis, quibus eos præesse contigit, non agnoscunt. Contra hunc tumorem Eccl. cap. 32. inquit: Ducem te constituerunt, noli extolli, sed esto in illis, quasi vnus ex illis. Hunc tumorem Dominus per Ezech. cap. 34. in Pastoribus increpans, ait: Vos autem cum austeritate imperabitis eis, & cum potentia. Singularitate. n. gaudent culminis, & non æqualitate conditionis. Sub quo. n. sint, non considerant, & coæqualibus, quasi non sint æquales, exultant: vnde autem hæc vitiorum radix pullulat in corde regentium, nisi ex imitatione illius, qui despectis Angelorum societatibus dixit Esai. 14. Ascendam super altitudinem nubium, & similis ero altissimo?

4 *Honore coram vobis, &c.*] Hæc est secunda lex regiminis pastoralis, quæ duo continet, quasi per contrapositionem sibi aduersantia. Alterum quidem indicat, Prælatum reuerentia, & honore esse colendum, & honestandum à subditis. Alterum verò interioris humilitatis cogitatione, propter suæ animæ ingens periculum concepto timore, subditorum pedibus esse substernendum, & supponendum docet. Venerandus itaq; est Prælatus à subdito, in corde eum diligendo, in sermone reuerenter ei loquendo, decenti attentione eum audiendo, in opere promptè obediendo, vrbanè seruiendo, verecundè, & modestè ei assistendo, & assurgendo. Honor autem tria complectitur, nempe amorē, obedientiam, & reuerentiam, quæ vt Prælatis non tantùm affectu, sed & re ipsa, & effectu exhibeamus, id Deus à nobis exigit, Honor etiam

in eo consistit, vt magnificè de Prælatis sentiamus, vt eos honorificentissimè colamus, ipsorum iudicio, & auctoritati plurimum tribuentes, ac deferentes. Nunquam autem eos contemnamus, aut vilipendamus, & si pauperes, senes, aut etiam tardi, ac morosi fuerint. Patres in spirituales in patris officium, & nomenclaturam succedunt. Tanto autē affectu Pau. Apost. ad Gal. 4. à spiritualibus filijs diligebatur, quòd si fieri potuisset, etiam oculos suos eruissent, & dedissent ei. Quam ob rem ante omnia curandum est, si res id postulauerit, vt eorum necessitati succurratur, vtq; ipsis, quæ ad victum pertinent, idq; abundè, libenter, & ex animo suppeditentur. Deinde debetur ipsis obedientia, quemadmodum Apost. ad Hebr. cap. 13. testatur, inquiens: Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi. n. peruigilant, quasi rationem de animabus vestris reddituri. Enimuerò honor magnus est parentum, habere filios dicto obediētes: contra verò confusio patris est, filius proteruus, & indisciplinatus. Nec. n. Deus minus nos subiecit Ecclesiæ Prę latis, quàm prophanis magistratibus: nec minori periculo Dei auctoritas in Ecclesiæ ministris, quā in magistratibus contemnitur: sed præter amorem, ac obedientiam non vulgaris eisdem veneratio debetur. Idq; eius muneris, ac ministerij gratia, quod in Ecclesia gerunt. Nam par est, vt omnes homines hoc ministerium summa cum pietate venerentur, ac operam etiam dent, vt conseruetur, ac ornetur, quod nihil sit, nisi repræsentatio eius ministerij, quod gessit Christus, ipso attestāte, qui vos spernit, me spernit; qui vos recipit, me recipit, qui vos audit, me audit: Luc. 10. Et Pau. 1. ad Thes. 5. Rogamus autē fratres, vt agnoscatis eos, qui laborant inter vos: & qui præsunt vobis in domino, & admonent vos, vt habeatis illos abundātius in charitate propter opus illorum: & pacem habete cum eis. Alioqui. n. dicam Malachiæ. 1. Si ego pater, vbi honor meus? Paulus ergo commonefacit nos, vt honorem non modicum illis Prælatis deferamus, à quibus in Religione, & moribus instruimur; nam pro Religionis augmento, bonorumq; morum gloria, multa tolerant, inauditis conuicijs nonnunquàm impetuntur, ab improbis odio habētur, & plerunq; de vita periclitātur; & quia pro monasteriorum profectu plurimū laborant, digni sunt, vt magnopere cohonestentur ab his, quibus Dei iussu præficiuntur. Nec satis est, eos singulari beneuolentia, magnoq; honore prosequi, sed opus est illos summopere habere in pretio per charitatem: Qui. n. Christum diligit, & eius præconem, & ministrum diligat, necesse est: & licet Prælatis probis, & improbis; modestis, & tumidis; deferendus sit honor, præsertim tamen cùm curant præstare suum officium, & gnauiter obire munus suæ fidei concreditū. Nec habendi sunt Prælati in honore propter

pter titulum tantum, aut quia cum fastu dominantur, sed quia admonent, docent, consolantur, & arguũt. Adde etiam, ꝙ veritas plerumque odium parit, & sæpè habentur odio, qui aliorum vitia reprehendunt.

5 Demum in præcepto de honorandis parentibus etiam intelligũtur patres illi, qui generant in nobis spiritum Christi, iuxta phrasim, & cõsuetudinem scripturarum, vt. 1. ad Cor. 4. Nã in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui. Et ad Galat. 4. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus. Prępositi igitur ecclesiarum, & pastores, patres sunt, tantò venerabiliores parentibus secũdum carnẽ, quantò dignior est ea vita, quam ipsi seminant in visceribus nostris. Docet planè Christus seruandum, faciendumq; esse, quod super cathedram Moysi sedentes præcipiunt. Nam & malis Prælatis obediendum est, quatenus legi consonant; contra eos, qui excusari se putant, ac ab obedientia absolui, si Superior malus sit. Includit prætereà honor iste exhibitionẽ debitæ reuerentiæ: qualis fit non solùm denudatione capitis coram eis: sed etiam, ac magis, si per omnia primas illis tribuamus in colloquijs, in conuiuijs, in cõsessibus, in amicitijs, in familiaritate, in humanitatis studio, in disponendo de rebus domesticis, in consultãdo, ac alijs, cuiusmodi sanè probatione non egent: quia ex se omnium hominum iudicio manifesta sunt.

6 Prætereà notandum ex Choriolano com. 58. Duo hoc loco ab Aug. significari, Prælati videlicet erga subditos modestiam, & subditorum in Prælatum venerationem. Sit igitur Prælatus modestus, sit virtutibus comptus, vt honore sit coram vobis, hoc est, vt meritò à vobis honorari mereatur: vos autem subditi sic Prælato obtemperabitis, vt sicuti bonos subditos decet, Prælatum vestrum honore, & veneratione prosequamini. At verò vt Prælatus meritò à subditis honorificè colatur, his sit virtutibus ornatus; Prudentia scilicet in agendo, vt quid euitandum, quidq; prosequendum sit, probè dignoscat; Iustitia in administrando: vt bonis præmia conferat, malis pœnas infligat, & vnicuique prout iustitia exigit, tribuat; Fortitudine in tolerando, vt nec prosperis extollatur, nec frangatur aduersis; Temperantia in suscipiendo, vt non solùm ea, quæ ad cibum, potumq; pertinent: sed omnia ea animi moderatione faciat, vt omnis actionis vitet excessum. Nam & virtus omnis in mediocritate collocatur. Has itaq; enumeratas virtutes probus Prælatus complectetur, iuxta temporum, locorũ, personarumq; conditionem, & qualitatem exercendas; semper tamen in omni opere animarum salutem exquisiturus.

7 Subditi verò Prælatos suos debito honore afficiant. Christi.n. vices in monasterio gerunt, & Christus in ipsis à prauis subditis spernitur;

tur: maledictus quoq; est, qui non honorat patrem, hinc Chanaam, & nati eius, & nati natorum æternã incurrerunt maledictioně ob inhonorationem patris. Adde etiam, cum fore maledictum, qui Prælatum spreuerit, Prælati.n.licet mali timenda est maledictus vtiq; erat, quem Balaam maledicebat, Acerrimus.n.vltor est. Deus suos ministros despicientium, ideoq; pueros Helisæum despicientes, & subsanantes, dæmones vrsorum formam induti deuorauerunt. 4. Reg. 2.

8 Alterum verò membrum agit de Prælatorum substractione, timori adiuncta. Qua in re illud accuratè sciendum, petentibus prælationem dixisse Christum, Matt. 20 Nescitis, quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Si scirent homines, quantũ sit in prælatione periculi, quidq; requirat Deus Io. 10. & Paul. 1. ad Tim. 3. ab eo; qui Prælatus futurus est. Quid demum debeat Prælatus ouibus suis, nemo Prælatus esse percuperet. quis.n.nimium pauper magnam filiorum turbam, vt ab eo alantur, habere vellet? quis pauper alieno ære grauari cupit? quis ascendens onustus onere graui, mille grauiora pondera sibi imponi desideret? Quis languidus multorum sibi languores asciscat? at Prælatus alere suum gregem, rationem pro eis ponere, onera eorum subire, languoribus eorum languere debet. Nescis igitur quid petas, credis te petere honorem, & petis summum onus, summum periculum. Petis calicem exultationis, sed reuera calix est continuæ passionis. Num si placet aureus calix, placet statim eius amara potio? Existimas calicem Christi, mundi esse calicẽ? perlustra teipsum, & perspice, sit ne in te potentia, & virtus animi tanta, vt libenter, & intrepidè passionẽ in calice Prælationis deuores? Paul. ad Phil. 4. iã se nouerat, dicens? Scio abundare, & egere: omnia possum in eo, qui me confortat. Qui tantam animi potentiã in se cognouerit, Prælationem ambiat, si velit. Agnosce igitur prius differentiam inter Christi calicem, & calicẽ mundi. Calix Christi in principio amarus, in fine suauis. Calix mundi principio suauis, nouissima verò eius absynthium. Calix Christi, licet inebriet, præclarus tamen est. Quo .n.magis inebriat, eo maiorem lucẽ animo præbet, Calix mundi plenus est abominatione, & immunditia fornicationis. Calicem Christi sequitur torrens voluptatis, & fons vitæ. Calicem mundi sequitur stagnum ignis ardentis. Calix Christi, calix est, non vena, vel amphora; Paucum.n.breue, & momentaneum habet laboris, & doloris. Sicut etiam calix Babylonis, Calix est paucum habens, & breue delectationis, en delitias Prælationis.

9 Magnus ille D. Greg. totus formidine corripiebatur, cùm animarum onus sibi impositum considerabat lib. 7. epist. cap. 125. ad Leandrum

drum Episc. Hispaniarum, dicens: Ego summopere esse decreueram opprobrium hominum, & abiectio plebis, & per conuallem lachrymarum foris humilius iacere. At me multum nunc deprimit honor onerosus, curæ innumeræ perstrepunt, & cùm sese ad Deum animus colligit, hunc suis impulsibus quasi quibusdā gladijs scindunt. Nulla cordis quies est. Aut rara, aut nulla in sublimia penna contemplationis animū extollit. Torpet ignaua mēs. Quasi prospero flatu nauigabam, cùm tranquillam vitam in monasterio ducerem, sed procellosis subito motibus tēpestas exorta, in sua perturbatione me rapuit, & prosperitatē itineris amisi: quia quiete perdita, mentis naufragiū pertuli. Vix profectò ad remū poni dignus erā, ad gubernaculū tamen sum appositus. Prælationes itaq; multis anxietatibus sunt permixtæ. Quid autem hic cōmemorē eiusdē Gregorij præstantē doctrinā lib. 13. Moral. cap. 11. prælatos videlicet teneri subditorū peccata, quasi propria plangere, seq; sic de alienis lapsibus, vt de proprijs affligere. Et idē Greg. in Pastorali cura, par. 2. cap. 6. ait: Sed cùm delinquentes subditos Præpositi corrigūt, attendāt, vt per disciplinę debitū, culpas quidē iure potestatis feriant, sed per humilitatis custodiā ęquales seipsis fratribus agnoscāt. Quamuis plerunque etiam dignum est, vt eosdem, quos corrigimus, tacita nobis cogitatione præferamus. Demum audi Iac. cap. 3. sic admonentem: Nolite plures magistri fieri fratres mei, scientes, quoniam maius iudicium sumitis. Timeat igitur pastor, ne eius negligentia ouis pereat, cuius perditioni obligatus existat: id quod Aug. pertimescēs, gemensq; dicebat; Quid faciam, cùm à me exigetur ratio tot animarum, quæ pendent ad collum meū, sunt profectò ipsi Prælati, tanquàm cuiusdā exercitus duces, quibus deuictis castra omnino expugnantur. Cadente Iuda in Machabęis. 1. Machab. cap. 9. ceteri fugerunt. Totum etiam prælij pondus in calce. 1. Regum cap. 31. in vnum Saulem fuit conuersum, ipso verò interempto, omnis penè exercitus perijt.

10 *Circa omnes seipsum, &c.* Tertia lex ecclesiasticæ gubernationis est hæc de præbendo plebi sancto exemplo. Quam legem sacer Augst. ad verbū mutuatus est à Paulo 1. ad Tim. 4. Nemo, inquit, adolescentiam tuam contemnat. Sed exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Et ad Tit. 2. In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate; verbum sanum, irreprehensibile: vt is qui ex aduerso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. Et 2. ad Tim. 2. Solicitè autem cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis. Similis est Petri sententia. 1. Pet. 2. Hæc est voluntas Dei, vt benefacientes, obmutescere

faciatis

faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Sed & Christus dominus Matt. 5. primoribus Prælatorum ait: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant bona opera vestra. Primum omnium, hic expendamus maximam exemplorum in Prælatis lucentium virtutem, & efficaciam ad bonos mores disseminandos. Habent. n. nescio quid energię maioris ad docendum exempla, potius quam præcepta, vt. n. erudiunt ista, ita rapiunt, animosq; impellunt, illa; non aliter, atq; calcatia equum, nec immeritò. Siquidem facilè imitatu arbitramur, quod palàm, & à rectoribus factum cernitur. Natura itaq; comparatum est, vt humanus animus ad duriora subeunda negotia magis moueatur exēplo, quàm institutione, atq; præceptis; quisq;. n. operi libentiùs, confidentiusq; sese accingit, quod ab altero factitatum, quàm quod suasum agnoscit. Nemo ferè paupertatem, humilitatem, castitatem, vigilias, ieiunia, reliquasq; corporis fatigationes, etiam si omnes homines ea magnificarent, obseruare inanimum induxisset, si nullus reperiretur, à quo ante obseruata fuissent. Quin potius diceret, hypocritę; vt quid humeris meis imponitis, quod ipsi ne digito quidem attingere vultis? Audio monitores, non video operatores, facite ipsi prius qđ præcipitis, ne tàm difficile factu quàm videtur, putem: quo planè fit, vt integritas Præsidentiū, salus sit subditorum. Nam facta ipsa, ac bonę actiones Pręsidum, sunt veluti perpetuum quoddam prædicādi genus.
11 Non potest ciuitas abscondi supra montem posita, vt Christus asserit. Matt. 5. meminerint Prælati, se in editiori loco positos: ob id necessarium esse, vt eo propius Christo accedant, eo firmiores sint, atq; perfectiores, vt & factis doceant, se veros esse pastores. Deinde, vt vitæ suæ diligentem rationem habent, vt ij in quos omnes spectant; in quibus exiguus lapsus, fœdi criminis instar erit. Mons. n. eminente vertice, qui sustinet illos, velint, nolint, eos reddit omnibus conspicuos; quo igitur à pluribus conspiciuntur, eo pluribus offendiculo sunt, si malè viuant: quod quàm sit graue, declarat verbum Christi Matt. 18. Væ homini, per quem scandalum venit: vtinam omnes tales attenderent, se in sublimi positos, & in prospectum aliorum. Norunt quidem se in sublimi positos, gloriantur: Sed non attendunt omnium oculos in se versos; putant sibi licere quicquid libet: & cùm non habeant reprehensorem, æstimant vitia sua latere: sed veniet, qui citra acceptionem personarum iudicabit. Perniciosa quidem pestis toti gregi, reprehensibilis in Prælato vita, propter quam, & verbum Dei contemptui habetur. Is. n. & se, & aliqs in foueam ducit, si nec doctrina, nec vita adest. Sed nec doctrina sola sufficit, nisi operibus adiungatur. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona. Quo quidem verbo ar-

bo arguũtur ij, qui satis sibi putantes esse, si doceant, interim autem impiè viuunt: similes æri sonanti, & cymbalo tinnienti, luceant ergo opera vestra, vt exẽplo vestro videãt, nihil aliud q̃rẽdũ nisi gloriã Dei.

12 Sunt autem penè diuina documenta à Greg. in Past. tradita. Sed quod ad rem attinet, par. 2. cap. 1. sic inquit: Tantùm debet actionem populi actio transcẽdere Præsulis, quantùm distare solet à grege vita pastoris: sub cuius æstimatione populus grex vocatur. Et cap. 3. subdit. Sit Rector operatione præcipuus, vt vitæ viam subditis viuendo denũciet, vt grex, qui pastoris vocem, moresq; sequitur, per exempla melius, quàm per verba gradiatur: illa vox nanque libentius auditorum corda penetrat: quàm dicentis vita commendat, quia dum quod loquendo imperat, ostendendo adiuuat, vt fiat. Et par. 3. cap. 5. subiungit: Si peruersa Prælati vnquàm perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt: vnde necesse est, vt tantò se cautius à culpa custodiant, quantò per praua, quæ faciunt, nòn soli moriuntur, sed aliorum animarum, quas prauis exemplis destruxerunt, rei sunt. Ecce vt vides, Prælatorum peruersa exempla subditos corrumpunt.

13 Demum locis Pauli citatis, ait Chrysost. Forma, inquit, esto fideliũ, hoc est exemplar vitæ, atq; morum ipse esto, tanquàm imago propositus, tanquàm animata lex, veluti regula, ac norma bene, recteq; viuendi. Rursus speculum esto vitæ, quod omnibus proponitur ad imitandum, veluti primitiua quædam imago, omnia in se habens, quæ bona, atque honesta sunt: quæ magna cum facilitate volentibus, aliquid sui decoris imitari, exẽpla semper præbere parata sit. In sermone, inquit, vt facilè instruere per doctrinam posſit. In conuersatione, vt Ecclesiæ sit propositus ad imitandum: in charitate ceterisq; virtutibus, ex quibus norma sumitur benè, beateq; viuendi. Eundem locum Pauli luculenter enarrat D. Th. Notandum .n. quod in his, in quibus Prælatus est exemplum, est multiplex differentia Quædam .n. ordinãtur ad proximum, quædam ad Deum, quædam ad se. Quantum ad proximũ ait. Exemplum esto fidelibus, vt scilicet quod verbo præcipis, impleas opere, forma factus gregis, idq; in locutione ponderata, ordinata, & circunspecta, ad Colos. 4. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, & 1. Pet. 4. Si quis loquitur quasi sermones Dei. Item in cõuersatione exteriori, vt sicut excellit loco, & dignitate; ita & honesta cõuersatione 1. Pet. 2. Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam. Secundo, quantum ad Deum ordinatur charitate, quæ perficit affectum. Ideò ait, in charitate 1. ad Cor. 13. Si linguis hominũ loquar, &c. Item per fidem, quæ illuminat intellectum. Ideò, inquit in

fide, id quod speciali ratione competit Prælatis, qui sunt custodes fidei. Eam ob causam Luc. 22. peculiariter dominus orat pro fide Petri dicens; Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua. Tertio, quantum ad se ordinatur castitas, quia indecens est nimis, vt vita ministrorũ discordet à vita domini. Christus autẽ sic castitatẽ dilexit, vt de virgine vellet nasci, & ipse eam seruauit. Ideò subdit, in castitate.

14 *Corripiat inquietos &c.*] Hanc legem, quæ numero quarta est, cum tribus sequentibus ad verbum desumpsit Aug. ex Paulo 1. ad Thess. 5. dicente: Rogamus autem vos fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Quo in loco iuxta D. Thomæ sensum, superius docuerat Paulus, quomodo subditi erga Prælatos se habere deberent; nunc autẽ ijdem Prælati docẽtur modum, quo in subditos se gerere debent. Sciendum est etenim, Prælatorum curam in duo præcipuè ferri, & tendere: scilicet ad retrahendum alios à peccatis, & ad custodiendum seipsos. Quantũ ad primum, tria Apost. monet. Nam tripliciter subditi possunt pati defectũ. Primo, in actu. Secundo, in voluntate. Tertio, in virtute. In actu autẽ, quando prorumpunt in actum peccati. Et tunc sunt corrigendi. Quãuis verò de omni peccato, specialiter tamen corrigendi sunt de peccato inquietudinis. Ideò dicit, corripite inquietos 2. ad Thes. 3. Non inquieti fuimus inter vos. In voluntate verò, quãdo non aggreditur magna, quia deijcitur propter aduersa, & peccata præcedentia. Vnde dicit, consolamini pusillanimes. Pusillanimis est non habens animum ad magna, timens ne deficiat. Esai. 35. dicite pusillanimes; Confortamini, & nolite timere. In virtute demum, quandò vel ex infirmitate peccant, vel debilitantur in bono actu, ac isti sunt fouendi. Vnde dicit; Suscipite, scilicet in visceribus charitatis fouendo infirmos, quorum est virtus debilis, vel ad resistendum malis, vel ad faciendum bona. Ad Rom. 15. Debemus nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere. Prælatus autem se custodire tenetur à qualicunque defectu, & maximè ab impatiẽtia: ipse. n. portat totum multitudinis pondus Num. 11. Non possum solus sustinere omnem hanc multitudinem, quia grauis est mihi. Ob id subiungit, patientes estote ad omnes. Pro. 19. Doctrina viri per patientiam noscitur.

25 Chrysostomus verò negotium nobis facessit hoc loco, aliã vtens lectione, sed non absque vtilitate dicẽs; Ad eos hic disputat, qui præsunt. Admonete, inquit, inordinatos. Austerus. n. & seipsum nõ agnoscens confidentior fit cõtemnens, & obiurgans alios. Proinde oportet per admonitionem dulce reddere pharmacum. Qui sunt autem inordinati illi? Omnino, qui contra quã Deo probatur, agunt. Ipse siquidem

dem Ecclesiæ ordo, ordo est congruè magis dispositus, quàm sit militaris ille; itaq; & côuiciator inordinatus est, & ebrius, & auarus, & in vniuersum peccatores omnes. Non.n. ordinatè incedunt in acie, sed distortè, & itinere inuerso, sed est & aliud peccatorum genus, non tale quidem, attamen malum, & ipsum. Pusillanimitas nanque, & ipsa, simul & desidia, perditionem adferunt. Qui conuicium non fert, pusillo est animo: qui tentationem non fert, pusillanimis est. Hic est, qui supra petrã seminatus est. Est rursus aliud quoq; genus infirmitatis, nempè adiuuate, inquit, infirmos. Infirmitas verò circa fidem accidit. Sed vide, quomodo non finat eos contemni. Et alibi quoque scribens dixit: Infirmantes fide assumite ad Ro. 14. Nam & in corporibus nostris si qua est infirma portio, perire illam non sinimus. Patientes, inquit, estote erga omnes, etiam erga inordinatos, & maximè erga illos. Nihil.n. huic pharmaco adæquari poterit, maximè doctori, nihil ita commodum est subditis. Ad pudorem omnino cogere, & flectere potest, etiam omnibus agrestiorem, & impudentiorem. Perspice iuxta Chrys. sententiam, quantam commoditatem patiẽtiæ virtus Prælatis ipsis, imò, & omnibus adferat.

16 Scitè quidem Isydorus Prçlatum in corripiendo segnem, & tardum dormienti assimilauit, è cuius manu in terram excidit pastoralis baculus, dum cubito cathedræ accubat, somno grauatus. In eorum causam primario Prælato Petro Christus inquit, Simon dormis? Mar. 14. Ii subditorum culpas cognoscere nolunt, grauanturq;, cùm ad corrigendum concitantur. Eaq; de causa omnia conniuent, omnia dissimulant, omnia surda aurè repellunt. Illa etiam crassa sententia se tuetur; subditos videlicet multò potius benignitate, quàm seueritate; amore, quàm timore esse gubernandos. Quæ sanè sententia, & si interdum, non tamen semper veritatem continet. Vt.n. meliores sunt, quos dirigit amor, ita plures sunt, quos corripit timor, teste enim Isydoro, dolore abscindenda sunt, quæ lenitate sanari non possunt. Hinc iratus dominus dixit ad Moysen. Num. 25. Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis.

17 Illud verò hic scitu necessarium est, quis nam inquietus dicatur. Glossa itaque 1. ad Thess. 5. exponente, inquieti dicuntur curiosi, siue girouagi. Iure igitur inquietos appellauimus eos, qui curiositate exagitati, secum consistere non possunt: qui nunc domi, nunc foris, nunc in choro, nunc in hortis, circumuagari noscuntur. Nunc domesticos, nunc exteros sua inerti loquacitate vexantes. Quos Paulus carpit, dicens; Rogamus fratres, detis operam, vt quieti sitis. Huius inquietudinis causæ plures noscuntur: duas duntaxat referamus. Altera.n. est

leuitas mentis,& cordis. Altera verò animæ ægritudo; quemadmodũ enim corporis ægritudo nõ finit hominem quiescere, sic animæ morbus eum volubilem,& rotabilẽ efficit. Hieronymi regula in hoc morbo dignoscendo hæc est; Monachum se esse, non loquendo, & discurrendo,sed tacendo,& sedendo quisque nouerit.

18 Aqua fluminis,quæ stare nunquàm potest, sed labi semper gestit,& fluere, vbi obstaculum inuenit vno in loco, ne transire posꝭit,ad partẽ alteram deflectens,trãsitum quærit, sic humanus animus vbi afflictionem in re vna senserit obsistentem, ne cum delectatione concupita in eam vltra posꝭit effundi, ad aliud se deflectit, si fortè alibi se maiori cũ delectatione queat effundere. Rursum, insatiabilem hominum gulam videmus,multis propositis ferculis, ab hoc ad illud pertransire degustando singula,si fortè alicubi,cum delectatione hærere posꝭit,& in cibo aliquo gratiam, gratumq; saporem inuenire. Ad hunc sanè modũ inquieti hominis animus qui delectari semper quærit, atque gaudere; cùm sit gaudium homini naturale, vt est tristitia naturæ cõtraria,dum in eo,cui primum hærere cœpit, inuenit vanitatem, experiturq; defectum,& insufficientiam, propter quæ nequit in eo pro voto, & desiderio suo se oblectare,trãsit ad aliud,si fortè illic inueniat, vnde amplius oblectetur,& cùm etiam illic vanitatem,vel æqualem, vel certè maiorem inuenerit,rursum ad aliud se conuertit,vel etiam ad prius fastiditum subinde reuertitur, dicens; Prius melius est. Idcircò inordinatè, atque vagabundè obambulat, fitq; intractabilis, parere nolens, & ob hoc turbans communem pacem.

19 *Consoletur pusillanimes, &c.*] Quinta hæc lex est, quæ immodicam Prælatorum austeritatem compescit. Sunt.n.Prælati nonnulli, tantam duritiem,& grauitatem vultu,verbis,& factis præseferentes, vt subditi perterrefacti, omni se consolatione destitutos esse credãt,& quasi perpetua animorum amaritudine discrucientur. Huiusmodi sanè Prælati à patris officio,quo fungi tenẽtur, longè absunt;cauterio non vnguento vtuntur. Sauciatum quidem hominem in suam curã recipiunt:nunquàm tamen nouerunt oleum vulneri inferre,sed solùm mordax vinũ. Luc. 10. Medicorum quidem nomine gaudent, sed suauitatis vnguenta penitus respuerunt. Habent quidem in arca virgam correctionis, & præceptorum tabulam,sed nullum dulcedinis manna continent. Loco mellis absynthium ministrant. Filijs non panem,ouum,vel piscem consolationis petentibus porrigunt,sed austeritatis lapidem,serpentẽ, vel scorpionem. Inde fit, vt contra Prælatum multa excogitare non desinãt. Iidẽ quoque Prælati imitari recusant Deum ipsum,qui est pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos

in om-

in omni tribulatione nostra. Est præterea notandum, pusillanimitatem esse timorem immoderatum, ex animi paruitate procedentem. Quæ quidem multa bona, egregiaq; opera impedire solet, pijsq; mentibus mœrorem inducere consueuit.

20 Egregia quidem analogia D. Greg. lib. 19. moral. cap. 25. & 26. Constantes palmæ; pusillanimes verò arbustis comparauit. Sunt. n. nonnulli, qui cùm cœlestia appetant: noxijs huius mundi factis derelictis, hoc tamen fęlici exordio suscepto, quotidie inconstantiæ pusillanimitate deficiūt. Quibus hos nisi arbustis similes dixerim, qui nequaquàm tales superius surgunt, quales inferius oriuntur? Non tales quales cœperunt, perseuerant. Et quasi more arborum, inchoatione vasti sunt, sed tenues crescunt. Sensim quippè in eis desideria superna languescūt. Palma verò vastior in sumitate est, quā esse cœperit ex radice. Quia sępè electorū conuersio plus finiēdo peragit. Et si tepidius primā inchoat, feruētiꝰ extrema cōsumat, & infatigabilis in nouitate pdurat.

21 Meditabilior tamen est pusillanimitas, quàm peruicacitas, doctore Greg. in Pastorali. 3. parte, admon. 9. dicente: Aliter admonendi sunt proterui, atque aliter pusillanimes. Illi. n. dum valdè de se præsumunt, exprobrando ceteros dedignantur. Isti autem dum nimis infirmitatis suæ sunt conscij, plerunque in desperationem cadunt. Idcircò pusillanimes aptius ad iter bene agendi reducimus, si quædam bona illorū explicare requiramus: vt dum in eis alia reprehendendo corripimus, alia amplectendo laudemus: quatenus eorum teneritudinem laus audita nutriat, quàm culpa increpata castigat. Plerunque autem vtilius apud illos proficimus, si & eorū bene gesta memoramus.

22 Docet quoque idem Pastor Greg. lib. 20. moral. cap. 6. Quòd duæ superiores leges declararunt, videlicet bonis rectoribus mixtam esse debere, & regendi cum disciplina auctoritatem, & benignitatem consolandi. Disciplina. n. vel misericordia plurimum destituitur, si vna sine altera teneatur. Sed circa subditos inesse rectoribus debet, & iustè consolans misericordia, & piè sæuiens disciplina. Hinc est, quod semiuiui illius vulneribus, qui à Samaritano in stabulum ductus est, Luc. 10. Et vinum adhibetur, & oleum: vt per vinum mordeantur vulnera, per oleum foueantur. Vnusquisque igitur, qui sanandis vulneribus præest, in vino morsum districtionis adhibeat, in oleo molliciem pietatis: per vinum mundentur putrida, per oleum sananda foueantur. Miscenda est ergo lenitas cum seueritate, faciendumq; quoddam ex vtraq; temperamentum. Vt neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate soluantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca significat, in qua cum tabulis virga simul, ac manna est. Vt in boni rectoris

pectore, si est virga districtionis, sit & manna dulcedinis. Hinc etiam Dauid psal. 22. ait: Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt, Virga etenim percutimur, & baculo sustentamur. Si ergo est districtio virgæ, quæ feriat, sit & consolatio baculi, quæ sustétet. Sit itaque amor, sed non emolliens: sit rigor, sed non exasperans: sit pietas, sed non plus quàm expediat, parcens. Intueri libet in Moysi pectore misericordiã cum seueritate coniunctam, Exod. 32. cùm Israeliticus populus ante Dei oculos grauissimam contraxisset offensam. Salubris quidem est hac in re sententia nostri Hugonis de S. Victore lib. 1. miscellaneorum tit. 41. tom. 3. Pusillanimes. n. prius consolatione fouendi sunt, vt surgant. Postea terrore confirmandi, ne recidant. Contumaces verò, & duri prius increpandi sunt, vt timeant, postea fouendi consolatione, ne desperent. Nam scriba doctus in regno cœlorum, profert de thesauro suo noua, & vetera. Noua sunt consolationes, vetera increpationes. Vetus. n. lex pœnã proposuit, qua terreret; noua misericordiã, qua foueret.

23 *Suscipiat infirmos.*] Hic traditur lex ad suscipiẽdos infirmos. Et quidem de ęgritudine corporis, duobus iam, aut tribus locis ab Aug. actũ est. De infirmitate igitur animorũ hic disserit. Quæ sanè multiplex est. Quædam. n. est concupiscentiæ carnalis, qua quidem propulsi, & victi, in lubricam, turpemq; libidinem, eamq; vel frequentem, vel occultam prolabuntur, qui in confessionis foro benignè sunt suscipiendi. Altera verò est morum, siue vitiorum infirmitas. Qua laborant iracundi, impatientes, impetuosi, inobedientes, qui suscipiendi sunt patientiæ brachijs, vt potè qui merendi materiam nobis subministrant. Tertia est vacillationis infirmitas, qua corripiuntur, qui non sunt in statu suo firmi, & stabiles, qui certè solicitè confirmandi, stabiliendiq; sunt. Quarta est infirmitas dubitationis. Eaq; vel circa credenda iuxta illud Pauli ad Rom. 14. infirmum in fide assumite. Vel circa agenda secundum eundem Apost. conscientia ipsorum cùm sit infirma polluitur; huiusmodi autem infirmitate torquẽtur, qui vel tentantur in fide, vel pusillanimitate conscientiæ in agendis vacillant. Hos suscipere oportet in spiritu mansuetudinis ad instruendum. Postrema est infirmitas imperfectionis, vt in tyronibus, atque neophitis Religionis, in alijsq; imperfectioribus: qui quidem charitate adhibita, tãquàm paruuli suscipiantur, necesse est, Ait. n. Apost. 1. ad Cor. 3. tanquàm paruulis in Christo lac potum dedi vobis, non escam. Horum amore tenebatur Paulus dicens. 2. ad Cor. 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Contra verò Ezechielem audiant duri pastores dicentem, væ pastoribus Israel. Ezech. 34. Quod infirmum fuit, non consolidastis, quod confractum, non alligastis: quod ægrotum, non sanastis, & quod abiectum, non reduxistis,

duxistis,& quod perierat,non quæsistis. Prælati. n.sunt, qui gregis curam gerunt.Hi nanque non solùm in lecto,sed in vlnis,& humeris subditum infirmum,& iacentem ferre iubetur. Dicente domino Esai.49. Ecce leuabo ad gentes manum meam,& ad populos signum meum:& afferent filios tuos in vlnis: & filias tuas super humeros portabunt. Et erunt reges nutritij tui,& reginæ nutritiæ tuæ. Igitur pastores portant oues suas in vlnis: eorumq; erit munus,cęlum infodere precibus, clamoribus,meritis,& exemplis domum cęlestem aperire. Vim igitur inferant Prælati cœlestibus tectis,vt infirmas oues ante Christi oculos statuant. Nec statuant solùm,sed suis meritis à Christo iustificationem ouium impetrent,vt Christus videlicet], videns Prælatorum fidem,infirmis fidem viuam infundat,qua ab infirmitate surgere possint.

24 *Patiens sit ad omnes.*] Lex de retinenda patientia nunc fertur. Habet.n.Prælatus non paucas impatientiæ causas,siue occasiones. Prima est magnitudo status. Facilius.n.irascuntur viri magni, superiorē non habentes,quàm iuniores. Secunda est grauamen infirmitatis. Tertia est multitudo negotiorum. Eius tamen impatientia non potest non esse nocentissima. Quippe quæ eius sapientiam perturbat, iustitiam peruertit, facitq; eum abuti sua potentia. Nam totam domum euertit,quasi furiosus solutus.Sic Eccl.4.legimus; Noli esse,sicut leo in domo tua, euertens subiectos tuos,& opprimens eos. Et Pro. 18. Spiritum ad irascendum facilem,quis poterit sustinere?Nam ibidē.cap.27. scribitur; Graue est saxum,& arena onerosa; sed ira stulti vtroq; grauior. Quis.n.ad eū accedere audebit? cùm sit alter Nabal. 1.Reg.25. qui erat filius Belial,ita vt nemo posset ei loqui.Quemadmodum ergo Deus summa tranquillitate, & suauitate, cuncta moderatur, ita opus est,vt Prælatus in tranquillitate omnia disponat, nec aliorum turbinibus conturbetur. Similis Dauidi factus. 1.Reg.14.Vbi asseritur, sicut Angelus domini,sic & dominus meus rex,vt nec benedictione,nec maledictione commoueatur. Intelligat etiam Prælatus se esse,quasi signū ad sagittam positum. Thren. 3. in quem subditorum oblocutiones, murmura,iudicia,opprobriaq; iaciuntur. Discat Prælatus domini nostri patientiam in suæ sacrosanctæ passionis deiectione; miraculum. n. sanè est, quod tanta in humana carne splendeat patientia, vt nec minimum in maximis,& summis opprobrijs commoueatur. Quis.n.mortalium tam seruo,tàm tranquillo,tàm immoto fuit pectore,vt tàm furentibus procellis,tàm insanis furijs agitatus,tàm quietus ipse,tamq; placidus perseueraret? Totus infernus,tota synagoga, summo nisu, summa vi,quatit,percutit, impellit,proruit in Christū: ipse verò adeò perstat pacatus, ac si nihil illi truculenti niterentur. Admirantur An-

geli attoniti,ſtupent dæmones, delaſſati ceſſant Iudæi, exemplum verò,& efficacia,ad ſimilia ferenda Chriſtianis exhibetur; Demum Hugo de S. Victore ſic Prælatos adhortatur: Qui locum tenet regiminis, mala inferre non debet,ſed tolerare. Vt ex ſua manſuetudine iracundos valeat mitigare. Medicus nanque animarum,contra paſsiones vitiorum rectè opponet medicamenta virtutum, prius omnium mores diligenter inquiſiturus,vt quid cuiq; applicare debeat,nō ignoret. Luculēter nos Greg. edocet lib. 20.moral.cap.28. Quod ſancti in culmine honoris,ſtatū cuſtodiunt humilitatis:& licet poteſtati ſemper amica ſit impatiētia,māſuetè tolerant ipſos,quos ex officio ſuo increpāt.

25 *Diſciplinam libens habeat, metuendus imponat.*] Lex eſt de exercenda diſciplina, & de retinenda auſteritate. Diſciplina autem nunc correctionem, nunc religioſam morum retentionem, nunc verò pœnitētiam, vel abſtinentiam,& vigilias,& alia ſimilia ſignificat. Hoc autem loco in poſteriori ſignificatione vſurpatur. Quare vt apertius loquamur, diſciplina eſt membrorum omnium motus ordinatus, & diſpoſitio decens in omni habitu,& actione. Inſignis verò martyr Cyprianus in hunc modum diſciplinam deſcripſit. Diſciplina eſt morum ordinata correctio,& maiorum præcedentium patrum regularum obſeruatio. Primò hic adnotandum eſt, eliminata vitæ auſteritate, delitias paulatim in monaſteria irrepſiſſe. Idcircò conquerentem Bernardum audiamus. Ecce parcitas reputatur auaritia: ſobrietas, auſteritas creditur: ſilentiū verò, triſtitia exiſtimatur. E conuerſo remiſsio,diſcretio dicitur. Effuſio, liberalitas. Loquacitas, affabilitas. Cachinnatio, iocunditas. Mollities, veſtimentorum honeſtas. Lecti ſuperfluus cultus, munditia. Vides quoſdam ex maiorum numero lautius comedere, ſapidius bibere, indui pulchrius, cubare mollius, loqui licentius, orare rarius. Secundò notandum opus eſſe, vt Rector eccleſiaſticus ſapiens ſit,& diſciplinatus. Tunc.n.alijs rectè diſciplinā imponet,cùm ipſe iuxta diſciplinam vixerit. Sic.n.ex ſeipſo trahit magiſteriū, quod exercet in alio. Ideò inquit, diſciplinam libens habeat, ideſt iuxta diſciplinam ſuam propriam vitā componat. Deinde alios corripiat. Sic vt ab omnibus timeatur. Ait.n.Apoſt. Peccantem coram omnib. corripe, vt ceteri timorem habeant. Idcircò inquit Auguſt, diſciplinam metuendus imponat,ideſt ita ſtrenuè,viriliterq; imponat, vt planè timeatur. Diligenter igitur curandum eſt, vt conueniens vitæ auſteritas in monaſterio conſeruetur.

26 *Et quam uis vtrunq; ſit neceſſarium, &c.*] Lex hæc Prælato præcipit, vt à ſubditis magis amari, quàm timeri optet. Deinde ſemper ante oculos habeat rationem ouium,quam Deo iudici redditurus eſt. Pro-

inde

inde Prælati plurimum à subditis commiserendum est, quod quantò in sublimiori loco sedet, tantò maiori periculo concutitur, & euoluitur. Ex hac regula tria insignia documenta excerpimus. Primum est, duo esse necessaria regimini, vt videlicet Rector suis concutiat timorem, & amorem exhibeat. Timorem ijs, qui superbi, ac rebelles, & duræ mẽtis sunt. Amorem verò eis, qui libenti; humili, pioq; animo Deo inseruiunt. Quare necessarium est propter subditorum vtilitatem, vt Prælatus timeatur. Nam non pauci frequentius ad bonam frugẽ timore inducantur. Indecorum.n. esset, & non exiguum incommodũ, si Præses ab inferioribus non timeretur. Rursus nullam laudem Regi, sed confusionem potius comparari fateberis, si eius virga regia non metueretur. Ideò Christus Luc. 10. Prælatis, inquit, qui vos spernit, me spernit. Cuncta animalia leonẽ timent. Ad Rom. 13. Paulus ait, si malum feceris, time potestatem. Nõ.n. sine causa gladium portat. Et idẽ Paulus 1. ad Cor. 4. in virga veniam ad vos, aut in charitate, & spiritu mansuetudinis? Idq; dixit ad incutiendum terrorem. Et princeps Apostolorum occisis proprietarijs, omnibus timorem incussit Act. 5. Factus enim est timor magnus in vniuersa Ecclesia.

17 Timorem autẽ huiusmodi subditis esse necessarium exemplis manifestemus. Etenim hoc in puerilis fit pusillis, præceptores terrent, & verberant eos, & lachrymantes ad matres remittunt, matres verò sinibus suscipientes continent, & circũplectuntur, & lachrymas detergentes osculantur, & dolentem ipsorum animam releuãt, verbis persuadentes, quòd ipsis vtilis est Præceptorũ metus. Sic vtilis est, & Prælatorum metus, vtilis est etiam correctio. Illorum enim metus non finit nos torpore dissolui. Et principes Deus armauit, vt lasciuientes terreant. Si ergo cùm non desint magistratus, & milites in armis præsto sint, furor tamen paucorum hominum perditissimorum magnum incendium inflammat, magnamq; excitat procellam, ad quid furoris isti non venirent? Nonne à fundamentis nobis vrbem euerterent, & omnia confundentes ipsas demum vitas abstulissent? Si.n. iudicialia sustuleris tribunalia, omnem vitæ nostræ ordinem sustulisti. Et sicut si gubernatorem à naui separaueris, scapham submersisti; & si ducẽ ab exercitu abducas, vinctos hostibus tradidisti milites; ita si principes de ciuitatibus, & à monasterijs Prælatos abstuleris, feris irrationalibus magis irrationabilem degemus vitam, nos inuicem mordentes, & nos deuorantes, pauperiorem potentior, mansuetiorem audacior. Porrò multi ad vitium spectantes, nisi ab his timorem sibi superpositum haberent, infinitis vtiq; malis nostras domos implerent. Corrueremus sanè, nemine existente, qui contineret, & repelleret, & pœnæ timore

eos quiescere persuaderet. Ne igitur doleamus propter Prælatorum metũ, verũ & Deo gratias agam, quod torpore nostrum corripuit, & nos grauiores effecit. Quod.n.dic mihi,damnum factum est ex cura, & solicitudine ista? Quod honestiores facti sumus, & mansuetiores; quod diligentiores, & attentiores; quod ebrium, & obscœna verba proferentẽ videmus nemine,quòd supplicationes cõtinuæ, & lachrymæ,& pcẽs;quod importunus,& turpiloquiũ,& oĩs lasciuia expulsa ẽ.

28 Sunt autem tria,quæ hic iuuare possunt, vt Prælatus à suo grege timeatur,videlicet morum grauitas, ne nimia familiaritate non contẽptibilis,sed venerandus fiat. Auctoritas in arguendo,iuxta illud Pauli verbum ad Tit.2. Argue cum omni imperio. Nemo te contemnat. Regulatus iustitiæ rigor,vt cum ea de illo opinio concepta est, quòd nullo pacto à iusti rectitudine deflectetur. Iuxta illud Marc.6. Herodes metuebat Ioannem,sciens eum virum iustum, & sanctum.

29 Secundum documentum est: Vnusquisque Prælatus strenuè curet, & elaboret, vt à subditis ametur. Sic .n. fiet, vt libentius quæ iusserit, impleantur. Habebat Centurio euangelicus, Matth. 8. quibus dicebat; Vade, veni, & obsequebantur. Verè hic erat prudens, & amabilis homo. Vt cui ad nutum obsequebantur, qui inter omnes homines minus obsequi solent. Est.n.militum gens, vt plurimum dura, & peruicax. Agnoscant igitur Prælati nostri documentum pulcherrimũ. Si volunt subditorum obedientiam,habeant etiam pretiosos. Ideò.n. vt arbitror, Centurio habebat milites obsequentes, quia eos amore prosequens, pretiosos habebat. Quem.n.amas, pretiosum existimas. His tamen Gregorianum temperamentum adhibendum est ex pasto rali, par.2.cap.8.Sciendum est.n.non oportere,vt Rectores boni placere hominibus appetãt; sed vt suæ æstimationis dulcedine proximos in affectum veritatis trahant. Non vt se amari desiderent, sed vt dilectionem suam, quasi quandam viam sternant, qua audientium corda ad amorem sui conditoris introducant. Difficile quippe est, vt quamlibet recta denuncians prædicator, qui non diligitur, libenter audiatur. Debet ergo qui præest, & studere se diligi, quatenus possit audiri. Amorem tamen suum pro se ipso non quærere: ne inueniatur ei, cui seruire per officium cernitur, occulta cogitationis tyrannide resultare. Quod benè Paulus insinuat. 1. ad Cor. 10. sicut & ego, inquit, per omnia placeo omnibus.Qui tamen rursus dicit; Ego si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem, ad Galat.1.Placet ergo Paulus,& non placet; quia in eo quod placere appetit, non se, sed per se hominibus placere veritatem quærit.

30 Tertium documentũ est; Vt Prælatus nunquam non ratione ouium

red-

reddendam animo verset, & meditetur. Ob idq; non mediocri periculo circundatur. Vt.n.ait Hugo, in periculo magno versatur, quisquis in regiminis loco sublimatur. Nam quantò superior gradus, tantò periculosior casus; & cui plus donatur, plus exigitur. Ipsius autẽ Prælati subditi miserentur, qui onus eius obediendo alleuiant. Tantoq; plus gaudent, alacrioriq; animo pro filijs patres spirituales laborant, quantò magis eos cernunt spiritualibus obtẽperare disciplinis.

De gubernaculo Prælatorum. Consid. j.

1 VANTÒ perspicacius Prælatorum leges describuntur, & iura, tantò dulcidior sternitur via ad ritè administrãdum eorum officium. Imprimis ergo Prælati considerent ex Matth.c.5. Eorum vnumquenque ciuitatem dici, & nuncupari. Prælatus.n.fundamentum est ecclesiæ suæ. Idem ipse est anima suæ ecclesiæ, radix, vita, facies, caput. Dicitur etiam ciuitas ipse Prælatus, non castellum exiguum, aut oppidulum vile, quod hostibus facilè cedit, nec eorum fert furentem impetũ; sed sicut ciuitas, quæ hosti se opponit intrepida: vt quæ super montẽ fundata est. Rursum in oppidis exiguis, exiguæ sunt opes: at in ciuitatibus nihil est, quod desideres, ita in animabus subditorum, paucæ sunt virtutes, oppidula sunt. At anima Prælati diues est omni virtutũ genere: est ergo ciuitas. Nam substantia diuitis est vrbs fortitudinis eius. Tertio pontifex ille vetus, Exod.28. gestabat auream in pectore laminam, in qua descripta erant nomina filiorum Israel. Erat hæc figura põtificis veri, in cuius corde debent esse scripta nomina omniũ ouium suarum. In cuius corde tanta est charitatis amplitudo, vt in ea omnes sui subditi habitent confidenter. Si igitur in Pontificis anima sui habitant inferiores, profectò huiuscemodi anima ciuitas est. Audi Paul. huius rei testem. Iustum mihi (inquit) est hoc sentire pro omnibus vobis, eo quod habeam vos in corde, ad Philip.1. Si tàm amplũ est Paulo, cor, vt omnes habitent in eo, profectò non erit cor illud solùm ciuitas, sed regio, aut prouincia. Addit Paul. Testis mihi est Deus, quomodo vos cupiam in visceribus Iesu Christi, ac si dicat: sunt mihi viscera Christi. Ideò augustissima sunt. In illis vos habeo, amo, & cupio. Igitur sicut Deus dicitur maior mundus, quia in illo sunt omnia eminenter, & homo dicitur minor mundus, quia in ipso quadantenus omnia sunt, quæ in mundo existunt: Ita & Prælatus quædã ciuitas est, in qua sunt thesauri virtutum, sunt & homines conscripti per amorem, & egregiam curam. Quarto, ciuitas dicitur Prælatus, vt.n. ciuitas ab hostibus suos defendit ciues: ita planè Prælatus sanctus suos ab ho-

ab hostiũ defendit incursibus. Murus fuit Moses toti Israeli, cùm dixit, Exod. 32. Dele me de libro vitæ, aut parce populo huic. Sensit huius muri vires ira Dei, cùm dixit; Dimitte me, vt irascar contra populum, quasi diceret; ne tantum mihi resistas. Quinto, ex Eccles. 38. Faber noctu, ac diu tractat, quo modo celabit; ferrarius exsiccatur ab ignis estu, vt instrumenta faciat; agricola sementem spargit; figulus molle lutum format. Sine his (inquit) omnibus non ædificabitur ciuitas; & tractauerat prius de iudicũ sapientia. Igitur ciuitas ex quinque munijs constat; Iudice, Fabro, Ferrario, Agricola, Figulo. Cùm ergo Prælatus quinque illa munia habuerit in se, ciuitas erit. Si sapiẽs est, vt iudicet inter lepram, & lepram: si Agricola est, vt spargat semina verbi: si Faber est, vt proficientes fideles varijs virtutibus ornet: si Ferrarius est, qui igne charitatis, & malleo timoris in suis vitijs obduratos emolliat: si Figulus est, vt teneros adhuc Christianos parturiat, vt in eis formetur Christus. Iam hic erit ciuitas spiritualis, quæ supra montem est collocanda. Demum ciuitas abscondit intra se domos. Ita & intra ambitum curæ eruditionis, & exempli pastoralis esse debent vniuersæ oues. At miraculi loco est quod ciuitas, idest Prælatus cum ouibus, sita sit supra montẽ, non infra. Videat ergo Prælatus, vbi positus sit, quia supra Christi monte: vt agnoscas, verè dictũ fuisse Luc. 15. Quod pastor ouem errantem super humeros posuit. Et quod cecinerat Esai. cap. 40. in sinu suo portabit agnos, fœtas ipse portabit. Igitur & agni, & Prælati, agnorum parentes, à Christo feruntur: sed maiore cura Prælati. Ipsa ergo tàm sacræ sedis, vbi sedemus, & portamur, nos maiestas moueat, amare portantem, vel certè non mordere, aut conculcare. Paucissimis itaque verbis peramplam Rectoris functionem tibi depinximus.

2 Præterea verò, quæ hactenus ad Prælati eruditionẽ conscripsimus, alia etiam non infrugifera subiungamus. In suo igitur obeundo munere Prælatus duas ingenuas virtutes, quas prima fronte à se inuicẽ dissentire fortè suspicaberis, coniungere enitatur. Cantaturus est.n. Deo non misericordiam solam, non iudicium solùm, quoniam neque misericors solùm est, neque solùm iustus dominus noster, sed misericordiã simul, & iudicium; quia simul misericors, & iustus est. Nam si solã Prælatus cantauerit misericordiam, periculum est, ne nimium remissè, nimiumq; securè agat, absque timore, & debita solicitudine, solius enim misericordiæ recordatio, ad remissionem inuitat, & minus cautum, ac timoratũ reddit. Qui verò solùm recogitant, & cantant iudicium, his est ex altera parte graue periculum, ne vel deijciatur animo, vel timore potius, quàm amore agantur, dum in misericordiam blandientem

nunquàm

nunquàm leuãtes oculos,ſolius intuentur iudicij terrorem. Benè autẽ ſibi conſulunt, qui neq; miſericordiæ obliuiſcuntur,neque iudicij,ſed adinuicẽ iſta ſapienter coniungunt; quemadmodum Deus miſericors ſimul,& iuſtus eſt in cunctis operibus ſuis.

3 Deinde conetur Prælatus ex munere gratiæ diuinæ, ſtudeatq; conuerſari in medio familiæ ſuę,& ſubditorũ ſuorũ,cũ innocentia,iuſtitia, & ſimplicitate,quaſi pater in medio filiorum, quaſi dñs in medio ſubiectorum,quaſi paſtor in medio ouium,ſingulos attendens, & conſiderans,ſingulis proſpiciens domeſticis ſuis,ſingulisq́; ſuperintendẽs, quantum opus fuerit;vt ſua quiſque adminiſtratione rectè fungatur. Neque malum vllum notabile patiatur in monaſterio, ac familia ſua, pro quo non emendando gerat ſolicitudinem.Diximus autem in medio familiæ ſuæ eum oportere commorari,opus eſt.n. eum, qui præſidet,ſiue communitati,ſiue domui,aut cuilibet tandem congregationi non in angulo aliquo domus deſidere,nõ in abdito cubilis ſemper latere concluſum, non in molli ſtratu otioſum ſtertere,non ad opiparam menſam in cœnaculo amœno accumbentem delitiari, cutẽq́; ſic in delitijs curare; ſed in medio ſibi creditæ domus perambulare; tanquàm qui ſit rationem redditurus de omnibus, quæ in domo illa ſibi credita aguntur. Nam in negotijs quoq;,quæ per te non geruntur,niſi per viros à te præfectos,culpa tibi eſt imponenda omniũ, quæ illi cõmiſerint. Propter quod ad Rom. 12. ab Apoſt. dictum eſt, eum, qui præeſt, præeſſe debere in ſolicitudine. Item in medio oportet Præſidẽ cõſiſtere, vt æquè propinquus, æquè expoſitus ſit omnib. vt ex æquo omnibus abſq; perſonarum acceptione inuigilet; non ſolos curet diuites, non ſolùm intendat ijs, qui ſunt in familia pręcipui, ſed infimis etiam, atque viliſsimis. Aequè.n.pauperis,& diuitis; nobilis, & ignobilis; anima requiretur ab eo, cùm in iudiciũ aduenerit iuſtus iudex, qui æquali potentia, ſapientia, & bonitate ſingulorum animas condidit, cui omnes æquè ſunt magni pretij, vtpotè qui finxit ſigillatim corda filiorum hominum.

4 Notandum etiã & illud,quod paſtor in medio domus perambulare dicitur. Aduerſarius autem per domus circuitum ex teſtimonio Petri Apoſt. dicentis; Aduerſarius veſter diabolus, tanquàm leo rugiens, circuit, quærens quem deuoret. In circuitu quoque impij ambulant. Diabolus ergo, ſuiq́; aſſeclæ in circuitu gregis circumãbulant, vt noceant; bonus autem paſtor, in medio gregis, & domus perambulat, vt ex omni parte circũeuntes aduerſarios repellat, & nullibi illis quãtum quidem in ipſo fuerit, nocendi concedat aditum.

5 Deinde poſtulat etiam illud perfecta Prælati iuſtitia,vt ante oculos

ſuos

suos non proponat impium, aut iniustum aliquid, nempè vt nullam sibi impietatem proponat in animo adimplendum eam. Tunc nanque ante oculos proponimus, cùm rei intendimus ad assequendum eam. Ad hæc, vt sicut iniquitatem in te ipso odisti; ita & in proximis habeas exosam, & operarios impietatis, vt huiusmodi sunt, persequaris, ad illos humiliandos, atq; illorum conatus malos infringendos. Hinc psal. 138. Propheta inquit; Nonne qui oderunt te domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfectò odio oderam illos, inimici facti sunt mihi. Alibi verò etiam fleuisse se dicit, & vehementer admodum fuisse conturbatum, propter impiorũ transgreßiones. Sic.n.psal.118. ait; Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legẽ tuã. Et iterũ; Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquẽtibus legem tuã. Secundum eandem considerationem iterum psal. 14. describens; Quisnã sit inhabitaturus tabernaculum domini, aut in monte sancto accepturus requiem, prius dicit: Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam; qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua. Ac deinde subiungit, ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, hoc est, qui pro nihilo reputat, qui penitus contemnit, & peßimè odit malignos, conaturq; illos, quantùm in se fuerit humiliare, & conatibus eorum improbis obsistere. Itaque Prælatus sibi sedulò caueat, ne rem iniustã menti suę proponat ad eam opere perficiendam, siue aduersus Deum, siue aduersus hominem, sed ne cogitet quidem, atque etiã transgressores legis Dei non solùm odio habeat, sed etiam eorum mala impediat proposita, pro suaq; virili ad bonum inducat.

6 Deinde ea est vis probitatis, vt fuget, atque elonget à se omnẽ malignum. Quomodo .n. luminis fulgentem claritatem tenebræ non ferunt, & ante illam hæ aufugiunt, & cum tenebris omnes tenebrarum amatores; ita à facie virtutis, siue probitatis omnis fugit improbitas; atque hinc fit, vt improbi vehementer exhorreant bonorum consortia, quemadmodum è contrario societatẽ cum sui similibus vehementer exquirunt. Ad eundem sanè modum cum is, qui reipub., aut familiæ præsidet, bonus, ac iustus fuerit, adiunguntur illi veri, boni, & recti corde; qui autem prauo sunt corde fugiunt ab illius probitate, ab eoq; declinant. Quoniam igitur Prælatus rectus virtutem sectatur, & odit impietatem, tàm in semetipso, quàm in alijs proximis, & subditis suis, idcircò non adhærebunt sibi homines praui cordis, sed magis elõgabuntur ab illo. Iustus verò cùm viderit ita à se elongari impios, nunquid dolebit? nunquid illos ad se conabitur allicere? nunquid blãditijs ad se inuitabit declinantes? Nequaquam. Sic.n. ait Propheta de

cli-

clinantē à me malignū non cognoscebam. Nā iustorū societatem sicut semper iustus Prælatus optat, ita peccatorū consortium, vel amicitiā omnino nihili pendit, & à se propter impietatis amorem declinantes, adeò reputat extraneos, vt nolit vel agnoscere. Quantūujs alioqui illorū amicitia grata, aut seruitus commoda fuerit; quicunque tandē, aut quanticunq; fuerint, qui ab eo abscesserint, quòd ab eo in sua impietate non foueantur, aut tolerentur. Porrò verū Prælatum decet, vt si quem videat ad detractiones pronum, ad auferendum, vel imminuendum bonum nomen proximi, hunc ille redarguat acriter, & seuerè corripiat, hunc ille toruo aspectu, atque etiam increpatorijs verbis cum autoritate compescat, non arrideat detrahenti, neque illum foueat, sed contradicendo resistat.

7 Quos etiam aduerterit esse superba, & elata mēte, prodente sese foris per oculos mentis interiore elatione, ac quos cōpererit esse corde insatiabili, siue diuitijs per auaritiam, siue honoribus per ambitionē, ab huiusmodi se abstrahat, cum eisq; non ducat familiarem vitam, hos nolit habere domesticos, neque conuiuas. Verùm enimuerò si quempiam vbicunque tandem locorum, aut quocunque tandem genere natum, viderit fidelem, iustum, & bonum, rectè, fideliterq; ex corde sincero commissa sibi peragentem officia, in eo sit sibi bene complacitū, ad eiusmodi homines oculum conijciat, vt eos efferat, & secum considere faciat, secumq; demorari cogat, & ad mensam suam vt domesticos, & amicos accumbere compellat, domusq; suæ egregia ministeria, rerumq; gerendarum administrationem committat, superbos autē, calumniatores, & simplicium oppressores, quos tales esse cognouerit, ac deprehenderit, è domo sua expellat, atq; eijciat, neq; patiatur tales impietatis amatores permanere ante oculos suos. Præterea apud probum Prælatum iniqui oblocutores, nec prosperentur, nec illis vnquàm benè sit, neque gratiam inueniant, vt eos euehat, foueat, aut promoueat, sed contra aduersetur illis, durumq; se illis ostendat, donec ab impietate desistant. Mox vbi persenserit malum contagiosum alicubi exurgere, maturè admodum curet, vt quantocius malum illud supprimat, vel prorsus auferat, ipsos mali auctores rigidè puniat, omnesq; iniquitatis operarios disperdat pro viribus suis, ne si impunitū aliquandiu malum permittat, in peius excrescat, eaq; via abundantia malitiæ inficiatur domini domus, ipsius cultui deputata, & sanctificata. Malum.n. nisi statim rigida punitione extinguatur, celeriter increscit, & serpit latissimè ab vno in plurimos; proptereaq; eum, qui gregi domini præsidet, si Deo placere velit, huic rei vigilantissimè intendere necesse est.

8 A mechanicis artibus discat cautus Prælatus sui regiminis canonē. Mercatori, si probus, integer, commertiorū peritus, sit, si ordine omnia disponat, quid mirum, si omnia optimè succedant, atque vtiliter? Imperatorem, virtute, ac magnitudinem animi, diligentiaq; præditū, si aciem benè instruxerit, milites in ordine collocauerit, oratione eos accenderit, loca commodiora præoccupauerit, insidias ostium cauerit, exploratores, ac vigilias adhibuerit, nonnè victorem existimabis? Agricola, qui operi nō parcat, ac sumptui, colonos vrgeat, tempestates prænoscat, facilè euentum bonum, ac vberem annum, sine astrologia pronosticabitur. Nautam prudentem, qui ex vsu flatus aduersos videns, clauum aliò dirigit, cursus diuertit, socios excitat, remis insurgere iubet, periculum euasurum polliceberis. At ciuitati fœliciter omnia bona successura, Principum virtus, ac mores, ciuium industria, inculpata iustitia, opportunum consilium, sana remedia, & præter omnia religionis, pietatisq; publicæ diligentia citra dubitationem pollicentur; ad eundem sanè modum prædictorū omnium industriā, solertiam, & sagacitatē summo studio Prælatus noster est imitaturus. Nō immeritò prudentiā draconi serpenti compararunt antiqui, quod is oculis clarioribus, longeq; intuentibus existat præditus, quamobrē custodiendis thesauris præficiebatur. Ideò Christus benedictus dixit; Estote prudentes, sicut serpentes. Sic animus Prælati prudentis inter tumultus, & pericula rerum humanarum positus, Deo adiuuante, circumspiciat omnia, & vndique ingruentia mala præcaueat. Ita semper promptus, expeditusq; ad omnes insultus vitandos, tolerandosq; cōsistat, sicut Athletæ solent, ad certamen brachijs elatis, & toto corpore præparari, nec minus sunt intento animo, ne quid omnino repentinum accidat. Vis vt sumatim dicam? Duorum lapidū naturas Prælatus prudens imitetur, factus percutientibus adamas, dissidentibus verò magnes. Hic tandem sisto pedem.

9 Quæ omnia profectò si suum hodie sortirentur vigorem, haud quaquam tanta ambitione, non tot fauoribus, litibus, vocibus emptitijs, nullis denique tum vitæ, tùm animæ periculis ad ecclesiasticam prælaturam plerique anhelarent, & irrumperent. Cum hoc opus sit potius iuxta Pauli sententiam commendandum fidis, integrisq; hominibus, qui idonei sint ad docendum, sicuti boni milites Christi laborantes, & solicitè curantes seipsos probabiles exhibere Deo operarios inconfusibiles, rectè tractantes verbum veritatis. Quandoquidem nō nisi qui elegantiorum morum splendore clarescerent, virtuteq; sapientiæ forent præstantissimi, & qui denique summa eruditione ornati essent, ac religionis Christianæ ardentissimi cultores, ad id muneris assumendi essent

eſſent. Quin & magno ſtudio attendere conuenit largitionis prælaturarum cauſas, nimirum ſi neceſſe ſit, aut vtile; ne ſcilicet videantur committi munera ijs, quibus non conuenit, vt fœminæ arma, ruſtico libri, aut ſtudijs dedito retia, & aſino lira. Quod nec ethnicos quidem illos naturali tantùm ratione donatos latuit, nimirum quòd turpiſſimum genus beneficij ſit inconſulta donatio, bis enim peccas.

10 Sed quorſum tàm multa? Vt ſcilicet & ethnicorum, & celebrium doctorum huc adductis ſententijs, illi vigilanter cõtemplentur, quàm longè abſint, cum à naturæ lege, tùm ab Apoſt. doctrina, quantorumq; ſint cauſa malorum, qui præter meritum ad Chriſti potius inuadendã ſubſtantiam, quàm ad ſuas oues paſcendas, in domini ouile conijci, intruditq; non verentur. Vtinam nulli eſſent Corei, Dathanes, & Abyrones, qui & famulo domini Moyſi obgãniant, & Aaronis munus ambiant. Nam & illi à terra abſorpti, deſcenderunt in infernum viuentes. Vtinam nulli, niſi qui docere poſsint ſuę tutelę creditos omnia Dei legitima, & præcepta, quemadmodum à domino fuit quõdam iniunctũ Aaron, & filijs ſuis, huic operi ſufficiantur. Vtinã nulli eſſent filij Hely, filij vtique Helyæ, neſcientes dominum, neque officium ſacerdotum. Nulli Ioeles, aut Abiæ, qui declinent pòſt auaritiam, accipiant munera, & peruertant iudiciũ. Nulliq; contemptores Samuelis, in quos vtiq; hæc à domino feratur oratio; non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. Nulli Saules, qui præter domini pręceptum, eiuſdemq; Samuelis ſacerdotum principis arbitrium, Deo ſacrificare præſumant. Nulli facinoroſi Iaſones, qui ſacerdotium ambientes, corrumpant reges muneribus, & ad gentilem ritum contribules ſuos transferant. Nulli Heliodori, qui à regibus ſibi demandatæ prouincię paulò obſequẽtiores, templo Dominico manus ſacrilegas audeãt admouere. Nulli Dietrepes, qui in Dei Eccleſia cupientes primatum gerere, non contenti ſint ſolùm cooperatores veritatis nõ recipere, ſed & eos, qui illos ſuſcipiũt, prohibeãt, & de eccleſia eijciant, verbis malignis in ſanctos garriẽtes. Nulli denique, qui teneant doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filijs Iſrael, edere, & fornicari. Sed quid tandẽ iſti? Nihil diuinæ vltionis pertulerunt? Quemadmodum & ij, qui nũc ad conſimilem nequitiam, eorum exemplo feruntur, ſunt perlaturi. Quæ omnia tu, qui locos tenes, reuolue, ſi libet, & facili perpendes negotio, quàm acer ſit ſui numinis vindex æquus ille rerum moderator, quamq; efficax vltor religionis contemptæ.

11 Ex quibus omnibus conſtat, quantò iure noſtra hęc turbulẽta, exulcerataq; tempora deplorare poſsimus. Nam rarus hodie Moſes, qui occidat ſacrilegos; rarus Aaron, qui coram Pharaone comminationes

diuinas edicat; rarus Samuel, qui inobedientes lugeat; rarus Phinees, qui perfodiat impudicos; rarus Iob, qui pro filiorum negligentia sacrificium offerat; rarus Noe, qui ijs, quibus summersio imminet, arca bitumine lita prouideat, quiuè in tempore iracundiæ fiat reconciliatio, quo tandem reliquæ terræ parcatur, harum quibus indies afficimur calamitatum, inundante Cathaclysmo. Verus.n.pastor habet quoq; gladium spiritus, quo resecet omnia noxia; habet sagittam, qua feriat animos ad compunctionē; habet tubam, qua dormientes expergefaciat ad sobrietatē, mortuos excitet ad vitam; habet virgam, & sceptrum, quo imperet, & percutiat inimicos Dei; habet runcinam, qua noxios affectus reuellat; habet vectem, quo demoliatur erigentes se aduersus Ecclesiam Dei; habet sarculum, quo disperdat radicitus, & euellat omnem plantationem diaboli; habet vomerē, quo purget semen euangelicum in cordibus fideliū seminatū; habet trullā cementariā, qua quod diruptum est, instauret; habet ligonem, quo nouellas plantas inserat.

22 Hæc sunt pastorum instrumenta, quodq; Paulus gentium Apostolus in Actis Apost. optimè commonefacit, dicens; Attendite vobis, & vniuerso gregi &c. Illud idem dicit princeps Apostolorum Petrus; Pascite qui in vobis est, gregem Dei &c. Vbi quidem ille pastores Dominici greges instituit, hortaturq; nō solùm ad susceptі muneris strenuam, indefessamq; functionem, sed ad sanam quoque doctrinam, vitæq; puritatem, ac sanctimoniam præstandam, quo quisq; apud illos inueniat, quod ad institutionem religionis Christianæ spectat. Quisquis igitur, gubernaculi Ecclesiastici munus appetit, sedulò nitatur, ille, vt sit inspectoris, ac vigilis insignibus excultus, quæ D. Paulus eos docebat, quos seligendos volebat, cùm suo Tito ita scriberet, oportet Episcopum sine crimine esse, &c. Atqui rem gerere Christi, vt est munus longè pulcherrimum, & quo ipsi Deo propius accedimus, ita est perquàm difficillimum, ac periculosissimum, atque inde ad quod suscipiendū formidolosius conari deberemus; siquidem ad id Christi charitate, atque gratia, diuino verbo pascendarum suarum ouium, potius quàm opum ambitione, & appetitu duceremur. Eum quippè, qui regendos alios suscipit, tanta decet gloria virtutis excellere, vt instar Solis, ceteros veluti stellarum igniculos in suo fulgore obscuret.

De vtilibus documentis à Rectore obseruandis. Consid. ij.

1 OCVMENTA autem quædam ex grauissimorum authorum scriptis excerpta, sunt in regimine monastico à Rectore, seu Præside obseruādō; quæ nō mediocrē cōmoditatē sunt allatura. Primū illud est cōsultatione, atq; cōsilio Rectori opus esse. Qm.n. difficili-

difficillima plerũq; est veri cognitio, idq; cùm magis & deprehẽdisse, & tenere arbitramur, tùm grauius labimur, atque decipimur: monendus est Rector, ne sibiipsi plurimũ credat, suiq; ingenij sit amator immodicus: sed aliorũ consilia quærat, & ea amet, non minus quàm sua. Libenter audiat, nec tamen facilè credat; emendari non irascatur, cõfirmari gaudeat: falluntur qui putant vel naturam sibi, vel studia ad non errandũ posse sufficere. Non est semper in officio sensus, & offunditur facilè lumen ingenij, ignorantiæ vndique circunfusa caligine. Quandoque.n.bonus dormitat Homerus. Verumq; est Prophetæ nostri in extasi dictum, Omnis homo mendax. Solius. n. Dei semper est sapere, in nulloq; vel errare, vel labi. At hominis est cum ignoratione habere scientiã, & præsentibus sibi oblitterari præterita. Itaque quoniam humana cognitio incerta sæpissimè est, vanitatiq; subiecta, orandus nobis est Deus more Dauidico Psal. 16. De vultu tuo iudiciũ meũ prodeat, oculi tui videant æquitatem. Et fidelissimo consilio vtendum Apost. Iacobi. 1. cap. Si quis indiget sapientia, postulet à Deo: qui dat omnibus affluenter: postulet autem in fide nihil hæsitans. Hinc.n. D. noster Aurelius omnes disciplinas, quas liberales vocant; immortalis prouidentiæ dono, nemine tradente percepit. Vt ipse in confessionibus commemorat.

2 Secundum documentum. Cauendum & illud ne Rector personarũ acceptor existat: vt cum æquabile ius vniuersis esse debeat, potentior imbecillo, diues inopi, patritius plebio anteponatur; quod peccandi genus periniquum est, & diuinæ legi repugnans, quæ in Deuter. cap. 1. & 16. præcipit. Quod iustum est, iudicate, siue ciuis sit, siue peregrinus: nulla erit distantia personarum, ita paruum audietis, vt magnum. Ex quo pulchrè iudicem, aiunt; Ius spirans, legemq; loquentem. Sed quãta est maiestas iuris, & reuerentia legum, tanta sit fides, & constantia iudicis, eo quidem pacto, vt sine delectu ius cuique exhibeat, nec ad gentilium, charorumq; commoda, nodosas leges pertrahat. Caueatq; prudenter, ne in se contorqueatur illud; dat veniam coruis, vexat censura columbas.

3 Simul videndum, & tibi ò bone Præsul, ne blandimẽtis, & adulationibus veluti Sirenum cantu improuidus capiare. Tantus est. n. amor iste rumoris, & laudis, etiam falsæ, vt iam homines noxia assentatorum blandiméta non à conspectu propulsent. Sed vltro prouocẽt præmijs, atque muneribus. Odiosus, immittis, capitalisq; habeatur, qui adulari, inflareq; non didicit: quocirca quisquis primorem adit, primũ cógitat dulci hac, molliq; fraude illius animum delinire: quod genus veneni mox leues non solùm capit, sed ita dementat, vt fidem nullo qui-

dem modo habere queant, nisi palpantibus, atque fallentibus: quibus & sæpè captati, tantò quidem postea ludibrio fiunt; vt illi ipsi, qui ita præstigiant, atque ludificant, corrugato oris rictu, protensaue lingua, post eos denique cachinnum extollant: quare si quignatones, aut captatores id imprudentius conabuntur, non erit tibi alenda adulatio audiendi patientia, sed obijcienda in eos, quasi clypeus obiurgatio, vt intelligant telum regredi in lapidem missum.

4 Suspitionibus verò nisi illis quidem violẽtis, & maximis videto nequid temerè etiam agas. Benigna potius vtere rerum existimatione, & veritatem ipsam excute grauitate, atque prudentia. Quæ quidem virtus gubernatori est maximè propria; perniciosa cõtra res est, & interdum exitij, ac cruoris plena, grauis, ac profunda suspicio, quæ ei vel natura indita est, vel coaluit consuetudinis prauitate: quæ quibus dominata est, sæpè miseros fecit, & lachrymas impulit, sine vllo tandem pœnitentiæ fructu. Itaque periclitari, vt mihi videtur, humana omnia facilè possunt: vbi quantum suspitio animum concitat, tantas ad nocendum vires fortuna concedit. Incidunt tamen suspitiones interdũ tàm graues, ac violentæ, vt ab ijs deduci etiam iudicium liceat, iuxta peritissimorum virorum sententiam, qua in re ipsi consulendi sunt. Hic in suspitionibus modus habendus esse mihi videtur; in quo vt fides, & bonitas Prælati exquiritur, ita solertia desideranda vtique est, atque sagacitas.

5 Iram quoq;, & acerbitatem animi, quæ nec rationem audit, & quod tetrius est, se nõ audire, nec intelligit, acturus aliquid, vel dicturus tanquàm naufragium deuita. Nullus est.n. impetus acrior, atq; celerior, & qui suo æstu tàm facilè hominem ad insaniam rapiat. Quocirca Senecæ illud verissimum mihi esse videtur. Cetera vitia impellunt animum, ira præcipitat. Cum qua nimirum nihil rectè fieri, nihil considerari potest. Sed quoniam difficillimum est ad iniurias non efferuescere, & per tædium animo non commoueri: Si quando irascatur Prælatus, idem obseruet, ne id quidem committat vllo animi morbo, sed vitiorum odio duntaxat. Non homini, sed culpæ succenseat: nec grauis sit, & inflexibilis huiusmodi ira, sed quæ citò mitescat, & veniam facilè præstet. His adiunge, quòd sæpè seditiosorum hominum tumultus Præpositorum mentem lacessunt, suiq; Ordinis limitem inordinatis motibus excedunt. Testeq; Greg. lib. 20. Moral. cap. 28. plerunque qui Præsunt, nisi in ore cordis, Spiritus Sancti freno teneantur, in iratæ retributionis atrocitatem prosiliunt, quantũq; præualent agere, tantùm in sibi subditis existimant licere. Amica etenim potestati penè semper impatientia est, & quod ipsa sentit, potestas exequitur.

Prudens

6 Prudens etiam Prælatus crudelitatem in subditos, tanquã pestem fugiat: multi quidem cùm regiminis iura suscipiunt, ad lacerandos subditos inardescunt, et errorem potestatis exhibẽt, & quibus prodesse debuerant, nocent. Sanè quia charitatis viscera non habent, domini videri appetunt, patres se esse minimè recognoscunt. Humilitatis locum in elationem dominationis immutant; & si quando extrinsecus blandiuntur intrinsecus sæuiunt. De quibus Matth. 7. veritas dicit; Veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Contra quæ omnia considerandum Prælatis est, eos vt agnos inter lupos mitti. Vt sensum seruãtes innocentiæ, morsum malitiæ non habeant. Qui.n. locũ regiminis suscipit, mala inferre non debet, sed tolerare: vt ex ipsa sua mansuetudine irã sæuientium mitiget, & peccatorũ vulnera in alijs ipse afflictionibus vulneratus sanet. Quẽ & si quando zelus rectitudinis exigit, vt erga subiectos sæuiat, rigor ille ab amore, non à crudelitate iuxta disciplinæ iura foras progrediatur: intus tamen interim paterna pietate diligat, quos foris castigat. Quod tunc verè Rector exhibet, cùm seipsum amore priuato diligere nescit: cùm nulla, quæ mundi sunt, appetit: cùm terrenæ cupiditatis oneribus nequaquàm mentis colla supponit, vt attestatur Gregorius homilia 17. in Euangelia.

7 Sunt rursus quattuor illa notissima prauitatũ genera, quibus in ecclesiasticis gubernaculis crebrò peccatur: hisq; adeò insidẽt, vt iã facilius reprehẽdi, quàm dimoueri queãt. Cupiditas, timor, amor, & odiũ. Quo circa non modo tibi, ò Præses, aduersus ea muniendus animus erit, sed abhorrendum magis, quàm ab omni flagitio, dedecore, supplicio, atque etiam morte quidem ipsa. Qui.n. cupiditati seruit, & lucris inhiat, cuiusq; in promptu est manus ad munera: hic certè quisq; ille est, & fidem, & libertatem, & iustitiam, fasq; & honestum prostituat, & animam denique venalem habeat oportet. Hi.n. non quod honestum, sed quod commodum est, metiuntur, & cum emolumentis recta comparant. In Deuter. legimus; Maledictus, qui accipit munera. Et in Esa. cap. 5. Væ, qui iudicatis impium pro muneribus. Secundo autem loco sic præparandus animus erit, & vt ita dixerim, fortitudinis clypeo, armisq; constantiæ protegendus: vt nullus eum exagitet metus, nulla potentia tremefaciat. Non præsentibus, aut impendentibus malis, ceu exilio, paupertate, ignominia, criminationibus, odijs, non denique ipsa proposita, & ostensa ante oculos morte iustitiam deserat, aut sanctas leges violet. Quod si sic interdum demersæ erunt leges, & perturbata iudicia, vt nequeas vlla ratione magistratus exequi munus, certè caueto, ne metu, ac pauore quicquam tentes

iniustè. Aliud est.n. prodesse non posse: aliud per timiditatē, & ignauiam iniqua committere. Veruntamen ne metuas vniuersa, quæ territant. Sed animo sis semper inuicto, ea quæ accidere possunt, sæpè præmeditans. At verò quod sequitur, si quis tam mollis, & effœminatus extiterit, vt carni, & sanguini, idest suis, vel propinquis, vel amicis, vel ciuibus sic afficiatur, vt arbitretur eorum causa officium, & dignitatem optimi, & æquissimi viri relaxandam, hi dirimunt communem humani generis societatem, quia sublata libertas, beneficentia, bonitas, iustitia funditus tollitur. Hæc.n. lex in amicitia sanciatur, vt ab amicis honesta petamus: simul & rogati, amicorum causa honesta faciamus. Depone igitur amici personam, & sanguinis, & indue iudicis, qui nihil est aliud, quàm ius loquens, & animatū: aut si quo mouearis affectu, propensior in misericordiam, & benignitatem esto. Ceterū qui haberi dignus magistratu, & boni viri nomen, ac sapientis specimen præ se ferre contendet, nō modò non erit odij tenax, neque animo refricabit iniurias, sed eximia vsque adeò bonitate pollebit, vt etiā deditus esse charitati ijs videatur, qui intulerunt iniuriam. Hæc.n. incōparabilis animi virtus, & celsitudo, quam heroïcam, atque diuinam, & Oratores, & Philosophi vocant, si seruanda erga ceteros est, quātò vtique magis inter collegas, qui tecum vitam religiosam ducunt, quibus vnam esse mentem, vnam animam, vnum officium, & specimen laudis omnino conueniat.

8. Illud denique plurimum afferre adiumenti ad totam vitam, hoc est publicam, atque priuatam mihi sanè videtur: vt probatissimorum hominum societatem, vsumq; teneamus: quæ.n. præclara vel leguntur, vel audiuntur virtutem exempla, ipsa quidem etiam mouent, & incēdunt, & generosis calcar ingenijs figunt; sed quæ conspicimus, longè acrius ad præcordia penetrant, & violenter quodammodo trahunt, vt altera fœminea vis, altera mascula iure dicatur. Sed ita hodie se res habent, vt bonitas, pietas, veritas, & charitas ad astra migrauerint. At verò tu ex rarissimis, & senioribus quospiam delige, quibus inhæreas, & quos verearis, & pene metuas; quosque eorum quæ agis, arbitros habeas, & eorum quæ acturus es, sint rectores, atque magistri.

9 Superest aliud, qđ tibi desiderē præclarius, vt inter collegas cōsulēdo, atq; agendo, teneas animum liberū, & pro veritate semper intrepidum. Sunt quibus iniqua displiceant, nec peccēt, si vitium viderint. Qui ijdē ceteris tñ delinquentib. morosi ne habeātur, ad eorū errata conniueant, sibijpsis applaudentes interdum de æquiore conscientia, potioreq; virtute. Qui tametsi ipsi opere proprio non peccent, dissimulantes tamen aliorum peccata nec latrantes, vbi se viderint profuturos,

turos, communitati, & iustitiæ impiæ obsunt. Iam quidem bonus pro honestate ferè loquitur nemo, ne veluti publicus habeatur hostis, vel vt hypocrita exhibiletur. Hanc tamen sinceritatem, hanc & animi libertatem eum habere cõuenit, qui sit in gubernatione monastica magnus, qui ecclesiasticum magistratum gerit.

10 Potissimum autem, & omnium maximum est in regimine, vt cum satisfeceris ceteris omnibus, tibijpsi non desis. Est quidem insulsus, atque ridiculus, qui curans vtilitatem alienam, suam deserit: & alios ad iustitiam dirigens, sibijpsi existit iniustus: qui.n. vel obiurgat, vel prohibet, vel animaduertit in alium, quod continuò ipse committit, estq́; vt veteri Prou. dicitur: Intus Nero: foris Cato. Nonnè occultus hic est contra se censor, & conscientiæ suæ tacitus accusator: finẽ habens damnationem, & interitum, suis iam legibus iudicatus? sanè ratio exigit, vt se primũ contineat, qui alios continet: nec in eo peccet, in quo peccantes alios punit; Clarusq́; sit rebus ipsis, non vocib. plus faciat, quàm præcipiat. Tu igitur, optime Præses, quidquid egeris, à virtute deducito. Nec vento laudis humanæ ad ea mouearis, quę diximus obeunda: pluris hominum, quàm Dei oculos faciens. Difficilè quippe erit, vt rectè, & constanter aliquid agas, vbi pendere à fauore multitudinis cœperis. Demum regulam Gregorianam. 2. par. pastoralis. c. 10. mente teneto. Nõnulla.n. peccata apertè cognita, sunt à Prælato maturè tollẽda, aliqua dissimulãda, aliqua subtiliter, & occultè pscrutãda, aliqua vehemẽter increpãda, aliqua leniter arguẽda.

De mutua patientia à Prælato, & subditis custodienda. Consid. iij.

1 TAMETSI, authore August. lib. de patientia, illa animi virtus, quæ patientia nuncupatur, adeò magnum Dei donum est, vt etiam ipsius, qui nobis eam largitur, patientia prædicetur, aduersariam tamen tetram habet seculi tristitiam, qua nonnunquàm impeditur ad præclara bona virtutum adipiscenda, id quod Pau. 2. ad Cor. 7. insinuat, dũ ait; Seculi tristitia mortem operatur. Cui & Sapiens Eccl. 30. suffragatur, dicens; Multos occidit tristitia, & non est vtilitas in illa. Quamobrem, doctore D. Tho. 2. 2. q. 136. art. 1. necesse fuit aliquam constituere virtutem, quæ bonũ rationis & conseruaret, & tueretur aduersus malignantẽ tristitiam, ne vnquàm ratio tristitiæ succumberet. Hoc igitur est vtilissimum patientiæ munus. Ea.n. est, vt censuit Aug. loco citato, qua mala æquo animo toleramus, idq́; sine perturbatione à tristitia subministrata, ne vllo loco, aut tempore, animo iniquo bona deseramus, per quæ ad meliora proficisci, & peruenire possumus.

2 Triplex autem existit patientiæ gradus. Infimus nanq; gradus est eorum, qui aduersa toleratu leuia patiẽter ferunt, vbi aduenerint; nõdum tamen eo peruenerunt, vt grauiora ferre sint parati pro iustitia. Qui.n. prorsus nulla ferre cum patientia sustinẽt, perspicuum est eos, vt prorsus mundanos, & carnales extra iustitiam esse. Secundus est gradus eorum, qui non leuia tantùm, verùm etiam quantumuis grauia, vbi aduenerint, sustinent patienter, potiusquàm iustitiam, & veritatẽ deserant; veruntamen passiones, & toleratu difficilia horrent, neque appetunt, mallentq;, absque tribulatione prorsus vitam agere; & ferunt quidem, facientes, quod dici solet, ex necessitate virtutem; Nõdum tamen eo perfectionis venerunt, vt afflictionem, vel ipsi vltroneam assumere, vel à Deo postulare velint. Tertius verò gradus est eorum, qui non solùm ea, quæ accidunt, quadam necessitate cogente, voluntariè perferunt, verùm etiam in tribulationibus gaudere, easq; secundum Dei voluntatem exoptare, & concupiscere didicerunt. Tales legimus beatissimos Apostolos, qui ibant gaudentes à conspectu Concilij, quod digni essent pro Christi nomine contumeliã pati. Act. 5. qui docuerunt in tribulationibus gloriandum; & omne gaudiũ existimandum, cùm in tentationes varias incideremus. Talem in actibus Lucas describit Paul. cap. 21. qui rogatus obnixè à fratribus, ne Hierosolymam ascenderet, vbi tribulationes, & vincula per omnes ecclesias illi Spiritus prædicebat, nequaquam consensit. Talis erat præclarus martyr Ignatius, vt ipse ait in epist. ad Rom. qui eos obtestabatur, ne suam passionem impedirent, cupiens Christi frumentum dentibus moli bestiarum, & cum eis felicem depugnare pugnam. Talis quoq; erat Psaltes, qui dicebat, Psal. 25. Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum.

3 Hæc præclara sanctorum Patrum documenta eo protulerim, vt & prælatus, & subditi in Religione cœlestem militiam exercentes, mutua charitate, reciprocaq; patientia in se inuicem & vtantur, & se cõfoueant. Alioqui.n. futurũ est, vt Religio sacra, quæ & suauissima est, & bonorũ operũ fecũdissima, in amaritudinẽ conuertatur, sterilisq; fiat. Tales.n. nos erga nosipsos esse cõuenit, cupiẽtes videlicet, quãtùm ex Dei volũtate fuerit, & quãtùm ipse nobis expedire viderit, modis sibi placitis probari, & vri; vt cum Aug. dicamus; Hic vre Domine, hic seca, vt illic parcas. Quamuis.n. Aug. hoc, quem interpretamur loco Prælatum commonefaciat, vt patiens sit erga vniuersos subditos; subditos tamen à retinenda erga suum Prælatum patientia non exclusit. Nam si Prælatum patientẽ esse oportet, subditum profectò potiori iure magna patientia munitũ, præditumq; esse necesse est. Hac igitur de causa

vtilissi-

vtilissimũ de pulcherrima patiẽtia sermonẽ protrahere, nõ grauabor.

4 Ea est patientiæ vis, vt faciat arborem sapientiæ accrescere, & monasticæ Religionis fructus maturescere. Per disciplinam quidem Religionis virtus floret, producens spem futuræ retributionis, pulchritudinem laudabilium operum, & odorem bonæ opinionis, laudatæq; famæ. Proinde quisquis virtutis vacuus, bonum opus in oculis hominũ, vel apud Deum non exhibet, velut arbor est, quæ sine fructu floret; fructus autem ipsi virtutum per patientiam, congruam maturitatem accipiunt. Inchoata virtus, nisi ad finem perducatur non prodest, Proptereaq; quisquis virtutem inchoat, quasi quẽdam in se bonitatis fructum format. Quòd si verò virtutem inchoatam ante finem relinquit, velut immaturus, esuiq; ineptus ante tempus fructus excidit. Apprehende arma, & scutum, & exurge in adiutorium mihi, cecinit Dauid Psal. 34. armis pugnamus, scuto contegimur. Mundus. n. contra electos duobus modis dimicat; Verbo videlicet, & gladio: verbũ falsitatis per sapientiam expugnamus; Gladio autem aduersitatis resistimus per patientiam. In sapientia igitur accipimus arma, scutum verò in patientia. Diuinum igitur est patientiæ scutum, & Dei donũ, qui nos pugnaturos aduersus hostes armat, sine quo donis eius vti ad salutem non valemus. Quare impatientes iure censebimur, si facilè à bono recedimus, vel cum murmure bonum aliquod operamur.

5 Admirabili quodam patientię amore captus tenebatur inclytus ille Cyprianus martyr in suo tract. de bono patiẽtiæ, vbi non absq; ingenti dulcedine, vtilitates eius, & commoda prædicat. Nec inuenio, inquit, inter ceteras cœlestis disciplinæ vias, quid sit vel vtilius ad vitam, vel maius ad gloriam, quàm vt patientiam maximè tota obseruatione tueamur. Nos ergo patientiam, quam magisterijs cęlestibus discimus, obsequijs spiritualibus præbeamus. Est. n. nobis cum Deo virtus ista communis: inde patientia incipit, inde claritas eius, & dignitas caput sumit. Origo, & magnitudo patientiæ Deo auctore procedit. Diligenda res homini, quæ Deo chara est: bonum quod amat, maiestas diuina commendat. Si dominus nobis & pater, & Deus est, sectemur patientiam domini, pariter & patris; quia & seruos oportet esse obsequentes, & filios non decet esse degeneres. Patiẽtia est, quæ nos Deo & cõmendat, & seruat; ipsa est, quæ iram temperat, quæ linguam frenat, quæ mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, timoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, coercet potentiam diuitum, inopiam pauperũ refouet, tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatẽ, in coniunctis, & maritatis indiuiduam charitatem, facit humiles in

prosperis, in aduersis fortes, contra iniurias, & contumelias mites; docet delinquentibus citò ignoscere; si ipse delinquas, diu & multum rogare; tentationes expugnat, persecutiones tolerat; passiones, & martyria consumat; ipsa est, quæ fidei nostræ fundamenta firmiter munit;

6 Audi Christum concionantem Luc. 21. In patientia vestra possidebitis animas vestras. Idcircò autem possessio animæ in virtute collocatur patientiæ, quòd radix omnium, custosq; virtutum patientia asseritur. Dum innumera penè virtutum obstacula propellit. Per patientiam verò, vt inquit Gregorius, possidemus animas nostras; quia cùm nobis ipsis dominari discimus, hoc ipsum incipimus possidere, quod sumus. Patientia verò est, aliena mala æquo animo perpeti, cōtra eum quoque, qui mala irrogat, nullo dolore moueri. Noli vinci à malo, ait Paulus, sed vince in bono malum. Qui.n. proximi mala sic fert, vt tamen tacitus doleat, tempusq; dignæ retributionis quærat, patientiam non exhibet, sed ostendit. Scriptum nanque est; Charitas patiens est, benigna est. Patiens quidem est, vt aliena mala toleret. Benigna verò est, vt ipsos etiam, quos portat, amet. Virtus ergo veræ patientiæ est celsitudo charitatis, & tunc quisq; in virtute patientiæ, quæ copiosa, & multiplex, non angusto fine concluditur, nec breuibus terminis coercetur, dilatatur, cùm eius animus inimici odio nec obfuscatur, nec defœdatur. Latissimè nanque patet patientiæ virtus, & vbertas eius, ac largitas de vnius quidem nominis fonte proficiscitur: sed exundantibus venis, permulta gloriarum itinera diffunditur, & porrigitur. Imò ipsa est, quæ fidei nostræ fundamenta firmiter iacit; ipsa est, quæ incremēta spei sublimiter prouehit; ipsa actiuam vitam suo munimine protegit, & contemplationis oculum subtiliter exacuit. Ipsa est, quæ fecem totius voluptatis abstergit; ipsa est, quæ limpidas animas reddit, & ad illa præmia futuræ componit: per ipsam Christo militamus, diabolum vincimus, & ad cœlorum regna peruenimus.

7 Ex ipsa autem propriæ voluntatis abnegatione, præsertim in viro Religioso, patientia oritur, quæ omnem aduersitatem, & omniū persecutionum, ac contumeliarum perturbationem magna animi hilaritate ferre potest. Patientia quippe quasi pacis opus dicitur, cùm sine hac nemo veram pacem habere queat. Ipsa nimirum ægritudinū omnium vera medicina est. Quamlibet.n. caro diuersis afficiatur cruciatibus, spiritus tamen verè patiens, in sua quiete, & tranquillitate incolumis perseuerat. Nam non modicum etiam dolores, ac pœnas corporis mitigat, & alleuiat. Quanto.n. quisque in anima impatientior, magisq; inuoluntarius est, tantò & in corpore amplius discruciatur. Si quis igitur virtute patientiæ plurimum abundaret, atque polleret,

ille vel in maximi persecutione, & contumelia constitutus, maiori gaudio, diuiniori q; sapore perfrueretur. Pro æterno siquidem Dei honore etiam aduersa quælibet ei perplacent, sapiunt q;.

8 Reuera si Sanctorum grauissimas libet afflictiones inspicere, nō solum patienti, sed gaudenti etiam animo aduersa quæcunque sustineremus, considerantes: quoniam ipsi modo maximis pœnis, angustijsq; cincti, atque compressi, mirifice exultauerint. Nonne gloriosissimus Christi Apost. Andreas, visa cruce, in quo suspendendus erat, in hæc verba prorupit? Salue crux, quæ in Christi corpore dedicata es, & ex membris eius tanquam margaritis ornata, gaudens venio ad te, vt & tu exultans, suscipias me, accipiens me ab hominibus, & reddēs me magistro meo. Item S. Vincentius in grauissimis doloribus constitutus, ita subridens, iudicem alloquebatur; Insurge miser, & toto malignitatis spiritu debacchare; videbis me Dei virtute plus posse, dū torqueor, quàm te posse, qui torques. Quo. n. putas te grauius irasci, eo melius mihi incipis misereri.

9 Planè si, & nos verè patientes essemus, nihil nobis magis ex vsu nostro esse posset, quàm vt omnes nos persequerentur, despicerentq;; Et quo tunc nobis alij plura inferrent mala, eo nobis profectò vtilliores, benigniores q; forent. Enimuerò nihil vnquàm, quamlibet paruum, pro Dei honore patimur, quod nobis longè vtilius non sit, quàm si totius mundi dominio potiremur. Quamlibet. n. exiguum sit, quod ad Dei perpetimur gloriā, pro illo tamē non minus nobis, quàm seipsum Deus retribuet, reddetq;. Si igitur Sanctos quosque considerare velimus, quanta videlicet ipsi pro Deo perpessi sunt, qui tamen, sicuti & nos fragiles homines fuere; manus domini abbreuiata non est, quæ idem nobis, quod & illis auxilium gratiæ suæ impenderet. Meritò ergo confundimur, quòd nisi difficile nec possumus, nec volumus quicquam prò Deo sustinere, qui non minus nunc nobis, quàm olim illis, potens est, & paratus auxiliari. Ceterum quando acerbissimam Christi passionem, mortemq; ignominiosissimam consideramus, ex ipsis magis, quàm ex alio cuiuspiam exemplo ad patientiam roboramur, inflammamur, & accendimur. Nec solum copiosum nobis pro aduersitatum tolerantia parabit præmium, & coronam; sed & suæ nobis passionis vberrimum fructum largietur. Vera ergo patientia nos communiamus; sic. n. fiet, vt neque rerum temporalium amissio, neque propinquorū, charorum, affiniū extinctio, neque infirmitas, neq; ignominia, neque mors, neque vita, neque ipse dæmon nos contristare possit.

Orat

Orat Deum Augustinus pro perfecta obseruatione Regulæ. Cap. xxvj.

¶ DONET dominus, vt obseruetis hæc omnia, tãquam spiritualis pulchritudinis amatores, & bono Christi odore de bona conuersatione fragrantes: non sicut serui sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti.

ENARRATIO.

1 
VEMADMODVM qui in agro semen purũ seminarunt, si illud operire grauarentur, volucres statim diriperent, & deuorarent: ita quidem & illi, qui in agro sui cordis semina verbi Dei psallendo, legendo, aut concionando, aspergunt, nisi postea orando in corde concluserint, & quodammodo consepelierint, venientes volucres mundanarum cogitationum arripiunt, quod in corde seminatum fuit, atque disperdunt. Idcircò post lectionem rerum sanctarum orandus est Deus, vt virtus sui verbi maneat in corde, & fructus spiritualis crescat in operatione. Hanc methodum accuratè admodum Aug. hic obseruat. Post seminatam.n.promulgatamq; sanctam Regulam, Deum enixè orat pro exacta, integra, perfectaq; suæ Regulæ obseruatione. Tu interim obserua pręstantem Augustiniani animi zelum, & ardorem, quo totus inflammatus vniuersos Canonicos Regulares religiosissimos esse voluit, atq; etiam percupiuit. Tunc verò apud Augustinum peruigiles Regulę obseruatores esse existimabimur, si spiritualis pulchritudinis, idest virtutum ornatus amantissimi fuerimus, suauemq; studiosè vitę actæ odorẽ apud Christianũ populũ emiserimus, Regulam custodientes; non timore duntaxat seruili, sed filiali amore, & gratia diuina mirificè præditi.

2 Vtinam in nos non torqueatur Hierem. 2. cap. reprehensio illa. A seculo confregisti iugũ meum, rupisti vincula, & dixisti, non seruiam. Consideranda quidem est promissionis obligatio, quam regulari professione contraxisti. Qui.n.promittit, & non reddit, ipse sibi laqueum mortis præparat. Alioqui etiam hypocrisis carbone iure notaberis. Quid.n.tibi prodest nomen, vel habitus Religionis, si Religionis opera desunt? Ait.n. Ambrosius, quòd sumus professione, actione potius, quàm nomine demonstremus, vt sibi inuicem & nomẽ, & actio respondeant. Præterea Eccl. 36. sic legimus; Vbi non est sepes, diripietur possessio. Cùm ergo obseruantiæ regulares, quasi sepes sint Religionis, profe-

profectò consequitur ex earum dissipatione, omnium bonorum spiritualium direptio. Deinde qui Augustinianam Regulam eludunt, per similes quidem mihi videntur Dauidis statuę, in qua præter vestes, & caprarum pelles nihil est inuentum. 1. Reg. 19. Qua tandem illusum est regi Sauli, etiam indignanti. Nũ illusio non est, si in Religione nihil præter habitum inueneris? Intimo igitur corde dolebis, cum Religionem ab antiquo statu tàm grauiter corruisse, tacitus mente perlustraueris. Maiori quoque dolore afficieris, si Religionem ad paradisũ cœlestem viam esse intellexeris, quã qui dissipant, eam obstruunt sanctũ iter facturis: dissipatæ sunt viæ, cessauit transiens per eã, ait Esai. 34. & Tren. 2. scribitur; Plauserunt super te manibus omnes trãseuntes per viã. Sibilauerunt, & mouerũt capita sua super te, filia Hierusalẽ.

3 Spiritualem animæ pulchritudinem D. Grego. graphicè depingit lib. 35. moral. cap. 23. Priusquàm ad nuptiarum thalamũ sponsa perueniat, omnem à se vitæ fœditatem respuit, & sponsi amori præparãs se, se per species virtutum comit. Studet quippè interni arbitri iudicio placere: & intimis desiderijs subleuata, fœdos mores conuersationis humanæ transcendere. Electorum quippè animę omne humanum genus, quod in terra secundum hominem conuersatur, suæ pulchritudinis decore transcendunt, quantoq; se exterius affligendo despiciunt, tantò se verius intus cõponunt. Hinc est. n. quod sanctæ Ecclesiæ, quæ electorum pulchritudine decoratur, Psal. 44. dicitur: Concupiuit rex speciem tuam. Subditur etiam: Omnis gloria eius filiæ regum ab intus. Nam si foris gloriam quæreret: intus speciem, quam rex concupisceret, non haberet. Sunt itaq; non pauci, qui virtutum decore fulgeant, atque ipsa viuendi perfectione ceterorum merita excedant. Itẽ Cant. 1. scribitur eadem animæ pulchritudo. Nigra sum, sed formosa. Nigram quippè, & formosam sancta anima se aptè nuncupat: quia semper, & turpitudinem peccatorum suorum perspicit, & tamen illius iustitiæ, quam in intimis videt, in exterioribus actibus secum solerter formam gerit. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum. Bis pulchram sponsus sponsam suam vocat: Quia cui dilectionem Dei, & proximi donat; geminam pulchritudinem ei inserit, qua delectatur, & quam laudat. Cuius oculi benè columbarum esse perhibentur: quia dum in temporalibus gemit, & ad æterna desideria rapitur, in simplicitate sensus suos custodit, & carnales concupiscentias detestatur. Columba enim in amore pro cantu gemit. Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni: propter fidem Christus sponsam suam amicam vocat; columbam propter simplicitatem; formosam, propter operationem: quia dum præte-

præteritæ vitæ peccata per bona opera redimit, quasi antiquam turpitudinem, assumpta forma meliori, ante sponsi oculos abscondit. Hãc itaque hortatur sponsus, vt surgat & veniat. Dignum nanque est, vt quicunque ad amorem Christi properat, carnis torporem, quantùm potest, abijciat, & se ad æterna consequenda celeriter accingat. Hanc itaque animæ pulchritudinem Augu. nobis vehementer optauit. Nostræ.n.vniuscuiusque animæ, inquit Dauid, Psal. 44. Audi filia, quod est obedientiæ. Inclina aurem tuam, quod est humilitatis. Et obliuiscere populum tuũ: quod est extinctionis carnalis affectus: quæ omnia nihil aliud, quàm virtutem personant. Et sequitur: & concupiscet rex decorem tuum.

4 Rursus, expendamus columbarũ oculos: speciali.n.ratione ab oculorum pulchritudine cõmendatur anima, Christi sponsa, eo quod oculos habeat, non vulpinos, nõ lupinos, nõ vulturinos, sed columbinos, quibus qd significetur, facilè ex eo intelligimus, quod Saluator, Mar. 10. suis pcepit, dicens; Estote prudentes, sicut serpentes, & simplices sicut colũbæ. Et Mat. 6. inter oculũ simplicem, & nequam distinguens, ait; Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Si autẽ oculus tuus fuerit nequã, totum corpus tuũ tenebrosum erit. Cõmendat ergo Christus spõsam suam, religiosam animam in hoc, quòd oculum habeat simplicem; idest intentionem puram, & sinceram erga sponsum Christũ, ipsum videlicet solùm spectans in omnibus, quæ agit; ad illum totam mentis intentionẽ solicitè semper dirigens. Hoc .n.in columbarũ oculis peculiariter consideratur, quòd totæ in id defiguntur, quod fortè aspiciunt; vt manifestè videri possit, quorsum visus sui aciem dirigant. Aliorum autem animalium nonnulla girouagos habent oculos, aut duplices, & simulatos: quemadmodũ vulpes, quæ cùm videantur huc respicere, illuc aciẽ dirigunt; vt cùm terrã videntur respicere inferne, ex obliquo tamen sursum, vel ad latera oculorũ aciem dirigunt, prædã circunspectando, quã rapiunt. Sic multorum sunt oculi, qui videntur quidem quærere Deum secundum exteriorem apparentiam, verè tamen ex cordis intentione eum non quærunt, sed ad alia intendunt, ad proprium scilicet commodum, vel honorem, vel aliquid huiusmodi. Non tales oculos habet sponsa, viri fideles non sic duplices, & obliquos habent oculos. Oculos habent columbarum, oculos simplices ad solùm Christum conuersos, ipsum in omnibus spectantes. Legimus etiam Matt. 20. de oculo malo inuidiæ, dicente patrefamilias in euangelica parabola, ad inuidum, & murmuratorem operarium; An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? & Saluator, Marc. 9. in enumerandis vitijs, quæ ex corde procedunt,

cedunt, oculū malum eum reliquis adiungit: tales oculos non habet sponsa. Non est enim inuida, non querula aduersus aliorum bona, non damna aliorum desiderat, imò gaudet cum gaudentibus, & flet cum flentibus, ad Rom. 12. gaudet super alienis bonis vt super proprijs, dolet de malis alienis vt de proprijs, quemadmodū ille dicebat: Quis scandalizatur, & ego non vror 2. ad Cor. 11. Et rursum; Gaudiū meum gaudium vestrum est 2. ad Cor. 1. Est ergo oculus sponsæ his rationibus oculus columbæ, quia simplicem habet intentionem, qua solùm Deum aspicit, ipsi soli placere studens, pura fide, & sincera charitatis affectione, & propensione in illum assiduè tendens: in aliorum quoque profectibus simplici animo congaudens, & quantum in se est, omnium bonum, & salutem quærens, ac promouens: Est autem hæc commendatio latior, quàm prima faciæ videatur: parùm.n. videtur commendari tantùm ab oculis. Veruntamen si illud exatius consideremus, quod supra dictum est, iuxta sententiam euangelicam, ex oculo simplici totum corpus lucidum argui, manifestè licebit: quemadmodum in oculorum commendatione, eorumq; pulchritudinis laude, corpus ipsum totum, & omnes eius partes tacitè cōmendentur.

5 Odorem quoque bonorum operum, laudatæq; existimationis nobis desiderat Augustinus: contra vero vitiorum turpitudinem execratur: vt.n. bonus odor ex virtute est, Paulo attestante, qui ait 2. ad Cor. 2. Odorē notitię suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo; ita ex aduerso fœtor ex vitio. Radix.n. est omnium malorum cupiditas, & quia quodlibet malum per auaritiam gignitur, dignum est, vt domus auaritiæ in fœtore construatur. Odor vero boni operis in omnē terram diffunditur. Hic etiam vitæ benè actæ odor est, quem Isaac mirificè delectat, Gen. 27. Statimq; vt sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi ait; Ecce odor filij mei, sicut odor agri, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cęli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini. En vberrimos fructus, qui à bonorum operum odore proficiscuntur, & Prouer. 27. Vnguento, & varijs odoribus delectatur cor: & bonis amici consilijs anima dulcoratur. Item Ioan. 12. Maria, Lazari soror, vnguento pretioso vnxit pedes IESV, & extersit pedes eius capillis suis, & domus impleta est ex odore vnguenti. Vnge pedes IESV, ait August. ibidem, benè viuendo, dominica sectare vestigia, capillis terge: si habes superflua, da pauperibus, & Domini pedes tersisti. Domus autem repleta est odore. Mundus impletus est fama bona. Nam bonus odor fama bona est, qui malè viuunt, & Christiani vocantur, iniuriam Christo faciunt, de quibus dictum est, quod per eos nomen Dei blasphe

metur.

metur. Per bonos autem nomẽ Dei laudatur. Audi Apostolum. Christi bonus odor sumus in omni loco. De boni autem nominis odore, bonis operibus comparando, superius actum est lib. 3. cap. 17.

6 Peroptat nobis etiam Augustinus, vt Regulam, regulariaq; præcepta custodiamus, non vt serui sub lege, sed vt liberi, sub gratia constituti. Explicat igitur nobis, quonam modo oporteat hæc obseruare præcepta. An scilicet fecisse opus præcepti sit satis? Satis quidem est, vt culpam nouam non contrahas: vnde quando quis in peccato existẽs, & extra charitatem facit, quod præceptum est, non peccat, imò benè facit iuxta sacri Conc. Trid. explicatam definitionem, etiam si non faciat ex charitate: attamen manet sibi inutilis, vt seruus. Hoc est, sic faciendo nullam meretur gratiam iustificãtem, nullam remunerationem vitæ æternæ apud Deum, idest ipsum regnum cœlorum non promeretur. Siquidem certa est sententia Saluatoris, Luc. 17. sic & vos cũ feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus: idest, vt serui faciunt absque affectu filiali. Inutiles autem dicuntur, quia interim manent, qnod erant in eodem statu, in quo prius in eadem miseria, in eadem fortuna, peccatores vt prius, longè à Deo vt prius, nihilo ditiores, nihilo facti meliores, quàm prius. Et mittendi sunt in tenebras exteriores, eo quod manserint animo seruili, & extra dilectionem charitatis. Quapropter qui frugi, vtilesq; esse volunt, non solùm facient opus præcepti, more seruorum, qui solùm timore aguntur, nihil autem agunt ex amore: sed hoc in primis curabũt, vt fidei spiritu adoptentur in filios domus, atq; sic in ipsis præceptis facere voluntatem, siue beneplacitum Dei patris, qui in cœlis est, more filiorum, hoc est ex affectu amoris. Quasi dicat Christus, non sufficiat vobis esse sub pedagogia legis, & facere seruili animo, quæ præcepta sunt, more populi Iudaici. Altius quid requiritur, nempè vt spiritu fidei viuæ efficiamini filij Dei, & sic amore filiali faciatis præcepta eius, tanquàm patris vestri, qui in cœlis est. Non. n. omnis, qui dicit mihi domine, domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est. Quod si inquiras, quæ sit ista Dei patris voluntas? Respondet Zacharias, Luc. 1. cap. dicens: Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum (à quibus detinemur propter peccata nostra) liberati, seruiamus illi in sanctitate, & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Quocirca in primis curandum est, vt simus liberi à peccatis nostris. Secundo, vt seruiamus ei in sanctitate, induentes erga Deũ affectum verè filialem: Tertio, in iustitia, hoc est in opere veræ virtutis. Quarto, oportet facere præceptum læto, ac obuio animo, & nõ quasi ex necessitate, seruientes Domino

mino in lætitia. Hinc Apost. scribit. 1. ad Timot. 1. finis præcepti charitas, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.

7 Ceterũ noster Aug. non repellit hoc loco timorem seruilem: hic.n. locus, sicuti & eiusdem Aug. gloss. ad Rom. 8. dicens; Qui timore aliquid facit, & si bonũ sit, quod facit non tñ bene facit; in hunc sensum. 2.2.q.19.art.4. à S.Th. explicãtur, vt sacer author intelligatur de eo, qui facit aliquid timore seruili; inquãtum est seruilis; vt videlicet nõ amet iustitiam, sed solùm pœnam timeat. Hoc est, quatenus homo af fectum suum non vult subijcere iugo iustitiæ per amorem. Porrò timor seruilis ex eodem Thoma. art. 7. donum est Spiritus Sancti, iuxta illud ad Rom. 8. non accepistis spiritum seruitutis. Quo loco glossa sic ait; Vnus spiritus est, qui facit duos timores, videlicet seruilem, & castum. Adde etiam, quòd sacrum Conc. Tridẽ. varijs locis nos docuit salutem nostram timore esse comparandam. Nam sess. 6. cap. 6. sic ait: Dũ peccatores se esse intelligentes, à diuinæ iustitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se conuertendo in spem eriguntur. Et Can. 8. subdit; Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere, Anathema sit. Rursus sess. 14. cap. 4. sic inquit; Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarũ metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ; declarat, videlicet sancta Synodus, non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, &c.

De hypocrisi, quæ spirituali pulchritudini aduersatur. Consid. j.

1 N enarratione capitis superioris asseruimus, eos qui pulchritudinis spiritualis amore non caperentur, facilè in hypocrisis fœditatem esse prolapsuros. Hypocrisis autẽ spirituali pulchritudini, idest ornatui virtutũ ex diametro aduersatur, fucatam quandam, apparentemq; sanctitatem continens. Augustinus ergo dum hoc loco tantopere veram, existentemq; animæ pulchritudinem nobis commendat, hypocrisim eius inimicam in Religioso maximè abominatur: vt.n. Greg. lib. 18. moral. cap. 4. docet. Hypocrita, qui latina lingua dicitur simulator, iustus esse non appetit, sed videri. Idcircò auarus raptor est: quia dum iniquẽ agens, ob sanctitatem venerari desiderat, laudẽ vitæ rapit alienæ: studium verò hypocritarum est, supprimere quod sunt, & quod nõ

sunt, hominibus venditare, superinducta quadam innocentiæ honestate. Tigridis etiam nomine hypocritarum varietas, & rapacitas exprimitur, quibus quasi præda est iustorũ sibi laus vendicata, qui sua opera perdidisse putant, si à nemine conspiciantur. Deinde sanctitas hypocritarum, somniantium similitudinẽ habet, in quibus est ostensio phantasmatis, non certitudo veritatis. Quo manifestum fit, quàm longè à pulchritudine spirituali execrabilis hypocrisis discrepet.

2 Igitur ad rei initiũ nostra redeat oratio. Hypocrisis fictio est, quia homo personam iusti, vel iustioris simulat: aut iniusti, vel iniustioris dissimulat. Hoc certè malo mirum in modum laborabant olim Donatistæ, & Cathari, sic dicti, quòd se puros esse testarentur, non recipiẽtes alios ad consortium suum. Hoc eodem malo tenebantur Scribæ, & Pharisæi tempore Christi, Matth. 23. dicentis; Omnia verò opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus: ecce studium simulandi coram hominibus effigiem virtutis. Et alibi; Væ vobis Scribæ, & Pharisæi, hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa; intus verò plena sunt ossibus mortuorũ, & omni spurcitia; sic & vos, à foris paretis hominibus iusti; intus autẽ pleni estis hypocrisi, & iniquitate. Ecce studium dissimulandi iniquitatem; quorum damnatio tàm certa, tamq; est indubitata, vt à Christo præsupponatur, cùm dicit Matth. 24. partemq; eius ponet cum hypocritis, illic erit fletus, & stridor dentium.

3 Est etiam hypocrisis peccatum mortale; Si verè, & (vt aiunt) formaliter hypocrisis est, peculiari actione, vel habitu vendicans sibi in populo existimationem sanctitatis, à qua prorsus aliena manet: veluti si illi, qui non ieiunant, exterminent facies suas, vt videantur hominibus ieiunantes; aut qui nulli rei minus intendunt, quàm Deo esse deuoti, fingunt tamen orationes in omni loco, vt religiosuli habeantur: aut qui habitum sanctitatis circunferunt, vt appareant foris, quod intus esse nolunt. Dumq; intus pleni sunt occulta spurcitia, tamen supra alios sibi famam, ac nomen sanctimoniæ artificiosis fictionibus à populo extorquent. Huiusmodi dico, indubiè habent perfectam hypocrisim, & noxam mortalem incurrunt. Non solùm propter malitiã, quàm occultant; sed magis propter fictionem perniciosam, quia imponunt populo, extorquentes ab alijs famam, & venerationẽ sibi indebitam. Ad hæc manifestè peccatum damnabile est illorum hypocrisis, qui veniunt sub vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, instillantes sub specie pietatis pestiferum dogma in animas eorum, qui minus cauti sunt: vt faciunt pseudoprophetæ, pseudoapostoli, falsi doctores, operarij subdoli: sic qui fingunt longas orationes, vt

expo-

expolient mulierculas oneratas peccatis, coemunt, vt in populo possideant fructus scientiæ, quam non habent, hoc est honorem, & emolumenta; quæ debentur litteris, & scientia candidatis. Consule S.Tho. 2.2.q.111.in qua agit de simulatione, & hypocrisi.

4 Quod si dixeris ex aduerso: nos omnes licet intus mali sumus, foris tamen, & in populo pro bonis Christianis reputari quærimus, verùm nunquid ideò hypocritæ reputabimur, peccantes contra mandatum diuinum? Respondeo. Aliud est fingere, aut simulare fraudandi gratia; aliud iure suo vti. Est autem ius, vt qui non est malefactor in publico, publicè bonus habeatur, omnis.n.homo præsumitur bonus, donec contrarium constet. Itaque constituam quasdam regulas indubitatas; Quarum prima est: quicunque facit opera ad Dei seruitium sua natura ordinata: qualia sunt ieiunium, oratio, eleemosyna, missa, confessio, sacra syntaxis, auditio verbi Dei, non quidē animo seruiendi Deo, sed ob gloriam humanam, aut quæstum, aut ventrem; is re vera hypocrisim committit, quæ inuoluit præter mendacium facti, etiā iniuriam rerum sacrarum, quas ordinat in fines indebitos. Iuxta modum autem finium crescit, decrescitq; malitia talis hypocriseos. Si verò finis est, ne perdat in populo cōmunem existimationem boni Christiani, is finis ex quo non est malus, neque sibi indebitus: nisi ipsemet sit publicè, & notoriè malus, nihil addit malitiæ. Si finis est inanis gloria, indubiè superaddit. Si denique finis fuerit, extorquere à populo subsidia vitæ indebita, diuitias, famam, aut nomen sanctitatis, iam fit sceleratissima huiusmodi hypocrisis, cui Christus terribiliter imprecatur illud euangelicum væ, quod sonat æternæ damnationis comminatioem, vti est in multis locis euangelij videre. Secunda regula est: quicunq; facit prænominata opera bona veraciter, & ex primaria intentione seruiendi Deo, cupiens interim per hæc reputari ab alijs pro viro Catholico, ac bono Christiano, sicut ceteri; is haudquaquam notandus est hypocriseos, nec vllum committit peccatum: quia nulla hic est simulatio, nulla cupiditas indebiti. Illa.n.cōmunis existimatio viri Catholici, optimo iure sibi debetur, donec palàm sceleratus esse incipiat. Tertia regula: omnis hypocrisis est mendaciū facti, hoc habens præter communem rationem mendacij, quod fiat plerunq; circa sacra, & pietatis officia.

5 Arguit igitur Christus, Matth. 23. Pharisæos, eorumq; prauos imitatores, quod ipsorum iustitia nihil aliud esset, quàm species, & vmbra iustitiæ, quàm in corde nedum nō habebant, sed quæ maximè cōtraria erant. Qua simulatione dupliciter peccabant, vt qui non habebant quod simulàbant se habere. Deinde omnino contraria habebāt.

Obserua autem, quod nō ob id arguit eos, quod essent dealbati. Hoc .n. Mat. 5. Omnibus præcipit, sic luceat lux vestra, &c. Verum hoc arguit, quod essent sepulchra dealbata, hoc est externè fingeret iustitiā, quam nedum non habebant, sed oderant. Hypocritarum.n. ornatus nihil aliud est, quàm externa dealbatio.

6 Sapienter autem dominus ieiunans in deserto, Mat. 4. edens verò, & bibens in ciuitate, docuit, quàm aliena debeat esse vita Christianā ab omni fraude, fuco, & hypocrisi. Hypocrita.n. vbi videtur, ieiunat; cùm verò testis abest ieiunio, abest & ieiuniū. At nō ita qui ex animo pius est, is.n. claudit cubiculum suam, cùm opus bonum facit: cùm verò edit, aut bibit, id operatur in aperto. Rectè quidem hypocrita sterquilinio similis dicitur, quia dum temporalem gloriam habere appetit, modò per cogitationem apud semetipsum tumet, modò eandem gloriam alijs inuidet, eamq; alios verè habentes irridet. Quot ergo vitijs plenus est, quasi tot stercoribus in cōspectu æterni iudicis illius pectus fœtet. Tu igitur, ò Religiosè vir, ab hypocrisi alienissimus eris, si iuxta Aug. sententiam, spiritualis pulchritudinis amator, & bono Christi odore ex studiosa cōuersatione fragrans fueris, nec tanquā seruus sub lege, sed tanquàm liber sub gratia constitutus, hanc regulam omni studio seruaueris.

7 Diogenes in meridie cum lucerna obambulans, hominem se in frequenti foro quærere dictitabat; significans nō esse statim homines, qui speciem habent hominis, quàm habent, & statuæ; sed vt inuenias hominem, inuestigandus est animus. Is, si recta ratione ducitur, potius quàm affectu, tum demum reperisti hominem. Cōsimili etiam ratione purus, sincerus, virtutibusq; perornatus animus conquirendus est, vt quispiam veræ sanctitatis existentiam adeptus esse censeatur. Item Phryne muliercula, olim stipulata, vt quod ipsa prior faceret, idem ceteræ mulieres in conuiuio facerent omnes; manum bis aquæ immersam admouit fronti, hoc commento prodens ceterarum fucos, cū ipsa videretur etiam formosior. Sed hic risus nos docet idem, quod seriò dixit Socrates, vt tales esse studeamus, quales haberi velimus. Ne detracto fuco pro gloria malè affectata reportemus ignominiam. Docet & illud, ne nitamur bonis externis, fluxisq;, quæ varijs casibus facilè eripiuntur homini, sed paremus veras opes animi, in quas nullum ius habet fortuna. Seueris itaque rationibus Canonicum instituimus ad profligandam pestilentem hypocrisim.

8 Sed fortassis exquires: an illi, qui tenent habitum sanctitatis, & meritum perfectionis non exequuntur, sint simulatores, & hypocritæ? Nam exterior habitus sanctitatis, opera perfectionis significat. Respon-

spondeo ex S. Tho. loco citato art. 2. ad. 2. arg. Habitus sanctitatis videlicet Religionis, vel Clericatus, significat quidem statum, quo quis obligatur ad opera perfectionis. Idcircò cùm quispiam habitum sanctitatis assumit, intendens se ad statum perfectionis transferre, si ex infirmitate defecerit, non est simulator, vel hypocrita. Nequaquàm enim tenetur suum peccatum prodere, sanctitatis habitum deponédo. Si verò sanctitatis habitum ea mente susciperet, vt se iustum ostentaret, & venditaret, esset quidem hypocrita, & simulator censendus.

De frequenti prælectione, & meditatione Regulæ. Cap. xxvij.

¶ Vt autem vos in libello hoc, tanquàm in speculo possitis inspicere, ne per obliuionem aliquid negligatis, semel in septimana vobis legatur. Et vbi vos inueneritis ea, quæ scripta sunt, facientes, agite gratias domino, bonorum omnium largitori. Vbi autem quicunque vestrum sibi videt aliquid deesse: doleat de præterito: caueat autem de futuro: orans, vt ei debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur.

ENARRATIO.

1 

Experientia ipsa fateri nos cogit, non satis esse ad cóseruationem vitæ naturalis, semel tantùm cibum sumere. Imò nisi subinde sumatur cibus, ipsa vita consistere nequit: quia humidum radicale citò à calore naturali consumeretur, nisi subinde per sumptioné cibi, & potus instauraretur. Sic infirmitas naturæ nostræ, tentationumq; varietas facit, vt ad conseruationem vitæ spiritualis, non satis sit semel audisse regularia præcepta, nisi crebrò audiantur. Nam & solent ea, quæ à pijs doctoribus aliquando vocali sermone didicimus, tenacius inhærere, si crebrò nobis ob oculos, quasi in speculo, vel proponútur, vel prælegantur. Hanc vtilitatem non ignorauit Paulus, legis, & euangelij promptuarium. 2. ad Tim. 3. Omnem scripturam vtilem dicit ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia: vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Idcirco Aug. noster duo hic nobis iniungit, crebram videlicet Regulæ prælectionem, singulis septimanis semel repetédã; examinationemq; propriorum operum, an iuxta Regulæ tenoré omnia actitata fuerint.

ponit ob oculos, excussis animi latebris, dum penitus cõsiderat, quò vocent præcepta Regulæ: contra, in quę ipse propensus sit, & quibus occasionibus labatur. Atque hæc est vera meditatio in speculo Regulæ, vt Religiosus cõponat se ad eum vitæ statum, in quo se cuperet esse, si iam supremus vitæ dies vrgeret. Postremò hæc Augustiniana regula, instar amussis cuiusdam, nobis esse debet, ad quam vitam Religiosam dirigamus. Itaque omnes actiones nostræ an bonę sint, vel malæ quidq; inter peccata numerandum sit, quidue non sit, ad Regulę præscriptum, non autem ex nostro sensu, & iudicio metiamur oportet. En chrystallinum speculum tibi ab Aug. porrectum, in quo facilè fœditates animæ, si quas habes, deprehendes: cura omni studio, vt eas omnino abstergas. Quòd si pulchritudinem in eo tibi arridentem intuitus fueris, fuge philosophorum errorem, qui non glorificauerunt Deum, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, ad Rom. 1. Gratiarum n. actiones patri luminum semper à nobis debentur: à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit. Nemo etiam Dei donis beatus est, qui donanti existit ingratus.

5 Choriolanus autem com. 72. pauculas rationes subdidit ad explanandum, cur libellus hic ab Aug. Speculum nuncupetur? Id autem indidit nomen: Primum, vt. n. in speculo quales quo ad corpus simus, intuemur; sic quo ad spiritum quam viuamus vitam, hac Regula cognoscemus. Secundo, sicuti in speculo ea, quæ ad corporalem spectant pulchritudinem, ritè componimus: sic quæcunque ad mentis pertinent ornamentum, libelli huius consideratione ad expoliendam animam congregamus. Tertio, quemadmodum speculum ex plumbo, ac vitro constat: sic spiritualis hominis vita ex duobus conflata, idest ex humilitate per plumbum, & ex vtriusque hominis integritate per vitrum significata, hoc libello rectè describitur. Quarto, quoniam quęcunque in duabus alijs breuioribus Regulis, & in sermone de margaritis sparsim continebãtur, & singula ad nostram salutem opportuna, in hac vna Regula, veluti in lucidissimo quodam speculo lectitantes intueri possumus. Porrò tres sunt potiores satanæ vires, quibus aduersus nos, potenter dimicat. Obliuio, negligentia, & concupiscentia. Ex obliuione negligentia, ex negligentia concupiscentia, ex concupiscentia ruina, & præcipitium animarum oritur. Proinde Regulæ obliuio cauenda est. Regulæ autem creberrima lectio, vel in communi capitulo, vel in communi refectione, pluribus illic conuenientibus congruentissimè fiet.

6 Porrò hoc Augustinianũ speculum nunquàm è manibus excidere oportet, ne curiosos tantùm auditores, sed indefessos operatores no-

pertinet illud Apostoli: cùm iudicamur, à domino corripimur, vt non cum hoc mundo dãnemur. 1. ad Cor. 11. & ad Heb. 12. Nonnunquàm optimos, ac probatissimos quosq; Deus flagellat, eosq; tentat rebus duris, ac asperis, vt spectatam, probatamq; reddat eorum tolerãtiam, mercesq; eorum longè excellentior, & gloriosior existat in regno cœlesti. Hoc pacto Iob tentatus est. Hinc & Tobias. c. 12. audiuit: quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te. In hãc sententiam plura habentur Eccles. 27. & 1. Petr. 1. Hanc tentationem deprecamur quidem, non ita tamen, vt nobis non eueniant (cur. n. hoc deprecemur, quod ex Dei gratia nobis saluti, ac bono esse queat?) Sed hac conditione, vt quando permittere vult Deus, vt afflictiones, res aduersæ, & tentationes nobis occurrant, virtutem quoque, & gratiam nobis subministret, quo patienter eas perferamus.

8 Altera tentatio non nisi ad perdendum, & in fraudem impellẽdum hominem spectat, atque ea non procedit ex Deo. Deus. n. non est tentator malorum, vt inquit D. Iacobus, sed ex auctore diabolo, qui cognitam, & exploratam habens corruptionem naturæ nostræ, qua ad voluptatem, & peccata propẽdeamus, & à bono abhorreamus, varijs nequitiarum suarum machinis nos pertentat, quo fragilem naturæ nostræ structuram expugnet, & in ruina impellat: modò fucatis voluptatum illecebris, quibus si nihil efficiat, aperto marte, & vi rem gerere inceptat, machinasq; bellicas, & cornutos arietes depromit externas, nimirum calamitates: quandoque etiam terrores, quos in hominis animum ingerit, eumq; mœrore perturbatum, in desperationem adducit. Et vt paucis dicam, insidiarum, & machinarum instructissimam ille habet panopliam, quibus hominem oppugnet.

9 Huiusmodi verò noxias, & periculosas tentationes deprecamur à Deo, vti ne nos in illas inducat. Non quòd Deus hominem in huiusmodi tẽtationes inducat, sed quod facilè eas à nobis queat auertere, ac prohibere, si velit. Præcamus ergo, ne nos in eas patiatur induci. Scimus fortem esse diabolũ, eiusq; robur perspectũ habemus, Iob. 41. Non est potestas super terram, quæ comparetur ei. Nihil tamen aduersum nos moliri potest, imò ne pilũ quidem capitis inflectere, nisi Deus illi permiserit. Sed neque id vnquàm illi permittit Deus, vt tractet nos p sua libidine: alioqui breuis admodũ vita nostra foret in terris: at qui nonunquàm potestas illi sit à Deo tentandi nos, sed ita tamen, vt constituantur ei limites, & modi; quos excedere non potest, Iob. 1. & 2. At nec sic quidem quenquam subuertere, aut expugnare potest, nisi qui abiecto animo herbam ei porrigat, nec illi reluctari velit. Ille autem se tueri, hostiq; resistere nolle putandus est, qui dum tentatur, non hu-

miliat, nec submittit sese erga Deum, non ad Deum confugit, eiusq;
auxilium implorat. Sanè qui huiusmodi est, fieri potest, vt aliquando
tentationibus superetur, & pereat, quod Deus procul à nobis abesse
velit. Quam ob rem omnis nostra spes, conatus quoque, & deuotio,
in Deum præcipuè referenda est. Illumq; maxima mentis attentione,
voluntatisq; feruore, Augustino doctore, orare debemus, vt nobis in-
tentionibus opitulari dignetur. Nam & in illa oratione, quã Mat. 26.
ad sacros Apost. habuit sub ipsum mortis tempus, eos huius officij his
verbis admonuit. Orate, vt non intretis in tentationem. Vincitur au-
tem satanas non otio, somno, vino, commessatione, libidine: sed
oratione, labore, vigilia, abstinentia, continentia; castitate.

10 Cùm te appetitus inuaserit peccandi, tentatione ipsa ingrauescen-
te, atq; sæuiente, velim cogites horribile illud Christi tribunal; in quo
præsidebit iudex in alto, & excelso throno: adstabit autẽ omnis crea-
tura ad gloriosum illius conspectum contremiscens: adducendi etiam
nos sumus singuli, eorum, quæ in vita gesserimus, rationem reddituri.
Mox illis, qui multa mala in vita perpetrarint, terribiles quidam, &
deformes assistent angeli, igneos vultus præseferentes, atque ignem
spirantes, ea re propositi, & voluntatis acerbitatem ostendentes, no-
cti vultu similes, propter mœrorem, & odium in humanum genus.
Ad hæc cogites profundũ baratrum, inextricabiles tenebras, & ignẽ
carentem splendore, vrendi quidem vim habentem, sed priuatum lu-
mine; deinde vermium genus venenum immittens, ac carnem vorãs,
inexplebiliter edens, neque vnquam saturitatem sentiens, intolerabi-
les dolores corrosione ipsa infigens: postremò, quod suppliciorũ om-
nium grauissimum est, opprobrium illud, & cõfusionem sempiternã.
Hæc time, & hoc timore, instructus, animam à peccatorum concupi-
scentia, tanquàm freno quodam reprime. Hunc timorem domini se
docturum Propheta promisit eos, qui eum audire auribus cordis aper
tis voluerint: Non eos, qui longius prolapsi sunt, sed qui salutem ap-
petentes accurrunt. Propterea inquit, venite, hoc est, per bona ope-
ra accedite ad me filij, timorem domini docebo vos.

11 Vt autem constantiore animi magnitudine oblatas, occurrentesq;
tentationes vincamus, à peccatorumq; perpetratione absterreamur,
& in ipsius Dei optimi maximi amorem perfectiorem inflammemur;
eius potentiam, maiestatem, atque summam erga nos beneficentiã, &
referre, & admirari exordiamur. Alia. n. multo maiora sese nobis
considerenda offerunt, quæ nos non modò, stupidos reddunt, sed ali-
quantulum exterrent; quàm primum. n. oculos leuamus, cœlos pro-
spicientes, quis nostrũ non miretur, videns eos sicut pellem extensos,

& in illis collocatū Solem Lunam, quoq; suo orbi affixam cū pluribus planetis decenter coaptatis, ac varijs motibus distinctis, sua luce, vi, & natura differentibus? Quis seuerissimum tenorem eorum non admiretur,& ex eorum efficientijs nūc,aut pluuiæ,aut frigoris,aut æstus vicissitudines subsequi,ex quibus quoruncunque fructuum ingens copia,& vinorum abundantia vel accrescunt,vel deficiunt, illic fulgura cum lapideo igne procreatur,simul tempestates, nymbi, grandines, horrendi cometæ gignuntur,& Sol apparet aliquoties geminatus. Quot sunt vnius anni menses,totidem signa ibi locata illos sequentia, & constanti,atque perpetuò ordine se mouētia prodierunt, noctium, & astrorum varietate huc,& illuc discurrentia. Nunquid verno tempore illa cœli temperiem nobis non exhibent? ex qua herbusculæ à radicibus scaturiunt,& arbores folia cum florum amœnitate, & omniū bonorū fructificatione producunt? Quid rursus in ęstate aliud prospicitur præter terræ faciem fructibus, herbis, & arboribus pulchrè cōuestitam,lætas quoque producentē segetes? Quid autē in autumno habes preter humescentem aerem, maturos arborum, & vinearū fructus decerpere nos monentē. Subsequuntur in hyeme pluuiales aquæ cum rigido flatu Aquilonis: ex qua cœli intemperie suis expoliatas tùm folijs,tùm fructibus arbores cernere licet. Hæc.n. ordinem suū tàm austere obseruant, vt nihil non videatur suis temporibus fieri. Nonnè domum cuiusdam diuitis ingredientes, si institutionem illius mirificè obseruatam,rectamq; œconomiam inspiceremus, aut stupidi homines prorsus essemus, aut planè diceremus, intus manere patrē familias cuiusdam admirabilis prouidentiæ? nos ergo intuentes immensam terræ,& cœli plenitudinē,rerum omniū ordinem,nitorē, pulchritudinē, in primis aureū Solem mane surgentem argenteā quoquè Lunā in tenebris lucētem,astra stellis micātia,lucidos planetas, igneā ætheris formam,aeris agilitatem,terræ stabilitatem,maris, & aquarū decurrentium fluxus,& refluxus; rerum, & temporum vicissitudines, varia omnium pecorum,ac piscium genera; aut hebetibus, & obtusis animis erimus,aut ex insita quadam acie ingenij iudicabimus, verbū Dei esse sapientissimū,atque prudentissimum, quod hæc omnia tùm fecit,tùm regit,moderatur, & gubernat.& cum Psalmista Deo patri dicemus psal. 103. Hæc omnia in sapientia tua fecisti domine. Quid est Dei sapientia omnium creatrix, nisi verbum eius, per quod omnia condidit, & nota nobis fieri voluit esse per illud facta,vt nos in admonitionem maiestatis illius magis alliceret, & in certam spem consequendi cœlestem thesaurum in cœlo reconditum promoueret, quem his præparauit, quos à principio, imò ante constitutionem mundi

per

per verbum suum elegit? Istis omnibus longè digniores, atque superiores sunt angelicæ potestates, principatus, dominationes, cœli cœlorum, throni, cherubin, & seraphin. Certum est, eas per verbum factas fuisse iuxta illud psal. 32. Verbo domini cœli firmati sunt. Quare sedulam demus operam, vt totos animi neruos intendentes, tantæ diuinæ maiestati inseruiamus, tentationibusq; euictis, à peccatis tanquàm à facie colubri abstinentes, Deum immensum perquàm maximo amore prosequamur.

12 Præter ea, quæ iam edocta sunt, adhuc superest, vt in hac tentationum conflictatione, vt fortior, cautiorq; sis, à nobis erudiaris, videlicet ipsam vitiorum impugnationem, & ad mala propensionem, bonis hominibus nunquàm absque magno fructu contingere, aut dilabi. Est autem duplex bonorum hominum genus. Quidam ita habent, vt vix, aut tenuiter à vitijs impugnentur. Alij verò, dum sese occasiones offerunt, tentantur extrinsecus, & ad peccata commouentur; vt ad irã, inanem gloriam, gulam, vel libidinem; intus autem in viribus superioribus, horum nihil patiuntur, nec quicquam mouetur; imò etiam peccata huiusmodi penitus auersantur. Stabile nanque, atque statutum est illis, nunquàm vel iræ, vel superbiæ, vel alicui alij vitio cõsentire; dumq; ab his impugnantur, pro virili resistunt. Quamuis fortassis ex sua ipsorum naturali propensione quędam eis vitia quasi insita esse videantur, illis tamen nulla ratione præbere consensum voluerunt. Hi profectò longè amplius apud Deum & laudantur, & probãtur; ipsasq; virtutes multò alijs excellentius, nobiliusq; possident. Virtutũ nanque perfectio strenua, ac legitima decertatione comparatur; virtus. n. in infirmitate perficitur. 2. ad Cor. 12. Vnde & necessaria nobis tentatio est, Non. n. coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. 2. ad Timot. 2. Certare autem non potest, qui nõ impugnatur, sed & absq; certamine nemo victoriæ palmam obtinet; turpeq; illi esset, sine bello, & victoria triumphum agere, aut vsurpare coronam. Cum igitur vita nostra tentationibus, prœlijsq; plena, militia sit super terram, nec tamen ex solis viribus nostris absque Dei ope, vlli tẽtationi obsistere valeamus, omnino necessarium nobis est, vt & ipsius, & gratiæ eius curam habeamus peruigilem, atque perpetuam, vt eius auxilio præditi, vniuersas tentationes vincamus. Enimuerò quoties ex tentatione deuicta palmam referimus, toties, & Deo gloriam, & sanctis Angelis lætitiam exhibemus, ingerimusq;. Ille sanè pugil est optimus, qui vitiosas propẽsiones, & tentationes maxima animi magnitudine superat, suoq; animo eis prædominatur. Quãtò verò nos infirmiores cognoscimus, tantò diuinam nos gratiam, & benedictionem ardentius suspirare, ac studiosius

diosius nos obseruare conuenit, ne villa excogitata arte circumueniamur. Virtus nanque, & vitium in nostra consistunt voluntate. Quot autem generibus spiritualium inimicorum, & quot tentationum laqueis sit hæc vita referta, luculenter edisserit Laur. Iust. lib. de perfectionis gradibus cap. 4. Peregrinationis.n. vitæ huius quicunque voluerit indagare discrimina, inimicorum genera, tentationum species, numerum laqueorum; & peccatorum lapsus, fiet illi profectò, vt sua consideratione deficiat! Horis nanque singulis, in cunctis actibus, in omnibus negotijs, locisq; omnibus, (si diligenti mentis acie rem inspiciat) offendet sane, quid cauere, quid metuere, quid respuere, quibus cum hostibus decertare illum oporteat. Ad communiendum verò, armandumq; Christianum militem, edidit idem author egregium opusculum de interiori conflictu.

De ratione agendi gratias Deo, omnium bonorum largitori. Consid. j.

1 REQVENS, ardensq; D. Pauli studium in gratijs Deo actitādis noster Aurelius hoc loco imitatur; vtiliter nos admonens, vt de bonis operibus à nobis præstitis summo, benignissimoq; omnium bonorum largitori Deo creberrimas agere gratias, nunquam obliuiscamur. Lex hominum, nec iniqua tamen, ea est, vt nihil turpius, aut illiberalius esse possit, quàm cùm gratiam debeas, aut eam non referas, aut obliuioni mandes, aut quod maximè execrabile, maleficio acceptam gratiam compenses; in quo non minor impietas fuerit, quàm si quis aut parentes non amet, aut ijs iniuriam vltro inferat. Quantò ergo fœdius, detestabiliusq; esse iudicabis, si erga Deum omnium donorū fontem perennem, obliuiosum, inertemq; gratiarum actorem te aliquando præstiteris? Ingratitudo quidem pestifer ventus est; exiccat enim fontem gratiæ; contrà, gratiarum actione Deum ipsum ad vberiora beneficia elargiendum, & inuitamus, & prouocamus; maximè verò si id præstiterimus corde non solùm & ore, sed etiam opere. Non potuit Paulus. 1. ad Cor. 1. &. 1. ad Thes. 2. & ad Ephes. 5. &. 2. ad Cor. 2. alijsq; locis in magnam gratiarum actionem non prorumpere; nos ad similes laudes inuitans. Claudus ille Act. 2. à Petro sanatus, confestim in templum ingressus, exiliens, & gaudens Deum laudat. Sanitati restitutus, mira laude Deum prosequitur; & specimen nobis exhibet gratitudinis; ne quis Deo ingratus, suaq; sorte non contentus, vel nō referat gratias condignas, vel Deo omnipotenti obmurmuret. Dei beneficia celare extremæ est ingratitudinis; en hæc sunt Christianorū exercitia? Ad locum vnde exeunt gratiarum flumina, ait Bernardus,

reuertuntur, vt iterum fluant. Si tardi, mutiq; lapides ad gratiarum actionem Deo exhibendam extiterimus, non solum vlteriora beneficia non promeremur, verùm etiam ijs, quæ iam accepimus, priuari, spoliariq; commeruimus. Veteres damnat philosophos Paulus ad Rom. 1. Quod cùm Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Ob id quidem, & Ezechias rex Esaj. 38. acerrimè punitus est, quòd post incredibilem triumphum, Deo gratias congruas non peregerit.

2 Gratiæ etiam Deo sunt referendæ ex nostri Antistitis præscripto, non solùm quòd nobis Deus peccata dimiserit, sed ea etiam ratione, quòd à multis nos vitijs præseruauerit. Cùm ergo peccatum adeò sit detestãdum, vt pro nulla mundi vel prosperitate, vel aduersitate mortale aliquod, vel veniale committendum sit, nos tamen interim heu multa nimis admiserimus, mirum profectò est, cur nõ ingenti, ac feruida in Deum dilectione accendamur; si attenderimus, quomodo pius ille, & fidelissimus Deus, omnẽ à nobis impietatem auferens, in nouam nos gratiæ vitam transtulerit, amicos fecerit, sed præterea etiã ipsa peccata nostra per bonitatem suam ad nostros inflexerit vsus, & vtilitatem nostram, si.n. nos velimus, ipsa quoque nostra saluti, adhibita industria, cooperari possent. Est autem, & alia præclarior humilitatis causa, quam nos ignorare non decet, si Augustini mentem attingere voluerimus. Maius etenim beneficium est, à vulneribus quempiã illæsum seruare, quàm inflicta curare vulnera. Itemq; præclarius est, & maiori dignum gratiarum actione donum seruari à peccatis, quàm de admissis consequi veniam. Quantò nanque cumulatiora sunt in nos Dei beneficia, tantò & nos illi cum humilitate, ac reuerentia gratias abundantiores agere adstringimur, non ob peccata solùm nobis iam misericorditer condonata, sed ob ea etiam, in quæ prolabi, incidereq; potuimus, nisi sua nos bonitate ipse custodiuisset. Quin etiam non tantùm propter beneficia iam collata, sed ob ea quoque omnia, quæ nobis collaturus erat, nisi huic largitati diuinæ nostra malitia obstitisset. Nobis igitur persuadeamus, Deum benignum patrem permisisse, nos in peccata dilabi, vt ex ipso nostro casu nostam salutem copiosius promoueremus, aliquodq; inde bonum excerperemus, si tamen nos ipsi Deo cooperari velimus. Huiusmodi.n. lapsus tàm in veteri, quàm nouo instrumento sæpè Deus etiam in illis sustinuit, qui ipsi postmodum fuere chariores. Et perrarò contingit aliquem ad magna quædam prouehi qui non prius aliquando lapsus fuerit; nã Apostolorum nemo perstitit, sed omnes in peccata ceciderunt, vnus tamẽ

grauius

grauius alio, quia res ad profundiorē humilitatem, solertioremq; diligentiam nos accedit. Et dum peccati commemoratione dolor, & cōtritio renouatur, amor quoque, & feruens in Deum exercitatio augetur. Ex hac verò exercitatione gratiarum actio emanat.

3 Est sanè multiplex ratio, qua iure, meritoq; Deum laudemus, eiq; gratias agamus, vt puta quòd nos ratione præditos crearit, quòd cœlum, terram Angelicos spiritus nostris vsibus, ac ministerijs deputauerit, quòd propter abolēda peccata nostra homo sit factus, quòd nos instituit, nobis vixit, nobis rectum iter ostendit, quod fœdum, probrosumq; mortis genus nostra causa perpessus sit, quòd æternum regnum suum, atq; etiam seipsum nobis nedum præmij loco, sed etiam in nostri obsequium, & ministerium pollicitus sit, quòd nostra peccata cōdonauerit; gratiam, & charitatē suam in nos effuderit, quòd nobiscū perenniter sit commoraturus, omnibusq; vitæ nostræ diebus cū præclarissimis sacramentis suis ad omnem vsum, ac necessitudinem nostram nos visitare paratissimus sit; quòd naturam, scripturam, & creata omnia, velut exemplar quoddam, & speculum nobis proposuit; quibus instituamur, animaduertamusq;, ad quem modum omnes actus nostros virtutibus accommodemus. Adde, quòd sanitatem, vires, ac robur corporis, & interdum etiam aduersam valetudinem pro nostra vtilitate nobis præstiterit, resq; externas vitæ transigēdæ necessarias, & pacem internam nobis contulerit; demum quòd Christiano nomine insigniri, & ex Christianis parentibus in hanc lucem editi simus. Pro his, inquā, omnibus meritò hic gratias Deo agere tenemur, vt ipsum quoq; in superna patria post huius vitæ exacta curricula, perēni laude prosequamur; tota autem nostra facultate nobis laudandus est Deus; laudare verò Deum in terris amantium munus est honorificentissimum, iucundissima actio, occupatioq; dulcissima. Est tamen laudandus corde, affectu, desiderio, viribus, verbis, actibus, corpore, anima, bonis temporarijs, atque etiā obsequijs, non internis modò, sed etiam externis. Neq; Deum laudandi vllus vnquā futurus est finis; quandoquidem in ea etiam re nostra consistit beatitudo.

4 Oritur autem ex ista gratiarum actione, & laude geminus quidam cordis dolor, & affectus, seu desiderij cruciatus. Primus dolor inde suscipitur, quod nos in laude, in gratiarum actione, in veneratione, & cultu Dei deficere, nec satis posse pro dignitate sentimus. Alter dolor is est, quòd non quantum appetimus in charitate, in virtutibus, in perfectis moribus progressionem, auctariumq; facimus, quo digni, idoneiq; laudando Deo efficiamur, nec prout decet, & congruit; illi famulari, & obsequi valeamus: at dolores isti virtutum omnium radi-

ces ſunt, atq; fructus, eiſq; affici, eximius eſt gradus, præſtanſq; opus internæ, laudabiliſq; exercitationis; id quod ex propoſita ſimilitudine percipi poterit. Ignis naturalis ſui caloris efficacia aquam ollæ infuſam feruefacit, ita vt ebulliat, nec poſſit vlterius progredi; iam aqua ita ferueſcens in fundum ollæ ſubinde relabitur. Inde verò rurſus vi ignis in ſummam vſque ollæ oram impellitur, ſicq; fit, vt ignis ſemper impellat, & aqua continenter ebulliat. Eundē profectò in modū agit ignis Spiritus Sancti. Impellit. n. & vrget, atq; excitat cor, omneſq; animæ vires, vt ebulliant, ideſt vt Deo & laudes, & gratias exhibeāt. Ex quo fit, vt ignis quidē diuini amoris ſemper ardent, ſemper ferue faciat. Cor autem in gratiarū actione, Deiq; laude, verbis, & actibus nunquā non ferueſcat, & bulliat; paruipēdat verò id quod facit, quaſi in infimo loco propter humilitatem perſeuerans. Poteſt eadem res alia enodari ſimilitudine. Aeſtu appropinquāte, Sol altiores petit gradus; is idem ex terræ viſceribus humores elicit, trahitq; primo in radices arborum; deinde in truncū; poſt in frondes, & ramuſculos, atq; inde folia, flores, & fructus emergunt, atque proſiliunt; Sic quoq; Sol æternus, Chriſtus dominus in cordibus noſtris in ſublime effertur; ita vt ex virtutum ornatu quædam quaſi æſtas in nobis oriatur. Tunc lumen, ardoremq; ſuum Chriſtus in noſtrum mittit affectum, & deſiderium, cordeq; à rebus terrenis abſtracto, internam compunctionem efficiens, animam virere, vehementiq; deuotione florere, gratiarūq; fructū afferre facit. Eoſdēq; humili illo dolore tuetur, atq; cōſeruat.

5 Accommodatiſsimus ſanè eſt in hanc ſententiam, atq; dulciſsimus pſalmus vigeſimus ſecundus, fideli cuilibet electo, atque ſpirituali homini ad meditandum Dei, & Chriſti præcipua beneficia, & pro eis gratias agendum valdè conueniens. In ipſo nanque à Dauide rege multiplicia Dei beneficia commemorantur; quemadmodū videlicet Deus, quaſi paſtor bonus, nihil eorum deeſſe patitur, quæ ſunt ad ſalutē noſtram vtilia, conſtituens nos in vberrimis Eccleſiæ paſcuis potans nos aquis ſapientiæ ſalutaris, quæ à Spiritu Sancto fluit in Eccleſia, & cuius participes fiunt fideles omnes in ſancta Eccleſia; inſuper corda noſtra ad ſe benignè conuertit, & per viā iuſtitiæ nos benignè deducit propter miſericordiam ſuam. Deinde etiam in ſummis periculis protectionis ſuæ beneficium nunquām nobis ſubtrahit, diſciplinam inſuper paternam, vt filijs virga, & baculo impendit, ad corroborandum nos, contra hoſtium oppugnationes menſam parat, ideſt ſanctiſsimum ſuū corpus, & ſanguinem nobis donat in Eccleſia, neque ſic ſolùm exterius paſcit, verùm etiam interius oleo ſpiritualis gratiæ ſpiritum lætificat, atque fœcundat. Mercedem quoque, & retributionem glorio-

ſam

fam, pretiosumq; calicem fortiter agentibus proponit. Cuius deniq; indeficiens misericordia nunquam nos deserit omnibus diebus vitæ nostræ, donec nos adducat in mansionem quietis æternæ in longitudinem dierum.

6 Psalmus quoque centesimus secundus egregiam exhortationẽ cõtinet ad laudem Dei, pro immensis, & innumeris eius beneficijs, quæ misericorditer præstitit humano generi; peccata dimittens pœnitentibus; infirmitates etiam sanauit; à morte redemit; in misericordia etiam coronat; desiderium adimplet bonis; iuuentutem renouat, misericordiam, & iudicium facit oppressis, legem directricem ferens populo; propter nimiã misericordiam non irascitur in perpetuum, neque seuerè agit cum suis. Nam etiam peccantes electos non pro exigentia, & condignitate demeriti punit, sed paterna disciplina ad emendationem potius corripit, propter misericordiam super omnes electos confirmatam; qua etiam longissimè à pœnitentibus abijcit peccata, affectu plusquàm paterno erga nos affectus, cognoscit, quale simus figmentum, quodq; non aliud quàm puluis, & terra simus, & durationis permodicæ, ad modum graminis virentis, & floris exorientis; quorũ est viror, & pulchritudo nimium instabilis. Iam verò quis subticere queat, celebriora illa, potioraq; Dei in nos collata beneficia, scilicet creationis, redemptionis, & expectationis, iustificationis, conseruationis, & cœlestis beatificationis. Quapropter iure optimo noster Antistes ad gratiarum actionem nos vehementer hortatur.

De pœnitudine, & fuga peccatorum. Consid. ij.

1 AGNO pœnitudinis peccatorum desiderio nos hoc loco afficere Augustinus cõtendit, & nititur, dum ait; de præteritis flagitijs nobis esse dolendum, futura verò diligenter esse cauenda. Nã in recognoscendis, recogitandisq; peccatis non sat est illa, vtcunque recordari; sed necesse est acerbam nobis esse eam memoriam, vt cor pungat, animum stimulet, & dolorem inurat; si.n. molestè, dolenterq; eorum meminerimus cùm angimur intimis sensibus, conferemus nos ad Deum, à quo vt inhærentes euellat scelerum aculeos, suppliciter petamus. Nec verò solùm erratorum turpitudinem oculis nostris subijcere studeamus, verùm etiam indignitatem, ac sordes nostras; qui cùm nihil simus, nisi putida caro, nisi summa fœditas, incomprehensibilem illam Dei maiestatem, & inexplicabilem præstantiam, incredibilem in modum audeamus offendere. Præsertim, à quo procreati, liberati, innumerabilibus, maximisq; beneficijs aucti simus. Mirum autem in modum

Augustinianis verbis consonat Trid. synodus ses.4.cap.4.dicens; Contritio, animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero. Declarat. n. hanc contritionē non solùm cessationem à peccato, & vitæ nouæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere. Sancti. n. ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingēti peccatorum detestatione clamores non modicos emiserunt. In hac etiam contritione sacramenti votum includitur; approbat quoque imperfectam contritionem, attritionem nuncupatam, ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu conceptam, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ. His tamen adiunge, eam esse veram pœnitudinem, quando sic hominem peccasse pœnitet, vt crimen non repetat, vt ait Hugo de S. Victore lib. 3. de anima cap. 31. Nihil etiam peius est, quàm culpam cognoscere, nec deflere.

2 In ipso autem doloris initio, atque etiam progressu sublimi consideratione expendamus, nihil fœdius, nihil esse horribilius peccato. Scientes nanque satanam peccati auctorem esse, & peccatum eius esse naturæ, vt nihil sit eo turpius, nihilq; abhominabilius, fœdus inire cum eo abhorreamus, & ad concipiēdum peccati horrorem ea quæ sequūtur, nobis in mentem veniant, & à peccatis committendis nos exterreant. In primis recolamus peccatum esse quid Deo maximè displicens, aliàs in peccantes non irasceretur dominus, neque illos pœna non solùm temporali, sed æterna puniret. Ipse autem peccantes æternis supplicijs reseruat. Si alia non esset causa nos à peccatis reuocans, hæc esset multum idonea: & eo tantùm nomine vir cordatus peccatorum tenebras vitare deberet, quod satanam ex Angelo factum dæmonem, fœdum, ac turpem, nouerit earum auctorem tenebrarum.

3 Vt peccati horrorē magis, ac magis cōcipias Christi miles, quęso te, ante mētis oculos effinge prædonē insigniter peruersum, sanguinolētas manus habentem, te ad epulas splendidè præparatas, sed præda, & cede proximorum paratas inuitasse. Nonne ad tale conuiuium venire tibi esset magno horrori? Esto earum rerum nescius, iàm aduenerís: nonnè è medio conuiuarum te subriperes, commertium illius fugere cupiens? Iudicare non debes prædonem tuo contubernio indigniorem esse ipso satana, qui primum in se iniquitatem concepit, postmodum in Adamo iniustitiam peperit. Quo minus fœditas peccati corporalibus oculis conspicitur, eo apparentius visu mentis dignoscitur. Ipse toties ad epulas quodammodo te inuitat, quoties te alicuius peccati participem fieri solicitat. Igitur ob peccati turpitudinem inire commertium cum illo abhorreas, quæ tanta est, vt sit ignibus æter-

nis di-

nis dignißima. Niſi peccatum Deo omnium maximè diſplicuiſſet, quâ primum ipſe ſatanas inſigne monſtrum, & deforme peccauit, illum à cœleſti regno per Michaelem Archangelum diuina virtute accinctum Deus non profligaſſet. Hac de re vita in verbo Dei facta eſt lux hominum, ſcilicet vt vitiorum tenebras depelleret; quas nemo humana virtute fretus depellere potuiſſet. Ad depellendum eas Deus nos adiutores ſuos conſtituit: idcircò eas pro virili à nobis procul pellamus, vt in perfecta vitæ innocentia coram Deo ambulemus. Tunc Dei filium comprehendemus in nos fuiſſe clementißimum: qui ad hoc in mundum venit, vt tenebras vitiorum tenebricoſo ſpecu denſiores effugaret: ſine quarum expulſione nemo noſtrum ad lucem ęternę fœlicitatis peruenire potuiſſet: ideò factus eſt lux cunctis in eum credentibus, quos ſuo ſpiritu viuificauit lucens. Quamdiu.n. tenebris peccatorum mortalium inuoluti fuimus, opera Deo grata, & accepta facere non potuimus. Quid ergo erat hac luce nobis vtilius? Quid, inquam, ſuauius, aut iucundius contingere potuiſſet? Itaq; omne ſtudium adhibeamus, amantißimi, huius luminis lucernam accendere in nobis, & accenſam vſque ad finem conſeruare, vt vigilantius ſcelerum noſtrorum pœnitudine diſcruciemur, futuraq; peccata prudenter vitemus.

4 Itaque diuina contritio diſplicere homini facit peccata ſua, in eiſq; magis, ponderare, ac dolere, quòd diſpliceat, & peccauerit Deo, quàm quod ſeſe damno affecerit, efficitq;, vt firmo, ac perpetuò nunquàm peccandi cum propoſito ad Deum ſe conuertat, pluriſq; faciat, & vehementius ponderet, & accerbius doleat minimum, quo Deum offenderit, peccatum, quàm damnum omne, & dedecus, ac ignominiam, quæ ob id vnquam perpeti queat. Vbi autem hoc pacto quiſpiam Dei offenſam, quàm ſuam iacturam, ac incommodum, grauius æſtimat, magiſq; dolet, inde nimirum quædam in eo vera erga Deum confidentia oritur, facitq; eum intus ſentire ſpem bonã veniæ à Deo impetrandæ. Deinde ſpirituale intus in eius anima gaudium exurgit, ex omni eam mœrore extollens, firmumq; eam cum Deo pactum, ac fœdus inire faciens; quantò autem à Deo maiori conſolatione afficitur, tantò in ea vera contritio magis augetur. Nec ſolùm petit à Deo, vt is peccata ſua ſibi remittat per bonitatem, & miſericordiam ſuam, ſed etiam ſi id ad maiorem Dei laudem cedat, per iuſtitiam ſuam, ea in ſe in hac vita vindicet. Quantò.n. maiorem erga ſe experitur Dei benignitatem, tantò magis peccata ſua ponderat; quemadmodum etiam Petrus cognita Chriſti benignitate, ait ad eum Luc. 5. Exi à me domine, quia homo peccator ſum. Sanè ſi quis eo poſſet pertingere, vt Dei erga ſe iuſtitiam, perinde vt miſericordiam exoſcularetur, ac diligeret, is reuera exi-

ra eximium pœnitentiæ opus præstaret, dum sic se totum diuinæ iustitiæ in hac vita puniendum se traderet, & resignaret: Iuxta vulgatam Augustini orationem, domine, hic vro, hic seca, vt illic parcas. Ceterum quantò se quispiam pluribus senserit implicitum culpis, ac defectibus, tantò maiorem habet causam sibi displicendi, tantoq; fortius amore inseparabili Deo sese conglutinare, atque coniungere, cũ eoq; fœdus inire debet; quem quidem amorem nusquam melius licet perspicere, & agnoscere, q̃ vbi Deo coniunctiores sumus. Sua ergo cuiq; delicta grauißimè ponderanda sunt, & nos etiã illa ex vera contritione magnipẽdamus. Quo.n. ea nos magis ponderamus, eo paratior est Deus illis ignoscere. Quod.n. cuique magis aduersum, & inuisum est, id libentius eliminat, ac studiosiùs depellit; cumq; peccata Deus maximè habeat exosa, citra dubitationem ea libenter est à nobis ablaturus, si modo ex animo doleamus.

5 Hæc quoque perniciosa calamitas Christiana mente tractanda est; quòd à peccatore cor vitiorum tenebris obcæcatum habente, elongatur Dominus, non corporali præsentia, sed gratiæ subtractione. Nec vnquam ab eo capietur, donec opera vitiorum, quæ clam, & sine arbitris commisit, ipse amputarit, quisquis ergo carnis infirmitate pressus, in aliquod crimen prolapsus fuerit, illico resurgere, & ad Christũ horum purificatorem criminum consurgere debet, per quem vnũ mundari poterit. Si autem in malitia frontem perfricuerit; nec Deum, vel homines veritus sit, in tenebris manens peribit, inter illos deputãdus; qui nullum inter amicos, vel inimicos discrimen ponunt, eritq; latronibus persimilis, qui non secus familiarem, quàm inimicum bonis spoliant, & omnibus ex æquo insidiantur; nihilq; vel ab ebriosis, vel ab insanientibus differet, quoniam in profundum malorum prolapsus, tam miserè viuet, vt nõn sentiat sibi molestum esse, sub impia vitiorum tyrannide vitam agere, multa sibi aduersari prospiciens, perpetuis conscientiæ stimulis agitabitur, & illum in finem videre desperabit, qui in vtero virginis tabernaculum posuit. Nos verò qui gloriam eius appetimus, atque speramus, quæq; vitiorum monstra à nobis propellamus. Si aliquoties illis capti fuerimus, subitò illorum vincula dissoluamus, & à nobis proijciamus, solicitè cauentes, ne in posterum sub miseranda seruitute illorũ detineamur. Quid.n. homini turpius, quidue ignominiosius esset, quàm in malis diu volutari? Si animæ, & corporis turpitudines inuicem conferre vellemus, magis indecorum esset, videre hominem omnibus expositum, publica, & communi via nudum ambulare, quamuis à pueris derideretur, quàm alium peccatis maculatum: quoniam excusari posset nudus ambulans, quòd forsan vnde ve-

stiretur,

stiretur, nihil haberet: verùm nequiter viuere nemini nisi criminoso accidit. Ergo, amantissimi, si verecundi sunt, vel nudi ambulantes, vel ante faciem iudicis stantes criminati, ꝙ aliena rapuerint, vel proximos fefellerint, vel quicquam aliud turpe, vel indecorum commiserint, vnde digni sunt risu coutumelioso: Interim ne obliuiscamur, quid de illis sentiendũ sit, qui ante faciem Dei iudicis stabunt fœtore peccatorũ sordidati. Nõne loco risus, acerbo fletu deplorandi erunt, quando à consortio sanctorum expellentur, tanquàm indigni gloria eius frui, qui exiuit ab vtero virginali, tãquàm spõsus de thalamo suo?

6 Adest & alia peccati calamitas, & ingens pernicies, in ea puella spiritum Pythonem habente Act. 16. egregiè depicta, videlicet, quòd eò nos deducit peccatũ, vt homo à Deo relictus nihil aliud sit, quàm instrumentum diaboli, quo vtitur ad suam libidinem: quod in vno obsesso agit diabolus, in omnibus ageret, nisi manus domini nos præseruaret. Misericordia igitur domini est, quòd non sumus consumpti. Permittit autem Deus, vt in aliquos exerceat suam tyrannidem, ac potestatem diabolus, vt intelligãt alij, quid ipsis debeatur, nisi Deus præseruaret. Parcam, inquit, vobis, vt sciatis quid sit inter seruientem Deo, & non seruientem. Vides etiam in ea puella iustum Dei iudiciũ. Qui.n. obtemperare Deo recusat ad vitam, iuste diaboli imperio traditur ad perditionem; reliquistis me, & ego relinquam vos. Vides præterea in eadem puella dæmonis astutiam. Non semper se ostendit, qualis sit, transfigurat se nonnunquàm in Angelum lucis. Non autem hoc facit, quòd homines amore prosequatur, sed vt eos in suo seruitio detineat. Nos autem scimus, imò scire debemus cogitationes eius. Non.n. toties admonemur vigilantiæ frustra, tàm à Christo, quàm ab ipsis Apostolis, & à nostro Augustino. Sic Christus Luc. 22. Satan expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, & Paulus ad Eph. 6. Non est nobis lucta aduersus carnem, & sanguinem. Idcirco Aug. hæc mala longè prospiciens, suæ admonitioni orationem coniunxit: Nobis planè declarans corda nostra, quæ superbia obduruerunt, penitentiæ vi cõtundenda, conterendaq; esse. Fateamur ergo innumera esse mala, quæ peccatum inuehit in hominem: quam fere infinitam calamitatẽ Psaltes regius Psal. 37. insinuauit; Non est sanitas in carne mea, à facie iræ tuæ; non est pax ossibus meis, à facie peccatorum meorum. Nouerat profectò hanc vulneris potestatem, cùm nullam sui partem pestifero peccato intactam confiteretur. Peruaserat.n. in rationem, & voluntatem. Hanc late patentẽ pestem fugere, & cauere nos admonet August. Angebatur quoque Dauid ex ira Dei, quàm in se propter peccatum commotam intelligebat. Bellum.n. est sceleratis cũ Deo. Inquit

enim Apoſt. ad Rom. 2. Ira, & indignatio: tribulatio, & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum. Cui ſemper imminens ira Dei illud inſequitur, tanquàm vmbra corpus. Quid autem infœlicius nobis contingere poſſet gloriæ eius priuatione? nonne melius homini eſſet non naſci, quàm æterno perire? Quid iuuaret nos vitales auras diu in præſenti ſeculo carpere, ſi in finem gloria Dei priuaremur? Nonnè homines lumine oculorum orbatos iudicamus, vitam agere ipſa morte miſeriorem? At longè omnium miſerrimi erunt, qui fruitione cęleſtis gloriæ priuabuntur: neque illis quicquam proderit Chriſtum in mundum veniſſe, genus humanum redemiſſe, & omnem veritatem per diſcipulos, per noſtroſq; inſtitutores nos docuiſſe, ac gratiā reconciliationis cum Deo patre ſecum attuliſſe. Quare cùm Dauid his vulnerabatur aculeis, ad petendam criminum veniam excitabatur; cuius & exemplum doloris, & doctrinæ rationem, ex quinquageſimo eius Pſalmo depromptam, nos condiſcamus oportet; vt ex Prophetæ imitatione, & ad doloris ſenſum, ideſt ad veram pœnitentiam, & ad veniæ ſpem rectè erudiamur.

7 Quòd ſi rogites, quid agendum, vel luce diuina fulgeamus, ac illuſtremur, ne vnquàm peccatorum retibus capiamur? Nunquid cœlos aſcendere opus nobis erit, vt hunc ſplendorem obtineamus? Scias velim nihil tibi neceſſarium eſſe tantæ peregrinationis laborem inſumere, cùm ſit Deus vbique præſens, modo feneſtram tui cordis aperias, illuminabit te. Cùm primum crimina ex vera contritione tibi diſplicebunt, illico euaneſcēt, & Sol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter tibi orietur; qui ſemper in mundo lucet, vt cunctis vitiorum tenebris depulſis, per viam ſalutis ambulemus. Eſt. n. ipſe dominus tanquàm lucerna in cacumine montis poſita; cuius lucis ſplendor ad hanc, vel illam terræ circunferentiam non ſolùm eſt protenſus, verùm etiam in omnes, & longinquas partes circunquaque diſperſus.

8 Poſtremò loco, & illud contritionem adiuuat, ſi perdiſcas, peccatū mortale ſua quadam ratione infinitum eſſe. Ex S. Tho. 1. 2. q. 87. In peccato. n. mortali ſunt duo, videlicet auerſio ab incōmutabili bono, & perūerſa conuerſio ad bonum commutabile. Ex parte igitur auerſionis à Deo, conſequitur peccatum mortale reatus pœnæ æternæ, vt qui contra æternum bonum peccauit, in æternum puniatur. Vult enim Deus pro culpa temporali pœnam infligere æternā, ſine fine duraturam, quia qualitas offenſi id exigit. Meretur ſiquidem pœnam infinitam culpa illa, quæ Deum, qui infinitus eſt, offendit. Idcircò ſanè peccato mortali duplex debetur pœna: videlicet pœna damni, quæ eſt priuatio Dei, & pœna ſenſus, quæ conſiſtit in cruciatibus. Prior illa pœna

respondet peccato ratione auersionis à Deo. Habet .n. auersio hæc quādā rationē infinitatis ex termino; nam elongatio est ab infinito bono, & imaginem quandam infinitæ distantiæ induit. Ideoq; quodāmodo est infinita: & eadem ratione, pęna illi debita est suo modo infinita. Eidem autem peccato ratione obiecti, siue conuersionis debetur pœna sensus. Existentes verò in inferno, cùm inimici sint Dei, suis cruciatibus nūquàm persolunt. Hinc meritò peccatum plumbum dicitur apud Zachar. 5. Magnum enim est pondus ira Dei: maximum est onus, Deum habere aduersarium, & iram Dei incurrere, in eiusq; indignatione esse. Hanc peccati grauitatem, & pōdus experiebatur, qui dicebat Psal. 37. Domine, ne in furore tuo arguas me. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Ex quo patet quanta sit cæcitas peccatorum, qui hoc onus non sentiunt: lætantur enim cùm malè fecerint. Magna itaque gratia est peccati pondus agnoscere. Enixè igitur pijs orationibus cōtendendum est, vt nostris delictis condonatis, gloriam illam supercœlestem nobis largiatur misericors ille Deus, cui soli gloria, & magnificētia, imperium, & potestas, ante omnia secula, & nunc, & in omnia seculorum secula. Amen.



AEC sunt, quæ de elucidando Canonicorum Regularium Ordine, pio quidem, Christianoq; animo, nō tamen absque magno labore in vtilitatem status Religionis his quatuor libris conscripsi, ad optatumq; portum, Deo adiuuante, perduxi. In quibus si fortè, aut ex inscitia ignoratione, aut certè ex negligentia, & oscitantia à me erratum est (nam dedita opera, studio, aut intētione per Dei misericordiam neutiquam profectò errani) Deus misericordiarum mihi veniam elargiatur. Si quidpiam verò præstiti, quod in Christiani populi rem, & commoditatem esse possit, eidem soli Deo acceptū refero. Animus quidem meus is semper fuit, vt non nisi quæ pia sunt, sancta, & Catholica, & quæ fidem Catholicam confirmāt, & auctoritatem Ecclesiasticam à Christo institutam, & Apostolis traditam stabiliunt, conscribere, asserere, atque docere, & quæ ad pietatem, ac religionem promouendam conducunt, cùm legentium fructu, & ædificatione tradere voluerim: omne verò peruersi dogmatis periculum effugere, & profligare intenderim. Ea propter quoniā paratus sum corrigi hoc opus, & omnia mea scripta sincero, humiliq; animo subijcio, submittoq; iudicio, et censuræ Sacrosanctæ, Catholicæ, & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, quam omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco, profiteor, & veneror.

Deo vni, & trino Patri ingenito, Filio vnigenito, & Spiritui Sancto paracleto, pro laboris huius cōsumatione sit laus, honor, & gratiarū actio in omnia secula. Amē.

ERRATA SIC CORRIGE.

pag.	nu.	lin.		
40	7	13	obſtineant	abſtineant
46	5	9	quo ſancti	quod ſancti
52	4	6	eo	eos
54	6	11	argeuns	arguens
59	1	2	conſtetur	conflctur
		6	detrudemti	detrudendi
60	3	5	maniſeſtus	maniſeſtius
61	6	2	quia	qua
62	7	3	qui	quam
67	5	5	præpotos	præpoſitos
74	7	10	ordinatione	ordinationes
77	1	20	propter hoc	nō propter hoc
82	1	9	comui	cornu
86	3	6	cōmunē Reg.	cōem Religio-num
88	9	2	prxterea	præter ea
93	3	3	Regularem	Regulam
94	7	4	iniquam	inquam
95	10	5	oblitis	obliti
		20	reſiſtens	reſiſtentes
98	5	7	comendant	comedant.
110	4	9	vſurarios	vſuarios
117	3	11	elſe	eſſet
140	2	34	expoſito	expoſitio
150	2	3	execrari	execrati
198	2	2	pudentiores	prudentiores
202	4	4	ſint	ſinit
235	9	33	appoſitiſsimus	appoſitiſsimis
241	6	19	inuidæ	inuidiæ
246	4	16	ſeſs. Trid.	ſeſs. V. Trid.
248	8	18	alijs in eruditis	alijs ineruditis
256	4	14	diflutum	difluunt
264	6	15	petientes	patientes
321	1	6	inobedis	inobediens
322	4	11	ſcripturam	ſcripturarum
324	7	18	conſilij	conſilijs
338	10	4	& 2. 1.	& 2. 2.
344	2	21	mos	mons
360	4	3	miſerere	miſere
391	7	5	ſtatuto	ſtatu tuto
394	2	11	præparata	prӕpara
408	3	1	ſpiritus	ſpiritu
424	6	9	iratur	irritatur
434	4	4	ſum	ſuum
		6	iudicandam	indicandam
441	9	7	fœlitatis	fœlicitatis
444	2	6	apertiſsi	apertiſsime
460	8	18	contempores	contemptores
463	16	1	concitationem	concitatiorem
466	3	6	qua	quadrat
474	4	4	od	ob
477	1	1	ſacratum	ſacrarum
484	2	12	pœnæ	penè
488	2	13	iter	inter
494	1	15	exaltauit	exultauit
502	2	21	obſederum	obſederunt
511	5	22	pœnæ	penè
514	2	2	aut horiſq;	authoriſq;
549	14	15	& at	& vt
541	15	1	adtioriſq;	aptioriſq;
547	11	14	conglutinant	conglutinat
565	7	4	accidi	accidit
568	5	20	hominis	homini
580	4	7	in decore	indecore
612	1	3	beneficio	benedictio
633	1	20	pacem	peccem
637	6	25	neceſiraris	neceſsitatis
640	5	13	ſuſtinen do	ſuſtinenda
649	8	13	diabolico anguſtantis	diaboli coanguſtantis
650	10	8	poteſt	prodeſt
655	4	11	affiamat	affirmat
656	5	9	oblectaretur	oblectaremur
672	2	9	corrigit	corrigite
675	7	8	petiturum	periturum
679	4	14	violarer	violaret
681	1	12	benignem	benigne
683	5	21	Deus pximo	Deus de pximo
684	6	1	violaſſet	violaſſe
	7	14	Hiuc	Hinc
687		5	nimis	nimius
693	5	12	temetipus	temetipſum
708	1	2	muneris	mulieris
	3	10	parenr	parcat
713	5	14	meca ad intres	&c. mea ad iudicium te
718	1	6	auem	autem
726	5	2	vtile	vt ille
734	7	4	timenda eſt	timéda eſt maledictio
747	1	2	dulcſdior	dilucidior
753	10	6	intruditq;	intrudiq;
778	9	7	intentionibus	intētationibus
784	4	10	ardent	ardeat

INDEX ALPHABETICVS rerum, & sententiarum, quæ in hoc opere continentur.

A


BBATES *duo Cistercienſis ordinis aduocā di ſunt in principio celebrationis Conc. prouincialis. pag.* 361. *num.* 6. *&* 7.

*Abbas, ſiue Prior conuentualis qua ratione differant à Subpriore, vel Priore clauſtrali.*248.*nu.*1.

Abbas, quære in verbo Prælatus.

Abuſionū clauſtri ſeptem ſpecies enumerantur, & longo ſermone explicantur. 311. *& inferius.*

*Abſtinentiæ virtus, & ratio, atque moderatio traduntur.*623.*nu.*1.

Abſtinentia regulata admirabilē animi facilitatem, ſerenitatem, & bilaritatē ſubminiſtrat. 624.*nu.*1.

*Abſtinēs ea intētione, vt vita minuatur, vel aliàs, an peccet.*624.*nu.*2.

*Abſtinentia carnium ſit ne Canonicis iniuncta.*625.*nu.*3.

Abſtinentia in Religioſo præclaras habet laudes, proprietates, & vtilitates, à ſacris Doctoribus celebratas. 629. *& inferius.*

Accuſationes fratrum in capitulo diſciplinæ, qua ratione fieri debeant. 669.*&* 670.

*Acerbitatem animi & crudelitatem in ſubditos quanta diligentia cauere debeat Prælatus.*756.*nu.*5. *&* 757.*nu.*6.

*Adminiſtrationes beneficiorū regulariū explicantur, et defenduntur à vitio proprietatis.*111.*nu.*8.

*Admirationis contemplatiuæ varia exempla traduntur.*507.*& infe.*

Aluarus Pelagius aliā regulā Apoſtolicā, & cōmunitatem à regula Auguſtiniana excogitauit. 577. *nu.* 4.

*Ambitio, ſuperbiæ proles, per vniuerſos ferè hominum ſtatus graſſatur.*450.*nu.*1.

*Ambitio quid ſit, & quotupliciter contingat.*450.*nu.*2.

*Ambitio quando ſit peccatum mortale.*451.*nu.*3.*&* 452.*nu.*5.

*Ambitio peculiarē quandā deformitatē habet in religioſo ex iudicio ſummorū Pontificū.*451.*nu.*4.

Ambitio quanta mala inferat. 452. *nu.*6.*&* 453.*nu.*7.*&* 8. *& inf.* 454.*& inferius.*

*Ananiæ terrificum exemplum longè explicatur.*456.*& inferius.*

*Animæ excitatio in Deum, quàm ſit neceſſaria, & vtilis.*464.*nu.*1.

*Animæ nùditas coram Deo, quàm ſit fugienda.*645.*nu.*1.2.*&* 3.

*Antiquitas Ordinis Can. Reg. latiſſimè deſcribitur, & defenditur.*8 *& inferius. &* 14. *& infer.*

An omnia contenta in Regula Aug. obligent ſub peccato mortali, &

varia

variæ in hac re opiniones. 521. & inferius.
An Religiosus transgrediens præceptum Dei contentū in Regula grauius peccet. 533. nu. 3.
An omnes professores Regulæ Augustinianæ propriam carnem domare teneantur. 625. nu. 4.
An liceat culpā fratris indicare Prælato, vel fratribus, vel in capitulo disciplinæ, non præmissa secreta admonitione. 667. nu. 5.
An liceat accusare fratrem sine teste in capitulo disciplinæ. 669. nu. 9.
An accusanti in capitulo disciplinæ vnicus testis sufficiat. 669. nu. 10.
An quilibet frater teneatur procedere ad accusationem fratris, licet sit laboriosum. 669. nu. 11.
An offendens teneatur ad reconciliādum fratrem statim. 708. nu. 3.
An fecisse opus præcepti in Regula cōtenti sit satis. 768. nu. 6.
An hypocritæ sint, peccantes contra mandatum Dei, qui tamen in populo pro bonis Christianis reputari volunt. 771. nu. 4.
An sint hypocritæ, qui tenent habitū sanctitatis, & meritum perfectionis non exequuntur 772. nu. 8.
An Canon. monasterium relaxatū ingressus, iure reformationē recusare possit. 388. & 389. & infer.
An solenniter professus obedientiā regularē, profiteri etiā intelligatur paupertatē, et castitatē. 73. n. 6. 7.
Apostatæ definitio, & conditio explicantur. 287. nu. 1.
Apostata à religione bifariam intelligitur. 288. nu. 2. 3. & 4.
Apostatas, & fugitiuos corrigēdi forma traditur. 290. & 291. et 292.
Apostatarū reformatio à Pau. 4. tradita recensetur, & sumatur. 293. nu. 14.
Apostatarum colloquia fugiēda sunt à Religiosis. 294. nu. 16. & inf.
Appellādi vsus qua ratione sit admittendus in Ordine Canon. Reg. 263. num. 3. & 4.
Arnulphus non fuit Ord. Canon. Reg. auctor, sed reformator. 131. n. 5.
Arma portare intra monasteriū religioso non licet citra graues pœnas. 304. nu. 16. & 17. & inferius.
Archiuia, registra, & inuētaria cēsti tuēda, & conficiēda. 385. & 386.
Arbitrio superiorū consueta, & laudabilia instituta eligēda sunt, quæ in refectorio legantur. 634. nu. 2.
Asperitate vestium pœnitentia significatur. 648. nu. 7. 8. & 9.
Associati eant Canonici, & non soli. 642. nu. 2.
Auaritia, & proprietas, quàm dānētur ī Religioso. 456. 457. et inf.
Auaritiæ plura terrenda exempla, & dissuasiones. 460. & inferius.
Augustiniani duo celebrati sermones nūquàm loco Regulæ sunt ab Aug. traditi Can. Reg. Sed neq; Reg. formā, aut modum habent. 130. n. 4.
August. viuens suam tertiā, & celebrem Regulam tradidit Canonicis Regularibus. 132. & inferius.
Augustinus tria monasteria construxit. 134. nu. 4.
Aug. refert terribilem inspectionem cadaueris Cæsaris in sepulchro. 442. nu. 10.

Augustino, Regulæ authori, omnis æ tas, sexus, omnisq; status plurimū debet. 514. nu. 3.
Augustini sublime ingenium, & doctrinæ fulgor. 515. nu. 4.
Augustini morum perfectio, & sanctitas. 515. nu. 5.
Augustini eximia laus præ ceteris doctoribus. 517. nu. 7. & 518.
Augustinus, sal terræ, lux mundi. 518. nu. 8. & inferius.
Augustini ingentia merita, & cælestis gloria. 520. nu. 11. & 12.
Augustini laus à præclaris viris celebrata. 520. nu. 13
Augustini encomium longiusculum habetur. 513. & inferius.
Augustini zelus, & ardor pro obseruatione perfectæ Regulæ. 764. n. 1.
Auctoritas antiquorū patrū religiosorū, quorū tẽpore monasteriorū deformatio, & relaxatio viguit, quo sẽsu sit ĩtelligẽda. 337. n. 7. et inf.
Auctoritas patrum religiosorum iā defunctorum piè, & honorificè exponenda est. 233. nu. 8.
Auctoritas antiquorum religiosorū, qui incorrectè, & deformatè vixerūt, nullius momẽti est. 334. n. 9.

B

BENEFICIORVM *Regul. frequens mentio habetur in iure canonic. Con. Trid. & Const. Canon. Regul.* 142. num. 1.
Beneficium regulare, quodnā sit, & censeatur, explicatur. 142. nu. 1.
Beneficiorū regulariū, quinetiā plurimarū cathedraliū, & collegiatarū ecclesiarum regularium iactura, & amissio deploratur, & manifestatur. 143. num. 2.
Beneficia regularia esse regularibus conferenda, & sic viam parari ad recuperāda beneficia regularia deperdita, & amissa, explicatur. 144. num. 5.
Beneficiarij sunt procuratores, & dispensatores, medijq; statuẽdi inter vsuarios, & vsufructuarios. 145. num. 6. & 7.
Beneficia regularia quibus legibus, & conditionibus sint conferenda, explicatur. 146. 147. & infe.
Beneficia vnius monasterij non debẽt conferri Monachis alterius monasterij. 148. nu. 7.
Beneficiorum regularium inconstantia, mutabilitas, & natura explicātur. 150. & inferius.
Beneficiorum regularium perpetuitas maximè odiosa iuri canonico, & sacris Concilijs. 151. & inf.
Beneficiorū regulariū perpetuitatẽ tollendā multis limitationib. constringunt iuris Can. doct. 153. nu. 5.
Beneficiorum regulariū tollenda perpetuitas quattuor habet limitationes. 153. nu. 5. & inf.
Bona cõmunia monasterij citra legitimā licẽtiā nemini licet ꝓpria auctoritate accipe, ac expẽdere. 576. n. 1
Bona cõmunia monasterij ne rapiantur, caueatur omnis introductio, cõsuetudo, siue fraus. 577. nu. 3.
Bona cõmunia monasterij non sunt tā abūdāter omnia distribuẽda, quasi omnimoda indigentia sit è monasterio propulsanda. 378. nu. 2.
Bonitatis diuinæ inditia præclara ostẽduntur. 681. nu. 1. & 682. nu. 2.

C

CALVMNIAE subditorũ aduersus Superiores multiplices sunt,& qua ratione superãdæ.343.& inf:
Calumniatores qui sint cẽsendi,& eorum pœnæ,& cæca consilia tradun tur.300.301.& 302.
Canonicorum regularium Ordo fuerit ne deprauatus, quibus vijs sit cognoscendum.8.nu.1.& 2.
Can. Reg. illustris Ordo ab ipsis Ecclesiæ incunabulis originẽ trahit. 11.n.6.& 11.12.13.14.15. et inf.
Canonici Ordinis viri illustres referũ tur.20.nu.1.& 2.& inf.
Canonici Ordinis uiri illustres antiqui referuntur.25.& inf.
Canonici Ordinis viri illustres recentiores referuntur. 29.& inf.
Canonicorum Regularium duplicata nomenclatura explicatur, & defenditur.34.& inf.
Canonici Regulares sunt Clerici, vocanturq; Clerici primitiuæ Ecclesiæ.38.& inf.
Canonicorum Regulariũ Hispanorum institutum, & ab alijs differentia explicatur.48.& inf.
Canonicus ingressurus religionẽ, quæ secum prius præmeditari debeat. 62.nu.8.
Canonici Regulares corrumpentes debitam formam professionis, quam pœnam incurrant.7.nu.9.
Canonicus Reg. curet, ne suum nobile, & insigne nomen contemptibile reddat.37.nu.4.
Canonici,& cõuersis proprietarijs, et negotiatoribus pœna.95.nu.10.
Can.Reg.ecclesiarũ cathedral. conueniunt ordine,ratione,atq; speci
Can.Reg.monasteriorũ.124.et
Canonici Regulares quidam, vir lustres narrantur. 141.nu.3.
Canon. Reg. regere poßunt eccle parochiales sui ordinis.144.nu
Canonici Regulares in suis benefi regularibus non soli, sed adiun socio resideant. 156.nu.1.
Can. numerus neq; excedat mona rij facultates, et vires, sed neq; exiguus, et diminutus.254.nu.
Can. non sunt more latronũ in gra carcerẽ detrudendi.264.nu.5.
Canonicorũ causæ criminales nõ su in consistorio siue loco publico tr ctandæ.nu.264.nu.5.
Canon Apostolicus de concordia a mus ex Act.4.explicatur copio 549.nu.1.2.et 3.et inf.
Canõ Apostolicus de abdicatione pr prij, et rerum communitate fi explicatur.561.nu. 3.4.et 5.
Canones duo Apostolici de ratione stribuendi bona communia exp cantur.573.nu.1.et 574.nu.5
Capitulorũ disciplinæ crebra celebr tio validum est retinaculũ ad c seruandam religionẽ.220.nu.1
Capitula disciplinæ frequenter celeb da sunt, saltem semel singulis he domadis.220.221.et inf.
Capitulorũ disciplinæ celebratio qu leges obseruare debeat.220.22 nu.2.3.4.et 5.
Capitulo disciplinæ Canonicũ obiur te, q̃ documẽta correpť Can. ob uare debeat. 221.n.5.et 223.n.
Capitulorũ prouincialiũ, et annua celebratio plurimas cõmoditat adse

Capituli siue annualis, siue prouincia-lis celebrandi formula traditur. p. 262. nu. 8. & 9.

Capitulum prouinciale quo ritu, & lege celebrandum sit. p. 357. 358. et inferius.

Capitulum in singulis, de stat. monac. & Canon. Reg. explicatur. p. 357. & inferius.

Capitulum Prouinciale triennio in triennium celebrandum est, p. 357. nu. 2.

Capituli prouincialis celebrationi interesse tenentur Abbates, Priores, et certi Procuratores. p. 358. n. 2.

Capitula ecclesiarum, & monasteriorum in capitulo prouinciali nō habent vocem definitiuā, & subscribēdi auctoritatem, sed solam facultatem proponēdi querimonias, aut alia vtilia negotia. p. 359. n. 4.

Capituli prouincialis celebratio quot diebus durare debeat. p. 361. nu. 8. & 362. num. 9.

Capituli prouinc. facultas magna ad statuendū, et eius statutorū vis obligatoria. p. 162. n. 10. et, p. 168. num. 6.

Capitulum prouinciale celebrātes tenentur ducere vitam communem, & facere communes expēsas, & locum eligere ad futurū capitulū. p. 363. n. 11. 12. et 13. et p. 368. n. 7.

Capitulum prouinciale tenetur eligere generales Visitatores. p. 363.

Capitulū ecclesiæ, siue monasterij vacantis tenetur mittere procuratorē ad capitulum prouinc. p. 369. n. 8.

Capituli prouincialis celebrandi locus idoneus est eligendus, & quid sit locus idoneus. p. 369. nu. 9. et 10.

Capituli prouincialis personas, seu ipsum capitulum prouinc. impediētes, vel offendētes, quomodo puniēdi sint. p. 370. n. 12. 13. & 14.

Capitulum, ea quæ de stat. mo. explicatur copiosè. p. 372. & 373. & inf.

Carcer aptus, & firmus cōstituēdus est ad custodiendos reos, & flagitiosos. p. 263. nu. 11.

Carceris abusus recensentur. p. 263. nume. 12.

Castitatis voti natura, et obligatio, & pericula, & custodia traduntur. p. 82, 83. 84. & 85.

Castitatem vehementiori studio Augustinus in Regula præcepit contra Choriolani expositionē. p. 618. n. 1.

Castitatē cum Dei auxilio optimè seruare possumus. p. 660. num. 5.

Charitatis elegans encomium. p. 533. num. 4.

Charitatis, & dilectionis Dei præceptum abūdè explicatur. p. 534.

Charitas proximi habet sua incrementa, & gradus. p. 545. n. 6. 7. & 8.

Charitatem proximi tepefacere apud nos non debet corrupta illius vita. pag. 546. num. 9. & 10.

Charitatis proximi defectio quāta mala inducat. p. 547. nu. 11.

Charitas mutua primorum credentiū tpe Apost. explicatur. p. 565. n. 8.

Charitati quattuor tribuunt Geometricas dimensiones. p. 548. nu. 13.

Cellarius, siue œconomus monasterij quibus qualitatibus præditus esse debeat. p. 235. n. 1. & 236.

Cellarij, siue œconomi monasterij officium, et instructio traditur. p. 236. num. 2. 3, & 4.

Cella-

Cellarius, siue œconomus monasterij, quas fraudes, & vitia cauere debeat. p.237.nu.5.& 6.
Claustri, & monasterij custodia, q̃ sit necessaria, explicatur. p.178.n.2.
Claustrum spirituale animæ septem custodijs est custodiẽdũ. p.180. et inf.
Claustri abusiones plures quàm septẽ connumerãtur. p.311. et inferius.
Clerici seculares tanquàm beneficiarij, sint ne admittendi in monasterijs. p.375.n.8.& 376.nu.9.& 10.& inferius.
Chori recta ratio, ritus, & leges. pag. 225.nu.4.5.& 6.
Choriolani opinio affirmans regulam Aug. magis conuenire Eremitis, quàm Can. Reg. refellitur. p.137.nu.12.& 13.
Cognitio suiipsius plurimum conducibilis est. p.443.& inferius.
Cognitio suiipsius, & humilitas magnam cognationem inter se habẽt. p.448.n.9.& 10.& inferius.
Congregationes variæ Canonicorum Reg. referuntur. p.44.& inferius.
Coniuratores, siue conspiratores, qui censendi sint. p.299.nu.1.& infe.
Coniuratorũ pœnæ traduntur. p.299. nu.2.3.& 4.
Cõcordiæ bona natura, pprietas, atq; vis explicãtur. p.553.n.1.2.et 3.
Concordia malorum, quomodo sit dissoluenda. p.557.nu.1.& 2.
Communitas certius, & rectius obseruanda est in victu, quàm in vestitu, pag 688.nu.2.
Communitas edendi, & bibẽdi in eodem refectorio seruãda est. p.633.
Commendatariorũ perpetuorũ in monasterijs origo, et ratio. p.159.n.1.
Commẽdatarij perpetui monasteriorũ multa dãna attulerunt. p.160.n.2.
Cõmendatariorũ ꝑpetuorũ vsus in monast. deploratur. p.160.n.3.& inf.
Commendatariorum perpetuorum in monasterijs iurisdictio curta credi tur, & exigua. p.163.n.7.8.& 9.
Cõmẽdæ ꝑpetuæ in monasterio natura et qualitas explicãtur. p.162.n.6.
Coucilium Aquisgranẽse explicatur. pag.131.nu.6.
Constitutiones Canonicorum Reg. à Bened. Papa. 12. factæ, habentur sequentibus locis. p.64.& 237. de creatione Canonicorum. Item de Canonicorũ professione. p.71.n.1. De victualibus, & alijs ministrandis. p.94.n.7. Item de obtinẽtibus beneficia à Sede Apost. p.155. & de mittendis ad beneficia, & modo conuersandi in eis. p.156.num.2. Et de infirmarijs. p.199.n.1.& de cellis non tenẽdis in dormitorio. p. 201.n.1. et de capitulis quotidianis faciendis. p.220.n.1.& de celebratione missarum. pag. 225.num.2. Item de fictis, & dolosis contractibus. p.237.n.5.& 6.& de studentibus in ecclesijs, vel monasterijs. p. 244.n.1.& de mittendis ad studia generalia. p.246.nu.5. Item quod antiquus Canonicorum numerus teneatur. p.254.n.2.& rursus de fictis, et dolosis cõtractibus p.256. n.5.& de capitulis annualibus faciẽdis. p.259.n.1.& 2.& p.261. Itẽ de criminalibus causis Canon. vbi agitentur. p.264.n.5.& de petenda licentia à volentibus extra

eccle-

ecclesiá, vel monasteriú progredi, vel exire. 280. n. 3. et de fugitiuis, & eiectis. 290. n. 8. et de conspiratorib. 299. n. 3. et de delatorib. 300 n. 7. et de uenatoribus, & armatis. 305. n. 17. et 18. Ité de forma, & honestate habitus, et vestimétorú. 316. nu. 1. et de capitulis prouinc. faciendis. 357. n. 2. et 367. n. 1. et infe. et de prohibiti præbendis non concedendis. 377. n. 11. et de Visitatorib. 378. n. 3. et 379. et de reliquijs, et custodia ornamentorú, et prouisione librorú. 384. n. 13. Ité de registris, et inuentarijs. 386. & de subuétionib. 389. et de collapsis ecclesiis, & monasterijs in Religione. 402. n. 12. et 13. et de abstinentia carniú. 625. nu. 3.

Consuetudo, & capitulorú dispensatio non excusant proprietatis peccatú. pag. 96. nu. 12.

Consuetudo iuri humano non præiudicat, nisi fuerit rationabilis, & legitimè præscripta, & à consensu principis dimanans. 332. nu. 8.

Consuetudo longè aliam rationé habet circa leges naturales, & diuinas, quàm circa humanas. 317. nu. 9.

Consuetudo nulla obest legi naturali, aut diuinæ. 332. nu. 9.

Consuetudo praua in religione, præsertim apud iuuenes religiosos, multorú malorú est cá. 392. n. 14. et if.

Constantia frontis in sancto Stephano, arguit calumniatorum malitiam, & impubentiam. 346. nu. 6.

Contéptores Prælatorú, et legú monasticarú molestissimi sunt omnib. & tráquillit. cõturbatores. 305. n. 1.

Contemptus dictio, plures habet significationes; & variè exponitur à Theologis. 306. nu. 2. & 3.

Contéptorú Prælati, et legú monasticarú reprehésio, et dánatio explicatur. 307. n. 5. et 310. nu. 9. & 12.

Contemptus peccatú committere, quis verè dicatur. 309. nu. 7. & 8.

Contemptú mundi, & omnium, quæ in eo cernuntur, quáta energia Aug. docuerit. 593. nu. 2.

Contemptus mundi, et perfecta cordis abdicatio à mundo, docetur. 593. num. 2. & inferius.

Contemplatiuæ vitæ actio, viris religiosis familiaris est, & accommodata. 472. nu. 1.

Contemplationis exercitatio plures actus continet, sub vno tamen fine. p. 472. nu. 1. & 2.

Contemplationis difficultas, et variæ obstacula, quomodo tollenda sint. p. 473. nu. 3. & 4.

Contemplantibus cur variæ se offerát cogitationes. 475. nu. 5.

Contemplationi planam viam sternút virtutes morales. 475. nu. 6.

Contemplatiuorum uirorum exempla varia referuntur. 476. nu. 7.

Contemplationis actus, siue gradus postremus peculiari ratione nuncupatur contemplatio, quæ cæterorú actuum est finis. 499.

Contemplationum quattuor sunt præcipuæ species. 499. nu. 2.

Contemplatio coniunctá habet ingentem delectationem. 499. n. 3. & 4.

Contéplationis gradus sex enumerantur, ex Laur. Iustiniano. 500. n. 5.

Contemplatio passionis Christi, potissimum

simum locū obtinet in numero contemplationum. p. 501. nu. 1.
Contemplatio passionis Christi copiose tractatur. p. 502. & inferius.
Contemplatio Crucifixi non solam pra xim, sed & speculationem docet. pag. 505. nu. 5.
Contemplatio Crucifixi ostendit, pecca tum q sit abominabile. p. 506. n. 6.
Contēplatiuæ admirationis varia exē pla traduntur. p. 507. & inferius.
Contemplationis exercitatio non arro gātiā, sed humilitatē, & abiectionē suiipsius adfert. p. 510. n. 4. 5. et 6.
Contemplationis natura qualis sit. p. 475. nu. 5.
Contributio communis facienda est ad congregationē cōseruandā. p. 386.
Cōtributionis communis regimen, & dispensatio. 387. & 388.
Contritionis natura, & qualitas explicatur à sacro Conc. Trid. 785. n. 1.
Contritionis, & doloris propter pecca ta cōmissa cōsideratio vtilis. 786. nu. 2. & 3.
Cōtritionis effectus vtilissimus exprimitur. 787. nu. 4.
Cordis significatio, & natura, atque proprietas explicantur. 549. n. 1.
Conualescentes ab ægritudine delicatius tractandi sunt, vt citissime re- excentur. 638. nu. 2.
Correctionis rigor qua ratione adhibi ta misericordia, sit tēperādus. 264.
Correctionis fraternæ primordia tra- ctantur. 664. & 665. & inferius.
Correctio fraterna et exercenda est in ea peccata venialia, quæ sunt dispo sitio ppinqua ad mortale. 665. n. 3.
Correctio fraterna pro loci, & tempo- ris opportunitate differri potest in peccatis iam commissis, neque actu pendentibus. 666. n. 4.
Correctione fraterna secreta prætermissa, An liceat culpam fratris indicare Prælato, vel fratribus, vel in capitulo disciplinæ. 667. nu. 5.
Corrigentes fratrem malitiosa intentione, ad vindictam vel confusionē, acriter carpuntur. 668. nu. 7.
Correctio fraternæ apud Canonicos Reg. ante adhibitionē testiū quandā lenē charitatiuā correctionē coram solo Prælato postulat. 676. nu. 1.
Correctio fraterna coram solo Prælato facta triplicem vtilitatem suppe ditat. 676. nu. 1.
Correctio fraterna in conuincendo fra tre quattuor requirit. 647. num. 2.
Correctio fraterna tria postulat in punitione fratrum. 678. nu. 1.
Correctio fraterna quomodo fieri debeat cū dilectione hominis, & odio vitiorum. 679. nu. 4. & 5.
Correctionis fraternæ præceptum licet graue videatur, quomodo fiat leue. 687. nu. 3.
Correctionis fraternæ præcepta quomodo quidam mortaliter aduersan tur, aut male illud exerceant 683. nu. 5. 6. & 7. & inferius.
Correctionis fraternæ ingens est fructus, præsertim in Religione. 685. num. 9.
Crudelitatis gradus in non procuranda salute proximorū, octo sunt numero. 673. nu. 5.
Cubiturus Canonicus quas res sit præ meditaturus. 203. & inferius.
Cubiturus, & somnum capturus Canonicus

nonicus tres libros prius legat lectione mentali, peruetustum, candidum, & cæruleum. 204.nu.2.
Cubiturus Canonicus quotidianã sui-ipsius examinationẽ faciat. 208.
Custodia rerum communium accuratè habẽda est. 687.n.1. et inferius.

D

Deformatorum Religionis ingeniũ, & cõflictus veritatis, et falsitatis exprimũtur. 329.n.1. & 2.
Deformatorum Ordinis argumenta duodecim adducũtur, & dissoluuntur. 330. & infe. & 336. & infe.
Deformatores Ordinis iniustè reformationem recusant, dicentes, cur potius ab eis, quàm ab alijs sit reformatio inchoanda. 336.nu.1.
Deformationis commoda, & emolumenta cũ Religionis corruptione paruipẽdẽda sunt. 341.nu.19.20. & 21.
Deformatorũ argumenta quædã adducuntur, & soluũtur. 340.n.14.15.
Delitiæ peccatorum fæces habent intolerabilis gustus. 581.nu.1. & 2.
Delitiosi homines non sunt fœlices, aut beati existimandi. 545.n.2. & 3.
Delitiarum amatores, quãta mala insequantur. 583.nu.5. & 6.
Dei dilectio quinq; particularibus rationibus à nobis tenenda, & exercenda est. 534. & 535.
Dei amorem ab sponsa in canticis edocemur. 537.nu.8. & 9.
Dei dilectionis natura, vis, et latitudo explicantur. 538. & 539. & infe.
Deus cur à nobis oretur, et inuocetur, cùm sciat omnia. 614.nu.3.
Deus quomodo à peccatore elongari dicatur. 788.num.5.
Dei aspectum, & scientiam fornicarij fugere non possunt. 658.nu.8.
Deuotionis causæ sunt duplices; intrinsecæ, & extrinsecæ. 481.nu.3.
Differentia inter ordinem antiquum, & simplicẽ Canonicorum Regulariũ; & nouas erectas congregationes eiusdem ordinis. 44. & infe.
Differẽtia inter Canonicos Regulares, & reliquos cuiusuis Ordinis, Monachos, atq; etiam cõuenientia describitur. 119. & inferius.
Difficultates emergentes in capitulo prou. quo dirimẽdæ sint. 365.n.18.
Dilectionis, et charitatis proximi præceptũ latè explicatur. 542. & inf.
Dilectio carnalis qualis sit, & quomodo ab August. dánetur. 724.nu.1.
Dilectio fratris, quando non carnalis, sed spiritualis, & studiosa censebitur. 721.nu.2.
Disciplina quem habeat significatum apud Augustinum, & alios. 744. num.25.
Discordia venenum pestiferum extricatur. 557.nu.2. et 5.
Discordia existentium in monasterio, vnde nascatur, & quomodo repellenda. 553.nu.3. & 4. & 6.
Dissidia potiora circa traditionem regulæ, tractãtur. 135.n.5. & infe.
Dissidia, & opiniones de traditione Regulæ conciliãtur. 139. & inferius.
Dispẽsatio Prælatorum in Regula, & patrum constitutionibus tacita, vel expressa, quanti sit ponderis explicatur. 338.nu.10.
Dispensationis causæ legitimæ enarrantur. 339.nu.11. & 12.

Distributio bonorum cõmunium quat tuor partibus constat.573.num.1.
Diuitum cruciatus in captando somno.212.num.6.& 7.
Doctor, siue prælector Canonicorum studentium in monasterio est consti tuendus, & qua ratione alendus. 244.nu.1.2.3.& 4.
Dormitoriũ commune erigendum, & conseruandum est in domibus Cano nicorũ Reg. 201.n.1.& inferius.
Dormitorij forma, et structura qualis esse debeat.201.nu.1.
Dormitorij leges seruandæ habentur. 201.& 202.num.2.3.4.5.& 6.

E

AEstatis, & hyemis descriptio, & discrimen.648.nu.5.& 6.
Ecclesiæ cathedrales ordinis Canonicorũ Regulariũ referũtur.126.n.10.
Edacitas multorũ malorũ causa est, ob idq; vitanda.190.& inferius.
Edacitatis, & voracitatis remedia proponuntur.193.nu.6.& inferius.
Electionis Canonicorũ tẽpore documẽta necessaria obseruãda.59.& inf.
Electionis faciendæ duo modi diuersi; præmonitiones, & abusus, & pretia, explicãtur.66.n.3.et inferius.
Episcoporum habitus cãdidi ratio, & institutio explicantur.57.& infe.
Episcopi nec sunt Canonici Regulares, nec Religionis professionem emittunt.57.& inferius.
Episcoporum ius, quomodo saluum sit conseruãdum in visitationibus, & correctionibus, et alijs quibusdam. 358.nu.3.& 364.nu.16.
Episcopi monasteria sibi subiecta studeant reformare.365.nu.19.
Episcopi qua ratione teneãtur adiuuare, & defendere monasteria tam in personis, quàm in rebus.366.num. 20.& 21.& 374.nu.15.
Erasmi opinio, & censura de authore Regulæ Canonicorum refellitur, et damnatur.41.& inferius.
Excitare debemus animas fratrũ dormientes.465.nu.2.& inferius.
Excitationes animarũ variæ traduntur.465.& inferius.
Exire à monasterio non licet Canonico, absque legitima licentia citra pœnas condignas.280.nu.1.& 2. & 281.& 282.
Exeundi à monasterio ratio obseruanda.282.nu.5.6.& inferius.
Exeundi à monasterio documenta seruanda.284.nu.12.
Exeundi à monasterio frequentia, quãta mala, & pericula Canonico inuehat.285.nu.15.
Exercitatio rerum externarum sine prudentia, & moderatione solet effrenare animum, & linguam Religiosi.325.nu.11.
Exempla operũ quò magis moueant, q̃ præcepta, & verba.635.nu.10.
Exẽpla bonorũ virorũ quãtũ moueãt animos hominum.758.num.8.

F

FOEliciores sunt qui in sustinenda parcitate fortiores habentur, quã qui delicatius propter imbecillitatem nutriuntur.640.nu.5.
Fœminarum aspectus tres habet occasiones.655.nu.4.
Fœminarum aspectus quanta mala homini adueheat.654.nu.2.
Fœminarum familiaritatem non relin

quentes,

quentes, frequenter admoniti, magnã de se suspitionẽ pbẽt. 668. n. 6.
Fornicarij & si credunt, se non videri videntur tamen, & facile deprehẽduntur. 657. nu. 7.
Fornicatio ex sacris litteris quàm sit graue peccatum. 659. nu. 1. & 2.
Fornicatio quam habeat pœnam. 660. num. 3.
Fornicationis occasiones quàm sint fugiendæ. 660. nu. 4.
Fornicationis fugiendæ documenta quædam traduntur. 661. 662. & 663.
Fraudes, quæ in electione Canonicorũ committi solent. 66. nu. 2.
Fratrum triplex est genus. 590. n. 7.
Fugitiuorum, & eiectorum gubernatio traditur. 289. nu. 6. 7. & 8.

G

Genus hominum: cur ferè nullum est, quòd non aliquid dedecoris habeat. 600. nu. 3.
Gilbertus Abbas S. Ruffi, expositor regulæ Augustinianæ citatur. 610. num. 2.
Gratias agendi ardens diui Pauli studium imitatur August. 781. nu. 1.
Gratiæ sunt Deo agendæ, non solùm propter remissa peccata, sed quòd à multis nos vitijs præseruat. 782. num. 2.
Gratiarum actionis Deo exhibendæ multiplex est ratio. 783. nu. 3.
Gratiarum actio duplicem dolorem in nobis vtiliter suscitat. 783. nu. 4.
Gratiarũ actioni accommodatissimus est Psalmus 22. p. 784. nu. 5.
Gregorius magnus totus formidine corripiebatur, cum animarũ onus sibi impositũ cõsiderabat. 735. n. 9.
Gregorij documenta pastoralia penè diuina sunt. 737. nu. 12.
Gulæ, & ebrietatis deformitates, & mala explicãtur. 734. nu. 7. & 8.
Gulæ, & ingluuiei tria sunt genera. 627. nu. 8.

H

Habitare fratres in vnum, quàm sit bonum, & iucundũ. 552. n. 6.
Habitus candidi Canonicorum regularium ratio, significatio, & institutio; item differẽtia, et varietas explicantur. 51. & inferius.
Habitus candidi Episcoporum ratio, & institutio explicatur. 57. et inf.
Habitus Religionis non est deponendus, aut occultãdus. 295. n. 1. et 2.
Habitum religionis in quibus casibus liceat deponere, aut occultare. 296. nu. 3. & 298. nu. 6.
Habitum Religionis deponẽtium, aut occultantium pœna. 296. n. 4. et 5.
Henricus Gandauensis refellitur, opinans omnia contenta in Regula cadere sub præcepto. 522. n. 3. & 4.
Hypocrisis spirituali pulchritudini animæ, & virtutũ ornatui ex diametro aduersatur. 769. nu. 1.
Hypocrisis quid sit, quamq; graue sit peccatum mortale. 770. n. 2. & 3.
Hypocrisis cognoscendæ tres Regulæ statuuntur. 771. nu. 4.
Hypocrisim, & fucum maximè detestatur Christus. 772. num. 5. & 6.
Hypocrisim derident Diogenes, & alij Ethnici. 772. nu. 7.
Hypocrita quid significet, quidq; sit, & quibus rebus comparetur. 770. num. 1.
Hypocritæ sint ne censendi, qui pro

bonis Christianis reputari volút in publico, etiam si aliquando peccent 771.nu.4.
Hypocritæ an sint tenentes habitum sanctitatis, & meritum perfectionis non exequentes.773.nu.8.
Hom ines fideles cur luminaria appellentur.673.nu.4.
Homines tria solent à malo retrahere; amor, pudor, & timor.677.nu.3.
Hominis difficilis ad veniá petédam, vel concedendam ingenium beoticum exprimitur.709.nu.5.
Homicidij genus triplex est. 704.nu. 2.3.& 4.
Honestas, & decorum in ambulando, stando, & in omnibus motibus custodiatur.641.nu.1.& 2.& 643. nu.3.& 4.
Hospitalia Canonicorum Reg.in titulum conferri possunt. 164.num.1.
Hospitalariorum vitia, atque virtutes referuntur.165.nu.2.& 3.
Hospitalarij regulares qua rõne sint exempti.165.nu.4.
Hospitalariorú leges obligatoriæ, documenta, & munus explicantur. 166.nu.6.7.& inferius.
Hospitalitas quàm sit cõplectenda, & qua ratione tractanda. 216.nu.1.
Hospitalitatis abusus quattuor sunt vitandi 217.nu.2.& 218.& inf.
Hospites qua humanitate, & lege sint tractandi.216.& inferius.
Hospitij domus erigenda est in monasterijs Canonicorum. 219.num.6.
Humilitas in erigéda monastice præcipuum obtinet locum. 586.nu.1.
Humilitatis profectio super tria sedilia conquiescit.586.num.2.
Humilitatis tractationem quinq; præceptiunculis Augustinus absoluit. 587.nu.3.et 588.& inferius.
Humilitate reiecta, cetera corruunt. 605.nu.1.
Humilitas fundamentum, & culmen bonorum omnium, & diadema decoris.605.nu.1.
Humilitas miris laudibus à Basilio effertur, & celebratur.606.num.2. & inferius.
Humilitas est vera Christi imitatio, cunctarum virtutum origo, & caput &c. 606.& 607.
Humilitatis comparandæ vtilissima via traditur. 608.nu.9.

I

Ianuarius Canonicus testamentum condidit, et proprietarius moritur, ab Augustinoq; reprobatur. 136. num.4.
Ianuæ custodiá Aristoteles, & Concilió Aquisgranense, & recta gubernationis ratio pceperunt.177.n.1.
Ianuæ monasterij incustoditæ abusus explicátur.179.et 180.n.4.5.et 6.
Ianitoris probi munus, & instructio docentur.178.nu.3.& 4.
Ieiunare nõ valétibus documéta quæ-dá seruáda traduntur.626.nu.5.
Imaginationes nostræ indomitæ in oratione qúo refrenandæ.478.nu.2.
Imbecilitas humanarú viriú ad obseruantiam Religionis non est tanta, quátam existimant Religionis deformatores. 330.nu.3.4.& 5.
Ignorantia suiipsius quantam perniciem homini inuehit. 447.num.8.
Ignorantia eorum, quæ ad statú vniuscuiusq; pertinent, quàm sit periculosa.

dosi. 274. num. 2. & 3.
Inconstantia, & mutabilitas quorundã religiosorum taxatur. 118. n. 5.
Infirmorum cura in monasterijs necessaria est, & ad proximi charitatem plurimum spectat. 195. nu. 1.
Infirmatorium in monasterijs Canonicorum Reg. erigendum est, & construendum. 195. nu. 1. 2. & 3.
Infirmorum tractatio, & ipse infirmarius, siue infirmorũ præfectus quales esse debeant. 197. & inferius.
Infirmus qua ratione se gerere debeat, tàm in ægritudine, quàm in cõualescentia. 198. n. 3. 4. 5. & inferius.
Infirmitatis et ægritudinis causæ quænam esse soleant. 200. nu. 6.
Infirmi parciori, moderatioriq; cibo sunt nutriendi. 638. nu. 1.
Infirmi quattuor rebus vt plurimum indigent. 696. nu. 1. 2. & inferius.
Incorrigibilitas difficilè emendatur. 273. nu. 1. 2. & 3.
Incorrigibilitatem ipsam etiam Prælatus insectari, et emendare nõ desinet. 274. nu. 4.
Incorrigibilitatis species quattuor 274. nu. 5.
Incorrigibilis quis vere sit, & diffiniatur. 275. nu. 6.
Incorrigibilitatis maxima grauitas explicatur. 275. nu. 7.
Incorrigibilis sit ne foris extra monasteriũ relinquẽdus. 276. n. 8. & 9.
Incorrigibilis qua sit ratione tractandus ex Basilij decreto, & ex aliorũ sententia. 277. nu. 10. & 11.
Incorrigibilis à monasterio expulsus, sit ne tutus in cõsciẽtia. 278. n. 12.
Incorrigibiles vitandi sunt, et fugiẽdi ob eorum contagionẽ. 278. nn. 13.
Incorrigibilis an sit aliquis, & simpliciter obstinatus in hac præsenti vita. 279. nu. 14.
Incorrigibilitatem crimen esse grauissimum docetur. 679. nu. 3.
Iniuriarum remissio à Deo tradita, per se luculẽta est, & facilis intellectu. 713. nu. 1.
Iniuriarum remissio quattuor modis fieri potest. 714. nu. 2. & 3.
Iniuriarum remissio est opus præstantissimum, in quo maximè nos exercere conuenit. 715. nu. 4.
Iniuriarum remissio maximas vtilitates nobis largitur. 715. n. 4. & 6.
Iniuriarum remissio facilè comparatur ex meditatione exemplorum Christi, & ex racordatione diei iudicij. 716. nu. 6.
Ira qua ratione homicidium esse dicatur, exprimitur. 704. nu. 1. & 2.
Iram, odium, & contumeliam quàm lõgè abesse à Christiani animo Christus voluerit. 705. n. 5. 6. & infer.
Ira prælati perniciosa est, et valdè formidanda. 743. nu. 24.
Irascentium hominum cum culpa tres sunt differentiæ. 709. nu. 4.
Inquieti homines, qui sint iudicandi. 739. nu. 17. & 740. nu. 18.
Iudicij extremi longa, & vtilis consideratio. 488. & 486. & inferius.

L

Lectio habenda in refectorio tam in prandio, quàm in cœna. 185. nu. 2. & 3. & inferius.
Lectio sacrarum doctrinarum exercitio contemplationis est necessaria. 477. nu. 1.

Lectio non quorumcumque, sed electorum librorum est contemplationi necessaria.478.nu.3.4.& 5.
Lectio mensæ assidentibus quam adferat vtilitatem.632.nu.1.
Lectio frequens diuinæ scripturæ, & sanctarum doctrinarum nobis plurimum commendatur.697.nu.1.
Lectio librorum viro religioso sit crebra, & familiaris; non omnis, sed spiritualis.699.nu.1.& 2.
Lectioni succedat oratio, quam Augustinus præcepit, de codicũ vsu agẽs. 699.num.1.
Lectio si vtilitatẽ est allatura, quinq; leges obseruare debet.700.num.3.
Lectioni commiscenda est meditatio. 701.num.8.
Leges humanæ quibus verbis exprimere soleant obligationem peccati mortalis.526.& inferius.
Linguæ vulnus, graue admodum est. 708.num.2.
Lites Canonicorum Reg. qua ratione tractandæ, dirimendæ, & finiendæ sint.264.nu.6.7.& 8.
Litium Canonicorũ declaratio, & pronunciatio nõ lõgè differatur à Prælato post agnitã veritatẽ.265.n.9.
Litibus, et dissidijs impliciti Religiosi, à longe à Xpo absint.262.num.1.
Lites & dissidia relinquere, longa oratione admonentur Canonici Reg. 262.& 263.& inferius.
Lites ex tribus malis oriri solẽt.702. num.1.& 2.
Litium celerrimam breuitatem Augustinus præcipit.703.nu.2.
Litigantium cruciatus, & anxietates recensentur.265.nu.9.
Litigantium damna, & incommoditates.268.nu.5.6.7.& inferius.
Litigationis, & dissidij remedium est animi mansuetudo.272.num.13.

M

Magister nouiciorum Canonicorum creãdus est in singulis monasterijs.238.& inferius.
Magister nouiciorum, quas leges sit obseruaturus in instruendis nouicijs.239.nu.1.2.& 3.
Mala, quæ impij homines aduersus alios excogitãt, in ipsos solẽt recidere auctores.709.nu.6.7.& infer.
Meditatio est secundus contemplationis gradus, siue actus, & quæ, qualisque illa sit.480.nu.1.
Meditatio initium est vitæ in meliora commutandæ.481.nu.2.
Meditationis maxima vis explicatur.481.nu.3.
Meditationum varij modi traduntur. 482.num.4.
Meditatio mortis vtilissima est, nec fugienda ob tristitiam.483.nu.1.
Meditationis mortis multi sunt fructus.485.nu.4.
Meditatio extremi iudicij plures continet vtilitates, præsertim in initio conuersionis.486.& inferius.
Meditatio Paradisi cælestis alacritatẽ adfert contẽplãtibus, eiusq; grãdia, & copiosa gaudia.491.et inferius.
Meditatio iucundam reddit vitam, & maximam in tribulatione præstat consolationem.586.nu.1.
Meditationis exercitatio viris Religiosis quotidiana esse debet; nec Religiosi, aut spiritualis nomine dignus est, qui saltẽ semel in die ad medita-

tionem non se transfert. 482. n. 3.
Meditandi mortem in cadauere ante oculos posito egregia methodus. 484. nu. 2. & 3.
Mensarum Prælati, & capituli diuisiones explicátur. 108. 109. et inf.
Monasteria etiam tenentur præcepto eleemosinarum. 167. nu. 10.
Monasterij tranquillitas duobus medijs reparatur. 708. nu. 1.
Monasteriú é ipsis Religiosis quasi carcer, et sicut piscib. aqua. 180. nu. 6.
Monasterium est domus luctus, & lachrymarum sedes ex Chrysostomo, & qua de causa. 108. nu. 6.
Monasteriorum reformatio est præcipuus scopus congregationis, Præsidum, & Visitatorum. 389. nu. 1.
Monastices primariæ partes quænam sint. 560. nu. 1. & 3.
Monastica vitæ scopus, et ratio describuntur. 3. nu. 7.
Monastica, siue regularis vitæ plurimæ sunt commoditates. 3. n. 8.
Monasticæ exercitationis cópēdiolú á Basilio traditú, refertur. 319. n. 1.
Monasticá exercitationis recta methodus, quoad colloquia, & consuetudines traditur. 321. nu. 2. & 5.
Monasticæ exercitationis documenta quo ad opera traduntur. 321. nu. 3. 4. & 7. & 8. & inferius.
Monasticæ exercitationis legitimus vsus quoad officia iniuncta habetur. 323. nu. 6.
Monastica exercitatio, et continua pugna aduersus dæmones explicantur. 326. & 327.
Monastica Religio Regiam dignitaté, quot spiritualibus gradibus antecellat. 436. & inferius.
Moniales, siue sacræ virgines officiá diuina celebrátes, quàm magnum meritum apud Deum sibi, & alijs acquirant. 234. nu. 9.
Monialium monasteria etiam subijciuntur capitulorum prouincialiú statutis, & visitatorib. 377. n. 12.
Mors an censenda sit bonum morale, aut malum, explicatur. 173. n. 13.
Mors, lege in verbo Meditatio; & in verbo Testamentum; & in verbo Cognitio suiipsius.
Mulierculárum famulatus, vel ministerium non est admittendú in monasterijs. 83. nu. 4. & inferius.
Muliercularum colloquia á Religiosis vitanda. 84. n. 8. et 9. & inferius.
Murmurationis, contentionis, ac demú linguæ vitia stringuntur. 692. 693. & inferius.
Murmuratores duræ ceruicis sunt homines. 694. nu. 7.

N

Negotiorum secularium pertractatio Canonicis Reg. interdicitur. 113. & inferius.
Negotiorum secularium implicatio, est proles, & assecla vitij proprietatis. 113. num. 1.
Negotiorum secularium tractatio Canonicis Regularibus aliquando licita esse potest, si quattuor conditiones obseruentur. 113. n. 1. & 2.
Nobilitate generis non esse gloriandum Christus docuit. 599. n. 1.
Nobilitatis contemptum egregiè docuit Chrysostomus. 599. nu. 2.
Nobilitas ficta, quænam sit, explicatur. 600. nu. 4.

Nobilitas vera, et Christiana explicatur. 601. nu. 5.
Nobiles illi, quorũ vita à virtutibus aliena est, cur stomachẽtur, si audiant, nobilitatem verãm à virtute primum deriuari. 602. nu. 6. & 7.
Non omnia contenta in regula obligent sub peccato mortali. 521. nu. 2. & inferius.
Nouicius Canonicus quas leges sit obseruaturus, vt rectè instruatur. 239. nu. 3. 4. & 5. & 240. n. 6. 7.
Nouicii Canonici, et loco, et cõuersatione ab aliis separãdi sũt. 242. nu. 9.
Nouicius Canonic. quib. admonitis se ꝓmunire debeat ad Religionẽ rectè consequendã. 242. nu. 10. 11. et 12.

O

Obediẽtia regularis inter tria Religionis vota primatũ obtinet, & reliqua duo in se cõtinet. 77. nu. 1.
Obediẽtia regulari Religiosus suã voluntatẽ, et libertatẽ reponit, tanquã in arca, in sinu sui prælati. 77. n. 2.
Obedientiæ regularis vis, amplitudo, extensio, obligatio, atque potestas explicantur. 78. nu. 3. & inferius.
Obediẽtiæ regularis laus, et utilitas explicatur. 79. n. 6. et 80, 87. & inf.
Obedientia regularis qua ratione dicatur libera, exprimitur. 723. nu. 1.
Obediẽtia Prælati instãte, ꝑtermittẽda sunt oratio, lectio, corporis quies, et alia huiusmodi opera. 326. nu. 12.
Obediẽtia regularis monasticarũ virtutum potissima, & præstantissima est. 722. nu. 1.
Obedientia regularis, breuis cantiuncula est, sed longũ habet epiphonema. 722. nu. 1.
Obedientia, quæ fœlicitatis mater est, præclaras habet dotes, & prærogatiuas. 723. nu. 1.
Obediẽtiæ plures gradus, et differẽtiæ constituuntur à Bernardo. 729. nu. 21.
Obedientiæ vim quandam eximiam, & specialem merendi attribuit sacra scriptura. 725. nu. 3.
Obedientia in viris præstantissimis claruisse legitur. 725. nu. 4.
Obedientia signis, & miraculis claret. 728. nu. 5.
Obedientiæ magna vis est ad cæteras virtutes adipiscendas. 727. nu. 6.
Obseruãtia virtus, quæ Prælatis debetur, explicatur. 309. nu. 9. & 310. nu. 10, & 11.
Oculorum custodia quanto studio sit curanda ad seruandam castitatem. 659. nu. 1. & inferius.
Oculos dicitur quispiam figere tripliciter. 654. nu. 3.
Oculus fit impudicus sex modis. 656. num. 5.
Oculorum impudicitia, cur impudicitiam animæ ostendat, ex physiognomicorum iudicio. 656. nu. 6.
Oculorum disciplina seruãda est, amanti castitatem. 661. nu. 6.
Occultæ epistolæ, et munuscula cur ab Augustino repellantur. 680. nu. 1.
Occultatio rerum donatarum maximè damnatur ab Aug. 689. nu. 6.
Odorem bonorum operũ, laudamque existimationis in nobis desiderat Augustinus. 767. nu. 5.
Officiorum diuinorũ in cõi celebratio quãti faciẽda sit, quãtaq; cura persoluẽda, & sub quanta obligatione præcipiatur, 224. 225. & infer.

Officiorũ diuinorũ,& laudũ diuinarũ celebratio,& decantatio quãta animæ puritate, attẽtione,& reuerentia exercendæ sint.228.& 229.

Officia diuina ritè celebrantes, quantã adipiscantur dignitatem, & honorem. 231.n.5.& 232.nu.6.& 7.

Officia diuina sacra virgines celebrantes quantũ meriti apud Deum acquirant.234.num.9.

Officiales monasteriorum singulis annis reddant sumptuum, & receptorum cõputationes, siue ratiocinia. 256.num.4.

Opinio statuens quendam truncatum ordinem Canonicorũ Reg.cathedralium refellitur. 129.& inferius.

Oratio mẽtalis, et cõtẽplatio quã rõne exercitandæ sint in choro post diuina officia celebrata. 227.num.7.

Oratio mentalis est tertius cõtẽplationis actus et gradus.Itẽ quid illa sit, et quæ eius functio.493.n.1.& 2.

Orationis mentalis modus varius traditur.494. nu.3.& inferius.

Orationis dominicæ breuis contemplatio.496.nu.5.6.& inferius.

Orationis & humilitatis cognatio explicatur.609.nu.1.

Oratio viro religioso maximè necessaria.609.num.1.

Orationis recti vsus, atque exercitij quattuor præcepta Augustinus tradit.609.610.& inferius.

Orationũ horis constitutis factarũ maxima vtilitas enarratur.610.n.2.

Orationes vsu, & auctoritate maiorũ receptæ,sũt admittẽdæ.611.n.6.7.

Orationis admirãdæ laudes,& vtilitates enarrãtur.612.613.et 615.n.4

Orationis ariditas unde quibusdã proueniat.618.nu.11.

Orationis rectæ methodus à Xpo tradita,fusè explicatur.618.n.1.2.et 3.

Oratio non frigida, non tepida, sed efferuescens sit.620.nu.6.

Orationis fructuosæ multiplices sunt species.621.nu.7.

Oratio Christianorum qualis esse debeat ex Theophylacto.622.nu.9.

Orationum reciprocarum maxima necessitas,et utilitas.622.n.10 et 11.

Oratio, carnis maceratione plurimum iuuatur.623.nu.1.

Oratio custodire,& cõtegere debet ea, quæ ex lectione,aut concione in corde seminata fuere.764.num.1.

Orantes id versent corde,quod ore proferunt.611.nu.4.

Orandi vtilis ratio octo documẽta continet.615.616.& 617.

Oratorij loco nisi orandum,nihil aliud agendum.610.nu 3.

Oraturus,suam infirmitatem, & indigentiam cognoscat. 619.nu.4.

Ordinis nomen plures habet significatus.2.num.2.

Ordinis status,quis,et qualis sit,eiusq; finis.1.nu.2.& inferius.

Ordo Canonicorum Regularium plurimos habuit summos Põtifices Romanos.20.& inferius.

P

PAlatia principum frequentare Religiosis non conuenit, nisi certis de causis.114.nu.6.& 7.

Parsimoniæ definitio, & proprietas explicantur.578.nu.1.

Parsimoniã licet sanctã, tria mala in monasterijs corrũpunt. 579.nu.3

Parsimonia eorum, qui Deo, non mundo seruiebāt, quāta fuerit, et quàm egregia. 579. nu. 4.
Patiētia magnū Dei donū ē. 759. n. 1.
Patiētia qd sit, & ob q vtilitatē cōsti tuatur in numero uirtutū. 759. n. 1
Patiētia triplex est gradus. 760. n. 2.
Patientia mutua se tolerare debent, et confouere Prælatus, & subditi. 760. num. 3.
Patiētiæ vis monasticæ Religionis fructus maturescere facit. 761. nu. 4.
Patientiæ encomium à Cypriano prolatum. 761. nu. 5.
Patiētiæ egregiū concionatorē, & magistrum se Xps præstitit. 762. n. 7.
Patientia in Religioso vnde nascatur, & quæ operetur. 762. nu. 7.
Patientia sanctorum quantum nobis conducere possit. 762.
Patientiæ retinendæ à Prælato, tria esse solent impedimēta. 743. n. 24.
Pauperes suauius dormiunt, quam diuites. 212. nu. 6.
Paupertas volūtaria est fundamentū, et instrumētū ad perfectionē charitatis acquirendam. 86. nu. 1. & 2.
Paupertati Religionis non repugnat habere res in cōmuni, siue mobiles, siue immobiles. 86. nu. 3. & infer.
Paupertatis Religiosorum triplex est gradus. 86. nu. 4.
Paupertati Religionis repugnat proprietas singulorum, ex Basilio. 87. nu. 6. & inferius.
Paupertatis multæ sūt spēs. 566. n. 1.
Paupertatis euangelicæ fundamentū, et origo traditur. 566. 567. et inf.
Paupertatis monasticæ magnitudo, et rō pfectionis explicātur. 570. n. 2.
Paupertatis monasticæ laudes, & excellentiæ explicātur. 569. & infer.
Pax qd sit, et q utilis sit. 555. n. 4. et 5
Peccatū mortale suo quodā modo infinitū est, quandamq; rationē infinitatis ex termino habet. 790. nu. 8.
Peccatum quibus de causis vulnus ab Aug. nūcupetur, et aliquādo in corde putrescere dicatur. 671. nu. 14.
Peccati remedium. 790. nu. 7.
Peccata fraternæ correctioni obnoxia multiplicia sunt. 667. nu. 5.
Peccatū mortale quantas calamitates homini inferat. 788. num. 5. & 6.
Personæ propinquæ, quomodo propter Christum relinquantur. 603. nu. 8.
Persona Clerici, & persona Monachi qua ratione differant, explicatur. 39. & inferius.
Perfectio tam vitæ Christianæ, quàm vitæ regularis, & monasticæ explicatur. 68. 69. 70. & inferius.
Pœnitudinem peccatorum à nobis esse curandam diligenter, docet Augustinus. 785. nu. 1.
Portiones panis, vini, tritici, ordei, pecuniarū, vestiarij, & cæterarū rerū diuisæ, & particulariter assignatæ singulis Canonicis Reg. reprobātur. 89. nu. 1. & 94. nu. 7. 8. & 9. & 98. nu. 1. et 101. nu. 9. et 687. n. 2.
Potentiæ diuinæ, & operum Dei considerationes vehementer excitant animas dormientes. 469. & infer.
Prauitatum genera quattuor contingere possunt in gubernaculo ecclesiastico: cupiditas, timor, amor, & odium. 757. nu. 7.
Præcepti vocabulum, quam habeat propriam significationem. 522. nu. 4.

num.4.& 514.num.8.
Præcepta regulæ à consilijs, & exhortationibus qua ratione dignoscantur. 525.nu.9.
Prælatus etiã à senioribus domus modestè admonendus, & obiurgandus est, si opus fuerit. 223.nu.6.
Prælatorum Canonici ordinis munus grauissimũ, & difficillimũ est, magnasq; uirtutes exquirẽs. 250.n.1.
Prælati boni, & recti qualitates copiosè explicãtur. 250.& 251.& inf.
Prælati præsentia in monasterio est necessaria. 254.nu.1.
Prælatus accuratè uigilet in dignoscẽdis fictis, et dolosis cõtractibus, qui plerunque ab officialibus monasterijs fiunt. 256.nu.5.& 257.n.6.
Prælati tenentur patrimonium, & bona suæ ecclesiæ repetere ab iniquis possessoribus, & illæsa conseruare. 258.nu.7.
Prælatus nonnunquam cibum sumat in refectorio cum reliquis Canonicis. 258.nu.8.
Prælati ex bonis sui monasterij non ditent propinquos, vel amicos suos: nec fastuosum famulitiũ alant, nec splendidã domũ ædificẽt. 259.n.9.
Prælatũ contemnere, siue vt prælatũ, siue vt priuatam personã peccatum mortale est. 307.n.4.& 309.n.6.
Prælatorum animi, & voluntates iniquo sensu, à quibusdã subditis intelliguntur. 333.num. 10.& 334.14.& 15.
Prælatis etiam corruptis, & malis, reformationem exequentibus subditi regulares obtemperare tenentur. 333.num. 11.& 12.
Prælatorum malorum tres sunt species. 334.nu.13.
Prælati innumeris periculis, & magnis aduersitatibus, obmurmurationibus, calumnijs, & accusationibus sunt expositi. 343.num.1.
Prælatum aduersa pati non semper est virtutis, nã multis modis illud contingit. 344.num.2.
Prælatus æquo animo calumniatorẽ ferat. 418.num.3.
Prælati varijs impiorum armis impetuntur. 345.num.4.
Prælatus curet habere animum bene sibi conscium aduersus calumniatores. 346.num.5.& 6.
Prælatus bonus sibi persuadeat nihil ita magnificum esse, quod nõ sit expositum inuidentiæ, & calumniæ multorum. 347.num.7.
Prælatus probus licet versetur in statu periculoso, amplissimam tamen gloriæ coronam, si rectè se gesserit, est recepturus in cœlis. 348.nu.8.
Prælatorum arma aduersus calumnias, & aduersitates enumerãtur, 348.num.8.
Prælatus Herodis exẽplo in audienda veritate erudiri poterit. 350.n.5.
Prælati quot euectiones, siue equitaturas, & personas ad capitulum prouinciale secũ adferre possint. 360.nu.5.& 369.nu.11.
Prælatus, si non facit quantum potest sine magno scandalo, vt viuatur in communi, non est in statu tuto. Similiter subditi dictæ communitati resistentes &c. videntur esse in malo statu. 391.nu.7.
Prælati, aut capitulum prouinciale dispensare

spensare non possunt in substantialibus Religionis. 592.*nu.*14.
*Prælatis nō est detrahēdū.*412.*et inf.*
Prælatorum verba magnam vim, efficaciamq; habent. 414.*n.*6.*&* 7.
Prælatis citra moram est obediēdum. 414.*n.*8.*&* 9.*& inferius.*
*Prælatus non facilè credat susurronibus,& delatoribus.*417.*num.*1.
*Prælatus æquo animo ferat murmurationes aduersum se.*418.*num.*5. *&* 420.*nu.*8.*& inferius.*
Prælatus durioribus verbis vsus in corrigendo subditos, non tenetur ab eis veniam petere. 718.*num.*1.
Prælatus durioribus verbis in corrigēdo subditos vtens, tripliciter excedere potest. 718.*num.*1.
Prælatorum intempestiua, immodicaq; humilitas increpatur ab Augustino. 719.*num.*2.
Prælatus aliquando duris verbis pōt iure vti in subditos. 719.*num.* 3.
Prælatos Augustinus commonefacit, & obstringit, vt regulæ præcepta exequutioni tradant. 728.*num.*1.
*Prælati regularē plurib. & optimis legibus August. instituit.*730.*n.*1.
*Prælatus libidinem,& superbiā domināndi fugiat.*730.*et* 731.*n.*1.2.*et* 3
Prælatus honore quidē colēdus est, sed in aīo suo subditorū pedibus substerni debet. 731.*nu.*4.*&* 733.*nu.*8.
*Prælati intelliguntur etiā in præcepto de honorādis parentibus.*733.*n.*5.
*Prælati erga subditos modestiā, et subditorū in Prælatū uenerationē, præcipit Augustinus.*733.*nu.*6.*&* 7.
Prælatis præceptū iniunctū de pbēdo i plebi suo exēplo. 735.*n.*10.11.
Prælati exemplum quale esse de beat. 737.*num.*13.
*Prælatus corripiat inquietos, et quinā dicantur inquieti.*738.*nu.*14.15.
*Prælatus segnis, et tardus homini dormiēti assimilatur ab Isydoro, ex cuius manu baculus Pastoralis excidit.*739.*num.*16.
Prælatus suscipiat infirmos, et varias huius generis infirmitates. 742. *num.*23.
*Prælatus qua ratione disciplinā exercere debeat, & austeritatem retinere.*744.*nu.*25.
*Prælatus à subditis magis amari, quā timeri optet, quamuis vtrumq; sit necessarium.*744.*num.*26.
*Prælati timor necessarius est in subditis.*745.*nu.* 27.
Prælatus ut à suo grege timeatur, tria cum documenta adiuuare poterūt. 746.*num.*28.*&* 29.
*Prælatus suorum subditorum est ciuitas, anima, radix, vita, facies, caput.*747.*nu.*1.
*Prælatus in suo obeūdo munere duas uirtutes cōiūgere nitatur; misericordiā videlicet, & iustitiā.*748.*n.*2.
*Prælatus in medio subditorum cōuersari studeat, quasi pater, dominus, & pastor.*749.*nu.*3.*&* 4.
Prælatus nihil sibi pponat impiū, aut iniustū, vt illud impleat. 750.*n.*5.
Prælato iusto uiri boni adhærebūt, iniusti verò elongabuntur. 750.*n.*6.
Prælatus cū superbis, & prauis familiarē vitā non ducat; & quos familiares sibi debeat eligere. 751.*n.*7.
Prælatus prudēs sui gubernaculi fœlices successus discat à mercatore, imperatore,

peratore, agricola, & nauta. 752. num. 8.
Prælati nō sunt eligēdi prece, aut pretio, & ambitione. 752. n. 9. et 10.
Prælati rari sunt, q habeāt fortitudinem, constantiam, & animi magnitudinem contra vitia, & peccata. p. 763. nu. 10. 11. & 12.
Prælatorū vtilia instrumenta referūtur. p. 753. n. 11. & 754. n. 12.
Prælatus inter collegas in consulendo, & agendo, teneat animum liberum, & pro veritate semper intrepidum. p. 758. nu. 9.
Prælatus dū alios regit, gubernationē suijpsius nō prætermittat, nec obliuioni tradat. p. 759. nu. 10.
Præparatoria nonē, ad futurā reformationem. p. 399. 400. & inf.
Præsidentes capitulorū prouincialiū quā pōtatē habeant. 368. n. 4. & 5
Præsidentium electio, et duratio. pag. 369. nu. 10.
Presbyter, & Præpositus quid apud Augustinū significent. p. 678. n. 2.
Prandendi hora varia, assignantur ieiunantibus. p. 628. nu. 8.
Prior, lege in verbo Abbas, et in verbo Prælatus.
Professio trium votorum Religionis, Religionisq; intima natura docetur. p. 686. & infer.
Professionis regularis definitio, & natura. p. 72. nu. 3.
Professio regularis expressa, & tacita qd sint, & quo differāt. 72. n. 3.
Professio tacita lites, et iurgia adferre solet monasterijs, qua proinde Prælatus raro vtatur. 72. num. 4. & 73.
Professio expressa quibus, & quam varijs modis fieri debeat, & possit 73. nu. 6. & 7. & infer.
Professio facta post ū obedientiæ secundū regulā approbatā, facit integrā, et cōpletā triū votorū obligationem. 73. nu. 6. 7. et 74. nu. 8.
Professionis cōtrouersiæ, et dubitationes dissoluūtur. 75. n. 10. & 11.
Propriū quid sit explicatur. 103. n. 3.
Proprietas Canonicis Reg. ex varijs locis regulæ Augustini prohibetur. 89. n. 1. & infer.
Proprietas Can. Reg. ex varijs locis iuris Can. interdicitur. 93. & inf.
Proprietatis occasio est humanus timor deficiendi in necessarijs tēpore ægritudinis, & senectutis, et in adiuncta amicorū. 90. n. 3. et 97. n. 15.
Proprietas particularis falso asseritur vtilior esse bonis monasterij, q communitas vitæ obseruata. 97. n. 16
Proprietas Canonicorū Reg. reprobatur à recentioribus Concilijs prouincialibus. 98. & infe.
Proprietatis peccatū nō excusat cōsuetudo, uel capitulorū, aut Prælatorū dispēsatio. 96. n. 12. et 104. 5. et inf.
Proprietatis vitādæ causa, tripliciter admonetur Prælatus. 105. n. 8. 9.
Proprietatis pœnæ multæ sunt statutæ. 106. n. 1. & infer.
Proprietatem Religiosorū multa mala sequuntur. 107. nu. 4.
Proprietatis in Religioso damnatio, grauitas, & punitio explicantur. 562. n. 5. & 564. n. 6. & 7.
Proprietarius quis sit, sex conclusionibus explicatur. 92. nu. 8.
Proprietariorum argumenta adducuntur,

tur, & soluuntur. 96. nu. 12. & infer. & 112. n. 9.

Proximus noster quisnam sit, explicatur. 543. & 544.

Proximorum salutis spiritualis non procuratæ, reddenda est ratio in die iudicij. 672. n. 1. 2. & 3.

Psallere sapiēter, quid sit. 233. n. 8.

Pudicitiā nostrā mutua cura vbicunque fuerimus, custodiamus ex Augustini præcepto. 664. n. 1.

Pulchritudo spiritualis animæ depingitur. 765. n. 3. & 4.

Pusillanimitas, & pusillanimis quomodo cognoscantur, & repримantur. 740. n. 19. & infer.

R

RECONCILIATIO fratris cū dubitatiūculis quibusdā plenè explicatur. 711. 712. & inferius.

Rectoribus bonis mixta esse debet regēdi cū disciplina auctoritas, et benignitas cōsolandi. 741. n. 22.

Rector ecclesiasticus consultatione, & consilio aliorū indiget, nō sit personarū acceptor, nec blandimētis, & adulationibus aurē præbeat, neque suspitionibus, nisi violentis; & maximis. 755. n. 1. 2. 3. & 4.

Refectoriū cōmune à Canonicis Reg. habendum est ad prandendum, & cænandum. 185. nu. 1.

Refectorium commune nullam singularitatem patitur. 185. n. 2.

Refectorij regulæ tradūtur. 187. n. 5. & 6. & infe.

Refectorij regula, & ratio postulant modestiam victus, & potus. 189. n. 13. & vitanda est in mensa edacitas. 190. n. 1. & infe.

Reformatores monasteriorū iniquo sensu, existimantur nouatores, similiterq; reformatio iniquè traducitur, vt rerum nouarū mater. 334. nu. 18. & 335.

Reformādi ars difficilis est. 388. n. 1.

Reformatio iniustè recusatur, tāquā singularitatis magistra. 335. n. 20. 21

Reformatio monasteriorū non est ad alia tēpora differenda, sed cū breuitate exequēda. 336. n. 1. & 2.

Reformatio non adfert secum mala et incommoda, vt deformatoribus videtur. 337. n. 4. & 5.

Reformatio monasteriorum non adducit secū penuriā victus, & vestitus, et bonorū tēporaliū, vt deformatores opinantur. 339. nu. 13.

Reformatio monasteriorū non est causa, quod rari religionem ingrediātur. 340. n. 14.

Reformatio monasteriorū neq; tollit, neq; conturbat pacem bonā cænobitarū, sed malam; imò veritatem, & tranquillitatem conscientiarum inducit. 340. n. 15. & inf.

Reformatio monasteriorū propter turbationē malæ amicitiæ, & vitiosæ pacis non est omittenda, sed neque propter periculū apostatādi. 340. nu. 16. & 17 & 341. nu. 18.

Reformatio monasteriorū non adducit maiores sumptus, & bonorū tēporaliū sterilē procurationē; imò paucioribus sūptib. cōseruatur. 326. 16

Reformationis impugnatores, & contradictores admonētur, vt caueant summi Rom. Pont. castigationē ex aliorū exēplo. 342. n. 23.

Reformationis recta exequutio sępt regu-

regulas obseruari postulat. 406. & inferius.
Reformationis exequutio vndecim do cumenta cōtinet. 409. et 410. et ise.
Reformationis exequutionē rectā tradiderunt Bened. xij. & Conc. Oxoniēse, & Caiet. 411. n. 12. 13. et inf.
Regulæ Augustinianæ approbatio, propagatio, & auctoritas defenditur, & fulcitur. 41. & infer.
Regula Augustiniana multas sub se continet religiones. 43. nu. 6. &c.
Regula Augustini, cur speculū nuncupetur. 134. n. 3. & 775. nu. 5.
Regula omnis, cuiuscunq; sit ordinis, tria essentialia religionis vota cōtinet. 136. nu. 9.
Regulæ Augustinianæ origo, et pluriū illustriū Canonic. Reg. cathalogus referuntur. 141. nu. 3.
Reg. Aug. quib. de causis tā segniter discatur, & percipiatur. 513. n. 1.
Regulā Aug. pretiosior est cunctis argenti, & auri thesauris; exquirendaq; est tanquā margaritarū promptuarium. 514. n. 2.
Regulæ Augustini admiranda excellentia. 516. 517. n. 6. & 7.
Regula Aug. inter nimiū, & parū positas mediocritatē illam tenet, quæ iure laudatur. 516. nu. 6.
Reg. Aug. circa spirituales actiones potissimū versatur. 517. n. 7.
Reg. Aug. ad Apostolicæ vitæ exēplar cōposita, et cōformatā ē. 517. n. 7.
Regulæ Aug. antiquitas. 517. nu. 7.
Regulæ, & Canonicarū constit. vis ad obligandū ad peccatū mort. fusè explicatur. 526. & infe.
Regula Augustinianæ egregia rectitudo. præstantesq; qualitates, & eōditiones habentur. 504. n. 4. 5. & 6.
Regula Augustini, cur sit regula nuncupata. 505. nu. 7.
Regula Augustiniana pratum est, & rosarium amœnissimum. 506. n. 1.
Regula Augustini, cur ab ipsis Dei præceptis inchoetur. 507. n. 2.
Reg. Augustiniana non truncate, aut dimidiate obseruanda est, sed integre, atq; cōplete. 728. n. 2. & 3.
Regulam, regulariaq; præcepta, non vt serui sub lege, sed vt liberi sub gratia custodire debemus, ex Augustini decreto. 768. n. 6.
Reg. Augustinianæ frequēs lectio quas vtilitates adferat. 774. n. 3. & 4.
Reg. Augustiniana speculū, nunquā ē manib. excidere debet. 776. n. 6.
Regulariū nomine cōprehendūtur omnes Religiosi habētes Regulā approbatā, per quā promittunt tria substantialia Religionis. 71. nu. 11.
Regularis obseruantia, & diuinæ laudes prætermittendæ non sunt, propter temporalia bona, & negotia. 325. n. 9. & 10.
Religionis status quis, qualisq; sit, & finis eius. 1. nu. 1.
Religionis nomen, deriuatio, & ethimologia. 2. nu. 3.
Religio est perfectionis status, ad charitatis perfectionem, tanquam ad finem ordinatus. 3. n. 5.
Religio est status pœnitentiæ, exercitiū, & schola perfectionis. 3. n. 5.
Religionis ingressu, tanquam medio quodam nos Deus ad salutem ducit. 6. n. 16.
Religio hortus est aromatorum, & florum.

rum. 5. num. 18.

Religionis tria vota ab ipsis Apostolis constituta fuerunt, 9. n. 3. & inf.

Religionis, & triū votorū natura intimè manifestatur. 68. n. 1. & inf.

Religio Christiana plurimum elucet in ordinibus Religiosorum. 398.

Religiones à sua primæua institutione nonnunquā cadunt, et relaxātur nisi crebro reformentur. 517. n. 15.

Religionū collapsarū octo causæ explicantur. 518. 519. & infer.

Religiosi non tenentur esse perfecti, sed habere studium ad perfectionē cōsequendam. 3. nu. 6.

Religiosorū status, q in perfecta cōmunitate nō viuunt, à Martino Azpilcueta recitatus, reprobatur. 171. n. 9.

Religiosi qua rōnē ad mortē salutarem se præparare debeāt, omni testamētorū specie neglecta. 173. n. 1. 2. & infe.

Religiosus quo ex mortis frequēti tractatione non differet suæ vitæ emēdationē, neq; monasterij reformationē impediet. 174. n. 14. 15. 16.

Religiosi insigni litteratura præditi, non sint superbi, sed humilitatē colāt; aliàs qui parū vtilitatis monasterio, & sibi allaturi. 247. num. 7. 8.

Religiosus familiaritates secularium quo temperamento vitare debeat. 285. n. 13. et 14.

Religiosus quando sit singularitatis vitio notandus. 335. nu. 21.

Religiosi iure arctari possunt ad obseruandū ea, quæ sunt professi, et ea, sine quibus tria substātialia diu consistere nequeunt. 337. nu. 5.

Religiosus ingressus monasterium relaxatum, an teneatur recipere, & obseruare monasterij reformationem? 388. n. 1. & 2. In accidētalibus quādo non teneatur. 389. n. 3. In substantialibus Religionis tenetur. 390. n. 4. & 5. & infe.

Religiosus propter metū reformationis, nō debet animo lāguere, nec retrocedere, sed constantē, & fortē se præstare. 393. n. 1. & infe.

Religiosus efficitur holocaustum medullatum Deo. 560. nu. 2.

Religiosus donare non potest, nec eleemosynam facere, sine legitima licētia. 576. nu. 2.

Renunciatio rerū temporaliū propter Christū fit multifariā. 569. nu. 1.

Reprehensio vtilis contra nostram negligentiam erga obseruationem regulæ. 773. n. 1. 2. 3. et 772. n. 1. 2.

Residuū totū prandij, & cœnæ Religiosorū, sine diminutione aliqua cedere debet, in eleemosynā pauperibus fideliter erogandam. 185. nu. 2.

S

Sanctorum intercessiones quàm diligenter quotidie à nobis implorandæ sint. 482. nu. 4.

Salaria, emolumēta, et iura, quæ quibusdā monasteriorū officialib. cōcedi solent, tollēda sunt. 101. n. 9.

Satisfactio iniuriæ tripliciter fieri potest. 708. nu. 2.

Scientiarū cognitionē à Religiosorum claustro repellentes, refelluntur, & obiurgantur. 247. nu. 6.

Scientia præstantissima est cognoscere, & examinare seipsum. 444. num. 3. & infe.

Scholares exteri, non sunt admittendi in monasterijs Canonicorum Regula-

gulā-

gularium, vt cum Canonicis doceantur. 245. num. 3.
Sessiones, & accubationes inter Canonicos certam rationem, & Regulam postulant. 188. nu. 12.
Seueritas, crudelitas, & summũ ius à Prælatis fugiẽda sunt. 421. et inf.
Seueritas immodica Prælatorũ quãta mala inducat. 425. nu. 7. & infer.
Silentium seruãdum est in refectorio, tumultu, & contentione relegatis. 633. num. 1. 2. & 3.
Singularitas iniquè fingitur in reformatione monasteriorum. 335. nu. 20. & 21.
Socordia, & desidia acriter à monasterio repellantur. 638. num. 3.
Somni necessitas, & vtilitas traditur. 208. 209. & 210.
Somnus immodicus multa mala homini adfert. 210. num. 4.
Somni suauitas qua ratione sit captanda. 211. num. 5.
Somnia qua ratione fiant. 214. nu. 8.
Somniorum causæ variæ statuuntur. 215. nu. 9. & 10.
Somniorum munditia qua ratione sit procuranda. 215. nu. 9. & 10.
Spoliari Religiosũ honore Dei, quàm sit perniciosum. 646. nu. 4.
Stabilitatis, siue perseuerãtiæ votũ, & intellectus eius explicãtur. 111. et if.
Studij litterarij cũ obseruãtiæ regulares permittẽdæ nõ sunt. 697. n. 1.
Studijs litterarijs dediti, duplici honore habeantur. 698. nu. 2.
Subditorum salus, non frigida, sed vehemẽti cura, & conatu à superioribus procuranda est. 674. n. 6. & 7.
Subprior, siue Prior claustralis constituendus est in singulis monasterijs Canonicorum Reg. 248.
Subprior, siue Prior Claustralis quib. virtutibus, et qualitatibus ornatus esse debeat. 249. n. 2. & 6. & inf.
Subprioris, siue Prioris Claustralis officiũ, & ptãs quãta sit. 250. n. 11.
Superfluitas rerum à Religioso requirenda non est, sed longè profliganda. 578. num. 1.
Superbia pauperum electorum quàm longè sit fuganda è monasterijs. 588. num. 3. & 4.
Superbia cur ab Augustino exprimatur sub nomine ceruicis erectæ, & colli extensi. 588. nu. 5.
Superbia diuitum in monasterio propellitur. 589. nu. 6. & 8.
Superbia quã sit versuta insidiatrix, & bonorum operum corruptrix. 590. num. 9.
Superbiæ amplissima malignitas explicatur. 591. num. 10.
Superbiæ abigendæ, & humilitatis sectandæ regula vtilis. 592. nu. 11.

T

Temperantia quos habeat comites. 580. num. 5.
Temperantiam esse amplectendã quomodo doceat nostrorum membrorum compositio. 583. nu. 4.
Tentationum inductionem vitandam esse orationibus docet Augustinus. 776. num. 7.
Tentationum duas esse species explicatur. 776. nu. 7. 8. & 9.
Tentatione ingrauescẽte quid sit agendum. 778. nu. 10.
Testamenti definitio explicatur. 160. num. 1.

Testari non possunt Canonici Regulares post emissam solennem professionem. 168. nu. 1. & 51. num. 1.
Testamétum condere possunt Religiosi cum Romani Pontificis dispensatione, recitata opinionum varietate. 169. num. 2.
Testandi dispensationem quibus Religiosis Romanus Pontifex consueuerit concedere, septem conclusionib. explicatur. 169. & inferius.
Testandi modum, & facultatem quã habere possint Episcopi Monachi, explicatur. 172. nu. 10.
Testamétorum, siue schedularum, siue aliarum dispositionum vsus in Religiosis reprobatur. 173. num. 11.
Testium procuratio ad conuincendum fratrem in correctione fraterna, quo modo fieri debeat. 668. nu. 8.
Timorem vitiosum in prodendo crimen socij ad correctionem fraternã dánat August. 670. nu. 12. & 13.
Timorem seruilem non repellit Aug. sed suo modo laudat. 769. nu. 7.
Transgressio votorum, & eorum, quæ sub professione regulari concluduntur, quando sit peccatum mortale, & quãdo veniale, explicatur. 521. 522. & inferius.
Trienny ratio ad celebranda capitula prouincialia, quomodo sit intelligenda. 357. nu. 2.
Turpiloquium, & petulans vestium ornatus fugiantur à cultore castitatis. 662. nu. 8. 9. & 10.

V

Valetudinarij, & delicatiores longè alia rõne tractandi sunt, quàm valentiores. 635. nu. 4. 5. & infe.
Vanitas rerum terrenarum longo sermone explicatur. 594. num. 3. & 595. & inferius.
Venatores clerici qui sint, et qua pœna plectátur. 304. nu. 13. 14. 15. et 17.
Veritas à Prælatis in omni negotio diligenter cognoscenda, & facilè audienda. 348. num. 1.
Veritas triplex est, vitæ, doctrinæ, iustitiæ. 349. num. 2. & 3.
Veritaté an expediat semper, & vbique proferre. 350. nu. 4.
Veritas triplici de cã difficile auditur à Prælatis, & principib. 350. n. 5.
Veritas pluribus alijs de causis difficile auditur à Præsidibus, & Principibus. 351. nu. 6. 7. & 353. nu. 8.
Veritatis audiendæ varia documenta tradútur. 353. n. 9. et 354. et 355.
Vestium honestas, rectus vsus, & debita compositio traduntur. 316. 317. & inferius.
Vestium affectatio, & nota ab Augustino reprehenditur. 641. num. 1.
Vestium necessariarum, & competentium defectus multa mala Religiosis adfert. 687. nu. 2.
Vestium cura ne subditos diuexet, Augustinus súmopere desiderat. 688. nu. 3. & 4. & 689. & 590.
Vestium, & calciamentorum emendorú causa, certa pecuniæ summa singulis annis, singulis canonicis particulariter non est præstanda. 687. num. 2.
Vestium administrandarum rationem longo sermone Augustinus edisseruit. 689. 690. & inferius.
Vestium lotio, & mundicies quomodo procurari debeant. 691. nu. 7.

Vestes


Vestes aiæ sunt pœnitētia, et charitas. 648.n.7.et inf.et 650.n.10.et 11.
Vestis præclarissima animæ est ipsa beatitudo. 651.num.12.
Victus, & tegumentum quas ob causas Canonicis tribuatur. 573.n.1.
Victus, & tegumentum quas ob causas non æqualiter omnibus Canonicis tribuantur. 574.nu.4.
Visitatorum regularium facultas traditur. 363.n.15.16.et 368.nu.5.
Visitatorum potestas, & munus in corrigēdis Religiosis quanta sit. 374.nu.3.& 4.& 378.nu.1.2.et 3.
Visitatores qua lege supplere debeant Prælatorum negligentiam. 373.num.5.et 374.nu.6.
Visitatores Prælatum priuare non possunt. 374.nu.6.
Visitatores sequentes inquirant negligentias præcedētium Visitatorum. 375.num.7.
Visitatorum potestas magna traditur. 273.et inferius.
Visitatores tenentur seruare secretum in suis visitationibus. 379.nu.5.
Visitandi formulas per q̃ vtiles lege. 275.n.6.et 380.381.382.383.
Vita nostra spiritualis non satis habet si semel lectione, & doctrina pascatur, nisi crebro id fiat. 773.num.1.
Vitiorum impugnatio non absq; magno fructu bonis hominibus cum Dei auxilio contingit. 780.nu.12.
Vitiorū impugnatione oblata, dupliciter se habere hoīes solēt. 780.n.12.
Vita nostra referta est multis spiritualium inimicorum, & tentationum laqueis. 780.nu.12.
Vota religionis omnia in genere explicantur. 68.nu.1.& inferius.
Vota monastica cito, et sine lōga mora sunt persoluēda. 431.n.8.9.et 10.
Votorum monasticorū temerarÿ transgressores obiurgantur, & damnantur. 427.& inferius.
Vsus rerum quis sit Religiosis permissus. 102.& inferius.
Vsus rerum duplex est, certus, & incertus. 103.nu.4.

LAVS DEO.

Series Chartarum.

✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO
PP QQ RR SS TT VV XX YY ZZ.
AAA BBB CCC DDD EEE.

Omnes sunt quaterniones, præter EEE, qui est quinternio.


S. ANDREAS ROMA